BULLARIUM

ROMANUM

BULLARUM
DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM
SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM
TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS

A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET Ss. CANONUM PERITORUM

QUAM

SS. D. N. PIUS PAPA IX

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT.

TOMUS XII

A PAULO V (ab. an. MDCXI) AD GREGORIUM XV (MDCXXIII).

AUGUSTAE TAURINORUM
A. VECCO ET SOCIIS EDITORIBUS
SUCCESS. SEBASTIANI FRANCO ET FILIORUM
M DCCC LXVII.

LECTORI BENEVOLO

EDITORES TAURINENSES

S.

Dubitationem omnem, si qua superest, ponito, Lector Benigne. Magni Operis nostri Tomus Duodecimus, quem veluti e vestigio post Undecimum Bullarii et Primum Appendicis intra annum, iuxta promissa et optata, evulgamus, amplissimam fidem facit, qua propositi firmitate coepto insistimus, quanta virium promptitudine et alacritate ad illud perficiendum allaboramus. Iamque Decimotertio adornando typisque imprimendo manum admovimus; quo, fere dicam, unius tantum anni spatio quatuor ingentia volumina habebimus absoluta; unde scias haud dubie nos deinceps, nulla interposita mora, ad metam, adspirante Deo, properaturos.

Grandiorem tomus iste quam praecedens excrevit in molem, neque tamen immodicam, eo quod totum Gregorii XV Pontificatum in duo editionis Romanae volumina inique discerptum nos in unum colligere consultius reputavimus (1). Quin et exinde aequiorem in partiendis voluminibus rationem

(1) Continet nempe omnia quae in Romana Mainardi editione habet tomus v pars iv ab anno vii Pauli V usque ad annum i Gregorii XV, scilicet ab anno MDCXI usque ad MDCXXI, et insuper quae habentur ibidem in tomo v parte v, pag. 1-116 ad finem pontificatus Gregorii XI, anno MDCXXIII.

habituri sumus, ut, quantum fieri poterit, una simul conveniant initia pontificatuum et voluminum, et fines finibus respondeant. Et sane praestantissimus Urbani VIII pontificatus proxime edendus in primo statim Tomi Decimitertii conspectu convenientiorem utique sibi locum obtinebit, quam si obscure post volumen incoeptum prodiret in medium. Quae quidem in conflandis voluminibus diligentia, ut sua sit singulis materia apte concinneque distributa, nequaquam minimi penditur ab iis qui in id genus operibus nihil non castigatum ad unguem habent in votis.

Sed his maiora etiam conati sumus, quo Editionis Principis laudem huic nostrae iam publica voce adtributam nedum tueremur, sed in dies magis magisque promeremur. Typos denuo recusos grandi praesentique pecunia comparatos ad hoc volumen edendum adhibuimus. In dispositione constitutionum apostolicarum ordinem chronologicum, qui bullis facilius, promptiusque reperiendis maxime confert, pressius quam antea sequuti sumus, ordine Mainardiano plerumque mutato, cum quo nihilominus tabula apposita nostrum accuratissime contulimus; si quae autem inter eundum nobis adhuc occurrerunt posterioribus vel adiectae vel insertae extra locum vagantes Indiculo praefixo illas ad chronologiae tesseram revocavimus. Tandem, quod pluris valet, vulgatae typis Mainardi editioni innumeris mendis expurgandae, quae sensum obnubilant et lectorem tametsi horum studiorum non inscium saepissime offendunt et suspensum detinent, multam ac pene intolerabilem ipsi molestiam in via iam satis superque salebrosa facessendo, totis ingenii viribus incubuimus. Neque id vanam esse typographi pollicitationem crebrae notae paginis huc illucque subiectae et previus cata-

logus noningentarum plus minusve emendationum lectionis Mainardianae, quae in hoc nostro volumine vel adhibitae vel propositae fuere, abunde demonstrant. Cuius catalogi praetexendi momenta in praefatione ad Tomum Undecimum explicavimus, nostraque illa agendi ratio ita fuit doctissimorum virorum iudicio comprobata, ut ab illa recedere iniquum foret. Verum et errata nostra, nam in longo, concitatoque cursu omnia potuisse evitare super humanae infirmitatis conditionem foret, ad finem voluminis ingenue recensemus.

En, Lector benigne, quomodo, quantum in nobis est, nihil omittimus curarum et laboris, nullis parcimus expensis ut tam magnum opus, quin potius immensum, quo tum sacra tum profana omnis doctrina plurimum iuvabitur, quam citius et emendatius absolvatur. At quis non intelligat fortissimum quemque typographum absque plurimorum favore et concursu nequaquam posse ad illud perficiendum sufficere. Iam vero fatendum et heu dolendum est nos nondum hucusque eum subscriptorum numerum adeptos fuisse qui par sit necessariis sumptibus rependendis. Equidem illustria nomina illorum, qui huic nostrae editioni subscripserunt, ad honorem, commendationemque illi adaugendum faciunt non modicum, sed adhuc pauciora haec sunt quam quod oporteret ad opus secundis ventis vehendum. Nam etsi, prout saepe professi sumus, nihil nos a coepto deterreat, scimus enim Magni Bullarii Romani usum in universali Ecclesia nunquam defuturum, tamen aliquando moras cunctationesque iniicere importunas aliquid posset.

Rogamus itaque, obstestamurque ut dum aspirat ab alto peramantissimi Patris et Domini nostri Pii PP. IX Benedictio Apostolica, et Protectio indeficiens, amplissimorum

S. R. E. Cardinalium favor, illustrissimorum per orbem Episcoporum benenevolentia et cooperatio, spes item affulget nobis brevi datum iri ut Eminentissimi Patroni nomine editionem nostram iterum condecoremus, non haereant aquae inopia subscriptorum. Atque, ita nos Deus adiuvet, typographi et editoris officio quam diligentissime et fidelissime fungi nunquam desistemus. Vale.

Augustae Taurinorum, kalendis decembris an. MDCCCLXVII.

A. VECCO ET SOCII.

TABULA

Quae novum ordinem *refert, quo chronologice dispositae sunt Pontificiae Constitutiones in Editione Taurinensi, collatum cum* veteri ordine *Romanae Editionis Hieronymi Mainardi.*

* Ex Const. c Greg. XV in ed. Rom.

GREGORIUS XV.

ERRATA CORRIGE

Pag. 213 *l.* [illegible]	CCXVI	*Lege*	CCXXXVI
» 224 *l.*	CCL	»	CCXL
» 249 *l.*	CCXIV	»	CCXLIV

INDICULUS

SS. PONTIFICUM CONSTITUTIONUM

QUAE IN HOC TOMO XII

EXTRA ORDINEM CHRONOLOGICUM VAGANTUR.

INDEX

LECTIONUM, VEL MENDOSARUM, VEL DUBIARUM

EDITIONIS ROMANAE

QUIBUS OPPONUNTUR SINGULIS SINGULAE EMENDATIONES VEL LECTIONES

NOSTRAE EDITIONIS.

(*Vide Adv. tom.* XI *pag.* XII).

Edit. Rom. Main. Tom. v, *Part.* IV.		*Edit. Taur.*	
Pag. 1 *b* linea 22 *ult.*	universitatis	*Pag.* 2 *a* linea 23	universitatis nomine
» 4 *a* » 28 *ult.*	si quae	» 6 *a* » 15 *ult.*	si qua
» 7 *a* » 29 *ult.*	ab omni	» 11 *a* » 10	ac ab omni
» 7 *a* » 18 *ult.*	dioecesis	» 11 *a* » 20	dioecesis solvi solitorum
» 7 *a* » 3 *ult.*	per eum	» 11 *a* » 6 *ult.*	per eum percipi solita
» 7 *b* » 24 *ult.*	et tam	» 12 *a* » 1	etiam
» 8 *a* » 13	pertinentia	» 12 *a* » 6 *ult.*	pertinentes
» 8 *a* » 38	qui	» 12 *b* » 20	quibus
» 8 *b* » 1	nullatenus	» 13 *a* » 10	ullatenus
» 8 *b* » 6	statu	» 13 *a* » 16	crant, statum
» 8 *b* » 12	stipulati	» 13 *a* » 22	stipulati habere
» 8 *b* » 23 *ult.*	individua, ac	» 13 *b* » 16	individua habenda esset, eorum tenores, ac si
» 8 *b* » 12 *ult.*	erectae	» 13 *b* » 15 *ult.*	erectá
» 9 *a* » 7	habentium	» 14 *a* » 4	habentibus
» 10 *a* » 33	suppetat	» 15 *b* » 4 *ult.*	suppetat, studemus
» 10 *b* » 28 *ult.*	nullatenus	» 16 *b* » 10 *ult.*	ullatenus (?)
» 14 *a* » 11	continetur	» 22 *a* » 11	continentur
» 14 *a* » 16	reliqua	» 22 *a* » 15	reliqua quae
» 14 *a* » 25	ab omni	» 22 *a* » 25	ac ab omni
» 14 *a* » 36	dioecesis	» 22 *a* » 6 *ult*	dioecesis solvi solitorum
» 14 *a* » 19 *ult.*	per eum	» 22 *b* » 10	per eum percipi solita
» 14 *b* » 22	praescriptos	» 23 *a* » 9	praedictos (?)
» 14 *b* » 30	et tam	» 23 *a* » 18	etiam
» 15 *a* » 2	et	» 23 *b* » 13	et fine debito
» 15 *a* » 5	cum sibi limitata	» 23 *b* » 19	cum simili vel limitata
» 15 *a* » 13	ac in illis	» 23 *b* » 12 *ult.*	in illis
» 15 *a* » 15	exercere	» 23 *b* » 11 *ult.*	ac exercere
» 15 *a* » 25	qui	» 23-24	quibus
» 15 *a* » 27	administrationes	» 24 *a* » 3	administrationes, et illarum pro tempore deputati administratores
» 15 *a* » 25 *ult.*	causae	» 24 *a* » 22	causas
» 15 *a* » 16 *ult.*	nullatenus	» 24 *a* » 8 *ult.*	ullatenus

Pag.	linea	*Edit. Rom. Main.*, *Tom.* v, *Part.* IV.	Pag.	linea	*Edit. Taur.*
15 *a*	4 *ult.*	stipulati	24 *b*	5	stipulati habere
» 15 *b*	» 32	et individua	» 24 *b*	» 2 *ult.*	et individua mentio habenda esset,
» 15 *b*	» 33	ac de verbo	» 24 *b*	» 1 *ult.*	eorum tenores, ac si de verbo
» 15 *b*	» 26 *ult.*	erectae	» 25 *a*	» 10	erectâ
» 15 *b*	» 8 *ult.*	et pro	» 25 *a*	» 14 *ult.*	et
» 15 *b*	» 1 *ult.*	causa	» 25 *a*	» 7 *ult.*	causae
» 16 *a*	» 24 *ult.*	primitiali	» 25 *a*	» 6 *ult.*	primatiali
» 16 *a*	» 4 *ult.*	singulorum	» 26 *a*	» 14	singularum
» 17 *a*	» 2	aggravandi	» 27 *a*	» 1	aggravando
» 17 *a*	» 28	eorum	» 27 *a*	» 27	earum
» 17 *b*	» 8 *ult.*	habitâ	» 28 *a*	» 4	et habitâ
» 18 *a*	» 16	superioritatemque supremum	» 28 *b*	» 15 *ult.*	superioritatem, suprenumque
» 20 *a*	» 10	eis	» 31 *b*	» 10 *ult.*	eâ (?)
» 20 *a*	» 23 *ult.*	possit	» 32 *a*	» 20 *ult.*	possint
» 20 *a*	» 14 *ult.*	valeres facultatem concessimus	» 32 *b*	» 11 *ult.*	valeres
» 21 *a*	» 27 *ult.*	de eis	» 33 *b*	» 15 *ult.*	de eâ (1)
» 21 *a*	» 6 *ult.*	tam	» 34 *a*	» 7	cum
» 21 *a*	» 22 *ult.*	res ecclesiasticae Salisburgenses.	» 34 *b*	» 14	res ecclesiae Salisburgensis (?)
» 297 *b*	» 21	nota.	» 37 *a*	» 15	nata
» 298 *a*	» 16	quilibet.	» 37 *b*	» 6 *ult.*	quilibet habeat
» 298 *a*	» 22	habeant	» 38 *a*	» 2	habent (?)
» 298 *a*	» 30 *ult.*	Ad vesperas	» 38 *a*	» 17	Ad vesperum
» 298 *b*	» 11	VIII.	» 38 *b*	» 22	VII
» 298 *b*	» 15	die festo	» 38 *b*	» 26	dies festus
» 298 *b*	» 2	decantatur.	» 38 *b*	» 11 *ult.*	decantantur
» 298 *b*	» 22	sacerdotibus	» 38 *b*	» 9 *ult.*	a sacerdotibus
» 298 *b*	» 10 *ult.*	ad matutinas	» 39 *a*	» 11 *ult.*	ad matutinas et missam
» 299 *a*	» 7	recitabitur: Sacerdotibus	» 39 *b*	» 7	recitatibur a sacerdotibus
» 299 *a*	» 31	festis	» 39 *b*	» 11 *ult.*	et festis
» 299 *a*	» 32	omnes	» 39 *b*	» 10 *ult.*	omnes ad hoc munus debent
» 300 *a*	» 17	noverit.	» 41 *a*	» 23	novit
» 300 *a*	» 30	si quae.	» 41 *a*	» 8 *ult.*	si qua
» 300 *b*	» 9	Eductus.	» 41 *b*	» 5 *ult.*	Eductum
» 300 *b*	» 30 *ult.*	tandem.	» 42 *a*	» 17 *ult.*	tamen (?)
» 301 *a*	» 2 *ult.*	dimissione.	» 43 *a*	» 7 *ult.*	demissione
» 301 *b*	» 27 *ult.*	a	» 43 *b*	» 7 *ult.*	e
» 302 *a*	» 21 *ult.*	quibuscumque.	» 44 *b*	» 22	quibuscum
» 303 *a*	» 22 *ult.*	vel loco	» 46 *a*	» 19 *ult.*	vel ioco
» 304 *a*	» 21	obvenerint.	» 47 *a*	» 4	obvenerit (?)
» 304 *a*	» 32 *ult.*	cuius	» 47 *b*	» 17	cuivis
» 304 *a*	» 25 *ult.*	leniter	» 47 *b*	» 15 *ult.*	leviter (?)
» 304 *a*	» 17 *ult.*	sciantque cuiuslibet anni redditus, expendendo in bonos.	» 47 *b*	» 6 *ult.*	sciantque cuiuslibet anni redditus expendendos in bonos
» 304 *b*	» 30	aut alia quacunque ea sit dignitate	» 48 *a-b*		aut aliâ, quaecumque ea sit, dignitate
» 305 *a*	» 29 *ult.*	decorem	» 49 *a*	» 7 *ult.*	decorum (?)
» 305 *a*	» 9 *ult.*	praeferantur	» 49 *b*	» 15	praeferatur
» 305 *b*	» 16	hospitio.	» 49 *b*	» 4 *ult.*	hospitio recipiatur

(1) Nota ad h. l. sic est emendanda: « Edit. Main. legit. *eis pro ea* ».

Edit. Rom. Main., Tom. V, Part. IV.			Edit. Taur.		
Pag. 305 b	linea 31	etiam et repetenda nonnulla	Pag. 50 a	linea 12	etiam nonnulla
» 305 b	» 16 ult.	unanimes	» 50 a	» 8 ult.	unanimiter (?)
» 306 a	» 12	beneficiis	» 50 b	» 20	beneficis
» 306 a	» 27	in	» 50 b	» 7 ult.	ab
» 306 a	» 36	modestius	» 51 a	» 3	modestus
» 306 a	» 37	ut	» 51 a	» 4	et
» 306 a	» 47	tardius	» 51 a	» 14	tardior (?)
» 306 a	» 49	praepositus	» 51 a	» 17	praeposito
» 306 b	» 11	proprior.	» 51 b	» 3	propior
» 306 b	» 13 ult.	legitur Biblia	» 52 a	» 1	leguntur Biblia
» 306 b	» 12 ult.	commentata	» 52 a	» 3	monumenta
» 307 a	» 19 ult.	commune fecerit	» 52 b	» 21	commonefecerit
» 307 a	» 8 ult.	commune facere	» 52 b	» 6 ult.	commonefacere
» 307 a	» 7 ult.	Duae.	» 52 b	» 5 ult.	Duae quidem
» 307 a	» 6 ult.	in mensa explicata	» 52 b	» 4 ult.	in mensâ; explicant
» 307 b	» 25	die	» 53 a	» 8 ult.	diei
» 307 b	» 30	ibi	» 53 a	» 3 ult.	ubi
» 309 a	» 15	oratorio	» 55 b	» 10	in oratorio
» 309 a	» 28 ult.	aliquot	» 55 b	» 8 ult.	aliquod
» 309 b	» 18 ult.	creator Spiritus	» 56 b	» 18 ult.	Sancte Spiritus
» 310 a	» 6	piam aemulationem	» 57 a	» 6	pia aemulatio
» 310 a	» 20 ult.	eorum	» 57 b	» 10	earum
» 24 b	» 24	summa	» 61 a	» 18	summam
» 25 a	» 34	suspensione	» 62 a	» 14	suspensionem
» 25 c	» 39	ingressus	» 62 a	» 19	ingressu
» 25 a	» 43	suspectus	» 62 a	» 23	ut suspectus
» 27 b	» 15	qui	» 65 b	» 3 ult.	qui super
» 28 b	» 5 ult.	pro servato	» 68 a	» 5	pro servato habiti
» 31 a	» 5	praescriptam	» 71 a	» 12 ult.	praescriptam percipiant
» 31 b	» 13	alium	» 72 a	» 21 ult.	alium annum
» 32 b	» 10 ult.	praeventum	» 74 a	» 5 ult.	praeventus
» 33 a	» 26	seu	» 74 b	» 14	sed
» 34 a	» 27	dignum	» 76 b	» 1	dignâ
» 34 a	» 19 ult.	pecuniarum, aut participationum	» 75 b	» 18 ult.	aut pecuniarum participationem
» 36 a	» 27	quorum	» 79 b	» 17	quarum
» 36 b	» 8	diffinitive	» 80 a	» 20 ult.	diffinitivae
» 37 a	» 7	assumptis	» 81 a	» 1	assumpti
» 37 a	» 8	teneantur omnia	» 81 a	» 2	omnia
» 37 a	» 17 ult.	formandi	» 81 b	» 13	formandis
» 37 a	» 13 ult.	redicta	» 81 b	» 16	redacta
» 37 b	» 20	absint	» 82 a	» 7	absit
» 37 b	» 34	visitato	» 82 a	» 21	visitator (?)
» 38 a	» 1	mandato	» 82 b	» 10	mandato detinentur
» 38 a	» 12 ult.	moderate	» 83 a	» 17 ult.	moderate accipiat
» 38 b	» 23	Atqui	» 83 b	» 17	At qui
» 38 b	» 25	pro, sive	» 83 b	» 20	sive pro
» 38 b	» 22 ult.	sententiis	» 83 b	» 1 ult.	a sententiis
» 38 b	» 12 ult.	si	» 84 a	» 10	sit
» 39 a	» 17 ult.	substituti	» 84 b	» 17 ult.	substitutis
» 39 b	» 4 ult.	procurare	» 85 b	» 17 ult.	appellare (?)
» 40 a	» 9	adversarii	» 85 b	» 4 ult.	adversariis
» 40 b	» 8	ulterius	» 86 b	» 17	ipse actuarius ulterius
» 40 b	» 9	admittatur	» 86 b	» 18	admittantur (?)
» 40 b	» 10	opponatur.	» 86 b	» 19	apponatur (?)
» 41 a	» 26 ult.	Protestatione	» 88 b	» 20 ult.	Protestationes
» 41 a	» 24 ult.	eorum	» 88 b	» 18 ult.	earum

Edit. Rom. Main., Tom. v, Part. iv.				Edit. Taur.			
Pag.	42 a	linea 12 ult.	scribendi	Pag.	89 b	linea 22 ult.	scribenti
»	43 a	» 12	factae	»	90 b	» 15 ult.	facta
»	43 a	» 22	iudicibus	»	90 b	» 5 ult.	iudicibus definiatur
»	43 a	» 8 ult.	servandis	»	91 a	» 4 ult.	servatis servandis
»	44 a	» 6 ult.	debeant	»	93 a	» 14	debeat
»	44 b	» 10 ult.	distinctae	»	93 b	» 5 ult.	distincte
»	45 b	» 27 ult.	contractum	»	95 a	» 14 ult.	contractuum
»	45 b	» 2 ult.	et	»	95 b	» 13	de
»	47 a	» 21 ult.	esse	»	97 b	» 15 ult.	esset
»	47 b	» 6 ult.	reputantur	»	98 b	» 17 ult.	repetantur
»	49 a	» 19	solita... consueta	»	100 b	» 20	solitae... consuetae
»	49 a	» 31	habentem	»	100 b	» 7 ult.	habentium
»	49 a	» 32	factae	»	100 b	» 5 ult.	factam
»	49 a	» 6 ult.	relationes	»	101 a	» 14 ult.	relatione
»	49 a	» 2 ult.	citatione	»	101 a	» 11 ult.	relatione (?)
»	49 b	» 8	possint	»	101 b	» 1	possit
»	50 a	» 29	quae	»	102 b	» 7	qua
»	50 a	» 18 ult.	manum	»	102 b	» 12 ult.	manu
»	50 b	» 12	sponte	»	103 a	» 21	a sponte
»	51 b	» 4	exploratoribus	»	104 b	» 20	explorationibus (?)
»	52 a	» 22 ult.	retineatur	»	106 a	» 4	retineantur
»	52 b	» 8 ult.	consignetur	»	106 a	» 1 ult.	consignentur
»	53 a	» 6	apodiffa	»	107 a	» 13	apodissa
»	53 a	» 16	alimenti	»	107 a	» 23	alimentis
»	53 a	» 14 ult.	minus solvendo	»	107 b	» 17 ult.	minus solvendo aptus
»	53 a	» 5 ult.	consensit	»	107 b	» 8 ult.	consentit
»	53 b	» 12	quando	»	108 a	» 9	quando creditor
»	53 b	» 26	possit	»	108 a	» 24	possint
»	54 a	» 20	praesidi carcerum, et aliis	»	109 a	» 3	praesides carcerum et alii
»	57 b	» 10	dare	»	113 b	» 18 ult.	dari
»	58 b	» 31 ult.	pro ordinario	»	115 b	» 24 ult.	pro ordinariis
»	59 a	» 26	fideiussoribus	»	116 a	» 10 ult.	fideiussionibus
»	59 b	» 3 ult.	pro natura	»	117 b	» 12	pro nauta
»	63 a	» 5 ult.	olim	»	123 a	» 20	olim a
»	63 b	» 3 ult.	vim	»	124 a	» 4	in vim
»	64 a	» 26 ult.	omnes	»	124 b	» 6	omnis
»	64 b	» 3	ne eis	»	124 b	» 8 ult.	ne is
»	64 b	» 25	mercedem	»	125 a	» 14	mercedem renunciando
»	64 b	» 33 ult.	hominis	»	125 a	» 15 ult.	nominis
»	66 a	» 4	eorum	»	127 b	» 14 ult.	earum
»	68 b	» 16	extra curiam	»	131 a	» 13	extra curiam in causa ordinaria (?)
»	69 a	» 28 ult.	illa	»	132 b	» 2 ult.	illud (?)
»	72 b	» 13 ult.	iurate	»	138 a	» 5	iurante
»	73 a	» 17	insertioni	»	138 a	» 12 ult.	insertione
»	75 b	» 22 ult.	solvat	»	142 b	» 2	habeat (vel) solvatur
»	76 b	» 11 ult.	incursu	»	144 a	» 20	incursus
»	79 b	» 32 ult.	cosa	»	148 b	» 12	causa
»	87 a	» 15 ult.	motu simili	»	160 a	» 15 ult.	motu simili declaramus
»	87 a	» 6 ult.	verae	»	160 a	» 6 ult.	vere
»	87 a	» 2 ult.	si quae	»	160 a	» 2 ult.	si qua
»	88 a	» 16	accipere	»	161 b	» 11	accipi
»	88 a	» 33 ult.	edicta	»	161 b	» 2 ult.	editi
»	88 b	» 20 ult.	constitutioni	»	162 b	» 6 ult.	constitutionis
»	88 b	» 1 ult.	comprendique	»	163 a	» 16 ult.	comburendique
»	89 a	» 11	tum	»	163 a	» 5 ult.	dum
»	89 a	» 26	ne eis forsan artis aromatariae impeditum sibi comitem adiungat	»	163 b	» 11	ne is forsan artis aromatariae imperitum sibi comitem adiungat

	Edit. Rom. Main., Tom. v, Part. iv.					Edit. Taur.			
Pag.	89 *b*	linea	13 *ult.*	extendere	Pag.	164 *b*	linea	11 *ult.*	extendi
»	90 *a*	»	4	ecclesiae	»	165 *a*	»	6	ecclesias
»	90 *a*	»	20	expedire	»	165 *a*	»	23	expediri facere
»	90 *a*	»	23	impetrari	»	165 *a*	»	26	impetrare
»	90 *a*	»	11 *ult.*	qui	»	165 *b*	»	16	quibus
»	90 *a*	»	5 *ult.*	elegerunt	»	165 *b*	»	22	elegerint
»	90 *b*	»	15 *ult.*	dilecti filli	»	166 *a*	»	6 *ult.*	dilecte fili
»	91 *b*	»	3 *ult.*	officio	»	168 *a*	»	4	officii
»	92 *a*	»	5	deferes.	»	168 *a*	»	11	deferas
»	92 *b*	»	8 *ult.*	propter	»	169 *a*	»	2 *ult.*	per
»	94 *a*	»	14	qui	»	171 *a*	»	17 *ult.*	quae
»	94 *b*	»	8	non habentes	»	172 *a*	»	5	habentes (1)
»	94 *b*	»	27	ac quod	»	172 *a*	»	19 *ult.*	quod
»	96 *a*	»	5	approbari et confirmari	»	173 *a*	»	8	approbare et confirmare
»	95 *a*	»	32 *ult.*	suscipiat	»	174 *b*	»	11	suscipiet
»	96 *a*	»	16 *ult.*	capitulum et	»	174 *b*	»	1 *ult.*	capitulum
»	96 *b*	»	10 *ult.*	pastoralem	»	175 *a*	»	7	pastorem
»	96 *b*	»	27 *ult.*	pastoralem	»	175 *b*	»	14	pastorem
»	97 *a*	»	28	efficaciter	»	176 *a*	»	10 *ult.*	et efficaciter
»	98 *a*	»	28 *ult.*	pridem	»	178 *a*	»	6	pridie
»	98 *a*	»	3 *ult.*	nostro	»	178 *a*	»	11 *ult.*	nobis
»	98 *b*	»	22 *ult.*	personaliter	»	178 *b*	»	3 *ult.*	..... (?)
»	100 *a*	»	18	concedere	»	180 *b*	»	5 *ult.*	ipsi concedere
»	100 *b*	»	9 *ult.*	comitatus statutis	»	182 *a*	»	19	comitatus
»	102 *b*	»	10 *ult.*	ceterarumque	»	185 *b*	»	18 *ult.*	ceterarum quoque
»	103 *b*	»	27	longo	»	186 *b*	»	2 *ult.*	longum
»	104 *b*	»	22	patentes desuper	»	188 *a*	»	8	patentes
»	105 *b*	»	16	intimatae	»	189 *b*	»	12 *ult.*	insinuatae (?)
»	106 *a*	»	10 *ult.*	possent	»	191 *a*	»	7	posset
»	106 *b*	»	16	et praesentibus	»	191 *a*	»	12 *ult.*	praesentibus
»	106 *b*	»	28	ex tunc	»	191 *a*	»	2	ex nunc
»	107 *a*	»	27 *ult.*	aliaque	»	192 *a*	»	11 *ult.*	aliique
»	107 *b*	»	4	quod praedicti	»	192 *b*	»	22 *ult.*	praedicti
»	107 *b*	»	23	duxerimus	»	192 *b*	»	2 *ult.*	duximus
»	108 *b*	»	1	regum	»	194 *a*	»	18	legum
»	108 *b*	»	6 *ult.*	honorum	»	194 *b*	»	4 *ult.*	bonorum
»	110 *a*	»	7	quae Dei honor, eiusque monasterii status, et religiosarum spiritualis utilitas	»	196 *b*	»	8	quae Dei honorem, eiusque monasterii statum, et religiosarum spiritualem utilitatem
»	110 *b*	»	10	nominis	»	197 *a*	»	5 *ult.*	numinis
»	110 *b*	»	12-13	et... deducantur	»	197 *a*	»	4 *ult.*	et... deducuntur (*vel*) ut... deducantur
»	110 *b*	»	27	Christi	»	197 *b*	»	13	Christiani (?)
»	111 *a*	»	2	seu sic per hoc	»	198 *a*	»	14	seu super hoc
»	111 *a*	»	15	provisum	»	198 *a*	»	27	constitum (?)
»	111 *b*	»	15	illam	»	190 *a*	»	13	ad illam
»	113 *a*	»	22	collegii	»	201 *b*	»	1	collegiis
»	113 *b*	»	8	ipsum	»	202 *a*	»	16	ipse
»	114 *a*	»	21 *ult.*	sub censuris	»	203 *a*	»	9 *ult.*	sub censuris excommunicationis
»	114 *a*	»	5 *ult.*	promoveri	»	203 *b*	»	9	promovere
»	114 *b*	»	1	expressis	»	203 *b*	»	14	expresso
»	295 *a*	»	7-12	ac... accresunt	»	206 *a*	»	13-18	ut... accrescant
»	295 *a*	»	13	debite	»	206 *a*	»	19	deditae

(1) Sed ista emendatio non congruit, et retinenda lectio Mainardiana.

Edit. Rom. Main., *Tom.* v, *Part.* iv.			*Edit. Taur.*		
Pag. 295 *a*	linea 40	ac	*Pag.* 206 *b*	linea 9	ad
» 295 *a*	» 43	directum instituen.	» 206 *b*	» 12	directum
» 295 *a*	» 2 *ult.*	propagare	» 207 *a*	» 5	propagandi
» 295 *b*	» 2	procurare	» 207 *a*	» 8	procurandi
» 295 *b*	» 26	visitandi	» 207 *a*	» 11 *ult.*	visitanda
» 295 *b*	» 19 *ult.*	moveantur	» 207 *b*	» 17	moneantur
» 295 *b*	» 14 *ult.*	versantur,	» 207 *b*	» 21	versatur
» 295 *b*	» 10 *ult.*	in institutorem	» 207 *b*	» 13 *ult.*	institutorem
» 296 *a*	» 6	eorum	» 208 *a*	» 4	eorum locorum
» 296 *a*	» 12	addicere volentes	» 208 *a*	» 10	addicere
» 296 *a*	» 16	ut praedictam	» 208 *a*	» 14	praedictam
» 296 *a*	» 29	exercitia	» 208 *a*	» 1 *ult.*	quam circa exercitia
» 297 *a*	» 1 *ult.*	constaret, tot	» 209 *a*	» 3	constare, et tot
» 296 *b*	» 6	quae	» 209 *a*	» 9	quos
» 296 *b*	» 6 *ult.*	forent,	» 209 *b*	» 9 *ult.*	forent, praesentibus pro expressis habentes,
» 297 *a*	» 23	et ut	» 210 *a*	» 22	ut
» 118 *a*	» 9	procurandas	» 214 *a*	» 14	procuranda
» 118 *b*	» 1	et	» 214 *a*	» 22	e
» 118 *b*	» 36	ecclesiis	» 214 *b*	» 13	ab ecclesiis
» 119 *a*	» 25	nuncupatur	» 215 *a*	» 14 *ult.*	nuncupatae
» 119 *a*	» 29	existens responsionis	» 215 *a*	» 10 *ult.*	..... (?)
» 119 *b*	» 27 *ult.*	nuncupatae	» 215 *b*	» 4	nuncupatarum
» 120 *a*	» 7	et tenore	» 216 *b*	» 15	auctoritate et tenore
» 120 *b*	» 2	favore	» 217 *a*	» 12	favorem
» 120 *b*	» 13	prohibens	» 217 *a-b*		prohibentis
» 121 *b*	» 24 *ult.*	piedi	» 219 *a*	» 8 *ult.*	piedi sei
» 128 *a*	» 23	piedi	» 229 *a*	» 18 *ult.*	piedi sei
» 121 *b*	» 21 *ult.*	Sena	» 229 *a*	» 4 *ult.*	schiena (?)
» 128 *a*	» 26	Serra	» 229 *a*	» 15 *ult.*	schiena (?)
» 121 *b*	» 8	E poichè	» 219 *b*	» 10	E poi che
» 128 *a*	» 40	E poichè	» 229 *a*	» 1 *ult.*	E poi che
» 122 *a*	» 25	più prossimo, e distante	» 219 *b*	» 1 *ult.*	l'angolo più prossimo è distante (1)
» 128 *b*	» 6	più prossimo è distante	» 229 *b*	» 9 *ult.*	l'angolo più prossimo è distante (1)
» 123 *a*	» 15-17	su quello di Montetortore in sudditi del Bolognese, Roffeno	» 221 *a*	» 3 *ult.*	su quello di Roffeno
» 126 *a*	» 31	nondum	» 226 *a*	» 22	nedum
» 126 *b*	» 7	assumpto ex alterá	» 226 *b*	» 22 *ult.*	assumpto
» 126 *b*	» 29	registrati	» 226 *b*	» 1 *ult.*	registrari
» 137 *b*	» 15 *ult.*	conventionibus, dictis praeposito, clericis et congregationi, auctoritate	» 244 *a*	» 6 *ult.*	conventionibus, auctoritate
» 138 *a*	» 2 *ult.*	institutione... factá	» 245 *a*	» 12 *ult.*	institutione... patefactá (2)
» 138 *b*	» 19 *ult.*	exercendam	» 245 *b*	» 9	exercere
» 140 *a*	» 21 *ult.*	omniaque	» 248 *a*	» 8 *ult.*	omnia
» 140 *a*	» 14 *ult.*	quodque	» 248 *a*	» 1 *ult.*	quaeque
» 140 *b*	» 26	solemniter	» 248 *b*	» 7 *ult.*	solemniter easdem has literas
» 140 *b*	» 23 *ult.*	editis	» 249 *a*	» 16	editá

(1) Vera lectio loci utriusque videtur esse potius « dall'angolo orientale e meridionale della qual casa più prossimo è distante, ecc. ».

(2) Vel potius ex loco parallelo infra pag. 814 *a* lin. 11 legendum *insinuatione... factá*.

	Edit. Rom. Main., Tom. v, Part. iv.					Edit. Tanr.			
Pag.	141 a	linea	11	illis	Pag.	249 b	linea	6	illis aliàs
»	144 b	»	6	o in altezza	»	254 b	»	17 ult.	in altezza
»	144 b	»	29 ult.	che per	»	255 b	»	21	per
»	144 b	»	24 ult.	che con	»	255 b	»	26	con
»	144 b	»	6	come nella pianta da noi concordemente fatta si dimostra, e ricopire la rottura o taglio sopra detto, che sbocca nel fiume Cerfone, e da noi è stata sottoscritta . .	»	255 b	»	4	come nella pianta da noi concordemente fatta, e da noi è stata sottoscritta, si dimostra, e riempire la rottura o taglio sopraddetto che sbocca nel fiume Cerfone;
»	145 b	»	3 ult.	tenore	»	257 a	»	6	tenores
»	146 a	»	20 ult.	ultimam	»	257 b	»	12	ultimo
»	146 a	»	12 ult.	noluimus	»	257 b	»	21	voluimus
»	147 a	»	35 ult.	plateolas	»	259 a	»	1	plateolam
»	148 a	»	23	iis	»	260 a	»	10 ult.	viis
»	148 b	»	18 ult.	non posse	»	261 a	»	3 ult.	posse
»	149 a	»	19	litteras	»	261 b	»	11 ult.	litteris (?)
»	150 b	»	38 ult.	rectae	»	264 a	»	14	recte
»	150 b	»	22 ult.	assisterent	»	264 a	»	12 ult.	assistent
»	150 b	»	19 ult.	Apostolicae	»	264 a	»	9 ult.	Apostolicâ
»	152 b	»	1	iulii	»	267 b	»	9 ult.	iuni
»	153 a	»	6	nulliusque	»	268 b	»	15	nullius
»	155 a	»	7	attendenda	»	268 b	»	16	attendendas
»	155 a	»	9	illa	»	271 b	»	23 ult.	illi
»	155 b	»	32 ult.	deputationes et constitutiones	»	272 b	»	11 ult.	deputationis et constitutionis
»	155 b	»	11 ult.	aliis	»	273 a	»	11	alia
»	156 a	»	20 ult.	Maluco	»	273 b	»	13	Malaca (?)
»	158 a	»	33 ult.	individua ac de verbo .	»	276 b	»	14	individua mentio habenda esset, eorum tenores ac si de verbo
»	159 a	»	9	ascendebant	»	278 a	»	9	ascendant
»	160 a	»	7 ult.	et	»	280 a	»	19	ex
»	161 a	»	22	illi	»	281 a	»	14 ult.	illis
»	161 a	»	32	infrascriptae . . .	»	281 a	»	5 ult.	in infrascriptae
»	161 a	»	34	prorogatum et extensum	»	281 a	»	2 ult.	prorogatam et extensam
»	161 a	»	15 ult.	propriis	»	281 b	»	15 ult.	pro iis
»	161 b	»	18 ult.	dioecesis	»	282 b	»	13	dioecesi
»	163 b	»	16 ult.	eximetur	»	285 b	»	5 ult.	eximatur
»	164 a	»	28	comprehensa . .	»	286 a	»	1 ult.	comprehensae
»	164 a	»	31	Insuperque	»	286 b	»	3	Insuper quod
»	164 a	»	36	eadem	»	286 b	»	8	earum
»	164 b	»	2 ult.	quascumque	»	287 b	»	24	quoscumque
»	165 a	»	9 ult.	ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Philippi regis et singularum personarum praedictarum fuerint requisiti, ad exequutionem eorum omnium quae in dicta concordia continentur procedant et per eos ad quos spectat eamdem observari curent et faciant; nec non eisdem nuncio et commissario generali iniungimus quod ubi et quoties	»	288 a	»	5 ult.	ubi et quoties

	Edit. Rom. Main., Tom. v, Part. iv.				Edit. Taur.		
Pag.	166 b	linea 9	levamento	Pag.	290 a	linea 6	levamentum
»	166 b	» 14 ult.	existant	»	290 a	» 11	existat
»	169 b	» 48 ult.	novo	»	294 b	» 5 ult.	novae
»	172 a	» 3	non possint	»	298 a	» 3 ult.	possint
»	172 a	» 9	piae dicti	»	298 b	» 4	praedicti (?)
»	172 a	» 10	constitutioni	»	298 b	» 6	intentioni (?)
»	172 b	» 12 ult.	universitatum	»	299 b	» 6 ult.	universitatem
»	173 a	» 7 ult.	scientiae	»	300 b	» 18 ult.	scientiâ
»	175 b	» 28 ult.	residentiam	»	304 a	» 4 ult.	residentium
»	176 a	» 21-34	perocchè	»	305 a	» 2-15	però che
»	176 a	» 26 ult.	che non	»	305 a	» 19	non
»	176 a	» 6 ult.	e godo, usufrutta,	»	305 b	» 2	e goda, usufrutti,
»	176 b	» 37	sieno... ricompensati	»	306 a	» 2	sia... ricompensato
»	177 b	» 12	et quantum	»	308 b	» 10 ult.	quantum
»	177 b	» 11 ult.	si quae	»	309 a	» 10 ult.	si qua
»	184 a	» 14 ult.	omnia	»	317 b	» 23	omni
»	184 b	» 20	marmoribus	»	318 a	» 14	marmoreis
»	186 a	» 31	ipsis	»	320 b	» 11	ipsius
»	187 a	» 2	vertat	»	321 b	» 13 ult.	verrat
»	187 a	» 2 ult.	cappellani	»	322 b	» 11	cappellanis
»	187 b	» 27 ult.	sacristae	»	323 a	» 12	sacrista
»	188 a	» 27 ult.	canonicis	»	323 b	» 6 ult.	et canonicis
»	189 a	» 9	pro tempore	»	325 a	» 14	pro tempore ex alterá partibus
»	189 b	» 1	duobus	»	325 b	» 10 ult.	duabus
»	192 b	» 33 ult.	ius patronatus	»	330 b	» 5 ult.	iuris patronatus
»	193 b	» 1 ult.	ut	»	332 b	» 13 ult.	aut
»	195 a	» 27 ult.	suppressionem... approbationem	»	334 b	» 10 ult.	suppressio... approbatio
»	195 a	» 12 ult.	constitutionis	»	335 a	» 6	constitutioni
»	195 b	» 1	praemissorum	»	335 a	» 19	praemissorum validitatem
»	195 b	» 26 ult.	ullo... ullatenus	»	335 b	» 20	nullo... nullatenus (?)
»	195 b	» 8 ult.	ad	»	335 b	» 6 ult.	ac
»	198 a	» 7 ult.	deferretur	»	339 b	» 19	deferetur
»	199 a	» 21 ult.	si quae	»	341 a	» 8	si qua
»	199 b	» 20 ult.	de ritu	»	341 b	» 11 ult.	qui de ritu
»	200 a	» 18	canonicae	»	342 a	» 16 ult.	canonice
»	201 b	» 10	transumptis	»	344 b	» 10	transumpta
»	203 a	» 2 ult.	contrahere	»	347 b	» 5	afferre (?)
»	203 b	» 9 ult.	in eo sum	»	348 a	» 21	in eorum
»	204 b	» 15	illis	»	349 a	» 16 ult.	illi
»	204 b	» 34	illius	»	349 b	» 5	illis
»	204 b	» 36	nominandi, regendi, et gubernandi	»	349 b	» 6	nominandos, regendam et gubernandam
»	205 a	» 17 ult.	ad generalem	»	350 b	» 17	gravari contigerit, possint ad generalem
»	205 a	» 4 ult.	existentes	»	350 b	» 18 ult.	existenti
»	206 a	» 23	etiam monasteria	»	351 b	» 11 ult.	etiam in illis monasteriis (?)
»	207 a	» 30	mentio	»	353 a	» 5 ult.	mentio fiat
»	208 b	» 10	diuturnas	»	355 a	» 1 ult.	diurnas (?)
»	209 b	» 16 ult.	Similisque	»	357 a	» 1 ult.	Similibusque
»	210 a	» 3 ult.	alias	»	358 a	» 9 ult.	aliis
»	210 b	» 9 ult.	Principi	»	359 a	» 7	Principis
»	211 a	» 5 ult.	ad affectum	»	359 b	» 13 ult.	ad effectum
»	213 a	» 16 ult.	dispendiosam	»	362 b	» 13	tractationem dispendiosam

Pag.	*Edit. Rom. Main., Tom.* v, *Part.* IV.				Pag.	*Edit. Taur.*			
Pag.	213 *b*	linea	32	progeniti	Pag.	363 *a*	linea	21	primogeniti
»	213 *b*	»	24 *ult.*	fierent	»	363 *a*	»	5 *ult.*	forent
»	213 *b*	»	9 *ult.*	solitae	»	363 *b*	»	11	solito
»	213 *b*	»	7 *ult.*	affecto	»	363 *b*	»	13	non affecto
»	213 *b*	»	5 *ult.*	scholastica	»	363 *b*	»	15	scholastria
»	214 *a*	»	4	quod post	»	363 *b*	»	24	post
»	214 *a*	»	28	vel ad id	»	364 *a*	»	10	vel alios ad id
»	214 *a*	»	6 *ult.*	non haberet	»	364 *b*	»	2	non haberet, nominare
»	214 *a*	»	2 *ult.*	incorporare	»	364 *b*	»	7	in corpore
»	214 *b*	»	6	insinuare	»	364 *b*	»	14	communicare (?)
»	214 *b*	»	18	et	»	364 *b*	»		de
»	215 *a*	»	3 *ult.*	solita. Canonicatus	»	366 *a*	»	21	solita, canonicatus
»	215 *b*	»	12 *ult.*	ac illorum	»	366 *b*	»	3 *ult.*	ac illorum cuilibet (?)
»	215 *b*	»	11 *ult.*	ex pacis	»	366 *b*	»	2 *ult.*	ex paribus
»	215 *b*	»	5 *ult.*	quocunque	»	367 *a*	»	5	quoscumque
»	216 *a*	»	12	huiumodi	»	367 *a*	»	21	huiusmodi nomine
»	216 *a*	»	24	deductis	»	367 *a*	»	8 *ult.*	deductis, computarentur
»	216 *a*	»	23 *ult.*	expeditis	»	367 *b*	»	17	expeditis litteris
»	216 *b*	»	2	ex	»	367 *b*	»	1 *ult.*	de
»	217 *b*	»	12	ex altera	»	369 *b*	»	18	ex alterâ partibus (1)
»	217 *b*	»	16 *ult.*	ubilibet residentibus	»	370 *a*	»	15	ubilibet residentibus vocari et trahi (2)
»	217 *b*	»	14 *ult.*	faciebant	»	370 *a*	»	17	favebant (?)
»	217 *a*	»	21	canonicatus	»	370 *b*	»	9	canonicus
»	218 *b*	»	33	conferri	»	371 *b*	»	1	conferre
»	218 *b*	»	45	valeant	»	371 *b*	»	14	valeant) possit
»	219 *b*	»	25	ex altera	»	373 *a*	»	2	ex alterá partibus
»	219 *b*	»	28	cognitionem et decisionem	»	373 *a*	»	6	quod cognitio et decisio
»	220 *a*	»	22	aliquot	»	374 *a*	»	9	aliquod
»	220 *b*	»	17	si quae	»	374 *b*	»	4	si qua
»	220 *b*	»	26 *ult.*	limitatur	»	374 *b*	»	12 *ult.*	limitatam
»	221 *a*	»	35	concessa	»	375 *b*	»		concessis (?)
»	222 *a*	»	12	inserti forent illis alliás	»	376 *b*	»	11 *ult.*	inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliâs
»	224 *a*	»	35	subessent, nec	»	379 *b*	»	2 *ult.*	subessent, licentiâ, nec
»	224 *a*	»	37	transferretur	»	380 *a*	»	3	transferrentur
»	224 *a*	»	14 *ult.*	ut	»	380 *a*	»	21	et
»	225 *a*	»	18	provinciale	»	381 *a*	»	8 *ult.*	provinciales
»	225 *a*	»	17 *ult.*	tenores	»	381 *b*	»	16 *ult.*	tenore
»	226 *b*	»	25	accipiendo pueros	»	383 *b*	»	14 *ult.*	accipiendo, ad pueros
»	227 *a*	»	14	impedimentum	»	384 *b*	»	1	impedimentum, possint
»	228 *a*	»	11 *ult.*	absolutos	»	386 *a*	»	12 *ult.*	absolutas
»	229 *a*	»	26 *ult.*	facultates	»	387 *b*	»	20 *ult.*	facultatis
»	229 *a*	»	24 *ult.*	coram	»	387 *b*	»	18 *ult.*	et coram
»	229 *b*	»	31	facultati ex examinatoribus	»	388 *a*	»	6 *ult.*	facultatis examinatoribus
»	229 *b*	»	37	quis	»	388 *b*	»	2	quisquis
»	230 *b*	»	2 *ult.*	actibus	»	390 *a*	»	7 *ult.*	artibus
»	231 *a*	»	7 *ult.*	et	»	392 *b*	»	14	ut (?)
»	233 *b*	»	2 *ult.*	forma eorum tradita pro servata habentes	»	395 *a*	»	3	formá eorum traditâ observatâ habentes (3)
»	235 *b*	»	5	ubique inviolabiliter	»	397 *a*	»	7 *ult.*	ubique hoc decretum inviolabiliter

(1) Hanc emendationem nunc addimus.
(2) Etiam istam correctionem nunc primum notamus.
(3) Vel potius emendandum sic « formam eorum traditam pro servatâ habentes ».

	Edit. Rom.-Main. Tom. v, Part. iv.				Edit. Taur.		
Pag.	236 a	linea 9	Et in ceteros	Pag.	400 b	linea 15	Et inter ceteros
»	236 b	» 22 ult.	ecclesiae sanctis	»	401 b	» 16	ecclesia sancti
»	237 a	» 14-20	obeant... inserviant	»	402 a	» 7-14	obeat... inserviat
»	237 a	» 21 ult.	extitit	»	402 b	» 1	existit
»	240 b	» 34 ult.	illis	»	405 b	» 2	illi
»	241 a	» 6 ult.	obtineri	»	406 b	» 11	obtinenda
»	246 b	» 8	facienda	»	413 b	» 8 ult.	faciendam
»	246 b	» 23 ult.	inviolabiliter	»	414 a	» 12 ult.	et inviolabiliter
»	247 a	» 21 ult.	praesens	»	415 a	» 16	praesentes
»	248 a	» 17	et nunc	»	415 a	» 13 ult.	ex nunc
»	248 a	» 4 ult.	dilecto	»	416 b	» 13 ult.	a dilecto
»	249 a	» 5 ult.	quae	»	418 a	» 12	qua
»	249 b	» 10 ult.	perceptos	»	419 a	» 10	perceptas
»	250 b	» 14 ult.	factam	»	420 b	» 10	facultatem
»	251 a	» 7	unius	»	420 b	» 8	occasione gabellae unius
»	252 b	» 24	quae	»	423 a	» 11 ult.	qua
»	253 a	» 32 ult.	convertendi	»	424 a	» 16	convertendos
»	253 a	» 24 ult.	colligenda, consumenda et imponenda	»	424 a	»	colligendis et consumendis imponenda
»	253 a	» 12 ult.	futuris	»	424 a	» 3 ult.	futurus
»	253 b	» 21 ult.	eiusdem	»	425 a	» 14	eisdem
»	254 a	» 4	praedicti subsidii	»	425 a	» 6 ult.	praedicto subsidio
»	254 b	» 32	praepositis	»	426 a	» 1	praepositos
»	255 a	» 21	Tudertina	»	427 a	» 14	Tudertinae
»	256 a	» 1 ult.	dictis	»	429 a	» 19	dicti
»	257 a	» 5 ult.	peragi	»	430 b	» 15	peragere
»	257-258	»	existenti	»	431 a	» 1 ult.	existentis
»	259 a	» 24 ult.	septuaginta	»	432 a	» 18	septuagintaquinque
»	260 a	» 17 ult.	modernis	»	433 b	» 14 ult.	moderno
»	260 b	» 13	roboratis statutis	»	434 a	» 15	roboratis
»	261 b	» 34	religiosis	»	435 b	» 14 ult.	ecclesiasticis (?)
»	263 a	» 6 ult.	auctoritate. Ac	»	438 a	» 4 ult.	auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac
»	264 a	» 25	non sint	»	439 a	» 1 ult.	sint
»	266 a	» 18 ult.	fundandi	»	442 b	» 16 ult.	fundanda
»	266 b	» 16	etiam ex eo quod	»	443 a	» 19	etiam si
»	270 a	» 31 ult.	habuerit	»	448 b	» 8 ult.	habuerint
»	271 a	» 22	censeat	»	450 a	» 18 ult.	censeant
»	271 a	» 26	formam	»	450 a	» 14 ult.	forma
»	271 a	» 33	eligendi	»	450 a	» 7 ult.	erigendi
»	274 b	» 5 ult.	fuerit	»	455 b	» 11	fueris
»	275 b	» 12 ult.	ad praesens	»	457 a	» 17 ult.	ad praesens tantummodo
»	275 b	» 8 ult.	concessus	»	457 a	» 12 ult.	concessum
»	276 a	» 4	proponat	»	457 a	» 1 ult.	proponit
»	276 a	» 16	episcopali	»	457 b	» 12	capitulari
»	276 b	» 6	ac donationem	»	458 a	» 16 ult.	ac post donationem
»	276 b	» 32	comprehendi	»	458 b	» 12	minime comprehendi
»	277 b	» 44-48	et aliarum militiarum, hospitalis S. Ioannis Hierosymitani quae pro sui tutela contra Turcas et alios infedeles alienis auxiliis quotidie indiget dumtaxat exceptis, in Italia universa consistentium (1)	»	460 a	» 26	et aliarum militiarum (hospitali S. Ioannis Hierosolymitani, quod pro sui tutelâ contra Turcas et alios infideles alienis auxiliis quotidie indiget, dumtaxat excepto) in Italia universâ consistentium

(1) At nunc video quod sola vox *exceptis* emendanda erat legendo *exceptâ*, ceteris remanentibus.

	Edit. Rom. Main., Tom. v, *Part.* IV.					*Edit. Taur.*			
Pag.	279 *b*	linea	2	impositionem	*Pag.*	462 *b*	linea	3 *ult.*	impositione
»	279 *b*	»	7 *ult.*	1619	»	463 *b*	»	15	1620
»	283 *b*	»	27	1593	»	470 *b*	»	15 *ult.*	1513
»	284 *b*	«	37 *ult.*	et sublimium	»	472 *a*	»	17 *ult.*	sublimium
»	284 *b*	»	36 *ult*	nominis	»	472 *a*	»	16 *ult.*	numinis (?)
»	284 *b*	»	34 *ult.*	amore	»	472 *a*	»	14 *ult.*	amorem
»	284 *b*	»	34 *ult.*	et	«	472 *a*	»	14 *ult.*	ut
»	284 *b*	»	19 *ult.*	hostis	»	482 *b*	»	2	hostium
»	285 *a*	»	14	etiam	»	472 *b*	»	5 *ult.*	esse
»	285 *a*	»	31	iisdem	»	473 *a*	»	13	iidem
»	285 *a*	»	40	provisum	»	473 *a*	»	22	constitum (?)
»	285 *a*	»	9 *ult.*	per te	»	473 *b*	»	6	per se
»	285 *b*	»	32	obtinenda	»	474 *a*	»	6	obtinentibus
»	285 *b*	»	46	speciali	»	474 *a*	»	19	specialibus (?)
»	285 *b*	»	49	si quae	»	474 *a*	»	22	si qua
»	285 *b*	»	10 *ult.*	habentia	»	474 *a*	»	5 *ult.*	habentium
»	286 *a*	»	5	si illa	»	474 *b*	»	10	nisi ad illam
»	286 *a*	»	18	quamcunque... facultatem	»	474 *b*	»	18 *ult.*	quarumcunque... facultatum
»	286 *a*	»	13 *ult.*	exequutione	»	475 *a*	»	15 *ult.*	assequutione (?)
»	286 *a*	»	6 *ult.*	ad effectum, et aliis in assequutione beneficiorum conferendis nominatim descriptis concessimus	»	475 *a*	»	8 *ult.*	ad effectum ut aliis in assequutione beneficiorum conferendorum praeferantur, nominatim descriptis concessimus
»	286 *a*	»	1 *ult.*	debent	»	475 *a*	»	3 *ult.*	debeant
»	286 *b*	»	1	obtentum	»	475 *a*	»	1 *ult.*	obtentu
»	287 *a*	»	13 *ult.*	quatenus	»	476 *b*	»	2 *ult.*	quoties (?)
»	288 *b*	»	20	inclyta	»	478 *b*	»	5 *ult.*	inclytae
»	288 *b*	»	33 *ult.*	concitatas	»	479 *a*	»	8	concitatos
»	289 *a*	»	21	possidentur	»	479 *b*	»	19	possidentium
»	290 *a*	»	18 *ult.*	mentionem	»	481 *b*	»	10	neminem
»	311 *b*	»	22 *ult.*	quam	»	484 *a*	»	17 *ult.*	quas
»	311 *b*	»	7 *ult.*	magna alia.	»	484 *a*	»	2 *ult.*	magnalia (?)
»	313 *b*	»	33 *ult.*	per quietem	»	487 *a*	»	13 *ult.*	per visum (?)
»	313 *b*	»	9 *ult.*	habiturus	»	487 *b*	»	13	abiturus
»	315 *a*	»	1 *ult.*	nostrum	»	490 *a*	»	6	nostrorum (?)
»	315 *b*	»	19	breviarii celebrari	»	490 *a*	»	16 *ult.*	breviarii recitari et missa respective celebrari
»	317 *b*	»	20	antelationum	»	493 *a*	»	11 *ult.*	antelationibus
»	317 *b*	»	16 *ult.*	antiquissimo	»	493 *a*	»	19 *ult.*	antiquissimo cive (?)
»	317 *b*	»	8 *ult.*	emanarunt	»	493 *b*	»	11 *ult.*	emanarent
»	318 *a*	»	31	coitu	»	494 *a*	»	14 *ult.*	coitu contraxerint
»	318 *b*	»	6	conferant	»	494 *b*	»	11 *ult.*	conferantur
»	318 *b*	»	13	expediendis	»	494 *b*	»	4 *ult.*	expediendae
»	319 *a*	»	29 *ult.*	existentium	»	496 *a*	»	6	existentia
»	319 *a*	»	27 *ult.*	Religionis	»	496 *a*	»	7	Religioni
»	320 *a*	»	17	etiam in vim	»	497 *a*	»	11 *ult.*	etiam vim
»	322 *b*	»	3-6	niti eius auxilium... nobis adfuturum *consideremus animos* plane *consideremus*	»	501 *a*	»	12-15	nisi eius auxilium... nobis adfuturum confideremus, animo plane concideremus
»	324 *a*	»	32 *ult.*	Discalceatorum	»	503 *b*	»	19 *ult.*	Discalceatarum
»	324 *b*	»	2	vitae et probitatis spectatae	»	504 *a*	»	17 *ult.*	vitae probitate spectatum
»	324 *b*	»	8	deputatae ac deputandae	»	504 *a*	»	11 *ult.*	deputare, ac illum sic deputatum
»	324 *b*	»	15	praedictum	»	594 *a*	»	4 *ult.*	ut praedictum

Edit. Rom. Main., *Tom.* v, *Part.* iv.			*Edit. Taur.*		
Pag. 324 *b*	linea 19 *ult.*	compescendo	*Pag.* 504 *b*	linea 11 *ult.*	compescere
» 324 *b*	» 11 *ult.*	pro	» 504 *b*	» 3 *ult.*	et pro
» 325 *a*	» 5	fidem	» 505 *a*	» 14	Sedem
» 325 *a*	» 10 *ult.*	concedere	» 505 *b*	» 16 *ult.*	condere
» 325 *b*	» 21	1714	» 506 *a*	» 17	1614
» 328 *a*	» 16 *ult.*	honestas	» 510 *a*	» 8 *ult.*	honestatem
» 328 *b*	» 16	mediate	» 510 *b*	» 20 *ult.*	mediate vel immediate
» 330 *a*	» 24 *ult.*	notarios	» 513 *a*	» 6 *ult.*	notariis
» 332 *a*	» 6	intra	» 516 *a*	» 11	extra (?)
» 332 *a*	» 14	Pii Papae III	» 516 *a*	» 19	Pii Papae IV
» 332 *b*	» 4	quomodocumque vobis	» 516 *b*	» 4 *ult.*	quomodocumque
» 332 *b*	» 3 *ult.*	concessiones et fructus	» 517 *b*	» 18	concessiones fructus
» 337 *a*	» 10	camerariatus officio	» 523 *b*	» 1 *ult.*	camerariatus
» 337 *b*	» 2	facientia	» 524 *b*	» 7	faciendi
» 338 *a*	» 27	abstineant	» 525 *b*	» 14	abstineat
» 338 *b*	» 29	deputare possit	» 526 *a*	» 1 *ult.*	deputare
» 343 *a*	» 1 *ult.*	pridie nonas	» 533 *b*	» 22	pridie idus
» 343 *b*	» 5 *ult.*	excitant	» 534 *b*	» 5	excitaverit
» 344 *a*	» 3	monachi degentes	» 534 *b*	» 12	degentes
» 344 *a*	» 11	et	» 534 *b*	» 19	sed
» 344 *a*	» 31	intendant	» 534 *b*	» 1 *ult.*	intendunt
» 344 *a*	» 11 *ult.*	collegii,	» 535 *a*	» 18 *ult.*	collegii conventualis Cluniacensis nuncupati,
» 344 *b*	» 24 *ult.*	quodque	» 535 *b*	» 3 *ult.*	quod
» 345 *a*	» 6	ad quae	» 536 *a*	» 14 *ult.*	atque
» 345 *a*	» 10	suffragari auctus fuerit, in priores	» 536 *a*	» 11 *ult.*	auctus fuerit, suffragari, ut in priores
» 345 *a*	» 28 *ult.*	impertimur. Pro	» 536 *b*	» 22 *ult.*	impertimur, et pro
» 345 *b*	» 7 *ult.*	huius	» 537 *b*	» 22 *ult.*	ad huius
» 346 *a*	» 14 *ult.*	Cassinensis.	» 538 *a*	» 1 *ult.*	Cassinensis non sunt
» 349 *a*	» 8	fidei commissariorum	» 542 *b*	» 8	fidei commissorum
» 349 *b*	» 15 *ult.*	de novo concessas	» 543 *b*	» 13 *ult.*	concessas
» 350 *b*	» 34 *ult.*	in iis scriptis	» 545 *a*	» 15	in scriptis
» 352 *a*	» 8	volumus quod	» 547 *a*	» 13	volumūs
» 352 *b*	» 16 *ult.*	quotidianas	» 548 *a*	» 6 *ult.*	quotidianae
» 352 *b*	» 6 *ult.*	persolvisse	» 548 *b*	» 5	persolvisse volumus
» 354 *b*	» 7	debeant	» 551 *a*	» 3	debeant) observari volumus
» 355 *b*	» 19 *ult.*	successores	» 553 *a*	» 9	successoribus
» 356 *a*	» 20 *ult.*	nec non quibusvis conservatoriis, privilegiis	» 553 *b*	» 9 *ult.*	privilegiis
» 357 *b*	» 11	facta	» 555 *b*	» 10	facienda
» 357 *b*	» 7 *ult.*	committendorum,.	» 556 *a*	» 13	committendorum) erectionem
» 358 *a*	» 15	qui promovendorum	» 556 *a*	» 9 *ult.*	promovendorum
» 358 *a*	» 24	fides	» 556 *b*	» 1 *ult.*	fide
» 358 *b*	» 35	plenitudine	» 557 *a*	» 10 *ult.*	plenniudine paribus,
» 359 *a*	» 1	teneri	» 557 *b*	» 14 *ult.*	praesentandum seu registrari faciendum teneri
» 359 *a*	» 15 *ult.*	solutum	» 558 *a*	» 1 *ult.*	solutum non fuerit
» 362 *a*	» 8	indicantur	» 559 *a*	» 2 *ult.*	inducantur
» 362 *a*	» 30 *ult.*	considerantem	» 559 *b*	» 13 *ult.*	considerantes
» 362 *a*	» 13 *ult.*	Domino	» 560 *a*	» 6	divini
» 362 *b*	» 4	meruerunt	» 560 *a*	» 21 *ult.*	meruerint (?)
» 362 *b*	» 24	studeant	» 560 *b*	» 1	studeat
» 362 *b*	» 35	regere	» 560 *b*	» 12	legere
» 364 *a*	» 4 *ult.*	quorumcumque	» 563 *a*	» 9 *ult.*	quorumque
» 364 *b*	» 27	gregis dominici	» 563 *b*	» 22 *ult.*	gregis dominici pastor,

	Edit. Rom. Main., *Tom.* V, *Part.* IV.				*Edit Taur.*		
Pag.	364 *b* linea	24 *ult.*	intendens, quod	*Pag.*	563 *a* linea	3 *ult.*	intendens.
»	364 *b* »	7 *ult.*	praepositum	»	564 *a* »	16	propositum
»	366 *b* »	7	eiusdem	»	565 *a* »	12	eisdem.
»	366 *a* »	9	valeant	»	565 *b* »	5 *ult.*	valeat
»	366 *a* »	29 *ult.*	caelicuo	»	566 *a* »	16 *ult.*	caelico
»	366 *b* »	3	praemissis.	»	566 *b* »	18	praemissa
»	366 *b* »	30 *ult.*	filiorum	»	567 *a* »	11	filiorum capituli Trevirensis
»	366 *b* »	21 *ult.*	studerent	»	567 *a* »	20	studeret
»	366 *b* »	16 *ult.*	et tunc.	»	567 *a* »	26	ex tunc
»	367 *a* »	25	vacaturas	»	567 *b* »	27	vacatura
»	367 *a* »	17 *ult.*	valerent	»	568 *a* »	13	valeret
	367 *a* »	14 *ult.*	possint	»	568 *a* »	16	possent
»	367 *a* »	9 *ult.*	erat expressum	»	568 *a* »	21	erat fuit expressum
»	367 *b* »	10 *ult.*	effectum	»	569 *a* »	7	effectu
»	368 *a* »	24	decrevimus	»	569 *a* »	3 *ult.*	decernimus
»	368 *a* »	29 *ult.*	ecclesiis	»	569 *b* »	14	ecclesiarum
»	368 *a* »	27 *ult.*	praedictarum	»	569 *b* »	16	praedictis
»	368 *b* »	5	solutionem.	»	570 *a* »	8	solutione
»	370 *a* »	13	praedicitur.	»	572 *b* »	2	praedicetur
»	370 *a* »	31	felicitus	»	572 *b* »	23	felicius
»	370 *b* »	16	privatos	»	573 *a* »	10 *ult.*	privatum
»	370 *b* »	21	homini	»	573 *a* »	4 *ult.*	hominem
	371 *a* »	8	beneficia	»	574 *a* »	17 *ult.*	tria beneficia
»	372 *a* »	39	teneatur	»	576 *a* »	3	teneantur
»	372 *b* »	9	faciendi	»	576 *a* »	3 *ult.*	faciendam
»	374 *b* »	20 *ult.*	adducti	»	579 *b* »	2 *ult.*	pertinentibus adducti
»	375 *a* »	24	non posse.	»	580 *a* »	1 *ult.*	posse
»	376 *a* »	28	quodque, ut.	»	582 *a* »	2	quodque
»	376 *a* »	21 *ult.*	in	»	582 *a* »	21 *ult.*	pro
»	377 *a* »	8	ullatenus.	»	583 *a* »	17 *ult.*	nullatenus
»	377 *b* »	23	acceptis	»	584 *a* »	16 *ult.*	exceptis
»	378 *a* »	33	cum omnibus	»	585 *a* »	21	cum omnibus facultatibus
»	378 *b* »	18 *ult.*	impositiones.	»	585 *a* »	21 *ult.*	impositione
»	378 *b* »	10 *ult.*	in	»	586 *a* »	12 *ult.*	et
»	379 *b* »	8	prorogamus.	»	587 *a* »	13 *ult.*	prorogavimus
»	379 *b* »	25	aliâ.	»	587 *b* »	5	aliquâ
»	379 *b* »	44	pecuniarum.	»	587 *b* »	24	quod pecuniarum
»	380 *a* »	13 *ult.*	et abbas.	»	588 *b* »	19	et cum abbas
»	380 *a* »	9 *ult.*	ac incolae	»	588 *b* »	24	incolae
»	380 *b* »	6	debeant	»	588 *a* »	6 *ult.*	debeat
»	380 *b* »	34	primatui	»	589 *a* »	24	primati
»	380 *b* »	21 *ult.*	ecclesiae	»	589 *a* »	5 *ult.*	ecclesia
»	381 *a* »	12	reparationibus	»	589 *b* »	17 *ult.*	. . . . . (?)
»	381 *a* »	18	eo	»	589 *b* »	7 *ult.*	et
»	381 *a* »	33-35	quod... teneri	»	590 *a* »	9-11	quod... teneantur
»	381 *b* »	22 *ult.*	in perpetuam	»	591 *a* »	7	in perpetuum
»	383 *a* »	18	teque.	»	593 *a* »	7	atque
»	383 *a* »	30	et	»	593 *a* »	19	ad
»	383 *a* »	33	accessisset	»	593 *b* »	22	accepisset
»	383 *a* »	1 *ult.*	consideratis.	»	593 *b* »	16	considerato
»	383 *b* »	20	illaque	»	593 *b* »	6 *ult.*	illamque
»	383 *b* »	39	et in eorum.	»	594 *a* »	13	et eorum
»	383 *b* »	44	loci.	»	594 *a* »	18	laici
»	384 *a* »	29	vicecancellario	»	594 *b* »	16 *ult.*	vice cancellarium
»	384 *a* »	26 *ult.*	quibus	»	594 *b* »	1 *ult.*	quibusvis
»	384 *b* »	14	ab his.	»	595 *a* »	4 *ult.*	seu ab his
»	384 *b* »	21	per vos	»	595 *b* »	4	per eos

Edit. Rom. Main., Tom. v, Part. IV.				Edit. Taur.			
Pag.	384 *b*	linea 21	benemeritis	Pag.	595 *b*	linea 5	benemeritis competentes
»	384 *b*	» 16 *ult.*	valeant	»	595 *b*	» 5 *ult.*	valeat
»	384 *b*	» 3 *ult.*	impetrare	»	596 *a*	» 10	impetrari
»	386 *a*	» 28 *ult.*	si quae	»	598 *a*	» 17	si qua
»	386 *a*	» 12 *ult.*	adversatur	»	598 *a*	» 19 *ult.*	adversantur
»	386 *b*	» 28-18 *ult.*	etiamsi... habens, quibus quoad	»	598 *a*	» 3 *ult.*	quibus (etiamsi... habens) quoad ea
»	388 *a*	» 30 *ult.*	obstare	»	601 *a*	» 12	obstantibus
»	388 *b*	» 2	mandatis executivis	»	601 *b*	» 1	mandati esecutivi (?)
»	388 *b*	» 38	litteras	»	601 *b*	» 5 *ult.*	litterae
»	389 *b*	» 10	approbare	»	603 *a*	» 19	immutare (?)
»	390 *a*	» 11	honorificetur	»	604 *a*	» 2	honorificatur
»	391 *b*	» 16	collativa	»	606 *a*	» 15 *ult.*	collati
»	391 *b*	» 35	nuncupatis	»	606 *b*	» 5	nuncupati
»	391 *b*	» 30 *ult.*	vixerit, eamdem	»	606 *b*	» 11	vixerit et eamdem
»	392 *a*	» 15	institutas	»	607 *a*	» 12	instituas
»	392 *b*	» 27	fieri, illius	»	608 *a*	» 6	fieri et illius
»	392 *b*	» 29	pariter,	»	608 *a*	» 9	pariter et
»	393 *a*	» 1	prohibentes	»	608 *b*	» 7	prohibentis
»	393 *a*	» 13	1 oct.	»	608 *b*	» 23	26 oct.
»	393 *b*	» 16	illisque	»	609 *b*	» 5	illique
»	394 *a*	» 19	valeant	»	610 *a*	» 14 *ult.*	valerent
»	394 *a*	» 21	licite scientiam.	»	610 *a*	» 12 *ult.*	licitae scientiae
»	394 *a*	» 23	ac tam	»	610 *a*	» 10 *ult.*	ac eam (1)
»	394 *b*	» 8	nullo	»	611 *a*	» 1	ullo
»	394 *b*	» 29 *ult.*	spectantia et pertinentia	»	611 *a*	» 9 *ult.*	spectantibus et pertinentibus
»	395 *a*	» 4	decrevit	»	611 *b*	» 20 *ult.*	decreverit
»	395 *b*	» 18	et ipsorum collegii	»	612 *b*	» 20	ut ipsorum collegii conservatores
»	396 *a*	» 10	similis recol.	»	613 *a*	» 8 *ult.*	similis recordationis
»	396 *b*	» 26	praedicta	»	614 *a*	» 9 *ult.*	praedictae
»	396 *b*	» 14 *ult.*	si quae	»	614 *b*	» 21	si qua
»	397 *a*	» 17 *ult.*	spectantia	»	615 *a*	» 1 *ult.*	spectantibus
»	308 *a*	» 18	eos	»	616 *b*	» 15	eas
»	398 *a*	» 24 *ult.*	impedire	»	616 *b*	» 3 *ult.*	impediri
»	398 *b*	» 8	interdicto	»	617 *a*	» 14 *ult.*	interdicti
»	398 *b*	» 12	nec	»	617 *a*	» 10 *ult.*	ne
»	398 *b*	» 37	existunt	»	617 *b*	» 16	existant
»	398 *b*	» 37	hic	»	617 *b*	» 16	sic
»	398 *b*	» 39	earumque	»	617 *b*	» 19	eamque
»	398 *b*	» 19 *ult.*	praecedere	»	617 *b*	» 9 *ult.*	procedere
»	399 *a*	» 7 *ult.*	Non	»	618 *b*	» 19 *ult.*	Nos
»	399 *b*	» 21	illis	»	619 *a*	» 9	illius
»	399 *b*	» 33 *ult.*	in ea	»	619 *a*	» 18 *ult.*	in ea commorantibus
»	400 *a*	» 14 *ult.*	successorem	»	620 *a*	» 15	successoris
»	400 *b*	» 7 *ult.*	tuisse	»	621 *a*	» 9	tulisse
»	401 *a*	» 29 *ult.*	reperiantur	»	621 *b*	» 15	aperiantur
»	401 *a*	» 7 *ult.*	circumspectis	»	621 *b*	» 1 *ult.*	circumseptis (2)
»	402 *b*	» 28 *ult.*	electionis	»	624 *a*	» 6	quod electionis
»	403 *a*	» 11	nominum	»	625 *a*	» 20 *ult.*	hominum
»	406 *b*	» 13 *ult.*	eorum	»	629 *a*	» 22 *ult.*	eam
»	407 *a*	» 21	factorum	»	629 *b*	» 14	factarum
»	407 *a*	» 35	meditate	»	629 *b*	» 14 *ult.*	mediate

(1) Emendationem istam nunc primum proponimus.

(2) Sed ista emendatio non est admittenda, et legendum *circumspectis*, ut patet ex loco parallelo pag. 667 *b*.

	Edit. Rom. Main., Tom. v, Part. iv.				Edit. Taur.			
Pag.	407 *a*	linea	39	faciendi	629 *b*	»	11 *ult.*	faciendum
»	407 *a*	»	47	remitteret	629 *b*	»	3 *ult.*	remitterent
»	407 *b*	»	19	subscriptum	630 *a*	»	4 *ult.*	subscriptam
»	407 *b*	»	19 *ult.*	praestitae	630 *b*	»	15 *ult.*	praestitâ
»	408 *b*	»	7	procurationes	631 *b*	»	6 *ult.*	procurationis
»	408 *b*	»	35 *ult.*	praedictae Ecclesiae	632 *a*	»	22	praedicta Ecclesia
»	408 *b*	»	1 *ult.*	eorum	632 *b*	»	14	eam
»	409 *a*	»	8	recessisse	632 *b*	»	22	recepisse
»	411 *a*	»	17	cupientes	635 *b*	»	12 *ult.*	audientes (?)
»	411 *a*	»	19	adscripti	635 *b*	»	9 *ult.*	adstricti
»	411 *a*	»	10 *ult.*	illo	636 *a*	»	13 *ult.*	illâ
»	411 *b*	»	3	procurandam..... suppeditandam	636 *a*	»	1 *ult.*	procurandum..... suppeditandum
»	412 *b*	»	32 *ult.*	professionem	638 *a*	»	6 *ult.*	professione
»	412 *b*	»	13 *ult.*	fidelium	638 *b*	»	16	fidelium salutem
»	413 *b*	»	29 *ult.*	quae	640 *a*	»	6	quam
»	414 *a*	»	15 *ult.*	visitationem	641 *a*	»	3	visitatione (?)
»	414 *b*	»	34	erigendis	641 *b*	»	7	erigendi
»	415 *b*	»	1	voluntarie	642 *b*	»	20 *ult.*	voluntariae
»	360 *a*	»	1 *ult.*	processus	645 *a*	»	18	processuum
»	360 *b*	»	16 *ult.*	coram	645 *b*	»	16 *ult.*	eorum
»	361 *b*	»	15	eis	646	»	17	et eis
»	416 *a*	»	17 *ult.*	nostris	647 *a*	»	13 *ult.*	nostri
»	418 *a*	»	25 *ult.*	Observantia	650 *a*	»	14 *ult.*	Observantiae
»	419 *b*	»	6 *ult.*	quod cum aliàs	652 *b*	»	9 *ult.*	aliàs
»	420 *a*	»	8 *ult.*	petendum	653 *b*	»	16	petendi
»	420 *b*	»	26	sed	654 *a*	»	7	se
»	420 *b*	»	31 *ult.*	plures	654 *a*	»	23 *ult.*	pluries
»	420 *b*	»	15 *ult.*	facere sub	654 *a*	»	7 *ult.*	facere, et sub
»	420 *b*	»	2 *ult.*	litteris	654 *b*	»	5	litteras
»	421 *a*	»	21	ut ea	654 *b*	»	16 *ult.*	ea
»	421 *b*	»	27	comprehensa	655 *b*	»	17	comprehensas

Edit. Rom., Tom. v, *Part.* v.

»	2 *a*	»	23	eiusdem	657 *b*	»	9	eadem
»	17 *b*	»	32	existentibus	674 *a*	»	3 *ult.*	exigentibus
»	18 *a*	»	27	conspexisset	675 *a*	»	18	conspexissent
»	18 *b*	»	21 *ult.*	servanda	676 *a*	»	21	servandae
»	18 *b*	»	5 *ult.*	quae	676 *a*	»	7 *ult.*	qua
»	19 *a*	»	17 *ult.*	modo	677 *a*	»	8	*morbo* (?)
»	19 *b*	»	38	suo	677 *b*	»	18	suae
»	20 *a*	»	22	solemni	678 *a*	»	18 *ult.*	. . . . . (?)
»	20 *b*	»	17 *ult.*	augerentur	679 *a*	»	3 *ult.*	augeretur
»	21 *a*	»	7	consultores	679 *b*	»	21 *ult.*	consulturos
»	21 *a*	»	12	preces	679 *b*	»	15 *ult.*	prece
»	21 *a*	»	28 *ult.*	gratia	680 *a*	»	15	gratias
»	21 *b*	»	15	ac Sanctam	680 *b*	»	15	Sanctam
»	21 *b*	»	26	quoad	680 *b*	»	19 *ult.*	quo ad
»	22 *a*	»	14	1621	681 *a*	»	7 *ult.*	1622
»	24 *a*	»	16 *ult.*	concilii	684 *b*	»	16 *ult.*	conciliis
»	45 *a*	»	25 *ult.*	et dum	688 *b*	»	16	dum
»	45 *a*	»	13 *ult.*	praecepit	688 *b*	»	27	praecipit
»	27 *a*	»	30 *ult.*	transferentur	691 *a*	»	2 *ult.*	transferrentur
»	27 *a*	»	9 *ult.*	in iustitiâ	691 *b*	»	19	in iniustitia (?)
»	28 *a*	»	24 *ult.*	tenoribus praesentium	693 *a*	»	13	tenores praesentes
»	29 *b*	»	6	solita	695 *a*	»	6	solitam
»	39 *a*	»	24	ea	696 *a*	»	9	eas

Edit. Rom. Main., Tom. v, Part. v.					Edit. Taur.				
Pag.	31 *b*	linea	11	Nos igitur licet	Pag.	698 *a*	linea	21	Nos igitur (qui, licet
»	31 *b*	»	33	praeferunt	»	698 *b*	»	1	perferunt
»	31 *b*	»	9 *ult.*	futurum	»	698 *b*	»	15 *ult.*	in futurum
»	32 *a*	»	26 *ult.*	aliarum	»	697 *a*	»	3 *ult.*	aliarum personarum
»	32 *a*	»	23 *ult.*	nominandarum episcoporum, seu ecclesiasticarum praelatorum	»	699 *a*	»	1	nominandarum ecclesiasticarum, episcoporum seu praelatorum (1)
»	32 *b*	»	5	genere	»	699 *b*	»	14 *ult.*	in genere
»	33 *a*	»	16	necessarias	»	700 *a*	»	19 *ult.*	pecuniarias
»	33 *a*	»	23 *ult.*	etiamsi	»	701 *a*	»	13	quibus, etiamsi
»	34 *a*	»	6	Veros	»	702 *b*	»	24	Viros
»	34 *a*	»	20	devinciendis. antiquitati	»	702 *a*	»	5 *ult.*	devincendis, antiquitatis
»	34 *a*	»	10 *ult.*	militantis	»	702 *b*	»	8 *ult.*	militantes
»	36 *b*	»	23	et statutis et	»	706 *a*	»	27	et
»	38 *b*	»	6 *ult.*	omnique	»	709 *b*	»	21	omni
»	38 *b*	»	3 *ult.*	cum	»	709 *b*	»	24	quo, cum
»	39 *a*	»	19	adiuvantes	»	710 *a*	»	2	adiuvare
»	39 *a*	»	6 *ult.*	congregationis	»	710 *b*	»	6	congregationum
»	39 *b*	»	7 *ult.*	pertinentia	»	711 *a*	»	12 *ult.*	pertinentium
»	40 *a*	»	23 *ult.*	quum	»	711 *b*	»	2 *ult.*	et, quum
»	40 *a*	»	3 *ult.*	die	»	712 *a*	»	20	a die
»	40 *b*	»	19 *ult.*	detrahenda	»	712 *b*	»	9 *ult.*	detrahendi
»	41 *a*	»	3	quos	»	712 *a*	»	14	aut quos
»	41 *a*	»	10	tibi	»	713 *a*	»	21	ac tibi
»	41 *a*	»	21	nobis	»	713 *a*	»	11 *ult.*	vobis
»	41 *b*	»	16	generaliter	»	714 *a*	»	6	generaliter concessis
»	43 *a*	»	18 *ult.*	superiorum	»	714 *b*	»	13	superiores
»	43 *b*	»	18 *ult.*	devotionis	»	715 *a*	»	3 *ult.*	devotio
»	46 *b*	»	21	fructibus	»	717 *a*	»	8 *ult.*	favoribus
»	47 *a*	»	24 *ult.*	et idem	»	718 *a*	»	8 *ult.*	idem
»	47 *a*	»	16 *ult.*	propterea	»	718 *b*	»	1	et propterea
»	47 *a*	»	4 *ult.*	etiam	»	718 *b*	»	14	eam
»	48 *a*	»	32	inserentur	»	719 *b*	»	14 *ult.*	insererentur
»	48 *a*	»	1 *ult.*	ac	»	720 *a*	»	24	an
»	49 *b*	»	1	facultate	»	721 *b*	»	19 *ult.*	facultatem
»	50 *a*	»	8	seu	»	722 *b*	»	18	sed
»	50 *b*	»	1	quomodolibet	»	723 *a*	»	7 *ult.*	quomodolibet ad eos
»	50 *b*	»	34	absolutis	»	723 *b*	»	19 *ult.*	absoluto
»	50 *b*	»	13 *ult.*	prout	»	724 *a*	»	8	prout et
»	52 *b*	»	3	praedictis conventui	»	726 *b*	»	8	conventui praedictis
»	52 *b*	»	8	derogationes	»	726 *b*	»	13	derogationibus
»	54 *b*	»	18 *ult.*	officio	»	730 *a*	»	13	officii
»	55 *a*	»	15	ad effectum	»	731 *a*	»	16	ad effectum praesentium
»	55 *b*	»	16 *ult.*	tenorem	»	731 *b*	»	2	tenores
»	57 *a*	»	34	illum	»	733 *b*	»	11	qui illum
»	57 *a*	»	37	ipsorum	»	733 *b*	»	14	ipsum
»	57 *b*	»	7	eorumque	»	734 *a*	»	10	eiusque
»	58 *b*	»	15	posse	»	734 *b*	»	1 *ult.*	posset
»	58 *b*	»	16	futurum	»	735 *a*	»	1	bonum futurum
»	59 *a*	»	37	electio	»	736 *b*	»	16 *ult.*	quorum electio fiat
»	59 *a*	»	38	debeat	»	736 *b*	»	26	debent (2)

(1) Vel simpliciter posset legi *ecclesiasticorum* pro *ecclesiasticarum* sic: *nominandarum episcoporum seu ecclesiasticorum praelatorum*.

(2) Aliis duobus modis locus ille emendari posset, vel legendo: *cum definitore et discreto electis in capitulis provincialibus quae fieri debent, etc.* vel: *cum definitore et discreto, quorum electio in capitulis provincialibus fieri debeat, etc.* delendo vocem *quae*.

Edit. Rom. Main., Tom. v, Part. v.			Edit. Taur.		
Pag. 60 *b*	linea 14	ascendere	Pag. 740 *a*	linea 14 *ult.*	ascendentes
» 62 *a*	» 10 *ult.*	ducatu	» 741 *b*	» 11	ducatus
» 62 *b*	» 37	ecclesiae	» 742 *a*	» 15	ecclesiis
» 62 *b*	» 15 *ult.*	promoveri	» 742 *a*	» 12 *ult.*	promereri
» 63 *a*	» 2	dictaque cappella	» 742 *b*	» 5	dictamque cappellam
» 63 *b*	» 15	XII	» 743 *a*	» 1 *ult.*	XXII
» 63 *b*	» 19	est	» 743 *b*	» 6	sit
» 64 *a*	» 26 *ult.*	ut idem	» 744 *b*	» 10	itidem
» 65 *a*	» 26 *ult.*	servandis	» 746 *a*	» 14	servatis
» 67 *b*	» 3	et	» 750 *b*	» 15	sed
» 67 *b*	» 23	suprema	» 750 *b*	» 6 *ult.*	supremus
» 67 *b*	» 26	resideat	» 750 *b*	» 4 *ult.*	ibi resideat
» 67 *b*	» 20 *ult.*	existentis	» 751 *a*	» 22	existenti
» 68 *a*	» 33	Parisiensis	» 751 *b*	» 14 *ult.*	Parisiensi
» 68 *a*	» 38	existentes archiepiscopi Parisiensis suffraganeos	» 751 *b*	» 9 *ult.*	existenti archiepiscopo Parisiensi suffraganeis
» 68 *b*	» 28	iudicare	» 752 *b*	» 6	iudicari
» 68 *b*	» 18 *ult.*	consistorialibus ac aliis	» 752 *b*	» 13 *ult.*	consistorialiter ac aliàs
» 70 *a*	» 32	aliquid	» 754 *b*	» 8 *ult.*	alioquin
» 70 *a*	» 2 *ult.*	statum	» 755 *a*	» 14 *ult.*	statutum
» 70 *b*	» 2	dari	» 755 *a*	» 10 *ult.*	notari
» 70 *b*	» 19	transmitti	» 755 *b*	» 8	transmissi
» 71 *a*	» 26	per praesentesque	» 756 *a*	» 4 *ult.*	praesentesque
» 71 *a*	» 34	enormissima	» 756 *b*	» 6	enormissimae
» 73 *b*	» 16 *ult.*	extra	» 758 *b*	» 14 *ult.*	causà
» 74 *b*	» 2 *ult.*	ecclesias	» 760 *b*	» 9	ecclesiasque
» 75 *a*	» 17	sibi	» 760 *b*	» 14 *ult.*	ibi
» 75 *a*	» 41	canonicatus... sufficientissime	» 761 *a*	» 12	canonicatibus... sufficientissimi
» 75 *a*	» 7 *ult.*	existentis	» 761 *a*	» 9 *ult.*	existenti
» 75 *b*	» 17	per dationem et solutionem	» 761 *b*	» 15	a datione et solutione
» 75 *b*	» 25 *ult.*	oppidum... nuncupandum	» 761 *b*	» 1 *ult.*	oppidum in civitatem... nuncupandam
» 75 *b*	» 18 *ult.*	singula, quae	» 762 *a*	» 6	singula iura exerceat, quae
» 75 *b*	» 8 *ult.*	praepositurae... praebendae.. beneficiorum collativorum	» 762 *a*	» 17	praepositurам... praebendas... beneficia collativa
» 76 *a*	» 11	ascendentes	» 762 *a*	» 4 *ult.*	ascendentem
» 76 *a*	» 13	ac	» 762 *a*	» 2 *ult.*	ab
» 76 *a*	» 30	sine vera et personali residentia	» 762 *b*	» 16	veram et personalem residentiam
» 76 *a*	» 14 *ult.*	ecclesia	» 762 *b*	» 1 *ult.*	ecclesiae
» 76 *a*	» 6 *ult.*	factum	» 763 *a*	» 8	factas
» 76 *b*	» 6	dictae	» 763 *a*	» 20	dictaeque
» 76 *b*	» 12	sive cura	» 763 *a*	» 13 *ult.*	sive sine cura
» 76 *b*	» 20	existentis	» 763 *a*	» 6 *ult.*	existenti
» 76 *b*	» 24	dismembrata	» 763 *a*	» 1 *ult.*	dismembratorum
» 76 *b*	» 14 *ult.*	eiusque	» 763 *b*	» 10 *ult.*	eique
» 77 *a*	» 29	episcopo	» 764 *a*	» 10 *ult.*	episcopus
» 77 *a*	» 24 *ult.*	gaudere libere	» 764 *b*	» 7	gaudere poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter ac sine ullà prorus differentià uti, frui, potiri et gaudere libere
» 78 *a*	» 27	constitutionem	» 765 *b*	» 2 *ult.*	constitutione

Edit. Rom. Main. Tom. v, *Part.* v.					*Edit. Taur.*				
Pag.	78-79	linea		eamdem congregationem	*Pag.*	767 *a*	linea	24	eiusdem congregationis
»	80 *a*	»	13 *ult.*	collegiatarum ecclesiarum	»	769 *a*	»	1 *ult.*	collegiatarum
»	80 *a*	»	8 *ult.*	prou	»	769 *b*	»	5	fructus
»	80 *b*	»	34	inita	»	770 *a*	»	2	initorum
»	81 *a*	»	10	qui	»	770 *b*	»	4	quae
»	81 *b*	»	33 *ult.*	si quae	»	771 *b*	»	15	si qua
»	82 *a*	»	23	dependeri	»	772 *a*	»	15 *ult.*	dependentibus
»	82 *b*	»	10 *ult.*	unum... alterum	»	772 *b*	»	3	uni... alteri
»	83 *a*	»	3	aliis	»	773 *b*	«	15	de aliis
»	83 *a*	»	22	debeant	»	773 *b*	»	8 *ult.*	debeat
»	83 *a*	»	28	debent	»	773 *b*	»	3 *ult.*	debent, exceptâ
»	83 *a*	»	24 *ult.*	canonicis... qui omnes	»	774 *a*	»	17	canonici... omnes
»	83 *b*	»	23 *ult.*	reliquae duae	»	774 *b*	»	2 *ult.*	reliquas duas
»	83 *b*	»	15 *ult.*	interessentibus	»	775 *a*	»	7	interessentes
»	84 *b*	»	24	patronatum	»	776 *a*	»	26	patronatus
»	84 *b*	»	13 *ult.*	quarumcumque	»	776 *b*	»	17	quibuscumque
»	85 *a*	»	12	praesentis	»	776 *b*	»	5	praesenti (1)
»	85 *b*	»	23	exceptis	»	777 *b*	»	10 *ult.*	exceptas
»	86 *a*	»	27	generari	»	778 *b*	»	20	volumus generari
»	89 *a*	»	5 *ult.*	debitaque	»	783 *b*	»	17 *ult.*	debitaeque
»	89 *a*	»	2 *ult.*	viva	»	783 *b*	»	14 *ult.*	vivae
»	89 *b*	»	3	perillustris	»	783 *b*	»	9 *ult.*	perillustribus
»	89 *b*	»	9	aliqua	»	784 *b*	»	3 *ult.*	aliquo
»	91 *b*	»	8 *ult.*	professuri	»	787 *b*	»	7	profecturi
»	92 *a*	»	25 *ult.*	constitutionibus	»	788 *a*	»	16	constitutiones
»	94 *b*	»	39	alia	»	791 *b*	»	23	et alia
»	95 *a*	»	24	est	»	792 *a*	»	7 *ult.*	sit
»	95 *a*	»	30	pendi	»	792 *a*	»	1 *ult.*	pendeat
»	95 *a*	»	29 *ult.*	abdicamus	»	792 *b*	»	11	applicamus
»	95 *b*	»	4 *ult.*	ad praesens	»	793 *b*	»	18	quam ad praesens
»	96 *a*	»	8	fabricare	»	793 *b*	»	10 *ult.*	fabricari
»	96 *a*	»	18	costodire et asservare	»	794 *a*	»	1	custodiri et asservari
»	96 *a*	»	1 *ult.*	sepulchra	»	794 *b*	»	11	sepeliri
»	96 *b*	»	8	illaque	»	794 *b*	»	19	illamque
»	96 *b*	»	29	comprehendi	»	794 *b*	»	2 *ult.*	minime comprehendi
»	96 *b*	»	37	concessa	»	795 *a*	»	7	concessas
»	97 *a*	»	11	millesimo sexagesimo secundo	»	795 *b*	»	4	MDCXXIII
»	97 *b*	»	14	liberare	»	795 *b*	»	15	liberaret
»	98 *b*	»	34	ecclesia	»	797 *a*	»	1 *ult.*	ecclesiae
»	99 *a*	»	4	cum	»	798 *b*	»	19	et in
»	99 *b*	»	30 *ult.*	recuperando iconem	»	799 *a*	»	13	recuperandi, ad iconem
»	100 *b*	»	6 *ult.*	ac	»	801 *a*	»	3	ad
»	101 *a*	»	19	tenoribus	»	801 *b*	»	11	tenores
»	101 *b*	»	30 *ult.*	quae	»	802 *a*	»	14 *ult.*	qui
»	102 *b*	»	11	censeatur	»	803 *b*	»	7	censeatur, concedimus et indulgemus
»	103 *a*	»	10 *ult.*	manum	»	804 *b*	»	7 *ult.*	manuum
»	103 *b*	»	17	quicumque	»	805 *a*	»	21	ut quicumque
»	103 *b*	»	7 *ult.*	iisdem	»	805 *b*	»	23	iidem
»	104 *b*	»	2	non obstare	»	806 *b*	»	14	non obstante
»	105 *a*	»	7	et nunc	»	807 *a*	»	1 *ult.*	ex nunc
»	105 *a*	»	35	erogationes	»	807 *b*	»	28	derogationes
»	105 *b*	»	18	metropolitani	»	808 *a*	»	7 *ult.*	metropolitanam
»	105 *b*	»	26 *ult.*	visa	»	808 *b*	»	21	ullâ

(1) Vel potius nescio quid legam (R. T.)

Edit. Rom. Main. Tom. v, Part. v.					Edit. Taur.			
Pag.	107 *a* linea	10-11	habitaverint... possideant	Pag.	810 *b* linea	20-22	habitaverit... possideat
»	107 *a* »	32	possint	»	811 *a* »	1	possit
	Tom. v, Part. IV.						
»	138 *a* »	3 *ult.*	institutione	»	814 *a* »	11	insinuatione
»	138 *b* »	41	regularium	»	814 *b* »	11	regalium
	Tom. v, Part. v.						
»	109 *b* »	16	domus	»	814 *b* »	14	domibus
»	111 *a* »	23	omniaque	»	817 *a* »	8	omnia
»	111 *a* »	29	quodque	»	817 *a* »	15	quaeque
»	112 *a* »	20 *ult.*	ullatenus	»	818 *b* »	7 *ult.*	nullatenus
»	112 *a* »	3 *ult.*	camerae	»	819 *a* »	12	camerá



PAULI QUINTI

CONSTITUTIONES

Ab anno septimo pontificatus ipsius et deinceps.



An. C. 1611

CLXXV.

Inhibetur Iesuitis et fratribus Ordinis Minimorum Bisuntinae civitatis, ne facultates in Universitate studii generalis oppidi Dolae eiusdem Bisuntinae dioecesis legi solitas, in dicta civitate doceant, nisi pro suis respective religiosis [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sedula Romani Pontificis providentia uberes fructus, quos studiorum generalium universitates in vineà Domini adferre solent, attente considerans, illarum conservationi propensis studiis intendit, catholicorumque principum illud idem anhelantium votis libenter annuit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Pius V et Sixtus V universitatem Bisuntinam erigi permisere.

§ 1. Sane, postquam felicis recordationis Pius V et successive Sixtus etiam V, Romani Pontifices praedecessores nostri, supplicationibus tunc existentium senatorum Bisuntinorum sibi tunc humiliter porrectis inclinati, eisdem senatoribus, ut in dictà civitate et loco ad id convenienti et apto unum collegium scholarium cum dote, ecclesià vel cappellà, structuris, aedificiis, cameris et locis simili collegio convenientibus et necessariis, in quo aliquot praeceptores seu doctores, qui inibi publice theologiam et ius tam canonicum quam civile ac philosophiam et medicinam profiterentur ac docerent, sub certis modo et formà tunc expressis, erigere et instituere possent, facultatem apostostolicà auctoritate respective concesserant, seu indulserant;

At idem Pius V et Gregorius XIV ob proximitatem academiae Dolensis dictam universitatem Bisuntinam supprimi decreverunt.

§ 2. Et subinde tam dictus Pius praedecessor quam similis memoriae Gregorius Papa XIV informati, quod in oppido Dolensi provinciae Burgundiae a praedictà civitate octo leucis, vel circa, tantum distanti insignis et antiqua universitas studii generalis instituta erat, et occasione erectionis collegii in dictà civitate gravia et irreparabilia damna, scandala, mala,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et inconvenientia verisimiliter oriri poterant; Pius V suam ipsius, et Gregorius Sixti V concessiones huiusmodi revocaverant, cassaverant et annullaverant:

Quas secundo dictas litteras confirmavit Paulus V.

§ 3. Nos, supplicationibus dilectorum filiorum nobilis viri Alberti archiducis Austriae, ac rectoris, magistrorum et scholarium dictae universitatis nobis postmodum humiliter porrectis inclinati, revocationem, cassationem et annullationem dicti Gregorii praedecessoris et desuper confectas litteras perpetuo confirmavimus et approbavimus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiecimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenissent, supplevimus, prout in diversis praedecessorum et nostris desuper confectis litteris plenius continetur [1].

Cum vero Iesuitae, ac Minimi suis in domibus Bisuntinis philosophiam, ac theologiam legerent,

§ 4. Cum autem, sicut dictorum Alberti archiducis et rectoris ac magistrorum nec non scholarium dictae universitatis nomine [2] nobis expositum fuit, in dictâ civitate Bisuntinâ unum collegium presbyterorum Societatis Iesu et una domus fratrum Minimorum sancti Francisci de Paula instituta reperiantur, et tam presbyteri dicti collegii quam fratres praedictae domus non solum philosophiam, verum etiam theologiam publice profiteri ac docere seu legere, in maximum dictae universitatis praeiudicium, aggressi fuerint (id non sibi regularem vitam professis, sed praeceptoribus et doctoribus secularibus ex dictarum litterarum tenore vetitum esse forsan allegantes) adversus praedecessorum et nostram voluntatem:

Idem Paulus id eis pro suis religiosis tantum licere decernit.

§ 5. Nos, damnis et scandalis ac malis, quae inde oriri possent, occurrere cupientes, praedecessorum praedictorum vestigiis inhaerentes, ac singularum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, dicti Alberti archiducis et rectoris ac magistrorum nec non scholarium praedictorum supplicationibus nobis denuo humiliter porrectis inclinati, presbyteris regularibus Societatis Iesu et fratribus sancti Francisci de Paula Minimis nuncupatis, ne de cetero perpetuis futuris temporibus ex quavis causâ in dictâ civitate philosophiam aut sacram theologiam publice vel secrete, praeterquam suos religiosos respective, docere seu legere ac profiteri audeant seu praesumant, sub indignationis nostrae et excommunicationis ipso facto incurrendis poenis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Clausulae.

§ 6. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Societatis, Ordinis, necnon collegii et domus praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis Societati et Ordini, ac collegio et domui praedictis, illorumque superioribus, presbyteris et fratribus, ac quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter et ex-

1 Vide de hac re eiusdem Pauli V Constit. CXXXVIII in tom. XI praecedenti, pag. 577 (R. T.).

2 *Hanc* vocem *nomine* nos addimus (R. T.).

presse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 17 iunii 1612, pontif. an. VII.

CLXXVI.

Declaratur fratres Congregationis Ioannis Dei, in regnis Hispaniarum, tria vota substantialia et quartum serviendi infirmis in suis hospitalibus emittere, et sub regulâ sancti Augustini, Ordinariorumque correctione et obedientia, degere debere, verosque propterea Religiosos et Regulares esse censendos [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, circa sacrarum religionum et congregationum ac etiam hospitalium et aliorum piorum locorum salubrem directionem et felicem progressum ex demandatae sibi apostolicae servitutis officio intentus, ea, quae desuper a praedecessoribus suis facta fuisse comperit, partim approbat et confirmat, partim vero aliis iustis causis ita suadentibus alterat et immutat, aliasque eiusdem officii sui partes favorabiliter interponit, prout, rerum, locorum, temporum et personarum qualitate pensatâ, conspicit in Domino salubriter expedire.

Huic Congregationi Romani Pontifices nonnullas gratias elargiti fuerunt.

§ 1. Dudum siquidem (cum Congregatio Ioannis Dei sub regulâ sancti Augustini in republicâ christianâ introducta, et subinde apostolicâ auctoritate recepta atque admissa fuisset, ac gratiâ cooperante divinâ per varias partes multiplicitatis illius fratribus mirabiliter propagaretur et quamplurima hospitalia ex congestis christifidelium eleemosynis construeret, in eisque innumerabiles Christi pauperes utriusque sexus, videlicet senes, mentecaptos, membrorum et virium impotentiâ atque debilitate laborantes, aliasque miserabiles personas, pro eorum morbis et infirmitatibus etiam incurabilibus sublevandis, refovendis et sanandis, continuo reciperet) diversi interim Romani Pontifices praedecessores nostri, Congregationem huiusmodi in eâdem republicâ christianâ pauperum et infirmorum huiusmodi subventioni apprime utilem ac personarum inibi sub illius habitu eisdem pauperibus et infirmis caritative deservientium opera apud Deum valde meritoria fore animadvertentes, ac ipsius Congregationis felici successui et salubri regimini atque directioni intendentes, illis nonnulla privilegia, gratias et indulta benigne concesserunt.

Pius V habitum fratribus praescripsit, eleemosynas colligendi pro hospitalium subventione licentiam concessit, Ordinariorumque obedientiae subiecit.

§ 2. Siquidem felicis recordationis Pius V praedecessor noster (hoc praestantissimum genus officii infirmos in hospitalibus existentes adiuvandi certior factus per tunc existentem confratrem maiorem nuncupatum hospitalis Ioannis Dei nuncupati Granatensis, Ordinis sancti Augustini, in dicto et nonnullis aliis ad instar illius erectis hospitalibus pie exerceri) concessit licentiam et facultatem pro tempore existentibus fratribus dictorum hospitalium deferendi certum habitum tunc designatum, eleemosynasque colligendi, et de earum administratione singulis annis legale computum loci Ordinario, in quo hospitalia huiusmodi consisterent, reddendi, dummodo sub regulâ sancti Augustini, et sub obedientiâ Ordinarii eiusdem loci, in quo ipsa hospitalia existerent, degerent, nonnullaque alia,

1 Congregationem hanc approbavit Pius V in Constit. CXC *Licet* (in h. n. ed. CCXIV, tom. VII, pag. 959); reformavitque Clemens VIII in Constit. CXXXIV *Romani Pontificis* (in h. n. ed. CXL, tom. X, pag. 296); Paulus V in Constit. CXXXI *Inter alias* (in h. n. edit. CXXXIII, tom. XI, p. 570).

quoad eosdem fratres, eorumque hospitalia, ordinavit:

Sixtus V eosdem in unam univit Congregationem provinciasque distinguendi, et eligendi generalem facultatem concessit.

§ 3. Et deinde felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster (cum plerique eorum tria vota substantialia ac quartum de iuvandis infirmis emitterent, nec generalem, nec constitutiones, aut certum vivendi modum haberent) omnia hospitalia Ioannis Dei nuncupata, tam in Italiâ, quam in ceteris quibusvis provinciis, etiam transalpinis, existentia, invicem univit, ac unam Congregationem confratrum Ioannis Dei nuncupatam erexit, ac in hospitali sancti Ioannis Calavitae de Urbe capitulum generale dictorum confratrum de mense maii tunc proxime venturo celebrandum indixit, ac provincias distinguendi, et generalem eligendi, aliaque desuper faciendi licentiam et facultatem concessit[1]:

Clemens VIII unum ab his fratribus inserviendi hospitalibus sub Ordinariorum obedientiae votum emitti decrevit.

§ 4. Et post eos felicis recordationis Clemens Papa VIII (sperans fratres dictae Congregationis, quorum plerique tria vota substantialia religionis ac etiam quartum de iuvandis infirmis emittebant, nullâ professione praeterquam hospitalibus et infirmis inibi serviendi per eos emissâ, sub obedientiâ Ordinariorum locorum quietius et tranquillius victuros, ac delinquentes sine scandalo aut notâ aliquâ ex locis, ubi degerent, sic expelli posse) per eius litteras in formâ Brevis confectas, sub datum die XIII februarii, pontificatus sui anno I, inter alia perpetuo statuit et ordinavit, quod de cetero fratres Congregationis huiusmodi unum dumtaxat inserviendi praedictis hospitalibus sub obedientiâ Ordinarii votum emitterent, prout in ipsis litteris plenius continetur[2].

Maior autem hospitalium in regnis Hispaniarum exponit non obstante decreto Clementis VIII fratres tria vota, et etiam quartum de iuvandis infirmis emittere consuevisse, et eos Congregationis munia sub regulâ sancti Augustini obire salubrius esse.

§ 5. Cum autem (sicut dilectus filius Petrus frater maior hospitalium et locorum dictae Congregationis in regnis Hispaniarum constitutorum nobis nuper exponi fecit) litterae Clementis VIII supradictae in hospitalibus et locis regnorum huiusmodi, nonnullis tamen iisque paucis exceptis, quoad hoc numquam exequutioni demandatae, nec effectum suum sortitae fuerint; immo post eas fratres supradicti tria vota et quartum de iuvandis infirmis emittere, prout antea, fere in omnibus suorum hospitalium locis perrexerint, idque etiam nunc observent, utiliusque et salubrius, ac bono regimini ipsorum et hospitalium gubernationi conducibilius esse experti fuerint; quin progressu temporis experientiâ docente compertum sit, fratres dictae Congregationis (qui inibi sub regulâ sancti Augustini degere, et ultra receptionem atque servitium infirmorum, proprium ipsius Congregationis institutum, etiam normam in eâdem regulâ praescriptam, ad instar illius professorum, sedulo observare, eique insistere dignoscuntur), si pariter a seculo abscinderentur, et eidem Congregationi per emissionem trium votorum ultra quartum de iuvandis infirmis religioni penitus auctoritate apostolicâ mancipparentur, eâ ratione servitium et assistentiam dictorum infirmorum, aliaque munia eis ex instituto Congregationis huiusmodi iugiter incumbentia, expeditius et salubrius obituros; ac propterea aequum, et suae vocationi congruum fore, eos etiam ad emissionem supradictorum votorum per nos et Sedem Apostolicam admitti:

Hic ergo Pontifex, fratres in illis regnis sic professionem emittere debere, decernit.

§ 6. Nos igitur, qui similia opera pia et meritoria Deo accepta ministerio nostri pastoralis officii libenter promovemus, de consilio dilectorum filiorum nostrorum Pompeii S. Albinae Arrigoni, Ioannis Garziae Ss. Quatuor Coronatorum Millini, Michaelis sancti Bartholomaei in insulâ S. R. E. presbyterorum cardinalium Nazareni nuncupatorum, quibus hoc negocium sedulo examinandum et deinde no-

1 Haec Sixti V Const. in *Bullario* minime legitur (R. T.).

2 Ista quoque hucusque deest (R. T.).

bis referendum commisimus, circa praemissa ac etiam alia dictae Congregationis laudabile institutum concernentia, prout ex eiusdem officii debito tenemur, maturius disponere cupientes, ipsumque Petrum a quibusvis, etc. censentes, necnon ordinationes, statuta, privilegia, gratias et indulta huiusmodi, ac tam super eis confectarum, quam supradictarum eiusdem Clementis praedecessoris litterarum tenores etiam veriores, atque inde sequuta quaecumque, praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus dicti Petri in eâ parte inclinati, de nobis attributae potestatis plenitudine, praesentium tenore, perpetuo statuimus et ordinamus, quod, ex nunc perpetuis futuris temporibus, in hospitalibus et locis regnorum huiusmodi quae proprium confratrem maiorem eorum regimini et administrationi, sub iurisdictione tamen et visitatione Ordinarii, praefectum habere consueverunt, illi videlicet qui hactenus eis nomen suum dederunt et inibi ultra annum steterunt, statim, reliqui autem et qui in posterum in eis habitum suscipient, anno eorum probationis elapso, ac aliàs iuxta sacrorum canonum et decretorum concilii Tridentini praescriptum, tria vota ante dicta, videlicet obedientiae, castitatis et paupertatis, ac insuper quartum votum serviendi infirmis in suorum superiorum manibus solemniter emittere omnino teneantur;

Et sic professos, vere et proprie religiosos, et regulares esse declarat.

§ 7. Huiusmodi autem personas, quae elapso probationis anno quatuor praedicta vota solemniter emiserint, vere ac proprie religiosos, ac proprios et veros regulares esse, ac pro talibus ab universis christifidelibus habendos et recipiendos, illamque veram et propriam sub regulâ sancti Augustini religionem esse, ac inter reliquas Ecclesiae Catholicae religiones esse connumerandam.

Eos autem ad habitum, et professionem, qui pro numero infirmorum necessarii erunt, dumtaxat admitti praecipit.

§ 8. Non liceat autem superioribus dictorum hospitalium et locorum plures inibi ad habitum aut professionem admittere, quam quot pro numero infirmorum aliarumque miserabilium personarum illuc recurrere solitarum, illarumque ministerio necessarii fuerint.

In singulis domibus Hispaniarum duos presbiteros admitti posse concedit.

§ 9. Praeterea eisdem hospitalibus dictorum regnorum, ut deinceps in eorum singulis duo fratres presbyteri manere et ali possint, qui confessiones tam infirmorum, quam aliorum confratrum et ministrorum inibi audire, et, iniunctâ sibi poenitentiâ salutari, eos a peccatis suis absolvere, illisque sanctissimae Eucaristiae et extremae Unctionis sacramenta ministrare, libere et licite valeant, ac aliis verbo et exemplo praeire debeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Omnes autem iurisdictioni Ordinariorum supponit.

§ 10. Ceterum omnia hospitalia et loca eorumdem regnorum, illorumque personas et superiores, etiam quod personae religiosae sint, ac etiam dictum confratrem maiorem, et quemcumque alium pro tempore existentem, iurisdictioni, superioritati, visitationi et correctioni Ordinariorum locorum perpetuo subesse; Ordinariosque in loca et personas huiusmodi, quoad causas civiles et criminales et mixtas, tam in visitatione quam extra, plenam potestatem, facultatem et auctoritatem perpetuis futuris temporibus habere; ac ratione omnium et singulorum bonorum, proprietatum et rerum, tam mobilium quam immobilium, decimas, primitias, novalia et alia onera quomodolibet nuncupata solita et consueta quibuscumque locorum Ordinariis, monasteriis, domibus, capitulis, hospitalibus, parochialium ecclesiarum rectoribus, aliisque personis et locis, quibus ea colligendi ius competit, persolvere teneri, et ad id per opportuna iuris remedia cogi et compelli[1], nisi privilegio apostolico vel legitimâ

1 Subintellige *posse* (R. T.).

praescriptione hactenus observatâ muniantur; nec deinceps contra iurisdictionem et superioritatem Ordinariorum aut solutionem decimarum, primitiarum, novalium et aliorum onerum praemissorum, ullo umquam tempore quantumvis longissimo praescribere aut praescripsisse dici vel censeri;

Et si cesset hospitalitas, administrationem eorum locorum ad Ordinarios spectare decernit.

§ 11. Quinimo (si quando in hospitalibus et locis antedictis hospitalitas defecerit) eosdem Ordinarios illa, eorumque bona per fratres huiusmodi aut alias personas etiam seculares administranda (ita quod hospitalia et loca illorumque bona praedicta nullatenus umquam dictae Congregationi incorporentur) committere et demandare posse ac etiam debere, volumus, decernimus et declaramus.

Et durante hospitalitate quotannis locorum Ordinariis fratres rationem reddere iubet.

§ 12. Immo, dum dictorum hospitalium administratio ad ipsos fratres pertinebit, teneantur omnino singulis annis suae administrationis rationem Ordinario reddere ad Tridentini Concilii praescriptum.

In praedictis tamen aliorum iuribus non praeiudicare declarat.

§ 13. His tamen, quae superius in quacumque parte concessimus, declaravimus et ordinavimus, universitatum, collegiorum, aut singularium personarum quarumcumque iuribus qualibuscumque (si quae illis[1] super dictis hospitalibus, bonis, personisve, etiam ratione cappellaniarum, vel aliorum beneficiorum ex fundatione, dotatione, vel aliàs legitime competat) ullo pacto praeiudicatum, vel praeiudicium ullum quantumvis minimum illatum esse non intendimus: idque expresse declaramus, et pro declarato ac in qualibet huius dispositionis parte pro repetito haberi volumus et mandamus.

Huius concessionis praeservativas clausulas subdit.

§ 14. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari ullatenus posse, sed semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices, etc., sublatâ etc., irritumque, etc.

Contrariisque derogat.

§ 15. Non obstantibus fundationibus et institutionibus hospitalium et locorum huiusmodi, ac dictâ eiusdem Clementis praedecessoris, aliisque apostolicis, necnon in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, ac hospitalium, locorum, et Congregationis huiusmodi (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, etc., de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die VII iulii MDCXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 7 iulii 1611, pontif. an. VII.

CLXXVII.

Mandat capitulo ecclesiae Paderbornensis, ut ad electionem coadiutoris cum futurâ successione procedat in regimine et administratione dictae ecclesiae[1].

1 Aptius legeretur si *qua* nempe *iura* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilectis filiis,
Capitulo ecclesiae Paderbornensis,
Paulus Papa V.
Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Inter pastoralis nostrae sollicitudinis curas, quibus assidue premimur, haec prae caeteris cordi nostri insidet, ut provideamus, ne cathedrales ecclesiae pastoris solatio destitutae aliqua in spiritualibus vel temporalibus detrimenta patiantur.

Causa eligendi coadiutorem.

§ 1. Accepimus siquidem, quod ecclesiae Paderbornensis magnopere interest (propter pericula praesertim, quae illi imminerent, si pastore viduata ad successoris electionem deveniendum foret), ut venerabili fratri Theodoro episcopo Paderbornensi coadiutor cum futurâ successione eligatur.

Mandat capitulo, ut illum eligat.

§ 2. Quare nos, pro nostro pastoralis officii debito dictae ecclesiae statui consulere volentes, vobis, ad quos, occurrente vacatione ipsius ecclesiae per cessum vel decessum illius episcopi pro tempore existentis, electio personae idoneae in episcopum eiusdem ecclesiae, iuxta concordata inter Sedem Apostolicam et nationem Germanicam inita, spectare dignoscitur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium committimus et mandamus, ut quamprimum fieri poterit, quibuscumque impedimentis semotis, capitulariter congregati aliquem, etiam extra vestri capituli gremium, etiam aliarum similium ecclesiarum praesulem, vel in earum regimine coadiutorem cum futurâ successione a Sede Apostolicâ deputatum, seu etiam alium, qui aliàs postulandus esset, zelo tamen et puritate catholicae fidei cum morum probitate et prudentiâ spectatum, in coadiutorem perpetuum et irrevocabilem dicto Theodoro episcopo in regimine et administratione praedictae ecclesiae Paderbornensis in spiritualibus et temporalibus cum futurâ successione eligatis. Nos enim vobis ad electionem huiusmodi deveniendi, aliàque circa electionem huiusmodi necessaria et opportuna faciendi, gerendi et exercendi licentiam et facultatem, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et impertimur.

Obstantia tollit.

§ 3. Non obstantibus generalis concilii ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem ecclesiae eiusque praesuli et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter, aut aliàs in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis ac etiam innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis specialis mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 23 iulii 1611, pontif. an. VII.

CLXXVIII.

Episcopo Paderbornensi: In idem argumentum[1].

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili fratri Theodoro episcopo Paderbonensi

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a sollicitudine praesulum suarum ecclesiarum desumptum.

Redemptor noster unigenitus Dei filius Christus Iesus inter cetera, quibus transiturus ex hoc mundo ad Patrem ineffabili charitate instruxit ecclesiam suam, *Pater sancte, quos dedisti mihi,* inquit, *custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*[1]; ut nos videlicet (quod probe novit fraternitas tua) omnesque doceret, quibus ministerium custodiendi Ecclesiam suam creditum est, ut ita gregem custodiamus, ut, quantum est in nobis, illum servemus, animas etiam ipsas nostras, si oportuerit, dando; nullam alioquin excusationem habituri, si vel nobis nescientibus lupus oves comedet; quanto ergo minus, si illum venientem viderimus, et dimiserimus gregem, quasi ad nos de ovibus non pertineat, quarum sanguinem de manibus nostris Dominus requiret. Quae sane cogitare et praestare semper et nunc maxime oportet nos quidem, quibus universi gregis custodia, nullis licet nostris suffragantibus meritis, commissa est, pro sollicitudine, quam cunctis ecclesiis debemus, fraternitatem vero tuam, in partem sollicitudinis nec modicam vocatam, pro officii debito erga proprium gregem.

Necessitates ecclesiae Paderbonensis recenset.

§ 1. Quantis enim, et qualibus in periculis constituta nunc sit ecclesia tua Paderbornensis longe melius novit, fraternitas tua, quae praesens est et venientem turbinem adspicere potest, quam nos, ad quos istinc omnia deferuntur: nec dubitamus quin fraternitatem tuam maxime sollicitam nunc habeant huiusmodi imminentia mala, quae nos ingenti timore trepidare absentes compellunt. Non enim de unius ovis, pro qua tamen bonus pastor nonaginta novem dimisit in deserto, sed de universi gregis salute agitur, cui si occurrere omni conatu omiserimus, quis non videt inter mercenarios potius, quam inter pastores nos numerandos esse, et futurum ut dici iure possit, venisse nos, non ut servaremus gregem nobis commissum, sed ut perderemus? Perdit quippe, qui cum servare teneatur, si potest, non servat, aut servare omnibus viribus non conatur.

Seque Capitulo mandasse, ut episcopum coadiutorem eligat, declarat.

§ 2. Quamobrem, ne culpam huiusmodi tanto cum detrimento salutis et honoris incurreremus, quod unum esse accepimus remedium, pro munere nostro adhibendum duximus. Reliquum est, ut fraternitas etiam tua, pro suo similiter pastorali munere, quidquid in se est faciat et nobiscum efficiat. Nos enim dilectis filiis capitulo ecclesiae tuae Paderbornensis commisimus et mandavimus, ut ad electionem coadiutoris tui quamprimum veniant, sperantes fore ut ecclesiae necessitatem, ac solius Dei honorem et gloriam spectantes, eum virum eligant, qui catholicae religionis zelo et aliis rebus possit et velit fidem catholicam et ecclesiam Paderbornensem conservare ac promovere.

Episcopum ut opem ad id suam praestet, hortatur.

§ 3. Nunc igitur fraternitatis tuae erit, non solum consensum opportunum praestare, sed etiam negocium ita iuvare et fovere, ut se talem pastorem praestet, qualem Dominus pro pastore agnoscit, et qualem se semper ostendit, ac res desiderat. Quod etsi facturam, pro tua prudentia, catholicae religionis zelo, et erga gregem tuae fidei commissum charitate, plane confidimus, tamen ne alicuius officii praetermissi in tam gravi re argui possimus, eamdem fraternitatem tuam ex toto corde nostro hortamur, et per viscera Iesu Christi enixe requirimus, ut partes tuas hoc tempore impleas, tuumque honorifices ministerium, ut in extremo examine, tamquam fidelis servus, et Domini imi-

1 Ioh. XVII, 11-12 (R. T.).

tator, eidem Domino dicere, quantum homini fas est, valeas: *quos dedisti mihi, custodivi, et cum essem cum eis, servabam eos in nomine tuo*[1]. Quod tuae fraternitati ut concedat Deus precamur, et apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 23 iulii 1611, pontif. anno VII.

CLXXIX.

Capitulum ecclesiae Monasteriensis hortatur, ut archiepiscopo coadiutorem eligat[2].

Dilectis filiis, capitulo ecclesiae Monasteriensis

Paulus Papa V.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Officii pastoralis cura, quam nostram humilitatem gerere, nullis nostris meritis, voluit divina dignatio, cogit nos omnium ecclesiarum statui et necessitatibus solicite providere.

Ad vacationis evitanda pericula ut coadiutorem eligi curet, archiepiscopum se admonuisse refert.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, magnopere intersit ecclesiae Monasteriensi, ut ad electionem coadiutoris venerabilis fratris Ernesti archiepiscopi Coloniensis in regimine et administratione ecclesiae Monasteriensis, cuius administrator ad sui vitam apostolicâ auctoritate deputatus existit, hoc tempore deveniatur, propter gravia, quae illi impenderent pericula, si, occurrente illius vacatione, electio huiusmodi celebranda esset; propterea, pro nostri officii debito, ad eumdem Ernestum archiepiscopum et administratorem scribimus, ut coadiutorem cum futurâ successione istius ecclesiae quamprimum petat, vobisque ad eiusdem coadiutoris electionem veniendi, et virum religionis catholicae zelo, prudentiâ, et aliis virtutibus ac donis praestantem, etiam extra gremium capituli vestri, etiamsi postulandus esset, eligendi auctoritate apostolicâ facultatem concedimus et indulgemus, prout in litteris in simili formâ Brevis ad eumdem Ernestum archiepiscopum et administratorem scriptis plenius continetur[1].

Ad id capitulum hortatur.

§ 2. Sed licet nos, de vestrâ in Deum sincerâ pietate et erga ecclesiam Monasteriensem, cui deservitis, debitâ charitate fiduciam in Domino habentes, non dubitemus, quin vos imminentia mala cernentes sponte vestrâ facturi sitis; tamen, quia nostri muneris erat, cohortandos vos in Domino vehementer, quod facimus, existimavimus, et enixe requirendos, ut ad electionem coadiutoris perpetui cum futurâ successione huiusmodi absque morâ veniatis, eumque eligatis, qui hoc munere ad Dei gloriam et ecclesiae istius utilitatem fungatur; firmam in Domino spem habentes fore ut et vestro officio et nostrae expectationi ita respondeatis, ut omnibus appareat in re, ubi Dei honor maxime agitur, quae Dei sint tantum quaesivisse; et apostolicam vobis benedictionem impertimur.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 23 iulii 1611, pontif. anno VII.

CLXXX.

Provincia de Pernambuco in Indiis occidentalibus disiungitur ab ecclesiâ S. Salvatoris et in vicariam perpetuam erigitur[2].

1 Ioh. XVII, 12 (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Huiusmodi litterae desunt (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In supereminenti militantis Ecclesiae speculâ, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, ad universa orbis loca potissimum omnipotentis Dei misericordiâ per catholicos reges et principes fidei catholicae praedicationi et introductioni patefacta aciem nostrae meditationis reflectimus, et, ut in locis huiusmodi in dies magis plantetur et plantata confirmetur Christi religio, eorumque incolae et habitatores propriorum pastorum assistentiâ et regimine suffulti proficiant semper in fide et operibus christianis, opem et operam libenter impendimus efficaces, prout eorumdem regum exposcit devotio, nosque, locorum et rerum circumstantiis mature pensatis, ad fidei orthodoxae conservationem et propagationem, animarumque salutem et profectum conspicimus in Domino salubriter expedire.

Provincia de Pernambuco ecclesiae sancti Salvatoris olim attributa. § 1. Aliàs siquidem in partibus Indiarum occidentalium cathedralis ecclesia Sancti Salvatoris apostolicâ auctoritate erecta, et illi pro parte dioecesis et cleri ac populi provincia de Pernambuco vulgo nuncupata concessa et assignata fuit.

Causae eam seiungendi, et in vicariam perpetuam erigendi. § 2. Cum autem (sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Portugalliae et Algarbiorum rex catholicus nobis nuper exponi fecit) pro tempore existens episcopus Sancti Salvatoris, ob dictae provinciae de Pernambuco distantiam, marisque incommodum, ac difficilem et dispendiosam navigationem, piratarumque illic discurrentium periculum, curae, regimini et administrationi sui gregis in dictâ provinciâ consistentis; prout eius pastorali officio incumbit, non sine illius salutis dispendio, intendere nequeat; hincque incolae et habitatores dictae provinciae nec fidei doctrinâ, nec pie vivendi praeceptis instrui, nec, si quid deliquerint, corrigi ab episcopo suo possint; et propterea, si dicta provincia de Pernambuco a praedictâ ecclesiâ S. Salvatoris separaretur et dismembraretur, illaque sic dismembrata et separata in vicariam seu administrationem spiritualem provinciae de Pernambuco nuncupandam pro uno vicario seu administratore in spiritualibus provinciae de Pernambuco nuncupando (qui inibi omnimodam spiritualem et ecclesiasticam ac ordinariam et quasi episcopalem iurisdictionem[1], tam in foro interiori quam exteriori, haberet et exerceret) erigeretur et institueretur, ex hoc profecto provincia de Pernambuco huiusmodi felicioribus proficeret incrementis, illiusque cleri et populi praedictorum saluti, et dictae fidei profectui et exaltationi, divinique cultus incremento, et tot incommodis et animarum periculis opportune consuleretur; quare idem Philippus rex nobis humiliter supplicari fecit, quatenus eamdem provinciam ab ecclesiâ et dioecesi Sancti Salvatoris huiusmodi perpetuo separare et dismembrare, ac inibi vicariam seu administrationem praedictam erigere et instituere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

§ 3. Nos igitur, qui fidei cultum et incrementum, ac locorum quorumlibet salutarem directionem cum animarum christifidelium salute et spirituali consolatione intentis desideramus affectibus, quascumque alias dismembrationes aliarum provinciarum et locorum ab ecclesiâ et dioecesi praedictis hactenus apostolicâ auctoritate factas praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac gloriosissimae eius genitricis Mariae, totiusque curiae caelestis honorem, Eam itaque separat Paulus, et a quacumque episcopi sancti Salvatoris superioritate liberat.

[1] Infra pag. 21 *b* in loco parallelo additur: *non tamen in his quae sunt Ordinis* (R. T.).

et ipsius fidei catholicae exaltationem, dictam provinciam de Pernambuco cum illius territorio, oppidis, villis, locis, nec non clero, populo, et personis, ac monasteriis, ecclesiis, collegiis, et piis locis, ac beneficiis ecclesiasticis, secularibus et quorumvis Ordinum regularibus, ab ecclesiâ Sancti Salvatoris et dioecesi praedictis perpetuo separamus et dismembramus, ac[1] ab omni iurisdictione, subiectione, superioritate, correctione, visitatione et potestate pro tempore existentis episcopi Sancti Salvatoris, eiusque vicariorum et officialium, ac a solutione quorumcumque iurium eidem episcopo et dilectis filiis capitulo dictae ecclesiae Sancti Salvatoris per clerum, populum, et personas provinciae de Pernambuco huiusmodi ratione subiectionis, iurisdictionis, superioritatis, aut visitationis etiam dioecesis[2] (ita quod de cetero praedictus episcopus Sancti Salvatoris aliquam iurisdictionem spiritualem, praeterquam in his quae sunt Ordinis ac demptis inferius expressis in oppida, terminos, territoria, villas et loca, ac clerum, populum, personas, monasteria, ecclesias et loca pia, nec non beneficia sub separatione et dismembratione huiusmodi comprehensa exercere, nec eadem beneficia, quae antea ad ipsius collationem, provisionem, institutionem, vel quamlibet aliam dispositionem pertinebant, conferre, seu de illis etiam providere, aut aliàs disponere, vel fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta per eum[3] in provinciâ de Pernambuco, illiusque terminis, territoriis, oppidis, villis et locis praedictis, ratione visitationis aut legis dioecesanae percipere nullatenus possit) dictâ auctoritate etiam perpetuo eximimus et totaliter liberamus;

1 Particulam *ac* nos addimus (R. T.).
2 Subintellige *solvi solutorum* (R. T.).
3 Subintellige *percipi solita* (R. T.).

Ipsamque in vicariam erigit pro presbytero a Portugalliae rege nominando.

§ 4. Ipsamque provinciam de Pernambuco, sic dismembratam et separatam, in vicariam seu administrationem spiritualem provinciae de Pernambuco nuncupandam, pro uno presbytero seculari, vel cuiusvis Ordinis regulari, vicario seu administratore in spiritualibus provinciae de Pernambuco nuncupando, in theologiâ seu decretis graduato, vel aliàs (praevio examine seu iudicio deputatorum senatus mensae regiae conscientiae et ordinum militiarum, in quo quamplures viri tam seculares quam regulares litterarum scientiâ et virtute insignes reperiuntur) habili et idoneo ad alios docendum adprobato, et per ipsum Philippum et pro tempore existentem Portugalliae et Algarbiorum regem perpetuis futuris temporibus, et hac primâ vice libere, nullius ad hoc requisito consensu, etiam ad tempus sibi benevisum deputando et constituendo[1],

Facultates huiusce vicarii quae sint.

§ 5. (Qui deputationis et constitutionis huiusmodi vigore, absque aliâ Romani Pontificis vel episcopi Sancti Salvatoris pro tempore existentium aut cuiusvis alterius confirmatione, approbatione, licentiâ, vel consensu, curam, regimen et administrationem provinciae de Pernambuco, et cleri et populi tam christiani quam gentilis, necnon oppidorum, terrarum et locorum in illius districtu, limitibus, terminis et locis praedictis consistentium habere, et inibi praedicare, et praedicari facere, gentilesque praedictos ad orthodoxae fidei cultum convertere procurare, et conversos in eâdem fide instruere et confirmare, eisque baptismi gratiam et confirmationis sacramentum impendere, et tam illis sic conversis quam aliis omnibus fidelibus in provinciâ de Pernambuco, ac illius oppidis, terris, villis, locis, territoriis, limitibus,

1 Nempe: *auctoritate et tenore praedictis similiter perpetuo erigimus et instituimus*, prout legitur in fine § seq., ceteris quae inibi leguntur parenthetice lectis (R. T.).

etiam[1] praedictis pro tempore degentibus et ad ea declinantibus sacramenta ecclesiastica, et alia spiritualia munera, non tamen ea quae sunt Ordinis, ut praefertur, ministrare, et administrari etiam facere et procurare, et quaecumque beneficia ecclesiastica sub separatione et dismembratione huiusmodi comprehensa, et quae antea ad ipsius episcopi Sancti Salvatoris collationem, provisionem, institutionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinebant, conferre, et de illis disponere, ac in eis instituere, calices, campanas, vestimenta, corporalia, et alia paramenta, et ornamenta consecrare et benedicere, ecclesias, coemeteria et loca ecclesiastica sanguinis et seminis effusione seu aliàs quomodolibet polluta vel profanata aquâ per seipsum benedictâ reconciliare, ipsasque ecclesias et loca sub provinciâ de Pernambuco praedictâ comprehensa et illorum personas visitare, ac in illorum statum, regimen, statuta, consuetudines, vitam, ritus, mores, delicta et disciplinam, tam in capite quam in membris, inquirere, nec non, evangelicae et apostolicae doctrinae sacrorumque canonum et generalium conciliorum decretis et institutis inhaerendo, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, punitione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoverit, reformare, mutare, corrigere, punire, et etiam de novo condere, nec non beneficiales matrimonialesque et quascumque alias causas ecclesiasticas et civiles, ac ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes[2], motas et inchoatas, et interim movendas, cum earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, audire, decidere, et fine debito, prout iuris fuerit, terminare, seu causas ipsas alii vel aliis idoneis, modo et formâ praedictis, cum simili vel limitatâ potestate pariter audiendas, decidendas et terminandas delegare; ac denique plenam, meram et omnimodam spiritualem et ecclesiasticam ac ordinariam iurisdictionem, tam in foro interiori quam exteriori[2], habere, et eam, ac omnia alia et singula, quae pro tempore existens episcopus Sancti Salvatoris in illis partibus hactenus habere, gerere, et exercere debuit, potuit et convenit, similiter et pariformiter, nullâque prorsus differentiâ, exceptis tamen iis, quae, ut dictum est, sunt Ordinis, prout divini cultus augmento, ac ipsorum cleri et populi animarum saluti expedire cognoverit, gerere, exercere, facere et exequi, cum omnibus et singulis aliis privilegiis, facultatibus, exemptionibus, libertatibus, iurisdictionibus, praeeminentiis, favoribus, gratiis et indultis, quibus[1] in de Ormuz, et Mozambique, ac Cofala, nec non Malaca, aliisque provinciis et locis erectae administrationes et illarum pro tempore deputati administratores, similiter ordinariam, ut praefertur, iurisdictionem inibi habentes, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum) auctoritate et tenore praedictis similiter perpetuo erigimus et instituimus.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras nullo umquam tempore ex quavis causâ (etiam quod praedictus episcopus Sancti Salvatoris, aut quomodolibet interesse habentes ad hoc vocati minime fuerint) de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari, aut in ius vel controversiam vocari, nec contra illas restitutionem in integrum, reductionem ad terminos iuris, aut quodvis aliud gratiae Clausulae.

1 Edit. Main. habet *et tam*; nos censuimus legendum *etiam* (R. T.).

2 Edit. Main. habet *pertinentia* (R. T.).

2 Infra pag. 23 *b* in loco parallelo additur: *non tamen in his quae sint Ordinis, ut praefertur* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *qui* (R. T.).

vel iuris remedium impetrari posse, nec causas, propter quas praemissa concessa fuerunt, minime verificari, nec ob id viribus carere, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam eis in toto vel in parte derogantibus vel obviantibus, etiam a nobis et dictâ Sede quomodolibet pro tempore emanatis, nullatenus[1] comprehendi, sed semper validas, et ab illis prorsus exceptas, et, quoties illae emanabunt aut sub eis quovis modo comprehendi viderentur, toties in pristinum et eum, in quo, antequam illae emanassent, statu[2] restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse et censeri; et, ad hoc ut sub illis non comprehendantur, vim validi et efficacis contractus inter nos et dictam Sedem, ac Philippum et pro tempore existentem regem praedictum initi et stipulati[3] et omni tempore suos plenarios et integros effectus sortiri: sicque per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantibus derogatio.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictae ecclesiae Sancti Salvatoris (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ac fundatione, erectione et institutione, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae Sancti Salvatoris et illius praesuli pro tempore existenti, ac praedictis capitulo et aliis personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter, vel aliâs quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua[1], ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Populi provinciae de Pernambuco, in iis quae requirunt caracterem episcopalem, sancti Salvatoris episcopo subiiciuntur.

§ 8. Volumus autem, ac statuimus et ordinamus, quod clerus et populus, aliique incolae et habitatores, tam sub per praesentes erectâ[2] provinciae de Pernambuco, quam de cetero earumdem praesentium vigore erigendis vicariis seu administrationibus praedictis comprehensi et comprehendendi, in his quae sunt Ordinis, ut praefertur, ad praedictum episcopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem (habitis tamen a suis vicariis seu administratoribus ad id litteris dimissorialibus) recurrere teneantur;

Prout etiam vicarii ratione suarum personarum.

§ 9. Quodque provinciae de Pernambuco et alii praesentium vigore pro tempore deputati vicarii seu administratores, ratione personarum suarum dumtaxat, visitationi, correctioni, superioritati et iu-

1 Aptius legeres *ullatenus* (R. T.).
1 Integre legeretur: *erant, statum* (R. T.).
2 Forsan supplendum *habere* (R. T.).

1 Ad syntaxin integrandam supple: *habenda esset, eorum tenores,* ac *si* de verbo ad verbum etc. (R. T.).
2 Edit. Main. habet *erectae* (R. T.).

risdictioni praedicti episcopi Sancti Salvatoris pro tempore existentis subsint, et a sententiis definitivis tantum, seu vim definitivarum habentibus[1], et quarum gravamen per appellationem a definitivâ reparari nequeat, per ipsos vicarios seu administratores seu eorum officiales pro tempore latis, appellationes ad eumdem episcopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem interponi, ipsarumque appellationum causae per eum cognosci, decidi et fine debito, prout iuris fuerit, terminari possint.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XII augusti MDCXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 12 augusti 1611, pontif. an. VII.

CLXXXI.

Declarat collectas exigendas esse, ubi sita sunt possidentium bona, non autem in loco eorum domicilii[2].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, in supremâ beati Petri Sede constitutus, auctoritatis suae partes adhibere solet, ut quae iustitia et aequitas exigit, ab iis maxime qui sub suavi eiusdem Sedis temporalis ditionis iugo vivunt, inviolate observentur.

Causae faciendae declarationis.

§ 1. Accepimus siquidem, quod, licet a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus gravaminibus sublevandis populorum Apostolicae Sedi subiectorum praepositis, causâ cognitâ, decisum non semel fuerit, quod collectae, quae pro oneribus realibus imponuntur super bonis stabilibus, in locis ubi bona ipsa sunt, nullâ habitâ ratione loci domicilii possidentium, solvantur; nihilominus aliquae communitates, universitates, et forsan particulares personae Apostolicae Sedi in temporalibus subiectae, praetextu diversorum privilegiorum illis concessorum, decisionem generalem desuper factam et saepius iteratam nondum acceptarunt.

Declaratio, de qua in rubrica.

§ 2. Quare nos, ad evitandam confusionem et lites quae ob alienationem bonorum et frequentem mutationem catastri cuiuslibet loci in dies oriuntur, de consilio eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus, quod collectae, quae pro oneribus realibus imponuntur super bonis stabilibus, in locis ubi ipsa bona sita sunt, non autem ubi possidentes dicta bona habitant, persolvantur, ita ut si cives possideant in comitatu, vel e contra comitatenses in districtu civitatis, habitâ ratione bonorum, non autem possidentium dicta bona, collectae praedictae in civitate vel in comitatu solvantur, et solvi sine ullâ exceptione debeant.

Clausulae.

§ 3. Sicque ab omnibus et singulis communitatibus, universitatibus et hominibus praedictis perpetuo observari, et ita, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque communitatum et locorum statutis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis), privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque habitatoribus et incolis, sub quibuscumque tenoribus et

1 Edit. Main. legit *habentium*; nobis correctionis opus esse visum fuit (R. T).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa mentio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Et quoniam difficile foret, praesentes nostras omnibus, ad quos pertinet, praesentari; idcirco volumus, ut earum exempla, etiam impressa, manu alicuius notarii publici subscripta, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munita, eamdem fidem faciant in iudicio et extra, perinde ac si praesentes fuissent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 7 octobris 1611, pontif. an. VII.

CLXXXII.

Institutio Congregationis pro ubertate annonae et grasciae in Sedis Apostolicae temporali ditione et in Urbe potissimum curanda, ultra congregationem cardinalium a Sixto V erectam; et concessio privilegiorum agriculturam exercentibus[1].

Paulus Papa V,
motu proprio, etc.

Exordium.

Pastoralis officii cura nos admonet, ut, quae ad annonae et grasciae ubertatem in ditione nostrâ temporali, potissimum vero in hac almâ Urbe nostrâ ad quam in dies tanta hominum frequentia undique confluit, conservandam spectare noscuntur, intensiori animo amplectamur, ac, quantum in Domino possumus, in primis providere studeamus, ut in agro romano, locisque finitimis, agriculturae ars humano usui adeo necessaria nullatenus deseratur. Licet enim quamplures praedecessores nostri Romani Pontifices, eâdem solicitudine ducti, in hanc rem diligenter incumbentes, plura remedia et provisiones adhibere, privilegia concedere, ac subsidia parare curaverint, quibus tum rei frumentariae, tum aliarum rerum annonam et grasciam concernentium ubertas nedum conservari, sed augeri facile posset; hominum tamen culpâ, quod non sine animi nostri perturbatione recensemus, frustratoria cuncta redduntur.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Quapropter nos, tamquam paterfamilias a Domino super familiam suam constituti, summopere cupientes, quantum in nobis est, nostrâ vigilantiâ hisce malis occurrere, dormientes agricolas excitare, ac opportune etiam providere, ut annonae et grasciae negocium universum in futurum bene provideque geratur, agricolturae exercitium uberius fiat, necnon frumenti et aliarum rerum ad communem vitae usum et substentationem necessariarum copia in ipsâ Urbe et reliquo Statu nostro temporali semper suppetat[1] (cum vero, populi promerentibus peccatis, ob terrae sterilitatem, seu aliàs, annona vel grascia in aliquid incommodi seu angu-

1 Congregationem a Sixto V erectam vide in Const. CXVII *Immensa*, tom. VIII, pag. 985-989. Privilegia autem agricultorum, et praefecti annonae iurisdictionem legere est in Clementis VII *Inter*. — Sic edit. Main. At nulla quam sciam, in *Bullario* legitur de hac re Clem. VII, Constit. *Inter;* sed Clem. VII habetur Const. v *Ad sacram*, tom. VI, pag. 56; et Clementis VIII Constit. CCXLIV. *Inter*, tom. X, pag. 622. Quoad autem iurisdictionem praefecti annonae, habetur Gregorius XIII Constit. LIV *Inter*, tom. VIII, pag. 140 b. n. edit. (R. T.).

1 Edit. Main. syntaxi inabsoluta legit: *suppetat. Cum vero*, etc. Melius forsan esset legere: ..... *suppetat, studemus. Cum vero*, etc. (R. T.).

stiae inciderit), ut viri prudentes sint, qui eam cito sublevent, congruaque remedia subministrent;

Institutio congregationis ad ubertatem curandam annonae et grasciae quoque quintodecimo die cogendae.

§ 2. Motu simili, ac ex certâ scientiâ et deliberatione nostris, ac de apostolicae nobis attributae potestatis plenitudine, congregationem praelatorum, officialiumque, et egregiorum virorum pro ubertate annonae et grasciae curandâ instituimus, in qua dilecti filii thesaurarius noster generalis, ac annonae praefectus, et grasciae praeses, necnon camerae apostolicae commissarius generalis pro tempore existentes a nobis deputati, et dilectus filius Ioannes Baptista Costaguta Ianuensis familiaris noster, seu alius a nobis ad congregationem huiusmodi deputandus, personaliter intersint, et quintodecimo quoque ab eis statuendo die in unum conveniant, ac de arte agriculturae restituendâ et augendâ, laboreriis et pascuis dividendis atque vendendis, et de statu annonae et grasciae huiusmodi, rebusque omnibus illam concernentibus, invicem conferant, tractent, et diligenter perpendant, et, quod ab eis, seu maiori parte, maturâ consultatione praehabitâ, fuerit resolutum, nobis referant, ut quid pro publicâ utilitate statuendum sit providere possimus, firmâ remanente in rebus arduis congregatione S. R. E. cardinalium super ubertate eiusdem annonae a felicis recordationis Sixto Papa V praedecessore nostro institutâ.

Prohibitio mercandi boves aratorios vel ad arandum aptos ad effectum mactandi.

§ 3. Praeterea, agnoscentes quantum ad agros excolendos, artemque agriculturae conservandam, boves aratorii pernecessarii sint, motu, scientiâ et potestate similibus, omnibus et singulis personis, tam ecclesiasticis quam secularibus, cuiuscumque gradus et conditionis, etiam S. R. E. cardinalibus, necnon principibus, ducibus, baronibus et aliis quacumque dignitate, titulo et praerogativâ suffultis, ne boves aratorios, seu ad arandum aptos, etiam nondum domitos, praecipue autem decem annis minores, pro usu macellorum, sive Urbis, sive quarumvis aliarum civitatum, terrarum et locorum Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiectorum, vel ad effectum incontinenti, vel in aliud tempus mactandi, emere, vendere, aut aliquem contractum seu pactum inire, sub amissionis bobum, et quingentorum scutorum camerae nostrae apostolicae applicandorum poenâ[1];

Dohanerii non recipiant gabellam pro contractu quorumcumque bobum, nisi ipsorum et commissarii a praefecto annonae deputandi praeviâ inspectione.

§ 4. Necnon dohaneriis et gabellariis etiam Urbis, ac quorumvis aliorum civitatum, terrarum et locorum praedictorum, eorumque officialibus et ministris, aliisque ad quos spectat, sub aliorum quingentorum scutorum eidem camerae, ut praefertur, applicandorum, aliisque etiam corporalibus, pro qualitate personarum et excessuum, arbitrio annonae praefecti poenis irrogandis et moderandis, ne assignationem, notam, seu solutionem aliquam dohanae, seu gabellae, pro venditione, vel contractu bobum quorumcumque, etiamsi aratorii vel ad arandum apti non sint, recipere, nisi prius dictos boves, super quibus contractus initus fuerit, tam ipsi quam commissarius ad id ab annonae praefecto deputatus diligenter inspexerint; ubi vero eos aratorios, vel ad arandum aptos esse cognoverint, contractum aliquem sub eâdem poenâ nullatenus[2] admittere;

Lanii et alii non mactent boves ad arandum aptos.

§ 5. Laniis vero et aliis animalium mactatoribus, ne, sub eisdem et etiam fustigationis poenis eiusdem praefecti arbitrio irrogandis, boves aratorios vel ad arandum aptos huiusmodi mactare audeant vel praesumant, districtius prohibemus.

Constitutiones praedecessorum desuper editae confirmantur.

§ 6. Ac quascumque ordinationes tam per nos et praedecessores nostros Roma-

1 Subintellige *audeant vel praesumant, districtius prohibemus*, uti in fine § 5 seq. (R. T.).

2 Aptius legeretur *ullatenus*; nam subintelligitur *ne... audeant vel praesumant, districtius prohibemus* (R. T.).

nos Pontifices, quam eiusdem S. R. E. camerarios et annonae praefectos, desuper factas seu editas (illarum tenorem praesentibus etiam pro expresso et inserto habentes) approbamus, confirmamus et innovamus.

Iuvenci vigintiquinque ex centum vaccis albis ad usum artis agriculturae quotannis nutriantur et numerus vaccarum praefecto assignetur.

§ 7. Mercatores autem, et quivis alii greges seu armenta vaccarum albarum habentes, ad quotannis iuvencos vigintiquinque pro quolibet centenario vaccarum huiusmodi ad usum artis agriculturae educandum, nec non ad veram earumdem vaccarum quantitatem, quam habent, in principio cuiuslibet anni eidem annonae praefecto notificandum et assignandum teneri, statuimus et mandamus; et ad id, sub scutorum quingentorum aliisque etiam gravioribus poenis eiusdem praefecti arbitrio irrogandis, etiam compellantur.

Vassalli ubi voluerint agros colere possint non obstante quocumque dominorum privilegio.

§ 8. Insuper, ut artis agricolturae exercitium latius patere possit, agricultorumque et colonorum copia sit, nec illorum numerus minuatur, prohibitioni aliàs a recolendae memoriae Clemente Papa VIII similiter praedecessore nostro per suas litteras desuper factae inhaerentes, illamque extendentes et ampliantes, volumus pariter et declaramus, quod quicumque etiam ducum, baronum, domicellorum, principum et etiam eiusdem S. R. E. cardinalium, aut alià quacumque temporali vel ecclesiasticà dignitate fulgentium vassalli seu subditi, quo eis placuerit, ad laborandum et colendum agros accedere possint; nec ipsi, etiam in propriis terrenis ducum, baronum et domicellorum suorum, etiam principum et S. R. E. cardinalium, aut aliàs, ut praefertur qualificatorum, inviti laborare cogantur, aut quo minus ad loca eis benevisa ad laborandum et colendum, etiam cum eorum bobus et animalibus, accedant, ab eisdem ducibus, baronibus, domicellis et etiam principibus, et S. R. E. cardinalibus, aut aliàs, ut praefertur, qualificatis, eorumve officialibus, agentibus, factoribus et ministris, sub confiscationis bonorum et feudorum ac etiam excommunicationis latae sententiae poenà, directe vel indirecte impediri possint seu debeant, etiam praetextu quorumvis privilegiorum et indultorum eis concessorum, aut consuetudinum, vel etiam iuramentorum, quae tamquam contra publicam auctoritatem inducta quoad hoc tollimus et abrogamus.

Privilegia exercentium artem agriculturae confirmantur, in his quae huic bullae non adversantur.

§ 9. Ut autem mercatores et alii quicumque ad agros excolendos, artemque agricolturae exercendam eo magis allicientur et invitentur, illos gratiis et favoribus prosequentes, omnia et singula indulta et privilegia in favorem artem praedictam exercentium per nos et praedecessores nostros quomodolibet hactenus concessa, quoad ea quae praesentibus non adversantur, confirmamus et approbamus.

Eisdem in territorio Urbis, Latii, Campaniae, et Maritimae provinciis, facultas extrahendi frumentum certo modo conceditur.

§ 10. Item omnibus agricultoribus, mercatoribus et colonis, qui tam in propriis, quam in alienis et conductis terris, in territorio et districtu Urbis, necnon Latii, Campaniae, Maritimaeque provinciis agriculturam exercuerint et sementem fecerint, singulis annis quibus pretium et valor frumenti communiter in Urbe per ipsos agricultores et mercatores vendendi a tempore messis et recollectionis usque ad kalendas martii cuiuslibet anni summam iuliorum quinquaginta quinque in singula rubra non excesserit, quintam partem totius frumenti per ipsos eodem anno recollecti, deducto tamen semine, ad quaevis loca, praeter infidelium et S. R. E. hostium, terrà marique libere extrahendi et transportandi, seu extrahi et transportari faciendi facultatem concedimus; et hoc etiam intelligi volumus de frumento, quod domini et locatores tenutarum seu terrarum a conductoribus receperint, quatenus tamen eorum tenutas et terras ad frumenti recolligendi

quotam, et non aliàs, locaverint, et dummodo quota huiusmodi quintam partem praedictam non excedat: ii autem, qui aliter quam ad quotam tenutas seu terras locaverint, huiusmodi extractionis beneficio pro frumento ab eis exigendo frui minime possint. Dictae autem extractionis licentia de mense martii cuiuslibet anni, et non prius, concedi debeat a congregatione praedictâ, ac praecedente chirographo a nobis subsignato, solutis tamen prius camerae nostrae apostolicae iuliis quinque pro quolibet rubro extrahendo. Quod si aliqui praedicti ob maris distantiam, seu aliàs, quantitatem frumenti permissam extrahere nequiverint seu noluerint, facultatem et privilegium extractionis huiusmodi aliis ad rationem iuliorum quinque pro quolibet rubro vendere seu cedere valeant. Si autem per nos vel successores nostros, cameramque, aut annonae praefectos ex quavis causâ dictam licentiam impediri contigerit, teneatur ipsa camera eisdem agricultoribus seu dominis tenutarum seu terrarum, pro interesse dicti impedimenti, summam iuliorum sex pro quolibet rubro solvere, libere et absque ullâ prorsus exceptione, dummodo tamen totum eorum frumentum ad Urbem conduxerint, seu licentiam obtinuerint illud extra Urbem dimittendi sub obligatione ad Urbem conducendi, et datâ notâ summae et loci, ubi dictum frumentum repositum fuerit.

Subventionem scutorum mille vel alterius summae a praefectis annonae decernendae parvo sub emolumento eisdem dari praecipitur.

§ 11. Ac eisdem agricultoribus et agriculturae artem exercentibus praeterea de aliquo subventionis auxilio providere volentes, quo facilius arti huiusmodi incumbere, pecuniasque minori interusurio habere valeant; motu, scientiâ et potestate similibus, dilectis filiis provisoribus sacri Montis pietatis Urbis, eorumque ministris, ad quos spectat, per praesentes districtius praecipiendo mandamus, ut cuilibet vero agricultori usque ad summam mille scutorum monetae, seu aliam a praefecto praedicto ordinandam (accepto eodem emolumento duorum pro centenario nomine meriti, seu aliàs, ab aliis ratione expensarum solvi consueto, et accepto idoneo et sufficienti pignore, aliisque eiusdem Montis legibus et institutis, hactenus observari solitis, adimpletis et observatis) debeant mutuare, de licentiâ tamen praefecti annonae praedicti, et non aliter, et cum conditionibus et clausulis ab eo praescriptis, dummodo illae Montem praedictum maiori quam praedicto onere non afficiant. Qui quidem annonae praefectus, antequam agricultorem ad huiusmodi commodum admittat, licentiamque expediat, quantitatis laborerii, et qualitatis personae rationem habebit; dictamque licentiam opportunis temporibus tantum, et pro eâ summâ, quae sibi videbitur necessaria, dummodo quantitatem mille scutorum praedictam non excedat, concedet. Summa autem mille scutorum praedicta de ordine ipsius congregationis pro qualitate personae et laborerii eiusdem congregationis arbitrio etiam usque ad summam bis mille scutorum augeri possit. Sicque in praemissis omnibus, etc., sublatâ etc., irritum etc.

Auctoritas congregationis pro observantia hic contentorum.

§ 12. Mandantes etiam congregationi et deputatis praedictis et eorum singulis, ut praesentes nostras litteras et in eis contentâ quaecumque observent et exequantur, et faciant ab aliis, quantum in eis erit, condignâ poenarum inflictarum animadversione, aliisque opportunis iuris et facti remediis, firmiter et inviolabiliter observari. Dantes eis in praemissis et circa ea plenam et omnimodam facultatem et potestatem.

Derogatio contrariorum.

§ 13. Non obstantibus praemissis, necnon quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac illâ etiam, quatenus opus sit, eiusdem Pii IV praedecessoris nostri de registrandis (ita ut praesentes,

absque aliâ in eâdem camerâ admissione et registratione, validae sint, suumque debitum sortiantur effectum); necnon Urbis, civitatum, terrarum, oppidorum, villarum et locorum quorumcumque (iuramento, confirmatione apostolicâ et quavis aliâ firmitate roboratis) statutis, consuetudinibus, reformationibus, decretis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, communitatibus, universitatibus, baronibus aliisque praedictis et quibusvis a Sede praedictâ vel a nobis forsan concessis, ac etiam confirmatis, approbatis et innovatis; quae eis quoad praemissa nolumus suffragari, et quibus omnibus et singulis (etiamsi, etc., illorum tenores etc. pro sufficienter expressis et insertis habentes) hac vice ad effectum praesentium dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse ac latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficiat.

§ 14. Volumus etiam, quod praesentium sola signatura sufficiat, etiam absque aliâ datâ et registraturâ, regulâ quacumque contrariâ pariter non obstante.

Litterae desuper expediri possint.

§ 15. Et nihilominus litterae in quavis formâ expediri possint cum clausulis opportunis.

Fides transumptorum.

§ 16. Praesentiumque et litterarum desuper forsan expediendarum transumptis etiam impressis, manu unius camerae nostrae apostolicae notarii subscriptis et sigillo alicuius ex congregatione praedictâ obsignatis, in iudicio et extra plena fides adhibeatur. Placet motu proprio C.

PP. subscr

CLXXXIII.

Episcopo Sarsinatensi conceditur facultas cognoscendi omnes causas, tam civiles quam criminales et mixtas, vertentes inter subditos castrorum Ceulae, Mutellae, Cerfolii, Fenoculi et Putei in primâ, secundâ et tertiâ instantiis[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiarum praelatos, illisque in temporalibus earumdem ecclesiarum ratione subiectos, eos praecipue qui erga nos et Apostolicam Sedem fidelitatis et devotionis praestant obsequia, libenter favoribus et gratiis prosequimur, ac illa eis concedimus, quae eorum commoditatibus in Domino conspicimus opportuna.

Concessio de qua in rubrica.

§ 1. Volentes nos igitur venerabilem fratrem Nicolaum episcopum Sarsinatensem ratione illius ecclesiae dominum in temporalibus castrorum Ceulae, Mutellae, Cerfolii, Fenoculi et Putei Sarsinatensis dioecesis Status nostri Ecclesiastici, ac nostrae provinciae Romandiolae, necnon universitates et homines eorumdem castrorum, ob ipsorum fidei ac sincerae devotionis erga nos et eamdem Sedem, mutuaeque nostrae in eos paternae charitatis affectum, favore prosequi gratioso; ac singulares personas eorum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes: motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, et de apostolicae nobis attributae potestatis plenitudine, eidem episcopo Sarsinatensi, nunc et pro tempore existenti, omnimodam facultatem lites et causas omnes profanas tam civiles quam criminales et mixtas quascumque inter homines, habitatores et districtuales eorumdem castrorum active et passive hactenus motas et in futurum movendas in primâ,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

secundâ et tertiâ instantiis per se, suosque officiales et ministros cognoscendi, decidendi et terminandi (dummodo idem episcopus et illius in spiritualibus vicarius per se ipsos sententiam in causâ sanguinis non ferat).

Episcopo eiusque subditis conceditur quoque exemptio a datiorum solutione.

§ 2. Necnon eidem etiam exemptionem et immunitatem ab omnium et quorumcumque datiorum et onerum hactenus quomodolibet impositorum solutione, praestatione et contributione, pro bonis et fructibus, etiam sulphurariae et sulphuris, ecclesiae praefatae eiusque mensae, et in locis praedictis[1] ac alterius loci montis Iottoni nuncupati tantum; hominibus vero et habitatoribus supradictis, qui, sicut accepimus, paupertate, agrorumque sterilitate laborant, immunitatem a datiorum et onerum quorumcumque per Sedem et cameram apostolicam hactenus civitatibus, castris et aliis locis impositorum solutione, praestatione et contributione, prout hucusque a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris permissum fuit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras de subreptionis aut obreptionis seu nullitatis vitio, ac intentionis nostrae defectu, aut alio quovis praetextu, ratione, vel causâ, notari, impugnari, rescindi, seu revocari, vel in ius aut controversiam adduci, easque sub similium vel dissimilium concessionum revocationibus, moderationibus, limitationibus, aut quibusvis aliis contrariis dispositionibus factis seu faciendis minime comprehendi, sed semper validas firmas et efficaces esse et persistere; sicque ab omnibus censeri, ac ita, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et extraordinarios et commissarios et etiam curiae causarum camerae apostolicae et palatii nostri auditores, et etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere; irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Exequutores designantur.

§ 4. Mandantes propterea dilectis filiis S. R. E. camerario, nec non thesaurario, clericis praesidentibus camerae nostrae, ac eiusdem provinciae Romandiolae legato seu praesidi, nunc et pro tempore existentibus, ut easdem praesentes, et in eis contenta quaecumque firmiter et inviolabiliter observent, ac faciant a thesaurario dictae provinciae, iuriumque eiusdem camerae exactoribus, et aliis omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum spectabit, etiam firmiter et inviolabiliter observari: contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tolluntur.

§ 5. Non obstantibus praemissis, et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, statutis, decretis, usibus, stylis et consuetudinibus. Quibus omnibus et singulis, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII ianuarii MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 7 ianuarii 1612, pontif. anno VII.

CLXXXIV.

Dismembratio provinciae de Mozambique ab ecclesiâ Goanâ, eiusque erectio in vicariam perpetuam[1].

1 An vitiata sit lectio, lector ipse iudicet (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supereminenti[1] militantis Ecclesiae speculâ, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, ad universa orbis loca, potissimum omnipotentis Dei misericordiâ per catholicos reges et principes fidei catholicae praedicationi et introductioni patefacta, aciem nostrae meditationis reflectimus, et, ut in locis huiusmodi in dies magis plantetur et plantata confirmetur christiana religio, eorumque incolae et habitatores propriorum pastorum assistentiâ et regimine suffulti proficiant semper in fide et operibus christianis, opem et operam libenter impendimus efficaces, prout eorumdem regum exposcit devotio, nosque, locorum et rerum circumstantiis mature pensatis, ad fidei orthodoxae conservationem et propagationem, animarumque salutem et profectum conspicimus in Domino salubriter expedire.

Provincia de Mozambique ecclesiae Goanae olim attributa.

§ 1. Aliàs siquidem in partibus Indiarum orientalium metropolitana ecclesia Goana apostolicâ auctoritate erecta, ac illi, pro parte dioecesis et cleri ac populi, provincia sive districtus insulae de Mozambique vulgo nuncupatae concessus et assignatus fuit.

Causae eam disiungendi, et in vicariam perpetuam erigendi.

§ 2. Cum autem (sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Portugalliae et Algarbiorum rex catholicus nobis nuper exponi fecit) pro tempore existens archiepiscopus Goanensis, ob dictae provinciae sive districtus insulae de Mozambique, locorumque infrascriptorum distantiam, marisque incommodum, ac difficilem et dispendiosam navigationem, curae, regimini, et administrationi sui gregis in dictâ provinciâ, sive districtu, locisque huiusmodi consistentis, prout eius pastorali officio incumbit, non sine illius salutis dispendio, intendere nequeat; hincque incolae et habitatores dictae provinciae sive districtus et locorum huiusmodi nec fidei doctrinâ, nec pie vivendi praeceptis ità commode instrui, nec, si quid deliquerit, corrigi ab archiepiscopo suo possint; et propterea si dicta provincia seu districtus de Mozambique cum eisdem locis a praedictâ ecclesiâ Goanâ separaretur et dismembraretur, illaque sic separata et dismembrata in vicariam seu administrationem spiritualem provinciae sive districtus insulae de Mozambique nuncupandam, pro uno vicario seu administratore in spiritualibus provinciae sive districtus insulae de Mozambique nuncupando, qui inibi omnimodam spiritualem et ecclesiasticam ac ordinariam iurisdictionem (non tamen in his quae sunt Ordinis) tam in foro interiori quam exteriori haberet et exerceret, erigeretur et institueretur, ex hoc profecto provincia sive districtus insulae de Mozambique huiusmodi felicioribus proficeret incrementis, illiusque cleri et populi praedictorum saluti, ac dictae fidei profectui et exaltationi, divinique cultus incremento, et tot incommodis, et animarum periculis opportune consuleretur;

Philippi Portugalliae regis preces.

§ 3. Quare idem Philippus rex nobis humiliter supplicari fecit, quatenus eamdem provinciam sive districtum ab ecclesiâ et dioecesi Goanensi huiusmodi perpetuo separare et dismembrare, ac inibi vicariam sive administrationem praedictam erigere et instituere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur;

Eam igitur disiungens Paulus a quacumque archiepiscopi Goani iurisdictione liberat.

§ 4. Nos igitur, qui fidei cultum et incrementum, ac locorum quorumlibet salutarem directionem cum animarum christifidelium salute et spirituali consolatione, intentis desideramus affectibus, quascumque alias dismembrationes aliarum provinciarum et locorum ab ecclesiâ et dioecesi

[1] Vide persimilem huic Constit. supra pag. 9, et seq. (R. T.).

praedictis hactenus apostolicâ auctoritate factas praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac gloriosissimae eius genitricis Mariae, totiusque curiae caelestis honorem, et ipsius fidei catholicae exaltationem, dictam provinciam sive districtum insulae de Mozambique, et loca quae a promontorio de Guardenfui usque ad promontorium Bonaespei continentur[1], necnon quae Mombaca, Zanzibar, Ampaza nuncupantur, et omnia alia illius orae, ac etiam quae Cabaceira, Sofala, Sena, Zete vocantur, aliaque omnia fluminis de Cuama, et reliqua quae[2] in illis partibus iurisdictioni vicariorum archiepiscopi Goanensis in locis de Mozambique et Mombaca subsunt, cum illorum territorio, oppidis, villis, locis, necon clero, populo et personis, ac monasteriis, ecclesiis, collegiis et piis locis, ac beneficiis ecclesiasticis secularibus et quorumvis Ordinum regularibus, ab ecclesiâ et dioecesi Goanâ praedictis perpetuo separamus et dismembramus, ac[3] ab omni iurisdictione, subiectione, superioritate, correctione, visitatione et potestate pro tempore existentis archiepiscopi Goanensis, eiusque vicariorum et officialium, ac a solutione quorumcumque iurium eidem archiepiscopo et dilectis filiis capitulo dictae ecclesiae Goanae per clerum, populum et personas provinciae sive districtus insulae de Monzambique huiusmodi ratione subiectionis, iurisdictionis, superioritatis, aut visitationis etiam dioecesis[4] (ita quod de cetero praedictus archiepiscopus Goanensis aliquam iurisdictionem spiritualem, praeterquam in his quae sunt Ordinis, ac demptis inferius expressis, in oppida, terminos, territoria, villas et loca, ac clerum, populum, personas, monasteria, ecclesias et loca pia, necnon beneficia sub separatione et dismembratione huiusmodi comprehensa, exercere, nec eadem beneficia, quae antea ad ipsius collationem, provisionem, institutionem, vel quamlibet aliam dispositionem pertinebant, conferre, seu de illis etiam providere, aut aliàs disponere, vel fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta per eum[1] in provinciâ seu districtu insulae de Mozambique, illiusque terminis, territoriis, oppidis, villis et locis praedictis, ratione visitationis aut legis dioecesis percipere nullatenus possit) dictâ auctoritate etiam perpetuo eximimus et totaliter liberamus;

1 Erronee edit. Main. habet *contineclur* (R. T.).

2 Vocabulum *quae* nos addimus (R. T.).

3 Particulam *ac* nos addimus (R. T.).

4 Subintellige *solvi solutorum* (R. T.).

Eamque in vicariam perpetuam erigit administrandam a presbytero ab ipso rege nominando.

§ 5. Ipsamque provinciam seu districtum insulae de Mozambique, sic dismembratum et separatum, in vicariam seu administrationem spiritualem provinciae seu districtus insulae de Mozambique nuncupandam, pro uno presbytero seculari vel cuiusvis Ordinis regulari, vicario seu administratore in spiritualibus provinciae seu districtus insulae de Mozambique nuncupando, in theologiâ seu decretis graduato, vel aliàs (praevio examine seu iudicio deputatorum senatus mensae regiae conscientiae et ordinum militiarum, in quo quamplures viri tam seculares quam regulares litterarum scientiâ et virtute insignes reperiuntur) habili et idoneo ad alios docendum approbato, ac per ipsum Philippum et pro tempore existentem Portugalliae et Algarbiorum regem perpetuis futuris temporibus, et hac primâ vice libere, nullius ad hoc requisito consensu, etiam ad tempus sibi benevisum deputando et constituendo;

Vicarii huiusmodi facultates quae sint.

§ 6. (Qui deputationis et constitutionis huiusmodi vigore, absque aliâ Romani Pontificis vel archiepiscopi Goanensis pro tempore existentium, aut cuiusvis alterius

1 Subintellige *percipi solita* (R. T).

approbatione, confirmatione, licentiâ vel consensu, curam, regimen et administrationem provinciae seu districtus insulae de Mozambique, ac cleri et populi tam christiani quam gentilis, nec non oppidorum, terrarum et locorum in illius districtu, limitibus, terminis et locis praedictis consistentium, habere, et inibi praedicare, et praedicari facere, gentilesque praescriptos[1] ad orthodoxae fidei cultum convertere procurare, et conversos in eâdem fide instruere et confirmare, eisque baptismi gratiam et confirmationis sacramentum impendere, et tam illis sic conversis quam omnibus aliis fidelibus in provinciâ seu districtu insulae de Mozambique, ac illius oppidis, terris, villis, locis, territoriis, limitibus et tam[2] praedictis pro tempore degentibus et ad ea declinantibus sacramenta ecclesiastica, et alia spiritualia munera, non tamen ea quae sunt Ordinis, ut praefertur, ministrare, et administrari etiam facere et procurare, ac quaecumque beneficia ecclesiastica sub separatione et dismembratione huiusmodi comprehensa, et quae antea ad ipsius archiepiscopi Goanensis collationem, provisionem, institutionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinebant, conferre, et de illis disponere, ac in eis instituere, calices, campanas, vestimenta, corporalia et alia paramenta et ornamenta consecrare et benedicere, ecclesias, coemeteria, et loca ecclesiastica sanguinis et seminis effusione, seu aliàs quomodolibet, polluta seu profanata aquâ per ipsum benedictâ reconciliare, ipsasque ecclesias et loca sub provinciâ seu districtu insulae de Mozambique huiusmodi comprehensa et illorum personas visitare, ac in illorum statum, regimen, statuta, consuetudines, vitam, mores, ritus, delicta, et disciplinam, tam in capite quam in membris, inquirere, necnon (evangelicae et apostolicae doctrinae sacrorumque canonum et generalium conciliorum decretis et institutis inhaerendo) quaecumque mutatione, correctione, emendatione, punitione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoverit, reformare, mutare, corrigere, punire, et etiam de novo condere, necnon beneficiales, matrimonialesque, et quascumque alias causas ecclesiasticas et civiles, ac ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, motas et inchoatas, ac interim movendas, cum earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, audire, decidere, et[1], prout iuris fuerit, terminare, seu causas ipsas alii vel aliis idoneis, modo et formâ praedictis, cum sibi limitatâ[2] potestate pariter audiendas, decidendas et terminandas delegare, ac denique plenam, meram et omnimodam spiritualem et ecclesiasticam et ordinariam iurisdictionem, tam in foro interiori quam exteriori, non tamen in his quae sunt Ordinis, ut praefertur, habere, et eam, ac omnia et singula alia, quae pro tempore existens archiepiscopus Goanensis ac[3] in illis partibus hactenus habere, gerere, ac[4] exercere debuit, potuit et consuevit, similiter et pariformiter, nullâque prorsus differentiâ, exceptis tamen iis quae, ut dictum est, sunt Ordinis, prout divini cultus augmento, ac ipsorum cleri et populi animarum saluti expedire cognoverit, gerere, exercere, facere et exequi, cum omnibus et singulis aliis privilegiis, facultatibus, exemptionibus, libertatibus, iurisdictionibus, praeeminentiis, favoribus, gratiis et indultis, qui-

1 Aptius supra pag. 11 *b* in loco parallelo legitur *praedictos* (R. T.).

2 Vel legendum *etiam* vel voces *et tam* redundant, ut supra, pag. 12 *a* (R. T.).

1 Supra pag. 12 *a* in loco parallelo legitur *et fine debito* (R. T.).

2 Ex loco parallelo supra ad pag. 12 *b* lege potius *cum simili vel limitata* (R. T.).

3 Part. *ac* redundat (R. T.).

4 Heic potius part. *ac* addimus (R. T.).

bus[1] in de Ormuz et Mozambique, ac Cofala, necnon Maluco[2], et aliis provinciis et locis erectae administrationes[3], similiter ordinariam, ut praefertur, iurisdictionem inibi habentes, utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum) auctoritate et tenore praedictis similiter perpetuo erigimus et instituimus.

§ 7. Decernentes, praesentes litteras nullo unquam tempore, et quavis causâ, etiam quod praedictus archiepiscopus Goanensis aut quomodolibet interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari, aut in ius vel controversiam vocari, nec contra illas restitutionem in integrum, reductionem ad terminos iuris, aut quodvis aliud gratiae vel iustitiae remedium impetrari posse, nec causas[4], propter quas praemissa concessa fuerint, minime verificari, nec ob id viribus carere, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam eis in toto vel in parte derogantibus vel obviantibus, etiam a nobis et dictâ Sede quomodolibet pro tempore emanatis, nullatenus[5] comprehendi, sed semper validas et ab illis prorsus exceptas, et quoties illae emanabunt, aut sub eis quovis modo comprehendi viderentur, toties in pristinum et eum, in quo, antequam illae emanassent, erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse et censeri; et, ad hoc ut sub illis non comprehendantur, vim validi et efficacis contractus inter nos et dictam Sedem, ac Philippum et pro tempore existentem regem praedictum initi et stipulati[1], et omni tempore suos plenarios et integros effectus sortiri; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, etiam S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae ecclesiae Goanae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ac fundatione, erectione et institutione, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae Goanae, et illius praesuli pro tempore existenti, ac praedictis capitulo et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter, vel aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ

Derogatio contrariorum.

1 Etiam hic, sicut supra ad pag. 12 *b*, legimus *quibus* pro *qui* (R. T.).

2 Supra ad pag. 12 *b* in loco parallelo legitur *Malaca* (R. T.).

3 Ex loco parallelo pag. 12 *b* addendum hic est: *et illarum pro tempore deputati administratores* (R. T.).

4 Erronee edit. Main. legit *causae* (R. T.).

5 Videretur legendum *ullatenus* (R. T).

1 Subintellige *habere* (R. T.).

observatâ, inserti forent [1], praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Populi de Mozambique in iis, quae requirunt characterem episcopalem, ad archiepiscopum Goanum recurrere teneantur.

§ 9. Volumus autem ac statuimus et ordinamus, quod clerus et populus, aliique incolae et habitatores, tam sub per praesentes erectâ [2] provinciae seu districtus insulae de Mozambique, quam de cetero earumdem praesentium vigore erigendis vicariis seu administrationibus praedictis comprehensi et comprehendendi, in his quae sunt Ordinis, ut praefertur, ad praedictum archiepiscopum Goanensem pro tempore existentem, habitis tamen a suis vicariis seu administratoribus ad id litteris dimissorialibus, recurrere teneantur;

Vicarius eidem archiepiscopo subest ratione suae personae.

§ 10. Quodque provinciae seu districtus insulae de Mozambique et alii praesentium vigore pro tempore deputati vicarii seu administratores, ratione personarum suarum dumtaxat, visitationi, correctioni, superioritati ac iurisdictioni praedicti archiepiscopi Goanensis pro tempore existentis subsint, et a sententiis definitivis tantum, sive vim definitivarum habentibus, et [3] quarum gravamen per appellationem a definitivâ reparari nequeat, per ipsos vicarios seu administratores aut eorum officiales pro tempore latis, appellationes ad eumdem archiepiscopum Goanensem pro tempore existentem interponi, ipsarumque appellationum causae [4] per eum cognosci, decidi, fineque debito, prout iuris fuerit, terminari possint.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI ianuarii MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Datum Romae 21 ianuarii 1612, pontif. an. VII.

1 Etiam hîc oratio imperfecta est: vide supra ad pag. 13 (R. T.).
2 Edit. Main. habet *erectae* (R. T.).
3 Erronee edit. Main. habet *et pro* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *causa* (R. T.).

CLXXXV.

Clericis et laicis regnorum Hispaniarum interdicitur, quominus libros haereticorum legant, revocatis omnibus licentiis aliàs concessis [1].

Paulus Papa V, ad futuram rei memoriam.

Damna ex lectione librorum prohibitorum promanantia.

§ 1. Cum, sicut accepimus, licentiae legendi libros haereticorum, vel de haeresi suspectos, aut aliàs reprobatos et damnatos, certis ex causis aut praetextibus impetratae, in regnis Hispaniarum nimis excreverint, et periculum sit ne idcirco lectionis librorum huiusmodi permissio, in partibus praesertim divinâ gratiâ a diro contagio haeresum illaesis, plus insipientibus noceat, quam prosit sapientibus:

Revocantur facultates quibuscumque concessae.

§ 2. Nos propterea, quibus super gregem dominicum invigilandi onus incumbit, opportuno remedio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis insistendo, omnes et singulas licentias et facultates legendi libros haereticorum seu de haeresi suspectorum, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, seu nobis, vel generali haereticae pravitatis in regnis Hispaniarum deputato inquisitore damnatos et reprobatos, quibuscumque tam clericis secularibus, vel, ut praefertur, regularibus, quam laicis in dictis regnis degentibus, cuiuscumque illi status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae existant, etiamsi abbatiali, episcopali, archiepiscopali, patriarchali, primatiali [2], aut aliâ ecclesiasticâ dignitate, vel mundanâ, etiam marchionali, ducali, auctoritate seu excellentiâ praefulgeant, generali inquisitore praedicto dumtaxat excepto, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros

1 Ex regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit. *primitiali* (R. T.).

bus[1] in de Ormuz et Mozambique, ac Cofala, necnon Maluco[2], et aliis provinciis et locis erectae administrationes[3], similiter ordinariam, ut praefertur, iurisdictionem inibi habentes, utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum) auctoritate et tenore praedictis similiter perpetuo erigimus et instituimus.

§ 7. Decernentes, praesentes litteras nullo unquam tempore, et quavis causâ, etiam quod praedictus archiepiscopus Goanensis aut quomodolibet interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari, aut in ius vel controversiam vocari, nec contra illas restitutionem in integrum, reductionem ad terminos iuris, aut quodvis aliud gratiae vel iustitiae remedium impetrari posse, nec causas[4], propter quas praemissa concessa fuerint, minime verificari, nec ob id viribus carere, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam eis in toto vel in parte derogantibus vel obviantibus, etiam a nobis et dictâ Sede quomodolibet pro tempore emanatis, nullatenus[5] comprehendi, sed semper validas et ab illis prorsus exceptas, et quoties illae emanabunt, aut sub eis quovis modo comprehendi viderentur, toties in pristinum et eum, in quo, antequam illae emanassent, erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse et censeri; et, ad hoc ut sub illis non comprehendantur, vim validi et efficacis contractus inter nos et dictam Sedem, ac Philippum et pro tempore existentem regem praedictum initi et stipulati[1], et omni tempore suos plenarios et integros effectus sortiri; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, etiam S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae ecclesiae Goanae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ac fundatione, erectione et institutione, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae Goanae, et illius praesuli pro tempore existenti, ac praedictis capitulo et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter, vel aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ

1 Etiam hic, sicut supra ad pag. 12 *b*, legimus *quibus* pro *qui* (R. T.).

2 Supra ad pag. 12 *b* in loco parallelo legitur *Malaca* (R. T.).

3 Ex loco parallelo pag. 12 *b* addendum hic est: *et illarum pro tempore deputati administratores* (R. T.).

4 Erronee edit. Main. legit *causae* (R. T.).

5 Videretur legendum *ullatenus* (R. T).

1 Subintellige *habere* (R. T.).

observatâ, inserti forent [1], praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Populi de Mozambique in iis, quae requirunt characterem episcopalem, ad archiepiscopum Goanum recurrere tenentur.

§ 9. Volumus autem ac statuimus et ordinamus, quod clerus et populus, aliique incolae et habitatores, tam sub per praesentes erectâ [2] provinciae seu districtus insulae de Mozambique, quam de cetero earumdem praesentium vigore erigendis vicariis seu administrationibus praedictis comprehensi et comprehendendi, in his quae sunt Ordinis, ut praefertur, ad praedictum archiepiscopum Goanensem pro tempore existentem, habitis tamen a suis vicariis seu administratoribus ad id litteris dimissorialibus, recurrere teneantur;

Vicarius eidem archiepiscopo subest ratione suae personae.

§ 10. Quodque provinciae seu districtus insulae de Mozambique et alii praesentium vigore pro tempore deputati vicarii seu administratores, ratione personarum suarum dumtaxat, visitationi, correctioni, superioritati ac iurisdictioni praedicti archiepiscopi Goanensis pro tempore existentis subsint, et a sententiis definitivis tantum, sive vim definitivarum habentibus, et [3] quarum gravamen per appellationem a definitivâ reparari nequeat, per ipsos vicarios seu administratores aut eorum officiales pro tempore latis, appellationes ad eumdem archiepiscopum Goanensem pro tempore existentem interponi, ipsarumque appellationum causae [4] per eum cognosci, decidi, fineque debito, prout iuris fuerit, terminari possint.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI ianuarii MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Datum Romae 21 ianuarii 1612, pontif. an. VII.

1 Etiam hîc oratio imperfecta est: vide supra ad pag. 13 (R. T.).
2 Edit. Main. habet *erectae* (R. T.).
3 Erronee edit. Main. habet *et pro* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *causa* (R. T.).

CLXXXV.

Clericis et laicis regnorum Hispaniarum interdicitur, quominus libros haereticorum legant, revocatis omnibus licentiis aliàs concessis [1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Damna ex lectione librorum prohibitorum promanantia.

§ 1. Cum, sicut accepimus, licentiae legendi libros haereticorum, vel de haeresi suspectos, aut aliàs reprobatos et damnatos, certis ex causis aut praetextibus impetratae, in regnis Hispaniarum nimis excreverint, et periculum sit ne idcirco lectionis librorum huiusmodi permissio, in partibus praesertim divinâ gratiâ a diro contagio haeresum illaesis, plus insipientibus noceat, quam prosit sapientibus:

Revocantur facultates quibuscumque concessae.

§ 2. Nos propterea, quibus super gregem dominicum invigilandi onus incumbit, opportuno remedio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis insistendo, omnes et singulas licentias et facultates legendi libros haereticorum seu de haeresi suspectorum, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, seu nobis, vel generali haereticae pravitatis in regnis Hispaniarum deputato inquisitore damnatos et reprobatos, quibuscumque tam clericis secularibus, vel, ut praefertur, regularibus, quam laicis in dictis regnis degentibus, cuiuscumque illi status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae existant, etiamsi abbatiali, episcopali, archiepiscopali, patriarchali, primatiali [2], aut aliâ ecclesiasticâ dignitate, vel mundanâ, etiam marchionali, ducali, auctoritate seu excellentiâ praefulgeant, generali inquisitore praedicto dumtaxat excepto, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros

1 Ex regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *primitiali* (R. T.).

ac nos, etiam vivae vocis oraculo, et Sedem Apostolicam, sive eius poenitentiarium maiorem, vel quosvis Ordinarios, seu alios, etiam per litteras apostolicas in simili formâ Brevis vel sub plumbo expeditas, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, ac ex quibuscumque causis seu praetextibus, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et aliàs quomodolibet concessas, earum omnium et singularum[2] tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, ac viribus penitus evacuamus, et pro revocatis, cassis, irritis et nullis haberi, easque nemini suffragari posse, decernimus.

Prohibitio huiusmodi libros legendi et retinendi, additis nonnullis legibus.

§ 3. Omnibus et singulis clericis et laicis in dictis regnis degentibus, etiam, ut praefertur, qualificatis (non tamen generali inquisitori), in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis et etiam temporalibus in legentes libros huiusmodi hactenus latis et promulgatis, a quibus nonnisi a nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, seu generali inquisitore praedicto, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, districtius inhibentes, ne libros huiusmodi ex quavis causâ vel praetextu, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, legere, aut apud se tenere, seu imprimere, vel venales habere praesumant; ac mandantes eisdem, sub sententiis, censuris et poenis praedictis, ut, infra terminum eis a generali inquisitore praedicto per eius edictum publicum locis affigendum publicis statuendum, libros ipsos officio inquisitionis haereticae pravitatis omnino consignent, et qui de eisdem libris notitiam aliquam habuerint, seu personas ipsos libros legentes, aut apud se tenentes, vel imprimentes, aut venales habentes sciverint, id quod sciverint, ac nomina et cognomina libros ipsos legentium, aut apud se tenentium, vel imprimentium, aut venales habentium, et qualitatem eorumdem librorum, praedicto officio omnino revelent et notificent.

Generali inquisitori commissa legis huius exequutio.

§ 4. Quocirca dilecto filio nostro Bernardo tituli sanctae Anastasiae presbytero cardinali Toletano nuncupato, in dicti regnis haereticae pravitatis generali inquisitori (de cuius fide, pietate ac catholicae religionis zelo, necnon vigilantiâ et industriâ, plurimam in Domino fiduciam habemus) per praesentes etiam committimus et mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios, ad exequutionem praesentium procedens non permittat aliquem etiam, ut praemittitur, qualificatum, et dictâ dignitate, seu honore, vel auctoritate, aut excellentiâ fulgentem, libros huiusmodi ex quavis causâ vel praetextu, publice vel occulte, quovis quaesito colore apud se tenere, aut legere, vel imprimere, seu venales habere; quinimo cogat quoscumque ad libros ipsos suo inquisitionis officio consignandum, et, qui de eisdem libris notitiam aliquam habuerint, seu aliquos in praemissis culpabiles noverint, ad eos officio praedicto iuxta praesentium tenorem revelandum et notificandum; contradictores quoslibet et rebelles, ac sibi in praemissis non parentes (etiamsi, ut praefertur, qualificati, et huiusmodi dignitate, seu honore, vel auctoritate, aut excellentiâ praediti sint) per sententias, censuras et poenas praedictas, vel alia opportuna iuris remedia, iuxta facultates sibi in officio huiusmodi concessas, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas praedictas etiam ite-

2 Erronee edit. Main. legit *singulorum* (R. T.).

ratis vicibus aggravando[1], invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantia tolluntur.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si[2] aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Praesentium facienda publicatio.

§ 6. Ut autem praesentes litterae ad omnium, quorum interest, notitiam deducantur, omnibus et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac aliis Ordinariis et dioecesanis regnorum Hispaniarum in virtute sanctae obedientiae iniungimus et mandamus, ut in eorum dioecesibus, civitatibus et provinciis, absque aliâ requisitionis eis desuper faciendâ, praesentes litteras, seu earum transumptum manu notarii publici subscriptum et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae aut curiae ecclesiasticae munitum, publicent et publicari faciant, ad hoc, ut nemo earum[3] ignorantiam praetendere, aut contra eas excusationem aliquam afferre valeant. Nos enim transumpto, sic, ut praefertur, subscripto et sigillo munito, eam prorsus fidem adhiberi volumus, quae eisdem originalibus litteris adhiberetur, si originaliter exhiberentur.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuari MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 26 ianuarii 1612, pontif. an. VII.

1 Erronee edit. Main. legit *aggravandi* (R. T.).
2 Formula ista *aut si*, saepe occurrens, significat: *aut etiam non obstante, si*, etc. (R. T.).
3 Erronee edit. Main. legit *eorum* (R. T.).

CLXXXVI.

Declaratur castra Ceulae, Mutellae, Cerfolii, Fenoculi et Putei[1] ad supremum Sedis et Camerae Apostolicae dominium pertinere[2].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad Romanum Pontificem spectat, cum de iuribus sanctae Romanae Ecclesiae controverti aut haesitari contingit, controversias omnes et dubia quaeque rectâ iudicii prolatione dirimere et declarare, ac alia pro ipsorum iurium conservatione decernere et ordinare, quae, iustitiâ suadente, in Domino conspicit expedire.

Sarsinatensis episcopi assertio castra hic recensita esse feuda imperialia.

§ 1. Sane, licet castra Ceulae, Mutellae, Cerfolii, Fenoculi et Putei, Sarsinatensis dioecesis, per pro tempore existentes episcopos Sarsinatenses uti Bobii comites cum illorum iurisdictione et dominio temporali possessa fuerint, et illa intra fines Status nostri Ecclesiastici in provinciâ nostrâ Romandiolae consistentia eiusdem Ecclesiae Romanae et Sedis Apostolicae, et non alterius cuiusvis, superioritati, supremoque et alto dominio subiecta sint; nihilominus (cum venerabilis frater Nicolaus modernus episcopus Sarsinatensis praetenderet, dicta castra feuda imperialia et omnino libera et exempta fuisse et esse, idque quibusdam assertis privilegiis, litteris, sententiis, aliisque scripturis probare niteretur;

Rationes pro Camera Apostolica deductae.

§ 2. Vicissim vero dilectus filius camerae nostrae apostolicae commissarius generalis opponeret, praetensionem omnem dicti episcopi Sarsinatensis in assertis scripturis informibus et nullam fidem facientibus praetensorum privilegiorum Conradi et Friderici imperatorum fundatam esse, et in assertis sententis procuratorem fiscalem seu commissarium camerae praedictae

1 De hisce vide supra pag. 19 (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tunc existentes non fuisse citatos; et nihilominus, etiamsi privilegia praedicta vera et in formâ probanti essent, praedicti tamen Nicolai episcopi praetensionem nullam et invalidam esse, stante quod idem Nicolaus episcopus dicta loca et castra se uti comitem Bobii iamdiu diruti retinere fateatur, et clarum sit Bobium, cum comitatu, aliisque suis iuribus, territoriis et pertinentiis, antea per Romanos Imperatores, et alias pias personas, et inter alios Pipinum et successive Ludovicum primum Francorum reges ac Othonem et Henricum Romanorum imperatores, sanctae Romanae Ecclesiae et Sedi Apostolicae confirmatum, ac denuo concessum et donatum fuisse).

Iuribus partium a delegatis pontificiis cognitis,

§ 3. Nos, pro habendâ super his veritate, ac ut de iuribus tam Sedis et Camerae Apostolicae, quam ecclesiae Sarsinatensis et illius pro tempore existentis episcopi plenius cognosceretur et discuteretur, dilectis filiis nostris Michaeliangelo sancti Bartholomaei in insulâ Nazareno et Iacobo sancti Georgii in Velabro titulorum presbyteris cardinalibus Serrae nuncupatis ac dilecto etiam filio magistro Iulio Monterentio protonotario apostolico almae Urbis nostrae gubernatori et vice-camerario vivae vocis oraculo commisimus et dedimus in mandatis, ut dictum Nicolaum episcopum pro ecclesiâ Sarsinatensi et praedictum commissarium pro Sede et Camerâ nostrâ praedictis audirent, scripturasque et et iura hinc inde deducta, et coram eis deducenda, diligenter viderent, examinarent, atque expenderent, nobisque referrent.

Paulus declarat eadem castra, ad supremum Sedis Apostolicae et Camerae dominium pertinere.

§ 4. Cum autem, sicut Michaelangelus et Iacobus cardinales et Iulius praedicti nobis retulerunt, illi se se pluries ad effectum praedictum congregaverint, ac eumdem Nicolaum episcopum pro ecclesiâ Sarsinatensi dictumque commissarium pro Sede et Camerâ praedictis audierint; scripturas et omnia tam pro parte dictae ecclesiae Sarsinatensis quam pro parte Sedis et Camerae Apostolicae deducta quaecumque examinaverint; et [1], habitâ inter eos diligenti discussione, perspexerint, dictas assertas scripturas, quae pro parte episcopi assseruntur esse Conradi et Friderici imperatorum, non esse in formâ probanti, ac fide et legalitate carere, neque esse tales, quae Sedi et Camere Apostolicae in aliquo praeiudicare possint; assertasque sententias, aliaque gesta et inde sequuta quaecumque, invalida, nulliusque roboris et momenti esse; dictaque castra Ceulae, Mutellae, Cerfolii, Fenoculi et Putei de Statu nostro Ecclesiastico ac iurisdictione sanctae Romanae Ecclesiae Sedisque et Camerae Apostolicae fuisse et esse, et pro dictis castris et illorum occasione modernum et pro tempore existentes episcopos Sarsinatenses et eorumdem castrorum homines et abitatores ad eamdem Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram Apostolicam, superioritatem supremumque et altum dominium in illis habentem, etiam in temporalibus, in omnibus recognoscendum teneri, cum regalibus et praerogativis superioritatem supremumque [2] et altum dominium habenti competentibus; ita ut modernus et pro tempore existentes episcopi Sarsinatenses praedicti pro eisdem castris et illorum hominibus et habitatoribus, illorumque iurisdictione temporali meroque et mixto imperio, quam et quod in dictis castris et super illorum homines et habitatores obtinent et exercent, ac etiam ipsi homines, nos, nostrosque successores Romanos Pontifices, Sedemque et Cameram Apostolicam, et illorum ministros et officiales, in superiores, et non alium seu alios quosvis (modo et formâ prout faciunt et recognoscunt alii possidentes castra et loca

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

2 Edit Main. legit *superioritatemque, supremum et altum* (R. T.).

iurisdictionalia in Statu nostro Ecclesiastico), recognoscere teneantur: idcirco nos, ex relatione huiusmodi, et aliàs, de praetensionum dicti Nicolai episcopi nullitate et e contra Sedis et Camerae praedictarum bono iure plene informati, omnem circa praemissa de cetero dubitandi et controvertendi materiam de medio tollere volentes, et assertorum privilegiorum, litterarum, sententiarum, aliarumque scripturarum praedictarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ipsasque sententias, quatenus opus sit, revocantes et annullantes, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, praedicta castra Ceulae, Mutellae, Cerfolii, Fenoculi et Putei de Statu nostro Ecclesiastico et iurisdictione sanctae Romanae Ecclesiae Sedisque et Camerae Apostolicae fuisse et esse; ac pro dictis castris, et illorum occasione, modernum et pro tempore existentes episcopos Sarsinatenses et eorumdem castrorum homines et habitatores ad eamdem Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram Apostolicam, superioritatem supremumque et altum dominium in illis habentem, etiam in temporalibus, recognoscendum, seseque in omnibus illi subiiciendum teneri; et ad eam uti talem in omnibus et per omnia recurrendum fore et esse, cum regalibus et praerogativis, superioritatem supremumque et altum dominium habenti competentibus; ita ut modernus et pro tempore existentes episcopi Sarsinatenses praedicti pro eisdem castris et illorum hominibus et habitatoribus, illorumque iurisdictione temporali, meroque et mixto Imperio, quod in dictis castris et super illorum homines et habitatores obtinent et exercent, ac etiam ipsi homines et habitatores, nos, nostrosque successores Romanos Pontifices, Sedemque et Cameram Apostolicam, et illorum ministros et officiales, in superiores, et non alium seu alios quosvis (modo et formâ prout faciunt et recognoscunt alii possidentes castra et loca iurisdictionalia in Statu nostro Ecclesiastico), recognoscere teneantur, harum serie perpetuo declaramus: et dicto Nicolao, ac pro tempore existenti episcopo Sarsinatensi, perpetuum super praemissis silentium imponimus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes praesentibus nostris litteris et in eis contentis ecclesiam Sarsinatensem, dictumque seu alios pro tempore existentes eiusdem ecclesiae episcopos et praesules, stare et acquiescere debere: easdem vero praesentes, et in eis contenta quaecumque, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu, aut alio quovis praetextu, iure, vel causâ, etiam in corpore iuris clausâ, aut aliàs quomodolibet notari, impugnari, rescindi, revocari, retractari, aut in ius vel controversiam adduci nullatenus posse; sed litteras praedictas, absque aliorum iurium et instrumentorum exhibitione aut aliorum praemissorum verificatione, ad omnia et singula sufficienter in iudicio et extra plene probandum omnino sufficere, nec alterius probationis adminiculum ad id requiri; easdemque praesentes, etiamsi in camerâ apostolicâ et in suis libris admissae et registratae non sint, nihilominus semper et perpetuo validas fore et esse, et perpetuâ roboris firmitate subsistere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum spectabit, firmiter et inviolabiliter observari debere; sicque, et non aliter, in praemissis omnibus et singulis in quacumque instantiâ et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam curiae causarum camerae apostolicae et palatii nostri auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae camerarium et cardinales, etiam de latere legatos, vice-legatos et nuncios, iudicari et definiri debere (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctori-

tate); irritumque et inane, quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatur contrariis.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibuscumque sententiis etiam in iudicatum transactis, nec non felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis interesse camerae concernentibus in eâdem camerâ infra certum tempus registrandis, et aliis quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis, decretis, legibus, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac, quatenus opus sit, nostrâ de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis. Quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium facienda publicatio.

§ 7. Volumus autem, ac apostolicâ auctoritate decernimus, quod praesentes litterae, seu illarum exempla ad valvas basilicae Principis Apostolorum de Urbe affixa, ita omnes arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 28 ianuarii 1612, pontif. anno VII.

CLXXXVII.

Facultas nuncio, ad praepositum, decanum et capitulum ecclesiae Salisburgensis specialiter misso, admittendi cessionem regiminis dictae ecclesiae ab archiepiscopo faciendam, cum certis conditionibus[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio Antonio Diaz, in utraque signaturâ nostrâ referendario, ad dilectos filios praepositum, decanum et capitulum ecclesiae Salisburgensis nuncio nostro

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset deputationem nuncii a se factam facultatemque ei concessam detinendi archiepiscopum.

§ 1. Cum nuper ecclesiae Salisburgensis necessitatibus pastorali charitate subvenire satagentes, et de tuâ fide, prudentiâ et rerum experientiâ, ac erga nos et Apostolicam Sedem devotione plurimam in Domino fiduciam habentes, te ad dilectos etiam filios praepositum, decanum, capitulum et canonicos ecclesiae Saliburgensis, nec non ad principes et alios quoscumque catholicos, quacumque dignitate fulgentes, quos te eiusdem ecclesiae Salisburgensis negociorum occasione adire contigerit, nuncium nostrum miserimus, utque munus tibi commissum, ad omnipotentis Dei gloriam, praedictaeque ecclesiae Salisburgensis solatium, exequi valeres, certas tibi facultates concesserimus, ac inter alia, tibi etiam in mandatis dederimus, ut venerabilem fratrem Wolfangum archiepiscopum Salisburgensem in tuam potestatem reciperes, nostroque et Sedis Apostolicae nomine detineres;

Facultatem quoque ei tribuit cessionem eiusdem Salisburgensis ecclesiae admittendi cum conditionibus, quae recensentur.

§ 2. Dictae autem ecclesiae Salisburgensis praesens status requirat, ut omni studio invigilemus, quo illa quamprimum e praesentibus tribulationibus et periculis educatur: idcirco, rationabilibus causis animum nostrum moventibus, maturâ deliberatione desuper habitâ, ultra facultates tibi, ut praefertur, concessas, ut, postquam dictum Wolfangum archiepiscopum in tuam potestatem habueris, cessionem regiminis et administrationis eiusdem ecclesiae, per praedictum Wolfangum archiepiscopum in tuis manibus faciendam, apostolicâ auctoritate nostrâ admittere valeas, tenore praesentium, auctoritate apostolicâ, facultatem concedimus et impertimur,

Conditionum recensio.

cum infrascriptis videlicet conditionibus: nempe, quod, factâ per dictum Wolfangum archiepiscopum actuali cessione regiminis et administrationis ecclesiae Salisburgensis, ex fructibus, redditibus et proventibus mensae archiepiscopalis Salisburgensis pro definitâ et fixâ pensione duobus quotannis terminis, et semper anticipate, exsolvantur eidem Wolfango archiepiscopo, ad vitam, viginti millia, et sic quovis termino decem millia florenorum, quolibet floreno ad sexaginta cruciferos Salisburgensis monetae atque valoris computato: et haec quidem pensio statim factâ cessione praedictâ initium capere, confestimque pro primâ vice adnumerari, et sic deinceps, quamdiu dictum Wolfangum archiepiscopum in vivis superesse contigerit, citra ullam moram, dilationem, aut detentionem continuo praestari debeat: praepositus vero, decanus et capitulum praedicti, tam suo quam futuri archiepiscopi Salisburgensis nomine, immo postmodum idem ipse futurus archiepiscopus, dicto Wolfango archiepiscopo non tantum sufficientes obligationes, constitutae huiusmodi pensionis gratiâ, confectas tradent, quibus eidem Wolfango archiepiscopo tam in redditibus salinariis dictae mensae, quam aliis quibuscumque, de certâ et indubitata eius solutione abunde satis cautum fit; verum etiam dilectum filium nobilem virum Maximilianum Bavariae ducem requirent, ut se, eiusque haeredes et successores Bavariae duces, in regimine constitutos, obligatos constituat (si forte per futurum archiepiscopum stet, quominus praedicta pensio assignatis terminis ex redditibus praedictae mensae archiepiscopalis solvatur) quod tunc dictus Maximilianus dux eamdem pensionem ipsemet ex iis pecuniis, quas pro evecto sale Halensi dictae mensae archiepiscopali pendere tenetur, citra defectum praestare, et postmodum praedicto futuro archiepiscopo eiusque successoribus in calculo subtrahere possit, velit et debeat: salvo tamen nihilominus et integre semper permanente dicto Wolfango archiepiscopo suo iure dictam pensionem persequendi in omnibus sibi oppignoratis et hypothecatis dictae mensae bonis, si eadem pensio statuto tempore quotannis persoluta non fuerit. Insuper praepositus, decanus et capitulum praedicti promittant, seque obstringant, quod dicto Wolfango archiepiscopo, simul cum solutione primi termini dictae pensionis, decem millia in paratâ pecuniâ, et ratione argenteae supellectilis, quinque millia florenorum dictae monetae annumerare, et nihilominus eumdem Wolfangum archiepiscopum omnis generis aliâ supellectili, argenteâ exceptâ, pro futuro eius statu sufficienter instruere velint. Praeterea iidem praepositus, decanus, et capitulum spondeant atque promittant, quod, cessione praedictâ peractâ, dicto Wolfango archiepiscopo speciales quasdam litteras obligatorias pro certâ pecuniae summâ ad octoginta quatuor millia et noningentos florenos ascendente, et tam apud illos de Stainhausens, quam alias singulares et privatas personas ad censum collocatâ, assignare et realiter tradere velint: quam summam dictus Wolfangus archiepiscopus, citra ullum futuri archiepiscopi et dictorum praepositi, decani et capituli impedimentum, inter suos partiri, et, quemadmodum voluerit, de eis[1] libere disponere queat: sicut etiam eiusdem Wolfangi archiepiscopi familiaribus omnis ista vestium, linteorumque copia, quae in avectis arcis et vasis reperta est, nec minus etiam aliqua portio alterius supellectilis e lecticis, argenteis vasis, catenis aureis, monilibus, aliisque rebus pretiosis pro arbitrio dictorum praepositi, decani et capituli tradatur. Ad haec debitorum, tam litteris si-

1 *Nempe litteris obbligatoriis* antea dictis; nisi maneris legi *de eâ* nempe *pecuniae summâ* (R. T.).

gilloque confirmatorum, quam aliorum quae hoc tempore dictae mensae archiepiscopali exsolvenda deprehenduntur, citra dispendium et molestiam dicto Wolfango archiepiscopo fiat solutio. Denique quindecim millia florenorum, quae baro Georgius Sigismundus de Lambergh pro annuo censu penes se habet, a dictis praeposito, decano et capitulo praedicto Wolfango archiepiscopo concedantur, et obligatio desuper confecta ei similiter tradatur.

Ad eaque omnia necessariae nuncio conceduntur facultates.

§ 3. Nos enim tibi, ut, cessione huiusmodi cum dictis conditionibus per te admissâ, ex causâ praedictae cessionis pensionem annuam viginti millium florenorum dictae monetae, ut dictum est, persolvendam et obligationibus et cautelis muniendam super dictae mensae archiepiscopalis fructibus, redditibus, proventibus, ac iuribus, obventionibus, et emolumentis universis dicto Wolfango archiepiscopo solvere et consignare, seque ad praemissa omnia, tam suo quam futuri archiepiscopi nomine, obligare libere et licite possit[1], dictâ auctoritate apostolicâ concedere etiam valeas, eâdem apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem tribuimus.

Contraria tolluntur.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae ecclesiae statutis et consuetudinibus (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitatate aliâ roboratis), privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem ecclesiae, illiusque capitulo, et canonicis, ac quibusvis aliis personis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Vel potius legendum *possint*, ut infra in loco parallelo pag. 34 *a* (R. T.).

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI februarii MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 16 februarii 1612, pontif. anno VII.

CLXXXVIII.

Conditiones apponendae in admissione cessionis ecclesiae Salisburgensis[1].

Dilecto filio Magistro Antonio Diaz, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, ad dilectos etiam filios praepositum, decanum, et capitulum Ecclesiae Salisburgensis nuntio nostro

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset facultates nuncio praecedentibus litteris concessas.

§ 1. Hodie per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras tibi facultatem concessimus, ut, postquam venerabilis frater Wolfangus archiepiscopus Salisburgensis in tuam potestatem venisset, cessionem regiminis et administrationis ecclesiae Salisburgensis per dictum Wolfangum archiepiscopum in tuis manibus faciendam, cum nonnullis conditionibus, decretis, clausulis, gratiis, concessionibus et pensione, quae in aliis similiter litteris exprimi voluimus, apostolicâ auctoritate nostrâ admittere valeres[2], prout in dictis litteris plenius continetur.

Conditiones in cessione huiusmodi apponendas praescribit.

§ 2. Rationabilibus autem causis adducti, et maturâ deliberatione habitâ, conditiones, clausulas, decreta, gratias, concessiones et pensionem infrascriptas in dictâ admissione cessionis concedendas et respective reservandam duximus; videlicet, quod, factâ per dictum Wolfangum archiepiscopum actuali cessione regiminis et administrationis ecclesiae Salisburgen-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Superflue edit. Main. heic repetit verba *facultatem concessimus* (R. T.).

sis, ex fructibus, redditibus et proventibus mensae archiepiscopalis Salisburgensis pro definitâ et fixâ pensione duobus quotannis terminis semper anticipate exsolvantur eidem Wolfango archiepiscopo, ad vitam, viginti millia, et sic quovis termino decem millia florenorum, quolibet floreno ad sexaginta cruciferos Salisburgensis monetae atque valoris computato: et haec quidem pensio statim factâ cessione praedictâ initium capere, confestimque pro primâ vice adnumerari, et sic deinceps, quamdiu dictum Wolfangum archiepiscopum in vivis superesse contigerit, citra ullam moram, dilationem, aut detentionem continuo praestari debeat. Praepositus vero, decanus, et capitulum praedicti, tam suo quam futuri archiepiscopi Salisburgensis nomine, immo postmodum idem ipse futurus archiepiscopus dicto Wolfango archiepiscopo non tantum sufficientes obligationes constitutae huiusmodi pensionis gratiâ confectas tradent, quibus eidem Wolfango archiepiscopo tam in redditibus salinariis dictae mensae quam aliis quibuscumque, de certâ et indubitatâ eius solutione abunde cautum sit, verum etiam dilectum filium nobilem virum Maximilianum Bavariae ducem requirent, ut se eiusque haeredes et successores Bavariae duces, in regimine constitutos, obligatos constituat (si forte per futurum archiepiscopum stet, quominus praedicta pensio, assignatis terminis, ex redditibus praedictae mensae archiepiscopalis exsolvatur) quod tunc dictus Maximilianus dux eamdem pensionem ipsemet ex iis pecuniis, quas pro evecto sale Halensi dictae mensae archiepiscopali pendere tenetur, citra defectum praestare, et postmodum praedicto futuro archiepiscopo, eiusque successoribus in calculo subtrahere possit, velit et debeat; salvo tamen nihilominus et integro semper remanente dicto Wolfango archiepiscopo suo iure dictam pensionem persequendi in omnibus sibi oppignoratis et hypothecatis dictae mensae bonis, si eadem pensio statuto tempore quotannis persoluta non fuerit. Insuper praepositus, decanus, et capitulum praedicti promittant, seque obstringant, quod dicto Wolfango archiepiscopo, simul cum solutione primi termini dictae pensionis decem millia in paratâ pecuniâ, et ratione argenteae supellectilis quinque millia florenorum dictae monetae annumerare, et nihilominus eumdem Wolfangum archiepiscopum omnis generis aliâ supellectili, argenteâ exceptâ, pro futuro eius statu instruere velint. Praeterea iidem praepositus, decanus, et capitulum spondeant atque promittant, quod, cessione praedictâ peractâ, dicto Wolfango archiepiscopo speciales quasdam litteras obligatorias pro certâ pecuniae summâ ad octoginta quatuor millia et noningentos florenos ascendente, et tam apud illos de Stainhausens quam alias singulares et privatas personas ad censum collocatâ, assignare et realiter tradere velint: quam summam dictus Wolfangus archiepiscopus, citra ullum futuri archiepiscopi et dictorum praepositi, decani et capituli impedimentum, inter suos partiri, et, quemadmodum voluerit, de eis[1] libere disponere queat: sicut etiam eiusdem Wolfangi archiepiscopi familiaribus omnis ista vestium, linteorumque copia, quae in avectis arcis et vasis reperta est, nec minus etiam aliqua portio alterius supellectilis, e lecticis, argenteis vasis, catenis aureis, monilibus, aliisque rebus pretiosis, pro arbitrio dictorum praepositi, decani, et capituli tradatur. Ad haec debitorum, tam litteris sigilloque confirmatorum, quam aliorum quae hoc tempore dictae mensae archiepiscopali exsolvenda deprehenduntur, citra dispendium et molestiam dicto Wolfango archiepiscopo fiat solutio. Denique quindecim millia floreno-

1 Iterum edit. Main. legit *ea* pro *eis* (R. T.).

rum, quae baro Georgius Sigismundus de Lambergh pro annuo censu penes se habet, a dictis praeposito, decano et capitulo praedicto Wolfango archiepiscopo concedantur, et obligatio desuper confecta ei similiter tradatur. Nos enim tibi, ut, cessione huiusmodi cum[1] dictis conditionibus per te admissâ, ex causâ praedictae cessionis pensionem annuam viginti millium florenorum dictae monetae, ut dictum est, persolvendam, et obligationibus et cautelis muniendam, super dictae mensae archiepiscopalis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, et emolumentis universis dicto Wolfango archiepiscopo solvere et consignare, seque ad praemissa omnia, tam suo quam futuri archiepiscopi nomine, obligare libere et licite possint, dictâ auctoritate concedere etiam valeas, eâdem apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem tribuimus.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae ecclesiae statutis et consuetudinibus (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis), privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem ecclesiae, illiusque capitulo et canonicis, et quibusvis aliis personis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI februarii MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 16 februarii 1612, pontif. an. VII.

1 Perperam edit. Main. legit *tam* (R. T.).

CLXXXIX.

Facultas nuncio Salisburgensi admittendi cessionem regiminis dictae ecclesiae cum conditionibus sibi benevisis[1].

Dilecto filio magistro Antonio Diaz, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, ad dilectos filios praepositum, decanum et capitulum ecclesiae Salisburgensis nuncio nostro

Paulus Papa V.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Nuncio apostolico concessa facultas admittendi cessionem ecclesiae Salisburgensis cum conditionibus sibi benevisis.

§ 1. Quoniam res ecclesiasticae[1] Salisburgenses eo statu sunt, ut celerem opem requirant; idcirco de tuâ fide, prudentiâ et rerum experientiâ plurimum in Domino confisi, ultra alias facultates tibi per nos concessas, tibi, ut, postquam venerabilem fratrem Wolfangum archiepiscopum Salisburgensem, iuxta mandatum nostrum tibi datum, in potestatem tuam receperis, cessionem regiminis et administrationis dictae ecclesiae per praedictum Wolfangum archiepiepiscopum in tuis manibus faciendam, cum conditionibus, decretis et clausulis et gratiis tibi benevisis, et quae, ut concedantur, in Domino expedire iudicaveris, apostolicâ auctoritate nostrâ admittere libere et licite valeas, licentiam et facultatem eâdem apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae ecclesiae statutis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis), privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem ecclesiae, illiusque praesuli, capitulo, canonicis, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Videretur legendum *ecclesiae Salisburgensis* (R. T.).

tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI februarii MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 16 februarii 1612, pontif. an. VII.

CXC.

Facultas nuncio ad capitulum Salisburgensem admittendi cessionem regiminis ecclesiae Salisburgensis, et archiepiscopum ab eiusdem ecclesiae vinculo absolvendi[1].

Dilecto filio magistro Antonio Diaz, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, ad dilectos etiam filios praepositum, decanum capitulum ecclesiae Salisburgensis nuncio nostro

Paulus Papa V.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio facultatis de qua in rubrica.

§ 1. Ut urgentibus necessitatibus et periculis ecclesiae Salisburgensis de celeri remedio provideatur, tibi, quem nuper ad dilectos filios praepositum, decanum et capitulum ecclesiae Salisburgensis, necnon ad principes, et alios quoscumque catholicos, quacumque dignitate fulgentes, quos te eiusdem ecclesiae Salisburgensis negociorum occasione adire contigerit, nuncium nostrum deputavimus, tibique per alias nostras litteras diversas facultates concessimus, ultra easdem facultates, ut, postquam venerabilem fratrem Wolfangum archiepiscopum Salisburgensem, iuxta mandatum nostrum tibi datum, in potestatem tuam receperis, cessionem regiminis et administrationis dictae ecclesiae per praedictum Wolfangum archiepiscopum in tuis manibus faciendam cum conditionibus, decretis, clausulis, gratiis, concessionibus et pensione, quae in aliis nostris litteris exprimuntur, apostolicâ auctoritate nostrâ admittere, eumdemque Wolfangum a vinculo, quo dictae ecclesiae tenetur, absolvere libere et licite valeas, licentiam et facultatem, eâdem apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contraria tolluntur.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae ecclesiae etiam statutis (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis), privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae, illiusque praesuli, capitulo, canonicis, et quibuscumque aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI februarii MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die, mense, annoque eisdem.

---

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

CXCI.

Facultas capitulo et canonicis ecclesiae Salisburgensis deveniendi ad electionem, seu postulationem novi archiepiscopi[1].

Dilectis filiis praeposito, decano, et canonicis ecclesiae Salisburgensis

Paulus Papa V.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset deputationem nuncii a se factam, datamque ei facultatem admittendi cessionem ecclesiae Salisburgensis.

§ 1. Ecclesiae Salisburgensis praesentibus necessitatibus et periculis pastorali ac praecipuâ sollicitudine pro nostro munere et nostrâ in eam charitate invigilantes, hodie dilecto filio magistro Antonio Diaz, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, nostro ad vos nuncio, per alias nostras in huiusmodi formâ Brevis expeditas litteras facultatem dedimus, cessionem regiminis et administrationis dictae ecclesiae Salisburgensis a venerabili fratre Wolfango archiepiscopo iustis de causis in suis manibus faciendam nomine nostro admittendi et recipiendi.

Facultatem capitulo concedit alterum archiepiscopum eligendi.

§ 2. Cum autem, cessionis huiusmodi admissione factâ, illud restet, ut eidem ecclesiae, pastoris solatio destitutae, de idoneo archiepiscopo provideatur, qui et illi bene praeesse ac prodesse velit ac possit; ideo vobis, ut ad canonicam electionem eiusdem archiepiscopi procedere possitis et valeatis, facultatem et auctoritatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Canonicos hortatur, ut virum ad eam ecclesiam regendam idoneum eligant.

§ 3. Ceterum, quoniam, ut probe nostis, de summâ istius ecclesiae caelesti favore multipliciter a Domino insignitae nunc agitur, fore non dubitamus, quin pro eâ, quae in vobis est pietas, religionis catholicae zelus, ac prudentia, in hoc tam gravi negotio ita geratis, ut solius honoris Dei, eiusque ecclesiae utilitatis rationem habuisse omnibus appareat; id quod Dei gratiâ consequuturos vos scitis, si personarum acceptione remotâ, et mundanis affectibus ac carnalibus desideriis omnibus posthabitis, quae Christi sunt spectantes, in virum consenseritis, quem sanctorum Patrum regulae postulant, ecclesiae Salisburgensis conditio desiderat, et officii nostri ratio requirit; quod, ut re ipsâ, sicut in Domino speramus, praestare vobis succedat, enixe a divinâ clementiâ precamur, assidueque precabimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI februarii MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die, mense, annoque eisdem.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

CXCII[1].

Confirmatio constitutionum Congregationis Oratorii a beato Philippo Nerio in Urbe fundatae[2], *et prohibitio ne quaevis Congregatio constitutiones sub denominatione dicti beati Philippi promulgare, aut eiusdem instituti domos in Urbe instituere possit*[3].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Christifidelium quorumlibet, praesertim Altissimo in humilitatis spiritu famulantium, votis, quae felicem eorum prosperamque directionem et gubernium concernunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Prooemium.

1 Hanc sumimus ex append. Main. ad Pauli V pontificatum, et huc in suum locum transferimus (R. T.).

2 Alia et diversa in regno Franciae paulo post instituta est Congregatio Oratorii, ut legere est in Constitutione editâ sequenti anno MDCXIII, die X maii, quam infra suo loco referemus (R. T.).

3 Congregationem istam approbavit Gregorius XIII in Const. CLXXXVI *Copiosus*, tom. VIII, pag. 541.

Congregatio Oratorii in Urbe suas ordinationes statuit, et pro confirmatione Papae supplicavit.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii praepositus et presbyteri Congregationis Oratorii, in ecclesiâ sanctae Mariae in Vallicella nuncupatâ de Urbe institutae, quod ipsi quasdam constitutiones et ordinationes pro felici dictae Congregationis regimine et spirituali progressu conscripserunt, illasque non semel examinatas, ac etiam mandato nostro recognitas, in unum volumen redegerunt, tenoris subsequentis, videlicet[1]:

Cap. I.

De Oratorio et Oratione.

Vere locum orationi destinatum Oratorium dicimus (nam familiaris in ipso nata[2] divini verbi tractatio, post haec tractanda, iam adulta, et in ecclesiam nostram translata, nomen minus accomodate retinuit Oratorii), in quo scilicet tam exteri quam nostri quotidie vesperis, post orationem quam dicimus mentalem, consuetas litanias recitant, aut singulis ter hebdomadis (quae est voluntaria corporis castigatio) supplicio flagellorum se se afficiunt. Festis item diebus, a kalendis novembris usque ad sanctam Christi Domini Resurrectionem, non modo supplicationibus, sed etiam familiari cohortatione et musico concentu excitantur ad caelestia contemplanda. A Resurrectione vicissim Dominicâ usque ad kalendas novembris, post officium vespertinum in ecclesiâ a nostris decantatum, et auditum sermonem, in suburbanum quempiam locum, vel (si per calores aestivos non liceat) in templum aliquod ad has rerum divinarum tractactiones intra Urbem convenire solent. Singulis praeterea diebus dominicis, nisi nostro sit in templo concionandum, mane, lectis litaniis, et sermone opportuno de documentis praesertim evangelicis familiariter habito, declarantur ex exteris, qui septem primarias Urbis ecclesias, ac tres domos infirmorum publicas hospitales infra hebdomadam aliquando visitent. Harum omnium cura rerum praefectum attingit Oratorii, e nostris constitutum sacerdotibus, vel adiutorem; ut alteruter his ritibus praesit, salutique confluentium consulat externorum; quibus etiam praesenti ope pietatis officia in valetudinariis erga aegrotos festis diebus proponat exercenda. Ex exteris item fratribus idoneos ad certa Oratorii munia deligat, et in primis rectorem, caveatque ne ullâ ex parte constitutioni derogetur, quam Congregatio his verbis expressam voluit:

Praefectus Oratorii nostri nullo modo permittat exteris officialibus in eo constitutis, ut in aliquid se rerum aut negociorum ingerant ad ipsum locum vel institutum quoquo modo pertinentium, quod ipse non eis praescripserit; nullum enim huiusmodi ius aut potestatem habere possunt. Ne quid praeterea innovetur ibi hactenus observatum de rebus praesertim gravibus ad Oratorium spectantibus quibuscumque, praepositum Congregationis nostrae consulat, penes quem rerum Oratorii et Congregationis eadem est gubernatio.

Haec satis, ut appareat, qua viâ sint externi frequentiores in Oratorio ad contemplationem et amorem divinorum promovendi. Nostris autem, eiusmodi instituto magis deditis, id etiam maxime adhibendum, quod a beato Philippo patres edocti ad hunc modum constituerunt:

Horas suas quilibet habeat[1] *meditationibus praestitutas, in quibus maiores quotidie progressus faciat, Deum caelestiaque amando et appetendo, quod superiores, pro suâ charitate ac prudentiâ, saepius unumquemque admonere, et, qui*

1 Duas etiam edit. proprias, Romae 1683, et Veronae 1852 citabimus (R. T.).

2 Edit. Main. legit *ncta* (R. T.).

1 Verbum istud *habeat* addimus ex Cherub. et ex edit. propriis (R. T.).

huiusmodi studiorum fructus constet, animadvertere debebunt. Habeant[1] igitur, quae orationi et meditationi seponant, stata tempora, et, praeter hortatorem praepositum, quem audiant, etiam sacerdotem sacris familiae nostrae confessionibus audiendis praefectum, qui pro suâ quemque prudentiâ ad haec divina studia segniorem incitare solet, vel nimis incitatum[2], cum fuerit consentaneum, moderari.

Ceterum, ob alias plurimas occupationes sibi proximisque salutares, aliud nullum mane vel die orandi tempus ac spatium sibi praefinitum capiunt et consignatum, quam quod arbitratu quisque suo eiusmodi meditationibus et sacris precibus pie sancteque dederit. Ad vesperas[3] autem, sicuti dictum est, in Oratorium publicum, externis etiam quibusque viris patens et expositum, ad orationem, unde nomen accepit, seduli convenire debent.

Sed de omni orationis et flagellorum in Oratorio ritu et consuetudine, deque piis externorum officiis, infra, post alias constitutiones, in huius capitis appendice agendum est[4].

CAP. II.

De ecclesiâ et divinis officiis.

Congregationis nostrae sacerdotes, utpote divinorum administri, in ecclesiâ, festis praesertim diebus, frequentes adsunt; alii confluentibus divina mysteria praebent; alii, ad sacras confessiones audiendas intenti, a primâ luce ad horam usque prandii e subselliis suis nonnisi necessitate impulsi recedunt. Sacrum omnes quotidie peragunt, et ceteri inserviunt, potissimum clerici, qui, cum res ipsa sacra solemniori ritu et musico concentu celebranda est, bene mane descendentes in sacrarium, sacerdotes piâ diligentiâ sacris vestibus ornant, et solemni sacrificio praesentes, ac diversa munera obeuntes, ab ipsâ sacrorum custodiâ aut ecclesiâ, dum datur divinis opera, numquam recedunt.

De rebus autem ad ecclesiam spectantibus haec sunt nostris proposita decreta:

In ecclesiâ nostrâ nullae erunt statuae vitâ functorum, sive ex marmore, sive aere, sive gypso, aut aliâ materiâ.

Diebus festis semper solemni apparatu tam missa quam vesperae celebrabuntur. Erunt etiam vesperae solemnes in vigiliis Corporis Christi, Nativitatis beatae Mariae Virginis, et Consecrationis ecclesiae nostrae ad x kalendas iunii, cuius octavae redditur officium, et infra eam gratissima nobis recurrit memoria dormitionis beati Philippi patris nostri, ad VII[1] kalendas iunias. Praeterea intra octavam Corporis Christi vesperas quotidie decantamus.

Singulis similiter annis IV kalendas februarii dies festus[2] Ss. Papiae et Mauro martyribus solemni apparatu celebratur, et mane eius diei festi res sacra, diacono et subdiacono ministris, peragitur. Vesperae in vigiliâ, et ipso die festo, musico concentu decantantur. Porro in vigiliâ etiam matutinae laudes ante coenam, coram sacris eorum reliquiis a[3] sacerdotibus et clericis nostris unâ recitantur, ut debitus honor patronis ecclesiae et Congregationis exhibeatur.

In translatione vero, quae contingit III idus februarii, idem servatur. Missa tamen et vesperae solemniter non decantantur.

Dies etiam festus sancti Gregorii papae,

1 Cherub. et cit. edit. pr. legunt *habent* (R. T.).

2 Cherub. et edit. pr. legg. *incitato,* aliter *incitatos* (R. T.).

3 Ibid. legitur *vesperum* (R. T.).

4 Declarationem vel appendicem ad hoc caput vide hic infra post caput XII (R. T.).

1 Erronee edit. Main. legit VIII (R. T.).

2 Perperam edit. Main. habet *die festo* (R. T.).

3 Praep. *a* addimus ex Cherubinio et ex editt. propriis (R. T.).

Congregationis et ecclesiae nostrae patroni, IV idus martii est nobis tam in primis vesperis quam in missâ admodum solemnis.

Alios item sanctos, quorum sacris reliquiis vel insignioribus aucti sumus, ecclesiasticis officiis singulariter veneramur: nam IV nonas maii Nereum, Achilleum et Domitillam martyres, duplici: VI nonas iulii Patermuthium, Copretem et Alexandrum martyres, quibus dicatum est altare, semiduplici: VI kalendas augusti Pantaleonem martyrem, semiduplici: XI kalendas novembris Ursulam et socias virgines et martyres, semiduplici: XIX kalendas ianuarii Spiridionem episcopum et confessorem, semiduplici similiter prosequimur.

Quamvis vero nostri ecclesiasticis officiis, vesperis dierum festorum exceptis, ecclesiam non frequentent; cum tamen habetur aliqua singularis celebritas anniversaria (ut die festo Purificationis beatae Mariae Virginis ad candelas; in capite ieiunii ad Cineres; dominicâ Palmarum ad olivas; consuetis maioris hebdomadae diebus ad matutinas, missam, aliasque solemnes eius temporis coeremonias; die insuper festo Omnium Sanctorum ad vesperas, praeter consuetas etiam Defunctorum, item ad matutinas, sicut mane ad missam; nocte tandem Nativitatis D. N. Iesu Christi ad matutinas[1]) in chorum ecclesiae convenire solent.

Sed iam ab hisce feriis veniamus ad funera.

Cum enim aliquis e nostrâ Congregatione e vitâ decesserit, singuli sacerdotes tres missas celebrabunt pro vitâ functo; qui vero sacerdotes non fuerint, novem coronas recitabunt; in loco vero, ubi defuncti corpus fuerit praesens, recitabitur officium defunctorum: si mane fuerit, celebrabitur missa solemnis (sin minus, sequenti die) diacono et subdiacono ministris, sex candelis accensis in altari, et quatuor facibus iuxta corpus; absoluto autem officio, duae ex illis remaneant usque ad sepulturam. Quod si absens obierit, privatim recitabitur a[1] sacerdotibus nocturnum officium Defunctorum, missa vero solemnis, ut supra. Singulis item annis, infra octavam Omnium Sanctorum, celebrabitur missa solemnis pro defunctis nostrae Congregationis.

Sine consensu praepositi et deputatorum res sacra non celebrabitur solemni apparatu pro vitâ functis exteris, videlicet diacono et subdiacono ministris; nec id ipsi facile concedent, nisi mortuus praelatus extiterit, aut eximiae dignitatis et honoris inter laicos, aut certe valde benemeritus de nostrâ Congregatione.

Nullum recipietur a Congregatione nostrâ legatum de re sacrâ perpetuo peragendâ, nisi forte iustissima causa intercedat, et ex consensu patrum expleti decennii.

Quae autem hoc in loco de sacris confessionibus videntur ponenda, haec habemus. Singulis diebus ferialibus aliquis ex sacerdotibus ad hoc muneris delectis morari debet in ecclesiâ ad confessiones audiendas. Feriâ vero quartâ et sextâ, mane usque ad horam prandii omnes, et[1] festis pariter diebus omnes[2] excubare.

Nemo tamen eorum admittitur ad audiendas confessiones sine patrum consensu qui exegerint decennium in nostrâ Congregatione.

CAP. III.

De salutari familiarium sermonum usu tam in ecclesiâ quam in oratorio.

In ecclesiâ nostrâ (die sabbato ad vacandum excepto) quatuor quotidie (nisi

1 Cherub. et ed. pr. addunt *et missam* (R. T).

1 Praep. *a* nos addimus, punctis ablatis (R. T).
1 Coniunct. *et* addimus ex Cherub. (R. T.).
2 Subintellige *ad hoc munus debent* (R. T.).

etiam dies festi sint, cum aliquis tantum unus sermocinari solet) e sacerdotibus nostris, qui fuerint ad hoc oneris muneri sque delecti, ordinatâ successione, verba ad vulgi praesertim captum accomodantes, et ad nullam prorsus pompam vel vanum populi applausum declinantes, genere dicendi vere fructuoso, audientium animos pascunt; sanctorum praesertim exemplis ac probatis historiis sermonem confirmantes. Vitandae enim sunt eis quaestiones difficiles, dogmatum tractatus, et quaecumque scholas decent magis quam oratorium. Est autem eius consuetudinis, qui provide negocium id curet, stato tempore ad ecclesiam descendere, et, inter alia quae paranda sunt, horologium arenarium iuxta sedem sermocinantis ponere, et librum aliquem de salutaribus scriptum praeceptis aut de sanctorum dictis et factis, ubi octo aut decem auditores praesentes viderit, lectitare; cum vero quindecim, vel ut summum viginti, aere campano horâ consuetâ signum dare, quo ille quidem audito, cui primo dicendum est, ad locum festinat, et, postquam legentem paulisper audierit, ligneam sedem, sex vel octo circiter graduum ascensu sublimem, conscendit, arenarium horologium iuxta positum invertit, quod semihorae spatium praefiniat, et, nullo usus prooemio, ab argumento praesertim, quod in libro lectum est, sermonem orditur. In medio eius sermone surgit custos ad signum eâdem grandiori campanâ iterum dandum, quo habito[1] alter dicturus secundo loco huc properat, et tantisper expectat, dum primus finem dicendi fecerit. Eodem penitus modo secundo succedit tertius, et tertio quartus, nec horum cuiquam amplius horâ dimidiâ datur, nec horologio solum, sed tintinnabulo, cum opus est, ad finiendum admonentur. Sermonibus absolutis sacer concentu musico canitur hymnus, quo expleto, is, qui dixit ultimus, ad orationem dominicam et angelicam salutationem ter secreto recitandam invitat, et concio dimittitur.

At dominicis, ceterisque diebus festis, eorum unus, quibus ad dicendum sunt eiusmodi dies consignati, in ecclesiâ, post vespertinum officium decantatum, sermonem habet, cui semihoram aliquantulum praeterire, non tamen certas iam enarratas dicendi leges, liberum esse debet. Eisdem diebus a kalendis novembris usque ad celeberrimum Christi Domini Resurrectionis diem, sicut etiam dominicis mane toto anno, ab aliquo ex nostris sermo in oratorio habendus est. Sed hac de re aliâs. Nunc satis est referre nostras constitutiones huc pertinentes.

Ad sermonem habendum in oratorio nullus admittetur ex nostris absque consensu patrum qui decennium expleverint in Congregatione.

Ex exteris vero nullus invitandus ad concionem habendam in oratorio vel ecclesiâ, nisi ex praepositi et quatuor deputatorum consensu.

Cap. IV.

De statu Congregationis Oratorii perpetuo.

Nunc statum et formam Congregationis nostrae penitus immutabilem in promptum ponimus, duobus decretis expressam. Horum primum his verbis sancitum est:

Cum nostra Congregatio solo charitatis mutuae nexu, neque ullis adstricta votorum, iuramenti, aut promissionis huiusmodi vinculis, olim per beatum patrem Philippum Nerium fuerit divinâ inspiratione instituta, atque haec fuerit eius et omnium Congregationis patrum mens semper unanimis, ac sit, ut ita perseveret; decretum est, si quando alii-

1 Sic omnes editiones, nisi quis malit legere *audito* (R. T.).

qui ex nostris putaverint ab hoc statu recedendum, et alligare patres, fratresque ullis votorum, iurisiurandi, aut promissionis vinculis, etiam si isti maiorem partem conficiant, ut sit ipsis quidem liberum, quam velint, ingredi Religionem, sed altera pars, quamvis numero longe impar, habeat omnia bona Congregationis quocumque loco posita, quandiu perseveraverit in hoc statu, nec alteri quicquam dare, vel acquisitum vel acquirendum, teneatur. Sic enim conservabitur in Ecclesiâ Dei circumdatâ varietate. Hactenus decreti verba, ut inde etiam appareat parentem optimum in Christo nostrum adduci non potuisse, ut suos aliâ viâ filios duceret, qui pro christianâ charitate religiosos homines tam religiose coluit, et pro singulari prudentiâ sanctissima tot ordinum instituta votorum vinculis religare se volentibus eo tempore ad omnem christianae disciplinae praestantiam satis esse noverit[1].

Alterum decretum est: *Ne quis, praetextu amplificandae Congregationis, eam dissipet, atque ut confusio vitetur, quam multitudo parere solet, arctiusque inter se, qui sunt e Congregatione, amoris vinculo colligentur, quem quotidiana consuetudo conciliat, ac mores cuiuslibet ipsorum ex hoc cognosci possint, et notorum vultus cuncti revereantur; statutum est, ne Congregatio alibi ullum locum recipiat, neque alterius Congregationis regendae suscipiat onus. Si quae[2] vero aliorum locorum collegia et congregationes nostra instituta obtinuerint et servare voluerint, non sint illa quidem nostrae annexa, neque clerici eorum sint e Congregatione Oratorii-Romani. Quemadmodum esse debet instituti, ut unaquaeque domus aut familia, nostrae formam imitata, separatim ab aliis se per se regat et moderetur.*

CAP. V.

De praepositi et quatuor presbyterorum deputandorum electione et munere.

Ad Congregationis rerumque ad ipsam spectantium gubernationem et curam, praepositus primum eligitur, quem etiam patrem appellamus, deinde quatuor presbyteri deputantur; de quorum omnium electione et munere sic decernit Congregatio:

Nullus praepositus eligetur, qui in nostrâ Congregatione quindecim annos non permanserit (quo temporis spatio deputati vel ministri sit functus officio) et qui aetatis suae annum quadragesimum saltem non attigerit:

Electio praepositi pertinebit ad omnes sacerdotes Congregationis, qui exacto decennio fuerint admissi ad ius suffragii ferendi; laici vero certo sciant se nihil ad electionem praepositi, deputatorum, praefectorumque iuris habere, munia assignata ex praescripto duntaxat obituri:

Tam praepositus, quam deputati, et ceteri officiales eligi possunt etiam absentes:

Praesse debet in electione, absentiâque praepositi, quasi superior, qui primum e sacerdotibus nostris tenet post praepositum in Congregatione locum.

Fiet autem praepositi electio hoc modo. Qui erit a secretis, singulis electoribus schedulas dabit, in quibus scriptum vel typis impressum sit nomen eligendorum, ut illas in vas coniiciant, videntibus duobus ad id muneris deputandis. Eductus[1] autem iisdem duobus cernentibus a secretario clarâ voce legetur, et electus is erit praepositus, in cuius electionem convenerint electores medietate plures. Hunc sane

1 Melius editt. pr. legunt *novit* (R. T.).

2 Potius videretur legendum *Si qua* (R. T.).

1 Sic omnes editt.: legendum autem potius videretur *eductum*, nempe nomen, vel *eductae.... legentur*, scilicet schedulae (R. T.).

modum eligendi, donec consentiant, decies repetere possunt; post decimum vero scrutinium, si necdum in unum pars maior mediâ conspiraverit, compromissum fiat, ut scilicet quinque solum ex electoribus praepositum e duobus tantummodo deligant, in quos plura suffragia ex quacumque disquisitione hactenus collecta concurrerint; quod exemplo declaratur. Si enim duo vel plures octavum sibi numerum in suffragiis obtinuerint, vel unus aut plures octavum, alii vero septimum; tunc, ceteris omnibus reiectis, horum tantum delectus electoribus habendus est. Ipsi autem electores quinque compromissarii, quibus scilicet datum est arbitrium deligendi praepositum, in ipsâ tunc simul congregatione ita sunt deputandi, ut singuli ad eam electionis potestatem plures sibi suffragantes habeant (non enim plura medietate suffragia in ipsis deligendis requiruntur) et ex illis constituantur, qui non fuerint inter primos eligendos numerati; his enim duobus eo tempore nulla ad huiusmodi electionem relinquitur facultas, sed activâ simul, ut dicitur, et passivâ voce privantur: si quando tandem[1] schedulis eductis compromissarii pares extiterint, electus habeatur, qui debito in Congregatione sibi loco aliis pariter concurrentibus praestat.

Tres annos duret praepositi munus, et confirmari possit tertio quoque anno, Congregationis arbitrio. Ad eamdem mensam unâ cum ceteris accedet et assidebit, nisi impediat invaletudo.

Nihil singulare habeat in ecclesiâ, mensâ, cubiculo, domi, forisve, praeter locum primarium, et laicum ex nostris a deputatis assignandum, qui omnem in eius obsequium conferat operam.

Circa rem familiarem et bona Congregationis administratione utatur accuratâ, praestetque nostris ad victum et vestitum

1 Edit. Veron. 1852 legit *tamen* pro *tandem* (R. T.).

necessaria. At vero pauperibus, aut aliis qui non sunt ex nostrâ Congregatione, quolibet mense nummi aurei summam poterit elargiri; in maiori quidem summâ, quotiescumque eiusmodi largitionum se dederit occasio, quatuor deputatorum requiret consensum; cum vero decem nummos aureos excedere contigerit, totius Congregationis. Idem in aliis cuiuslibet completi operis aut negocii servet impensis extraordinariis, et ad victum aut quotidianum familiae nostrae usum nihil attinentibus.

Totius Congregationis gubernandae, omniumque curandorum quae ad eam spectant, prima potestas sit penes praepositum: ad ipsum enim solum pertinebit Congregationem, si opus fuerit, convocare, tractanda proponere, rite constituta perficienda curare, exigere quoque rationem actorum vel agendorum a singulis nostrorum quibus est aliquod munus vel onus quomodolibet ubique locorum mandatum, et videre ut singula recte expediantur. Convocabit ad hoc congregationem quatuor deputatorum saltem qualibet hebdomadâ, sine quorum consensu nihil agat[1], quod spectet ad universalem gubernationem domus et eligendos aut amovendos officiales. A praeposito enim et quatuor deputatis ceteri officiales et ministri triennium duraturi eligentur, excepto confessario, ad quem eligendum plures ex electoribus convenire debent in ipsâ Congregatione proxime post praepositum et deputatos electos, horum enim nullus ei muneri praeficiendus est.

Domesticis autem officiis praefecti, quos officiales dicimus, suis nominibus satis noti sunt, qui sequuntur:

Sacerdos a confessionibus;

Corrector ex senioribus, qui secreto corripiat errantes;

1 Reliquae edit. habent *aget* (R. T.).

Minister, qui rebus domesticis administrandis, praepositi sententiâ consultâ et exploratâ, det operam;

Praefectus sacrarii, cuius paternae curae sacrarii ministerio assignati committuntur, sicut ministro ceteri laici omnes;

Custos sacrarii;

Praefectus Oratorii et adiutor;

Praefectus sermocinantium in ecclesiâ;

Praefectus coeremoniarum;

Praefectus musicae;

Receptatores hospitum duo;

Monitor precum, quas debemus commendatis in mensâ vesperi;

Tyronum praefectus;

Custos depositae pecuniae;

Negociorum domesticorum procurator et adiutores;

Bibliothecarius et adiutor, qui non permittant e communi bibliothecâ libros extrahi;

Minister infirmorum et adiutores;

Praefectus aedificiorum et adiutor;

Praefecti corrigendis legentium erroribus in mensâ duo;

Aromatariae praefectus et aromatarius;

Pecuniarum exactor et dispensator;

Custos suppellectilium;

Cellae penariae custos;

Cellae vinariae custos;

Custos triclinii;

Ianitores.

Hos praesertim Congregatio singulos huiusmodi constitutione voluit admonitos:

Nemo munus a Congregatione seu praeposito et deputatis demandatum recuset, sed omni animi demissione [1] suscipiet; quod si aliquâ ex causâ sibi recusandum iudicabit, postquam ea quae senserit, debitâ modestiâ, semel aut iterum exposuerit, nec praepositus et deputati approbaverint, iniunctum munus sine ullâ amplius excusatione accipiet.

1 Edit. Main. legit *dimissione* (R. T.).

De deputatis autem cum praeposito eodem tempore eligendis, haec habentur:

Post electionem praepositi, statim eligentur ei quatuor ex presbyteris (qui decennium transegerint in Congregatione, ex quo sunt admissi ad primam probationem, et ius habeant eligendi) a totâ Congregatione, de quorum consensu, ut dictum est, cuncta a praeposito agentur, quae ad universalem Congregationis gubernationem pertinere ipse iudicaverit.

Ab eisdem ergo presbyteris omnibus exacti decennii eodem modo, quo supra, usque ad tertium scrutinium, eligentur quatuor deputati, singuli separatim, in eâdem Congregatione, post tertium vero scrutinium, nullo facto compromisso, duo eligantur, in quos plura fuerint suffragia in illa trinâ disquisitione collata: si vero plures pariter concurrant eligendi, duo tantum, ceteris reiectis, ad electionem pervenire possunt, illi scilicet, qui aliis de more praeire debeant in Congregatione. Exemplum proponimus: si scrutinio ter peracto, in octavum alter suffragiorum numerum pervenerit, alter verso in septimum, hos dicimus duos, ceteris omni suffragio privatis, ad deputati munus per scrutinium provehendos: quod si plures septimum illum numerum obtineant, ille ex eis scrutinio similiter eligendus erit, exclusis aliis, qui debeat eis in Congregatione antecedere; si rursus paria duorum fuerint eligendorum suffragia, is similiter habeatur deputatus qui ex instituto alterum inter nostros sit solitus anteire.

Unus e [1] quatuor deputatis triennii praeteriti (tres enim annos durat cuiusque munus) aut etiam, si placebit, duo confirmentur in tres alios annos, qui post illos confirmari amplius non possint.

Ex deputatis item eligetur aliquis a secretis ex ipsorum consensu deputatorum,

1 Edit. Main. legit *a* (R. T.).

qui singula decreta a Congregatione universali, vel a praeposito et quatuor deputatis, in libro ad haec conficiendo notabit, et litteras, ad quos continget, scribet. Litterae autem omnes, quae negocia continent, in alio libro sunt exscribendae.

Deputatorum erit praeterea, cum praepositus decesserit vel finierit eius munus, seniorem praedictum monere, qui eius vice interim fungitur, ut convocet ad electionem praepositi convocandos; quod si ille negligat, ipsi convocabunt.

Si nemine dissentiente ipsis videbitur cessatio muneris concedenda vel indicenda praeposito ob iustam causam, quatuor e sacerdotibus exacti decennii advocabuntur: quod si his videbitur, iidem convocent Congregationem, a qua deponatur, et eligatur novus praepositus, sicut iam supra dictum est, eo modo tamen servato in praeposito deponendo, qui in eligendis tenendus est.

Singulis annis, mense ianuario, aliquis ex deputatis cum altero non deputato rationem omnium expensarum, quae toto anno fiunt, singillatim inibit, eamque initam in publicâ Congregatione referet, ut appareant omnibus, quae superiori anno factae sunt expensae, pateatque singulis contractum ne sit aes alienum, et quota sit summa rei familiaris et bonorum omnium nostrae Congregationis.

Cap. VI.

De admittendis in Congregatione et eiiciendis ex eâ.

Nostrae Congregationis patres, beati Philippi institutoris optimi morem sequuti, nonnisi homines probatae vitae, maxime idoneos et quasi ad institutum natos, recipi volunt ad suorum numerum aggregandos, etiam ad hunc modum factis decretis:

Minores duo de viginti annis ac maiores quadragintaquinque ad primam probationem non recipiantur, neque ii quos canones ab ordinibus arcent, nisi in ordine laicorum sint omnino permansuri, non infirmae valetudinis, non ii, qui ingressi sint aliquam religionem, nonnisi bonae apud omnes famae, qui Oratorii nostri frequentes fuerint auditores, et orationibus interfuerint, et saepius alicui ex nostris sacerdotibus soliti fuerint confiteri, et experimentum coeperint instituti nostri. In his tamen omnibus, si ita videatur patribus qui decennium expleverint in Congregatione, poterit dispensari.

Duo ex nostris presbyteris a Congregatione eligentur, qui diligentem adhibeant curam circa eos, qui admittendi sunt in Congregationem, ut vel antequam admittantur eorum vita et mores omni studio explorentur. Eapropter crebra cum illis inibunt colloquia, unâ cum ipsis versabuntur, nec his contenti, ab illis etiam certiores reddantur, qui eiusdem erunt patriae, et quibuscum[1] anteacto tempore, quam recipiantur, fuerint versati. Referre autem debent duo electi ad Congregationem iterum convocandam quaecumque de illis habuerint, si quomodo scire intersit, antequam secreto suffragia ferantur.

Praeter duos patres, quos eligendos ad id muneris diximus, alii etiam patres diligenti curâ exquirent, quae hactenus praefati sumus, et num animo veniant permanendi semper usque ad vitae obitum in Congregatione, non alio praetextu, quam ut Deo inserviant et observent nostrae Congregationis instituta seu constitutiones, quas propterea, antequam recipiantur, legendas patres offerent, quo rem totam maturiori consilio deliberent.

Quomodo autem oporteat admittendos expeditas habere res suas familiares et domesticas, habetur cap. VIII. Antequam enim per secreta suffragia admittantur, debent esse expediti ad vivendum nobis-

1 Minus apte edit. Main. legit *quibuscumque* (R. T.).

cum et habitandum, ne sic admissi extra Congregationem degant praeter tempus dierum aliquot, ut ad summum quindecim.

Admissi ad primam probationem, non continuo tyronibus aggregabuntur, sed mensem veluti hospites in nostris aedibus morabuntur, ut interim omnia nostra cognoscant, ac maturius deliberent; et e contra ipsorum periculum fiat, si prompti sint in omnibus parere, vel in humillimis ac durissimis, si exercitationibus sanctarum meditationum et sacramentorum sint a se ipsi devoti, non contentiosi, non pertinaces, non superbi ullâ omnino in re adversus maiores, aut etiam minores.

Si bonum sui specimen dederint, post mensem eorum nomina in libro ad haec destinato notabuntur, et inde annus primae probationis incipiet, per quod anni spatium si fuerint in vitae laudabilis ratione versati, in secundâ probatione biennium consistent, alioquin dimittentur a praeposito et deputatis, quorum est munus ad primam et secundam probationem admittere. Exacto autem triennio, si laudem simili modo probatae vitae habuerint in convictu, ut esse possint e Congregatione nominatim decernendum est. Aggregabuntur ergo per secreta suffragia, poteruntque deinceps ad omnia ministeria, excepto praepositi et deputati munere, eligi. Ius autem ipsi alios eligendi post decennium solum habebunt, nisi de consensu deputatorum praepositus hoc ius ex causâ statuerit differendum.

Quod si quis eorum, aliâ nullâ intercedente causâ nisi oblivionis aut modestiae, ad tempus non petierit, quod a Congregatione fuisset accepturus, cum in nostrorum catalogum admissus referetur, ab eo tempore censeatur aggregatus, quo expletum fuerit consuetum triennium vel decennium.

Admittere ad Congregationem et omnia supradicta pertinebit ad sacerdotes expleti decennii, et stabitur maiori parti suffragiorum; ad primam tamen et secundam probationem, ut dictum est, ad praepositum et deputatos.

Nemo possit expelli e Congregatione, nisi primum in unum locum congregati fuerint omnes presbyteri qui decennium exegerint in Congregatione, numerandum a die qua sunt admissi ad primam probationem, et singuli suum suffragium dederint; et, quod duae e tribus partibus statuerit, id fiat. Quod si in tres partes non poterit fieri presbyterorum aequa distributio, tunc servabitur ratio, quae est octo ad tredecim, aut quatuordecim, ita ut octo exempli gratiâ conficiant duas partes, sive tresdecim sint presbyteri, sive quatuordecim.

Nemo possit expelli e Congregatione, nisi propter iteratam, gravemque pertinaciam, vel grave delictum: sed qualia sint singula huiusmodi, stabitur iudicio duarum partium e tribus, numerandarum ut supra.

Cap. VII.

De tyronum institutione.

Admissi ad primam probationem, sive clerici, sive sacerdotes, donec fuerint, expleto triennio, nostris adscripti, eius curae commendantur, qui id muneris in Congregatione sustinet. Is ad fructum animorum omnia referens, praeter virtutum singulare studium, quarum maxime compotes esse nostros oportet, curet alia quaedam proponere quae sunt hactenus observata: ut videlicet

Sacro quotidie inserviant;

A studiis litterarum superioris arbitrio abstineant; haec enim moderanda primum, ut divinâ sapientiâ imbuti discant amare nesciri;

Ad mensam, signo dato, sine ullâ morâ conveniant, ibique, ex praescripto, ministratoris vel lectoris officio fungantur;

Singuli ministrent vel legant singulis

diebus aut hebdomadis, tam primâ quam secundâ prandii vel coenae horâ; qui vero ex eis sacerdotes fuerint, ad primam nonnisi mane ministrare solent.

Lectionem similiter in ecclesiâ, ut cuique sua fuerit constituta hebdomada, sermonibus praemittant; intersint, dum habentur; atque etiam curent, ne quid omittatur eo tempore, quod esse solet instituti. Eam vero ministrandi et legendi consuetudinem iam aggregati ad decennium usque retineant, vel circiter superiorum arbitrio, praepositi scilicet et deputatorum.

Ubi finem sermones habuerint, quorum quotidie duos vel saltem unum audierint, ut etiam valetudini quadam ex parte inserviant, in aliquam ambulationem veniant.

Vesperi ad orationem in oratorium se conferant.

A prandio et coenâ, animi recreandi gratiâ, per horae spatium eorum quisque in unum cum aliis locum adveniat, et omni mitigatâ severitate, vultu hilariori, modeste tamen, sic se gerat, ne alium vel ioco[1] tangat.

Si quis eorum per ianitorem accersatur ab aliquo, statim ad portam domus descendat, se paucis expediat, et neminem externorum in cubiculum suum, vel omnino in aedes nostras, inscio superiore admittat.

Nec domo, nec soli, nisi facultate ab eodem datâ, aliquando exeant.

Nulla externorum negocia, vel quaecumque in Congregatione degentibus, seu consuetudine sive decreto aliquo, sunt denegata, sine praepositi etiam licentiâ administrent aut conficiant.

Ab administratione sacrorum, ipsoque sacrario festis diebus, vix necessitate cogente recedant.

Altare cuius quisque curam suscepit, ut tempori congruit ex vicissitudine ecclesiastici mysterii, ornet.

1 Perperam edit. Main. habet *loco* (R. T.).

Ter in hebdomadâ assignato confessario peccata sua confiteantur, et qui non fuerint sacerdotes, eius arbitrio eucharistiam accipiant.

Curent, si quid erraverint, ut sponte se correctioni subiiciant.

De Congregatione autem, ad quam convenientes in aliquâ se culpâ esse demonstrant, extat huiusmodi nostrorum constitutio:

Congregatio culparum tyronum, idest eorum qui nondum triennium in nostrâ Congregatione exegerint, sive sacerdotes sint sive clerici, singulis fiet hebdomadis; ut scilicet ad omnium communem veniant, et eâ hebdomadâ, in qua non habetur communis, privatim apud illum, cuius curae sunt commendati, ad suas culpas coarguendas congregentur.

Adhibere etiam, loco accusationis iam dictae, aliquando solent probati cuiusque auctoris lectionem, ex qua saluberrimis vicissim documentis per communicationem et divinorum collationem imbui possint.

Cap. VIII.

De praecipuis nostrorum observationibus.

Ad excolendos diviniori disciplinâ suorum animos, et ad christianam veramque pietatem magis conformandos, haec praesertim interposita decreta servat Congregatio:

Ter in hebdomadâ sua peccata sacerdoti ad hoc delecto quilibet confiteatur, nisi aliquâ interdum de causâ permittatur ab ipso quispiam aliter facere. Hanc tamen consuetudinem a beato Philippo patres instituti perutilem ad salutem aeternam volunt et praedicant. Ad eucharistiam similiter sumendam se paret, sumatque si videatur eidem cui confessus fuerit.

Congregatio (ut dicimus) culparum, decimoquinto quoque die perpetuo fiat, in qua non modo sacerdotes intererunt, sed

clerici, laicique omnes nostrae Congregationis, et a novissimis ad primos quisque commissam a se aliquam in consuetudine familiari culpam, etiam levem, flexis genibus accusat, et, quoquo modo alicuius animum offenderit, petit ab illo veniam. In hac tamen accusatione pubblicâ nulla earum rerum mentio est, quarum secreta apud sacerdotem debet esse confessio.

Nemo ex sacerdotibus alios corrigat, qui decennium sacerdotii non expleverit in Congregatione.

Statuto igitur die congregatis omnibus, invocato primum, ut moris est, a praeposito in sacris precibus Spiritu Sancto, ille e sacerdotibus, cuius est ex ordine alios corrigere (solent enim in huiusmodi munere sibi invicem succedere), in sellâ ad praepositi dextram locatam vocatus assidet; et, perbrevi sermone ad inflammandos in Deum animos utiliter praemisso, fungitur in spiritu lenitatis officio correctoris; ac, dum clericos corrigit et sacerdotes, caput detegit, quod in laicis corrigendis non solet. Praepositum insuper corrigendum detecto capite stans admonet.

Laici et clerici, ubi suas culpas accusaverint, correcti, et a praeposito de aliquâ vitiosâ consuetudine emendandâ vel laudabili retinendâ quam brevissime etiam admoniti, simul discedunt. Singuli deinde sacerdotes, qui adhuc infra triennium approbationem expectant, se se culpant. His pariter abeuntibus, remanent ceteri sacerdotes, quorum accusatione expletâ, et correctione adhibitâ, praepositus Deo gratias agit precibus consuetis.

Praescribetur autem forma, ut dici solet, poenitentiarum, quam in illis conscribendis nullo modo transgredi liceat. In schedulis autem scriptae, eodem die quo fuerint accusatae culpae, vesperi in triclinio sub coenae finem per manus e sacculo singulis distribuantur.

Hac distributione factâ, ut sorte obvenerint[1], ordinatim et aperte legat coram omnibus quisque suam.

Eligetur praeterea, ut supra diximus, aliquis ex senioribus, qui correctoris officio fungatur. Huius erit unumquemque e nostrâ Congregatione, etiam deputatos et praepositum, clam corrigere; quod tamen munus omni mansuetudine et animi lenitate exequetur, seipsum, ut ait Apostolus, considerans, ne et ipse tentetur; ita ut se potius et vitia sua corrigere videatur, ut hac ratione fratres ad meliorem frugem reducat.

Quod domesticae tandem disciplinae studium postulat, eâ hebdomadâ, in qua nulla est communis accusatio culparum, laici omnes nostrae Congregationis, cuivis[2] ministerio assignati, apud ministrum convenire debent, ut ab illo erudiantur, et ad tenendam salutis aeternae viam benigne instituantur.

Ad haec, ne nostri inflammentur avaritiâ, vel ambitione prolabantur, ne modestiam leniter[3] abiiciant, vel temere auctoritatem teneant, his, quae sequuntur, constitutionibus aliquâ ex parte cautum est:

Quo Deo divinisque rebus expeditissime quicumque admittuntur in Congregationem se tradere possint, id maxime videbunt in primis, ne quid delitiosum[4] sit ullo modo in rebus familiaribus, quas habent; sciantque cuiuslibet anni redditus[5] expendendos in bonos quos ipsi iudicaverint usus, neque quicquam cumulandum, ne quis scilicet e nostrâ Congregatione ullam curam ponat in divitiis parandis; immo vero ex censu pro suis cuique facultatibus

1 Editt. propriae habent *obvenerit* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *cuius* (R. T.).

3 Forsan *leviter* pro *leniter* legendum (R. T.

4 Minus apte, ut videtur, utr. edit. pr. habet *litigiosum*; edit. Cherub. legit *liliosum* (R. T.).

5 Perperam editio Main. legit: *sciantque cuiuslibet anni redditus, expendendo in bonos*, etc. (R. T.).

in commune commodum Congregationis libere conferendum est. Quod a nostris adeo servatum est hactenus, ut si quis ob inopiam id non praestiterit, vel praestare intermiserit, statim atque de suo abundantior quoquo modo factus est, pecuniam pro ratâ[1] portione dare ac solvere non destiterit. Ita eis conveniens ac consentaneum semper visum est stipendiis propriis militare, et a rebus etiam Congregationis tamquam ab alienis abstinere, quibus ipsa debet in primis non habentes unde vivant sustentare suos. Nec propterea pecuniam imperat Congregatio, dum exigit quod ab hilari datore ex instituto pro victu offertur, idque etiam prout cuiusque facultates ferunt.

Possunt etiam praepositus et deputati partem vel totum assignatorum proventuum remittere, si eis videatur aliquâ de causâ id faciendum.

Omnia secularia negocia interdicuntur nostris, nisi aliquid iustâ de causâ mandetur expediendum a praeposito et quatuor deputatis.

Nulli ex nostris, quamvis fuerit requisitus, profiteri licebit sub aliquâ congregatione vel societate extra domum, vel aliquod onus suscipere sine consensu Congregationis.

Cum sint multi in Ecclesiâ Dei, qui audiendis monialium confessionibus aut dant operam aut dare optime possunt, propterea, ne quis ab instituto Congregationis nostrae proprio possit abduci, statutum est, ne nostrorum aliquis se se obliget aut dedat confessionibus audiendis, moribus reformandis, rebusque earum gerendis. Idem dicimus de seminariis, collegiis, congregationibus, societatibus, aut aliis universitatibus, rebusve earum quomodolibet tractandis.

Nemo episcopus, praesul, aut aliâ[2], quaecumque ea sit, dignitate ornatus[1], recipiatur in aedes Congregationis, ut in iis unâ cum nostris moraturus habitet, etiamsi id fiat ad aliquod tempus.

Nulla ecclesiastica beneficia petere aut accipere unquam omnino possint; habita olim, si residentiam personalem non requirant, poterunt retinere.

Dignitates ullas nemo possit accipere, nisi Pontifex iubeat.

Nec licebit, absque praepositi et quatuor deputatorum consensu, frequentare curias, neque officia vel beneficia pro se vel pro aliis exposcere.

Nulli sit proprius famulus; si qua aliquem necessitas premet, deferet ad praepositum, qui, unâ cum quatuor deputatis, quid ei[2] opus sit, curabit.

Nec sinat quis pueros ingredi cubiculum suum, nisi ducantur ab aliis, qui testes intersint; reliquos admodum parce admittant, sed vocati, deorsum ad illos se conferant.

Non admittatur aliquis ad quoscumque ordines ecclesiasticos absque consensu sacerdotum, qui decennium exegerint in nostrâ Congregatione. Eodem modo nec ad sermones habendos, vel ad confessiones audiendas, sicut alibi dictum est.

Nemo librum imprimendum det absque licentiâ praepositi et deputatorum.

Nulla lex a Sanctissimo confirmanda proponatur, nisi prius in eam consenserint presbyteri exacti in Congregatione decennii.

Quando lex aliqua universalis constituenda est, sacerdotes omnes intersint, qui expleverint triennium, votumque consultivum habeant; decisivum vero, tantum qui decennium compleverint.

Cum aliquid gerendum proponitur, antea publica et libera de eâ re habeatur

1 Erronee edit. pr. 1683 legit *parata* (R. T.).
2 Edit. pr. legit *aliqua* (R. T.).

1 Edit. Main. fert *aut alia quacumque ea sit dignitate ornatus* (R. T.).
2 Minus apte editt. pr. legunt *eis* (R. T.).

a patribus consultatio: deinde, aliquot transactis diebus, suffragia erunt secreta, nisi forte rei necessitas, utilitas, vel etiam aliquando modicitas, expediri statim post consultationem, de Congregationis sententiâ, per secreta suffragia, cogant. Sed, sicut dictum est, licet sacerdotes omnes admittantur qui exegerint triennium in Congregatione, votumque consultivum habeant; decisivum tamen solummodo illi qui decennium expleverint.

Cap. IX.

De vestitu et consuetudine familiari.

Has praeterea constitutiones et observationes ad externam nostrorum hominum modestiam exhibemus; ipsi ad interiorem animi virtutem habendam adhibere non negligant.

Nemo ex fratribus nostris, aut patribus, sericum quicquam in suis vestibus gerat, praeter breve, pressumque verticis operculum confovendo capiti, et velum interiori pileo insuendum;

Forma item vestium semper servabitur conveniens clericis secularibus;

Nostri laici gerent vestem demissam usque ad genua, paulo vero inferius pallium;

Qui ex domesticis impensis vestiuntur, quoties opus fuerit, ministrum adeant, vel, ipso absente, praepositum, eique proponant quibus indigent; ipsi autem ad subveniendum expositi, quo charitatis affectu valent, eorum petitionibus satisfaciant;

In vestitu, incessu, sermone, actione, gestuque omni, decorem[1] servent, modestiamque omnem singuli praeseferant: nulla tamen appareat nostrorum actio, ut dicitur, singularis, a vulgari et communi bonorum et simplicium vivorum moribus discrepans;

Quamquam vero nostrorum est consuetudo peculiaris, ut, se invicem honore praevenientes et sibi invicem obsequentes, quisque velit, ad demittendum animum, infimum inter alios tenere locum; ne tamen perturbetur quasi cuiusdam antecessionis aut aetatum ordo, praesertim publice, in sedendo, incedendo, aliisque actibus huiusmodi, ex sacerdotibus praecedent illi qui priores fuerint sacerdotes, ex quo admissi sunt in Congregationem; ita tamen, ut, si quis ex clericis exacti triennii promotus fuerit ad sacerdotium, tyronibus sacerdotibus, illis videlicet qui nondum triennium in Congregatione exegerint, praeferatur[1]; laici autem semper clericis postponentur;

Post prandium et coenam morabuntur omnes nostrae Congregationis homines in loco deputato per horae unius spatium, quo elapso, omnes in suum cubiculum se se conferant;

In electione vacantium cubiculorum, erit optio penes seniores sacerdotes, nisi aliter visum fuerit praeposito et deputatis;

Domo non egrediatur quisquam ex nostris sine permissu praepositi, nisi expleverit decennium in Congregatione; exacto enim triennio ad hoc usque tempus, illos, vel maxime sacerdotio nondum praeditos, praepositus per se vel per alium peculiari quadam curâ ad virtutum progressus iuvare solet;

Invitatus ad prandium vel ad coenam extra domum nemo accedat absque permissu praepositi;

Nemo externorum ad prandium vel ad coenam, inscio superiore, invitetur, multo etiam minus hospitio[2], nisi uno omnium consensu praepositi et deputatorum;

Ex exteris aliquem nullus patrum aut fratrum invitet ad praedia quaecumque

1 Aliae edit. habent *decorum* (R. T.).

1 Male edit. Main. et Cherub. legit *praeferantur* (R. T.).

2 Heic aliquid deesse videtur, ex. g. *recipiatur* (R. T.).

nostrae Congregationis, nec recipiet ut secum ibi moretur, sine consensu praepositi Congregationis;

Nullus abesse ultra mensem a Congregatione permittatur a praeposito, sive in patriam profecturus sit, sive alio, nisi de consensu etiam deputatorum;

Nullus e nostrâ Congregatione in baptismate aut alio sacramento quempiam suscipiet.

His apte congruenterque addenda sunt etiam et repetenda[1] nonnulla, quae, diuturnâ consuetudine recepta et probata, studiose retinentur a nostris:

Litanias enim in Oratorio vespere singulis hebdomadis singuli sacerdotes recitant;

In divinae sacrificio missae non solum singuli quotidie clerici laicique deserviunt, sed sacerdotes complures, laude quidem digni, sunt administri;

Mensae, praeter laicos et clericos qui perpetuo ministrant alterni, singuli etiam sacerdotes vespere singulis diebus ministratores adsunt;

Neque desunt ex nostris, qui se frequenter ad domos infirmorum hospitales conferant, ut operâ suâ aegrotantes iuvent;

Domi vero, cum quis nostrum aegrotaverit, omnes frequentes adsunt, subveniunt, consolantur, inserviunt, confirmant quam diligentissime;

Cum autem morti proximus quis fuerit, signo dato, conveniunt omnes, tam sacerdotes quam ceteri, ut divinam morienti misericordiam unanimes[2] exposcant;

Si quando alterum quis verbo offenderit, vespere inter coenandum, re dubiâ iam explicatâ, flexis in medio triclinio genibus, faciens se reum, veniam ab illo petit, quem offenderit: is vero assurgens, idemque faciens, culpam in se saltem convertit, quod occasionem dederit: iniuriosus autem meritâ afficitur a praeposito poenâ, aliquando levi, aliquando nullâ.

Poenae autem, quae culpis in Congregatione bis in mense accusatis imponi solent, sunt huius fere generis: trium priorum sacerdotum aut novissimorum pedes in mensâ deosculari: psalmum, cuius initium *De profundis,* submissâ voce, extensis brachiis, vel psalmum *Miserere,* coniunctis manibus, medio in triclinio recitare: in novissimo mensae loco recumbere: humi sedendo cibum capere: auxiliares preces ab ingredientibus triclinium flexis genibus flagitare, vel easdem petere ad delenda ante obitum poenitendo peccata: ante mensae accubitum aliquid a singulis recumbentibus eleemosynae nomine petere: secundae mensae ministrare, vel in eâ lectoris officio fungi: sacram beatae Mariae Virginis coronam pro summo Pontifice, aut pro beneficis[1] in Congregationem nostram, aut pro mortuis nostris recitare: infirmos, qui sunt in domibus hospitalibus, invisere; et aliae his persimiles.

Cap. X.

De triclinio et communi mensâ.

Assumenda tandem est tractatio mensae ad pium in triclinio convictum instructae, ubi singulis nostrum idem genus, eadem portio cibi potionisque suppetit. Legitur ipsa italice quandoque inter coenandum, arbitratu praepositi vel ministri, hoc fere scripta exemplo:

Cum primum prandii aut coenae datum fuerit signum, unusquisque nostrum, in[2] omni prorsus opere ac negocio cessans, ad triclinium se confert. Inter eundum silentium facit etiam dum a mensâ ad locum pervenerit, in quem homines nostri ad animum recreandum convenire debent.

In ipso primum ingressu capite incli-

1 Haec verba *et repetenda* in edd. pr. desunt (R. T.).

2 Edit. pr. habet *unanimiter* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. et Cherub. legunt *beneficiis* pro *beneficis* (R. T.).

2 Legendum potius videretur *ab* (R. T.).

nato veneratur imaginem sacram e conspectu propositam; deinde, consueto reverentiae signo salutans alios, modestus[1] ac silens prope mensam ut[2] suo stat quisque loco, nec epulas appositas nec alios ingredientes curiose circumspicit.

Praepositus, vel qui eius absentis locum obtinet, postquam tantisper expectaverit dum ex cubiculis convenire huc omnes potuerint, clare ac distincte ex praescripto S. R. E. mensae benedicit, et in primo loco ipse praepositus assidet, deinde alii, ut quotusquisque solet in Congregatione praecedere. Si quis vero tardius[3], lectione tamen latinâ nondum absolutâ, advenerit, stans prope ianuam orat paulisper tacitus, et praeposito[4] reverentiam exhibens, proxime post alios omnes assidet. Praeposito enim absenti, reverentiae et obsequii causâ, non autem aliis proprius relinquitur in mensâ locus. Post latinam tamen mensae lectionem non ingredietur, donec ad mensam iterum instructam consueto signo convocetur, ut ad benedictionem et gratiarum actiones omnes conveniant. Excipiuntur tamen confessarii, quibus permissum est, festis diebus, etiam absolutâ mensae lectione ad prandium venire. Mensae initio, donec praepositus ad cibum capiendum se expediat (antequam enim incipiat duos ad summum versus lectionis attendit), nemo quicquam attingit in mensâ. Cavent etiam, ne strepitus a principio nimius audiatur.

Singuli ex nostris iis contenti erunt, quae ipsis apponuntur in mensâ, nihil praeterea exposcentes, vel per se ipsi deferentes, nisi praepositi vel ministri fruantur licentiâ, qui et promptiores largientur et providebunt, quae opus esse et expedire unicuique iudicaverint. Si earum rerum, quae in mensam inferri solent et apponi, aliquid cuiquam deerit, ipse quidem per se a ministris exiget, eius tamen curae potius erit, qui propior[1] consideat.

Fit in mensâ silentium semper, modo non incurrat exceptio. Fit enim loquendi potestas proponenti vel respondentibus ad rem dubiam explicandam; praeterea denuncianti post coenam nostrorum precibus commendandos; praeposito demum vel ministro, cum quid occurrit, quod lectori committi non potuerit, nec differri debeat: alioquin silentii lex, qua etiam praepositus astringitur, est observanda.

Nemo in mensâ litteras legat, nec ianitor eas deferat, vel alicui quicquam denunciet comedentium. Quod si qua imminens urgeat necessitas, negocium cum praeposito, aut cum eo qui in illius locum succedit, collatum prius, exequitur ex consensu. Id ipsum servet, donec ex triclinio eo perventum fuerit, quo, animi causâ, nostri omnes conveniunt.

Post epulas, ablatâ mensâ, singuli, surgente praeposito, surgunt, et egressi ita stant prope mensam, ut, si commode id fieri possit, qui sedentes extremos occupabant locos, stantes occupent medios, et qui sedebant medii, stent extremi, singuli recto consistentes ordine. Praepositus solus dignitatis causâ paululum a ceteris disiungitur. Hic igitur situs et ordo, quo Deo optimo maximo gratiae referentur. Quibus peractis, egrediuntur bini ex triclinio, ut, qui in mensâ primus post praepositum sedebat, ipsi egredienti se adiungat, ac ceteri deinceps eodem ordine.

Nemo in triclinio, vel in proximo vestibulo ubi solum ad abluendas manus licet consistere, aliquam praeterea moram faciat.

Cap. XI.

Lector et lectio mensae.

Non solum corpori, sed etiam menti proprius suppeditari debet in mensâ cibus.

1 Male edit. Main. legit *modestus* (R. T.).
2 Videretur *et* potius quam *ut* legendum (R. T.).
3 Aliae edit. legunt *tardior* (R. T.).
4 Perperam edit. Main. legit *praepositus* (R. T.).

1 Male Main. et Cherub. legg. *proprior* (R. T.).

Sacra igitur ante alios libros leguntur[1] Biblia; deinde pia quaecumque commentaria vel monumenta[2]; postremo, superioris arbitrio, liber alius, in quo vel probatae sanctorum historiae, vel salutaria documenta italice habeantur. Lector autem, ante prandium vel coenam, in suggesto[3] se librosque parat ad legendum, stat nudato capite dum preces adhibentur ad mensam, et ubi versum illum protulerit *Iube, domne, benedicere*, expectaveritque donec omnes consederint, ipse etiam sedens, tecto ac recto capite, clarâ voce, distincte atque explicate legit. Lectione iam in suas partes sapienter distributâ, ab ultimâ non cessat, nisi iussus a praeposito, nec is iubet, nisi ultra dimidium prandium vel coenam. Quod superest in mensâ temporis, in quaestione, ut moris est, ponendâ ac responsionibus declarandâ traducitur. Lectoris erit non modo in mensâ, quos diximus, legere libros, sed ad rem dubiam ponendam invitare; singulis item hebdomadis semel, ut minimum, eorum, qui benefici fuerint in nostros, scripta nomina recitare; quaecumque tandem verbis aut scriptis a praeposito seu ministro iussus fuerit, referre. Nihil enim praeterea legere aut nunciare debet, quam quod sibi fuerit ab ipsis impositum. Correctus lector verba correctoris eodem syllabarum sono, quo ille pronunciavit, repetat: corrector autem ad hoc electus vocabulum solum, in quo erratum est, corrigere modeste, nec alia verba interponere, curet.

Legendi finem lector faciet, cum praepositum audierit verba illa pronunciantem *Et reliqua*. Tunc ille prolato versu *Tu autem Domine miserere nobis*, et sacerdote clarâ voce admonito, cui sit res dubia ex ordine proponenda, descendit, et exhibitâ praeposito reverentiâ assidet in mensâ, ut comedat.

Cap. XII.

Res dubiae in mensâ proponendae.

Post lectionem continuo unus aliquis ex sacerdotibus (id enim ipsi singuli, quorum est expletum in Congregatione triennium, praestare solent) singulis diebus mane et vespere ex litteris sacris et morali disciplinâ, vel ex praeceptis optimae mentis et conscientiae, aliquid proponit, quod possit in dubium vel controversiam venire: cavet tamen, ne quid arduum, obscurum, aut nimis exquisitum ponat, quo minus valeant singuli respondere. Si quando tamen aliquis non aliud responderit, quam se aliorum communi iudicio stare, datur id modestiae potius, quam inscitiae. Is autem, cui muneris eiusmodi dies obvenerit, etiamsi lector, ut moris est, non commonefecerit[1], per se proponit; si quis tamen externorum ad mensam vocatus adsit, non nisi iubente praeposito, vel alio in eius locum constituto; neque enim tunc lector, ut aliàs, ipsum praemonere debet. Absenti is ad proponendum succedit, qui proximus post illum in mensâ sedere consuevit. Si quis etiam tardior ad proponendum videatur, quod oblivione vel negligentiâ accesserit imparatus, praepositi est exposcere altiori voce, aut vicinioris convivae submissâ commonefacere[2]. Duae[3] quaestiones esse solent, quae dubitationem habentes ponuntur in mensâ; explicant[4] alterutram singuli; solus qui proponit, ut omnem dubitationem ultimus tollat, praemeditatus ad utramque respondet. Respondentium

1 Edit. Main. habet *legitur* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. habet *commentaria vel commentata* (R. T.).

3 De hac voce vide Ducange (R. T.).

1 Edit. Main. legit *non commune fecerit* (R. T.).

2 Iterum edit. Main. habet *commune facere* (R. T.).

3 Aliae edit. addunt *quidem* (R. T.).

4 Perperam edit. Main. legit *in mensa explicata* (R. T.).

is primus esse debet, qui proponenti proximum inferiorem locum in mensâ tenet; deinde alii sacerdotes expleti in Congregatione triennii eodem ordine. A responsis, quae debent esse quam brevissima, recedat omnis apparatus et ostentatio. Proponitur enim explicandum quod dubium est omnium nomine, ut quisque, quasi discipulus a praeceptore interrogatus, respondeat, etiam is qui proposuit.

Appendix.

De ipsis tamen constitutionibus haec habentur:

Si quid ambiguum fuerit in nostris constitutionibus, praepositus et deputati declarabunt; nullo tamen modo possint eas immutare, derogare, aut aliquâ ex parte innovare, vel nova condere.

Appendix primi capituli consulto seposita.

In Oratorio nostro ad vesperum quotidie, dato signo, lampade ac luminibus accensis, horologio item arenario super altare posito, ante sacram beatae Virginis Mariae imaginem, a solemni Christi Domini Resurrectionis die usque ad kalendas novembris[1] hora diei[2] vigesimaquarta, ex kalendis autem novembris[3] ad sanctum Pascha prima noctis orationi praefinita est; festis vero diebus[4] etiam secunda: habetur enim sermo, fitque concentus musicus.

Est autem orandi ritus, ut, ubi[5] dimidiam horam taciti in oratione, ut dicitur, mentali traduxerint, accensis ab aedituo reliquis in altari luminibus, et signo dato, sacerdos, ad quem per hebdomadam pertinet, litanias incipiat et preces consequentes, alternis etiam multitudinis congregatae vocibus recitandas, sibi solas reservans orationes. Cum vero ad pacis orationem pervenerit, cuius est initium, *Deus, a quo sancta desideria*, etc., duo confestim ex Oratorii fratribus vel ministris sacras clementissimi Iesu ex altari sumentes imagunculas, sacerdoti primum genuflexo osculandas praebent. Exosculanti autem dicentique hinc atque inde *Pax tecum,* inclinato ipsi capite respondent *Et cum spirito tuo.* Deinde singulis, qui sunt in Oratorio, cum salutatione qua sacerdos usus est, eas ad osculum sanctum offerunt. Ceteris interim orationibus absolutis, petit ab omnibus clarâ voce, ut a Deo iugem in eius cultu et servitute perseverantiam precentur, quinquies secreto orationem dominicam et angelicam salutationem recitantes: dicit enim, *Petamus, quaeso, nobis in divinis perseverantiam*, *recitantes*, etc. His adhibitis precibus, petit iterum, ut pro summo Pontifice, cardinalibus, aliisque sacerdotum primariis, pro christianorum principum concordiâ, fidei propagatione et haeresum extirpatione, atque improborum hominum obtinendâ conversione utramque bis repetant. Tum inde semel pro fratribus Oratorii vitâ defunctis, precantes illis requiem sempiternam. Postea, versu illo prolato *Dominus det nobis suam pacem*, antiphonam beatae Mariae pronunciat, vel *Salve regina*, vel aliam tempori magis congruentem. Tandem, qui pacis osculo per sacras imagines primum alios, deinde se ipsos invicem salutarunt, quaecumque acceperint eo tempore orationibus commendanda, referunt sacerdoti, qui omnes adhuc obsecrat, ut velint pro eiusmodi rebus orationem dominicam et angelicam salutationem semel repetere,

1 Heic ad marg. edit. Main. notat *septembris*, et ita legunt edit. pr. (R. T.).

2 Perperam edit. Main. et Cherub. habet *die* (R. T.).

3 Iterum ad marg. edit. Main. notat *septembris*, et sic legunt editt. pr. (R. T.).

4 Ad marg. in *Bullario* legitur *a kalendis novembris*, et sic reapse est in textu editt. pr. (R. T.).

5 Perperam Main. et Cherub. legunt *ibi* (R.T.).

et sanctissimum Iesu nomen quinquies invocare. Et prece completâ, cum ipse versum pronunciaverit *Divinum auxilium maneat semper nobiscum*, et ad osculum usque terrae sese omnes inclinaverint, Oratorium dimittitur.

Hic perpetuus est orationis usus, exceptis secundâ, quartâ et sextâ feriis, totâ praeterea maiori hebdomadâ. His enim diebus, ob memoriam flagellorum quibus innocens pro nobis Christus Dominus caesus fuit, se omnes in Oratorio flagellis caedunt. Est autem consuetudinis et instituti (nisi huiusmodi dies festi sint, aut hebdomadae Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi), ut post horae dimidiae tacitam orationem, quam mentalem appellant, statim aliqui ex Oratorii custodibus vel curatoribus, flagella ex funiculis crebris contexta nodis distribuentes, missis foras (si qui sint) pueris, ianuis, fenestrisque diligenter clausis, lucernulâ tantum accensâ, quae sit intra eius artificii lanternam super altare tunc positam, ut tantum inde Christi cruci affixi nitida, nihil tamen fulgoris emittens, appareat imago, ceteris extinctis luminaribus, tenebras obducant. Tunc sacerdos clarâ, lugubrique voce pronunciat versum *Iube Domine benedicere*.

« Passio Domini nostri sit semper in cordibus nostris.

« Recordemini, fratres charissimi, quod Dominus noster Iesus Christus fuit pro nobis venditus, osculo traditus, ad Annam primum, deinde ad Caipham pontificem ductus, et postremo in praetorium ad Pilatum, ubi fuit ad columnam ligatus et flagellatus, spineâ coronâ coronatus, ac veste purpureâ circumdatus, alapis percussus, atque consputus, et Iudaeis traditus ut crucifigerent, ad Calvariae locum deductus et crucifixus, et cum eo crucifixi sunt latrones duo, unus a dextris et alter a sinistris: et cum dixisset *Sitio*, porrexerunt ei acetum, quod cum accepisset, dixit *Consummatum est*, et inclinato capite emisit spiritum *(Hic singuli sibi pectus pugno tundunt)*; deinde unus militum lanceâ latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua, et de cruce depositus, fuit in monumento novo sepultus, tertiâ autem die resurrexit a mortuis. *Tu autem Domine miserere nobis*. ℟. *Deo gratias*. Sequitur:

Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, etc.

Ad haec verba arreptis funiculis nudatum corpus tamdiu verberant, donec psalmi L, nempe *Miserere*, cum versu *Gloria Patri*, etc., et psalmi CXXIX, cuius initium *De profundis,* in cuius fine dicunt *Requiem aeternam*, etc., versus alterni devote pronuncientur: insuper orationes *Fidelium Deus omnium conditor et redemptor*, et *Deus qui culpa offenderis*, etc.; ad cuius finem fit, signo dato, flagellorum finis. Sacerdos autem ad orationem dominicam et ad salutationem angelicam quinquies repetendam hortatur, deinde bis pro Pontifice, etc. et semel pro fidelibus defunctis, etc., ad eumdem plane modum quo aliis diebus orare solent in quibus abstinent a verberibus. Hoc interim spatio singuli in tenebris et silentio suis se vestibus induunt. Post haec cantici Simeonis, videlicet, *Nunc dimittis servum tuum Domine*, etc. versus alternos recitant. Parat interim se custos, ut cum illa verba audierit *Lumen ad revelationem gentium*, etc., laternam aperiens, lumina rursus accendat. Sequitur sacerdos orans, *Da pacem Domine*, etc., et oratione illâ absolutâ, *Deus, a quo sancta desideria*, etc. offeruntur ad pacis osculum imagines sacrae eodem penitus ritu, quo aliis feriis. Additis interim orationibus aliis consequentibus, subdit orans *Dominus det nobis suam pacem*, respon-

dent *Vitam aeternam, amen.* Postremo sanctam Virginem Deiparam salutant antiphonâ consuetâ, ut anni tempus apte congruenterque postulat, itemque cetera, ut in aliis feriis, in quibus nullus est flagellorum usus.

Cap. XIII.

Exercitationes, in quibus versari solent dominicis diebus.

Æditius, vel quivis alius custos, mature diebus dominicis fores oratorii mane aperit. Lector succedit ad lectitandum librum optimi cuiuspiam argumenti, ac salutaris tractationis, donec, frequentiori concursu facto, praefectus vel adiutor flexis genibus ad pie meditandum aliquid proponit: postea litanias ac ceteras orationes prosequitur, sicut vesperi moris est quotidie facere. His absolutis, unus aliquis sacerdotum, qui ad audiendas confessiones non sunt deputati, ex evangelio sermonem habens ad diem recurrente, simplici stylo, ad peccata cavenda, ad optimos mores retinendos, ad omnem denique conservandam pietatem, horâ non amplius dimidiâ, adhortari solet auditores. Sermone habito, et oratione dominicâ, angelicâque salutatione repetitâ, interrogat praefectus, adsit ne aliquis, qui noverit quempiam ex fratribus aegrotare, ut statim ad hoc muneris delectos, vel quos maluerit, mittat, qui languentem visitent, consolentur, moerore vel inopiâ sublevent, ad peccatorum confessionem, atque ad dolorem patienter placideque ferendum hortentur. Infirmi fratris nomen et habitatio scribitur in tabellâ, ne visitationis et orationis praetermittatur officium. Septem deinceps ex fratribus ad septem Urbis ecclesias, religione et sacris Pontificum indulgentiis toto orbe celebres, ac tres ad tria publica infirmorum hospitia mittuntur, ut quisque suam, quae sortito obtigerit, vel ecclesiam vel domum hospitalem semel infra hebdomadam visitet. Festis enim diebus ad haec pietatis officia fere omnes commeant. In his autem exercitationibus impendunt fere horam cum dimidiâ. Die autem dominicâ, quaecumque ultima mensis erit, praemonentur, ut ad syntaxim se praeparent, ad eucharistiam scilicet sumendam. Hoc sacramento primâ quavis die mensis dominicâ se communiunt; et a prandio in [1] oratorio vel in schedulis compendiaria quaedam documenta scripta, vel sanctorum imagines chartaceae distribuuntur, ut suam quisque accipiat, et, quid per sanctum, cuius imago sibi obtigit, a Domino petere debeat, subscriptum in illâ cognoscat.

Cap. XIV.

Aliae a prandio exercitationes tam in dominicis quam in aliis festis diebus.

Post officium vespertinum festis quibusque diebus in ecclesiâ nostrâ decantatum et sermonem habitum, statim ex presbyteris nostris ac laicis, cum externis Oratorii fratribus, aliisque plurimis ad suburbanum peculiarem locum frequentes conveniunt, ubi super herbam considentes, primum, qui musici sunt, pium aliquod sacrumve carmen concinunt, deinde quispiam sermonem non minus pietate quam elegantiâ ornatum, ab Oratorii praefecto in scriptis traditum, recitat memoriter. Quo habito rursus concinunt. Surgit post haec Oratorii praefectus, vel alius cui sit a patribus demandatum, qui, aliquod [2] ad pie christianeque vivendum quam brevissime proponens argumentum, alterum ad dicendum invitat, ac deinceps tertium, immo, si tempus id postulet, etiam quartum: qui omnes ad rem propositam pari brevitate ac pietate, ad suam et audientium utilitatem, sermocinantur. Cum fue-

1 Praep. *in* ex editt. pr. addimus (R. T.).
2 Edit. Main. habet *aliquot* (R. T.).

rit dicendi finis, hymnus concinitur, ac demum omnes ad propria, vel ad Oratorium, revertuntur. Dum vero per aestivi caloris molestias ad huiusmodi loca non licet exire, in aliquod templum ad eas exercitationes se se conferunt. At hyeme, ex kalendis novembris usque ad sanctum Pascha, festis diebus vesperi ad salutationis angelicae signum in Oratorium itur. Durat dimidiam horam mentalis oratio. Litaniae recitantur, vel a musicis concinuntur. Oratio dominica, angelicaque salutatio ad solitum numerum [1] repetuntur. Antiphona sanctae Mariae Virginis, pro temporis opportunitate mutata, canitur, pium aliquod canticum musicis legibus concinitur. Sacerdos ex nostris, quotusquisque est in serie sermocinantium, Dei verbum adstanti populo, qua potest utilitate ac facilitate, per dimidiae horae spatium ministrat; rursus concentus efficitur. Ter prece consuetâ oratur Deus, Virgoque Deipara salutatur, ac coetus dimittitur.

Cap. XV.

Externorum in Oratorio munera.

Ex externis Oratorii fratribus eligitur a praefecto in primis rector, qui aliorum officiis praesit. Æditui vel custodes duo aut quatuor, qui Oratorium scopis verrant, lampades et candelas accendant, flagellorum, horologii et altaris ornandi curam gerant. Duo item vel quatuor aegrotantium curatores, qui infirmos fratres visitent. Aliqui etiam eliguntur, qui oblatam sponte pecuniam, vel aegrotantium fratrum, vel domorum hospitalium, vel demum Oratorii commodo, sincere ac diligenter attribuant; nec omnino accipiant, nisi quam sciunt, sponte oblatam, ut illud Apostoli dictum re verâ servetur *Non vestra, sed vos.* A secretis etiam aliquis deligitur, qui in libro, quaecumque tractantur, notat. Praeterea lector, qui pias lectiones diebus festis praemittit orationi. Ad infirmos item, qui sunt in valetudinariis, quolibet festo die perferunt corporis refectioni utilia, medico probata.

Expensarum autem rectori et Oratorii praefecto singulis mensibus, immo quoties eis libuerit, rationes ex praescripto referant. Nihil enim iuris, aut potestatis est hominibus exteris et laicis in Oratorii rebus, praeter administrationem a praefecto Oratorii traditam.

Cap. XVI.

Horum electionis ordo.

Quarto quoque mensi eliguntur exteri fratres ad eiusmodi munera, hoc plane modo: Oratione dominicâ et salutatione angelicâ recitatis, his praefectus solet precibus divinum auxilium invocare, videlicet: *Veni, creator*[1] *Spiritus, reple*, etc. Respondetur, *Et tui amoris*, etc. Versic. *Emitte spiritum tuum et creabuntur.* Respondetur, *Et renovabis faciem terrae.* Oratio, *Deus, qui corda fidelium*, etc. *Actiones nostras*, etc. Declaratis et publicatis[2], recitatur hymnus *Te Deum*, etc., antiphona beatae Mariae, oratio *Gratiam tuam*, etc., antiphona *Da pacem*, etc., oratio *Deus, a quo sancta desideria*, etc., item oratio dominicae eo tempore recurrentis, vel sancti cuius festum celebrari contingat. Electis pia aliqua documenta aut observationes brevissime leguntur.

Cap. XVII.

Admonitio.

Cum sit Congregationi nostrae liberum, omnes graviter delinquentes, vel statum

1 Heic in edit. Main. et Cherub. est signum * notae marginalis quae deest; in utrâque edit. pr. haec in textu parenthetice inserta leguntur: *(cum fit concentus musicus, trina est haec repetitio)* (R. T.).

1 Sic omnes edit.; sed forsan legendum *sancte* (R. T.).

2 Subintellige *iis qui electi fuerint* (R. T.).

eius perturbantes, de convictu et familià suorum dimovere ac depellere; cum satis item persuasum sit vix quemquam suae negligentem salutis diu permansurum, ubi et progressus ad virtutes, et perfectorum pia aemulatio[1] esse debet: beatus institutor asseruit, neminem penitus has constitutiones obligare ad peccatum velle. Ipse Deus arbiter, praemia pro pietate daturus aeterna, sit suà nobis benignitate propitius. Amen.

Hucusque Constitutiones[2].

Pontifex dictas ordinationes approbat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praepositus et presbyteri praedicti plurimum cupiant constitutiones et institutiones huiusmodi, pro firmiori earum subsistentiâ et inviolabili observatione, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, quatenus eorum votis in praemissis annuere, aliàsque desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, desiderii huiusmodi iustitiam attendentes, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum dumtaxat praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones et ordinationes praedictas, sicut praefertur, examinatas et recognitas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque omnibus et singulis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, et quosvis alios, etiam quantumvis substantiales defectus, si qui in praemissis, aut eorum aliquo, quomodolibet intervenerint, supplemus:

Illasque omnino servari praecipit.

§ 3. Decernentes, modernos et pro tempore existentes praepositos et presbyteros dictae Congregationis ab eis, prout illae quemlibet eorum adstringunt, nullo umquam tempore resilire posse aut debere, sed ad plenariam earum[1] observationem teneri et obligatos esse, et ad id poenis in constitutionibus et ordinationibus huiusmodi contentis cogi et compelli posse;

Contrariisque derogat.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Congregationis petitio pro prohibitione de qua supra.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Congregationi, illiusque praeposito et presbyteris, et quibusvis aliis superioribus et personis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIV februarii MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 24 februarii 1612, pontif. an. VII

1 Erronee edit. Main. legit *piam aemulationem* (R. T.).

2 Haec verba nos interserimus (R. T.).

1 Erronee edit. Main. habet *eorum* (R. T.).

CXCIII.

Prohibet quominus domus vel Congregationes sub titulo sancti Philippi Nerii erigantur sine facultate praepositi Congregationis Romanae[1].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis prohibitio.

§ 1. Cum dilecti filii praepositus et presbyteri Congregationis Oratorii sanctae Mariae in Vallicella nuncupatae de Urbe (quibus pridem a sede Apostolicâ indultum fuit, ut pro felici regimine dictae Congregationis statuta et ordinationes ab ipsis observanda facere et condere valerent), indulto huiusmodi inhaerentes, statuta et ordinationes condiderint, quae de mandato nostro revisa, et per nos apostolicâ auctoritate confirmata fuerunt; et, sicut accepimus, in diversis locis aliae Congregationes, ad instar primo dictae, erectae fuerint, quae a primo dictae Congregationis regulis declinare noscuntur;

§ 2. Nos, primo dictae Congregationis laudabile institutum in suo vigore perpetuo manere cupientes, dictorum presbyterorum supplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quaevis congregationes, ubivis locorum institutae, constitutiones et instituta sub denominatione B. Philippi Nerii, primo dictae Congregationis fundatoris, promulgare audeant, minusque in Urbe aliae domus eiusdem instituti absque praedictorum praepositi et presbyterorum licentiâ institui possint, sub poenis arbitrio nostro imponendis, et per contrafacientes ipso facto incurrendis, tenore praesentium prohibemus.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

1 Hanc Constitutionem quae in edit. Main. post sequentem posita reperitur nos ad praecedentem immediate adiicimus ratione materiae (R. T.).

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die III martii MDCXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 3 martii 1612, pontif. an. VII.

CXCIV.

Reformatio tribunalium Urbis, eorumque officialium[1].

Paulus Episcopus

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Universi agri dominici curam, meritis licet imparibus, divinâ dispensatione gerentibus, sedulo nobis invigilandum est, ut, quae ex veteri maledicto quotidie in eo spinae innascuntur et tribuli, ministerio nostri apostolatus, quantum ex alto permittitur, extirpentur. Quod si hanc sollicitudinem omnibus mundi partibus, ex officii nostri debito, debemus, illis sane impendere praecipue tenemur, quae nostro etiam temporali regimini creditae sunt.

Causae huius reformationis, et abrogationis aliarum reformationum, quae huic adversantur.

§ 1. Sane, cum a diversis praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus ad tribunalium almae Urbis nostrae reformationem, praesertim a felicis recordationis Paulo III et IV, Pio item IV et V, Gregorio XIII et Sixto V, multa variis temporibus provide ac salubriter constituta sint; tamen, quia successu temporis, ut humana fert conditio, complures abusus irrepserunt, idcirco, ut debitus decor ac forma, sicut iustitiae ratio et publica utilitas postulant, iisdem tribunalibus restituatur, apostolicâ auctoritate providendum duximus. Negocium vero huiusmodi

1 Huic reformationi addidit hic Pontifex taxas notariorum eorumdem tribunalium in Constitutione sequenti, et opportunas deinde edidit declarationes utriusque Constitutionis in aliâ Constitutione sequenti (R. T. ex Cherub.).

ut maturâ deliberatione et prudentium consilio, prout rei. gravitas postulabat, transigeretur, omnes pene almae Urbis nostrae praedictae magistratus, aliosque viros doctrinâ et usu praestantes, simul convenire, ac rem per eos diu multumque, vocatis etiam iis quorum interesse poterat, examinari fecimus. Quod cum longo tempore, multoque studio et labore, diligenter, fideliterque perfecerint, nos, de eorumdem consilio, omnes et quascumque alias praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutiones super reformatione tribunalium Urbis nostrae praedictae, in iis quae praesentibus nostris adversantur, abrogantes et revocantes, in aliis vero omnibus, praesertim in iis quae in praedictis constitutionibus constituta et ordinata sunt, confirmantes et innovantes, hac nostrâ in perpetuum valiturâ Constitutione sancimus, statuimus et ordinamus, ut sequitur:

§ I.

De signaturâ gratiae et iustitiae [1].

1. In primis, quod nullus referendariorum commissionem expediat, in qua non adsit a tergo nomen procuratoris, seu impetrantis, noti saltem ipsi referendario, cuius solius citatio sufficiat in reformatione ipsius.

2. Verum ipsi procuratores, seu impetrantes, suum nomen a tergo manu propriâ inscribant, et, de mendacio convicti, iuxta iuris dispositionem puniantur.

3. Ubi vero in commissionibus expediendis requiritur citatio partis, una saltem citatio unâ die pro alterâ fieri debeat personaliter, aut factis diligentiis per duos cursores (ut moris est) dimissa copiâ.

4. Atque in ipsis citationibus apponatur semper nomen referendarii, alioquin referendarii ipsi commissionem non expediant.

5. Similiter nullus referendariorum, propositas et reiectas in signaturâ iustitiae commissiones, in signaturâ gratiae coram nobis proponere audeat, nisi per signaturam iustitiae ad eamdem signaturam gratiae remissae fuerint, vel nisi talis sit materia, quae scientiam nostram requirat, et tunc praehabitâ semper licentiâ nostrâ et successorum nostrorum Romanorum Pontificum, vel saltem cardinalis praefecti pro tempore signaturae gratiae, qui parte auditâ deliberare poterit an causa proponenda sit.

6. Nec in antiquis et arduis materiis, in quibus plures hinc inde expeditae fuerint commissiones, et in avocatoriis a prioribus iudicibus, et quovis modo praeiudicialibus, referendarii manum apponant, nisi prius citatâ coram eis parte interesse habente.

7. Et cum agitur de revocatione aut moderatione alicuius praeinsertae, similiter manum non apponant, nisi in praeinsertâ appositum sit nomen referendarii, qui illi manum apposuit, ut rationem reddere et eam iustificare possit.

8. Nec etiam reformatio sive moderatio eiusdem praeinsertae a praefecto signaturae iustitiae (nisi nomen referendarii, ut praemittitur, in ipsâ praeinsertâ appositum fuerit) aliquo modo signetur.

9. In commissionibus appellationum ab interlocutoriis manus non apponatur, nisi expresso relevanti gravamine; neque in commissionibus appellationum a definitivâ cum clausulâ, aut vim definitivae habente, nisi res adeo exprimatur, ut videat referendarius, an tale sit gravamen, quod per definitivam reparari non possit; et, si in commissione apposita fuerit clausula, *Cum toto negocio principali*, tunc addatur, *iustificato tamen dicto gravamine.* Et idem servetur, quando est apposita clau-

1 Ad haec vide Constitutionem LXXII Pii IV in tom. VII, pag. 225, § 5, 6, 7, 10; et Sixti V Constitutionem CXVII, congr. 2, in tom. VIII, pagina 988 (R. T. ex Cherubinio).

CXCIII.

Prohibet quominus domus vel Congregationes sub titulo sancti Philippi Nerii erigantur sine facultate praepositi Congregationis Romanae[1].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis prohibitio.

§ 1. Cum dilecti filii praepositus et presbyteri Congregationis Oratorii sanctae Mariae in Vallicella nuncupatae de Urbe (quibus pridem a sede Apostolicâ indultum fuit, ut pro felici regimine dictae Congregationis statuta et ordinationes ab ipsis observanda facere et condere valerent), indulto huiusmodi inhaerentes, statuta et ordinationes condiderint, quae de mandato nostro revisa, et per nos apostolicâ auctoritate confirmata fuerunt; et, sicut accepimus, in diversis locis aliae Congregationes, ad instar primo dictae, erectae fuerint, quae a primo dictae Congregationis regulis declinare noscuntur;

§ 2. Nos, primo dictae Congregationis laudabile institutum in suo vigore perpetuo manere cupientes, dictorum presbyterorum supplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quaevis congregationes, ubivis locorum institutae, constitutiones et instituta sub denominatione B. Philippi Nerii, primo dictae Congregationis fundatoris, promulgare audeant, minusque in Urbe aliae domus eiusdem instituti absque praedictorum praepositi et presbyterorum licentiâ institui possint, sub poenis arbitrio nostro imponendis, et per contrafacientes ipso facto incurrendis, tenore praesentium prohibemus.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

1 Hanc Constitutionem quae in edit. Main. post sequentem posita reperitur nos ad praecedentem immediate adiicimus ratione materiae (R. T.).

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die III martii MDCXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 3 martii 1612, pontif. an. VII.

CXCIV.

Reformatio tribunalium Urbis, eorumque officialium[1].

Paulus Episcopus

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Universi agri dominici curam, meritis licet imparibus, divinâ dispensatione gerentibus, sedulo nobis invigilandum est, ut, quae ex veteri maledicto quotidie in eo spinae innascuntur et tribuli, ministerio nostri apostolatus, quantum ex alto permittitur, extirpentur. Quod si hanc sollicitudinem omnibus mundi partibus, ex officii nostri debito, debemus, illis sane impendere praecipue tenemur, quae nostro etiam temporali regimini creditae sunt. Prooemium.

Causae huius reformationis, et abrogationis aliarum reformationum, quae huic adversantur.

§ 1. Sane, cum a diversis praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus ad tribunalium almae Urbis nostrae reformationem, praesertim a felicis recordationis Paulo III et IV, Pio item IV et V, Gregorio XIII et Sixto V, multa variis temporibus provide ac salubriter constituta sint; tamen, quia successu temporis, ut humana fert conditio, complures abusus irrepserunt, idcirco, ut debitus decor ac forma, sicut iustitiae ratio et publica utilitas postulant, iisdem tribunalibus restituatur, apostolicâ auctoritate providendum duximus. Negocium vero huiusmodi

1 Huic reformationi addidit hic Pontifex taxas notariorum eorumdem tribunalium in Constitutione sequenti, et opportunas deinde edidit declarationes utriusque Constitutionis in aliâ Constitutione sequenti (R. T. ex Cherub.).

ut maturâ deliberatione et prudentium consilio, prout rei. gravitas postulabat, transigeretur, omnes pene almae Urbis nostrae praedictae magistratus, aliosque viros doctrinâ et usu praestantes, simul convenire, ac rem per eos diu multumque, vocatis etiam iis quorum interesse poterat, examinari fecimus. Quod cum longo tempore, multoque studio et labore, diligenter, fideliterque perfecerint, nos, de eorumdem consilio, omnes et quascumque alias praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutiones super reformatione tribunalium Urbis nostrae praedictae, in iis quae praesentibus nostris adversantur, abrogantes et revocantes, in aliis vero omnibus, praesertim in iis quae in praedictis constitutionibus constituta et ordinata sunt, confirmantes et innovantes, hac nostrâ in perpetuum valiturâ Constitutione sancimus, statuimus et ordinamus, ut sequitur:

§ I.

De signaturâ gratiae et iustitiae [1].

1. In primis, quod nullus referendariorum commissionem expediat, in qua non adsit a tergo nomen procuratoris, seu impetrantis, noti saltem ipsi referendario, cuius solius citatio sufficiat in reformatione ipsius.

2. Verum ipsi procuratores, seu impetrantes, suum nomen a tergo manu propriâ inscribant, et, de mendacio convicti, iuxta iuris dispositionem puniantur.

3. Ubi vero in commissionibus expediendis requiritur citatio partis, una saltem citatio unâ die pro alterâ fieri debeat personaliter, aut factis diligentiis per duos cursores (ut moris est) dimissa copiâ.

4. Atque in ipsis citationibus apponatur semper nomen referendarii, alioquin referendarii ipsi commissionem non expediant.

5. Similiter nullus referendariorum, propositas et reiectas in signaturâ iustitiae commissiones, in signaturâ gratiae coram nobis proponere audeat, nisi per signaturam iustitiae ad eamdem signaturam gratiae remissae fuerint, vel nisi talis sit materia, quae scientiam nostram requirat, et tunc praehabitâ semper licentiâ nostrâ et successorum nostrorum Romanorum Pontificum, vel saltem cardinalis praefecti pro tempore signaturae gratiae, qui parte auditâ deliberare poterit an causa proponenda sit.

6. Nec in antiquis et arduis materiis, in quibus plures hinc inde expeditae fuerint commissiones, et in avocatoriis a prioribus iudicibus, et quovis modo praeiudicialibus, referendarii manum apponant, nisi prius citatâ coram eis parte interesse habente.

7. Et cum agitur de revocatione aut moderatione alicuius praeinsertae, similiter manum non apponant, nisi in praeinsertâ appositum sit nomen referendarii, qui illi manum apposuit, ut rationem reddere et eam iustificare possit.

8. Nec etiam reformatio sive moderatio eiusdem praeinsertae a praefecto signaturae iustitiae (nisi nomen referendarii, ut praemittitur, in ipsâ praeinsertâ appositum fuerit) aliquo modo signetur.

9. In commissionibus appellationum ab interlocutoriis manus non apponatur, nisi expresso relevanti gravamine; neque in commissionibus appellationum a definitivâ cum clausulâ, aut vim definitivae habente, nisi res adeo exprimatur, ut videat referendarius, an tale sit gravamen, quod per definitivam reparari non possit; et, si in commissione apposita fuerit clausula, *Cum toto negocio principali*, tunc addatur, *iustificato tamen dicto gravamine*. Et idem servetur, quando est apposita clau-

1 Ad haec vide Constitutionem LXXII Pii IV in tom. VII, pag. 225, § 5, 6, 7, 10; et Sixti V Constitutionem CXVII, congr. 2, in tom. VIII, pagina 988 (R. T. ex Cherubinio).

sula, *quam et quas*, quae tamen non sit restricta per sola verba, *de et super praemissis*.

10. Et nihilominus in supradictis commissionibus appellationum ab interlocutoriis semper citetur pars, etiamsi exprimatur gravamen, ut supra dictum est, quod per definitivam irreparabile videatur.

11. Et ab excessivâ taxatione expensarum semel tantum appellatio committatur, et duae sententiae habeant vim trium.

12. Ubi pars commissionem aliquam dolose extorserit, et ob id commissio reformata fuerit, praefectus manu regiâ et exequutive expensas factas in reformatione commissionis restituere faciat, fine litis minime expectato.

13. Commissio pro dilatione, vel alternativâ, semel tantum concedatur, quam qui iam impetraverit, lapso trimestri, aliam (nisi a nobis vel successoribus nostris et signaturâ nostrâ gratiae) impetrare nequeat, et impetrata non suffragetur, nec tribuat iurisdictionem.

14. Abstineant praeterea referendarii ab appositione manuum in commissionibus nullitatum et attentatorum, nisi exprimantur nullitates ex defectu iurisdictionis, citationis, vel mandati, et ipsa attentata.

15. Item in commissionibus molestationum et iactationum, nisi additâ clausulâ, *Dummodo non sint iudicialiter illatae.*

16. Et omnino abstineant ab illis, in quibus narratur pronunciatum fuisse prout in cedulâ.

17. Nec etiam manum apponant in commissionibus prorogationis fatalium in causis criminalibus, nec illa concedatur[1] ultra primam vicem, nisi previâ praescriptione iudicis asserentis commissionem sibi signandam videri, et citato fisco.

18. In civilibus autem prorogationes huiusmodi ultra primam vicem nonnisi ex causâ concedantur.

1 Forsan legendum *illae concedantur* (R. T.).

19. Et similiter instantia, quae causis discussionum praescripta est, nullo modo (nisi ex magnâ causâ et per signaturam nostram gratiae) prorogetur.

20. Quilibet autem referendarius teneatur recipere contra commissiones, et eas omnino in eâdem signaturâ proponere, eoque casu sufficiat partem adversam per quinque dies ante signaturam fuisse modo suprascripto citatam.

21. Causae matrimoniales, et criminales clericorum et aliarum personarum ecclesiasticarum, committantur iis tantum, quibus dispositum est per Concilium Tridentinum committendas esse.

22. Causae vero criminales laicorum in terris Ecclesiae, locorum gubernatoribus committantur.

23. Regens cancellariae, et alii officiales ad expeditionem commissionum signaturae iustitiae deputati, absque morâ, receptis commissionibus, illas expediant, nec sub quovis praetextu illas penes se retineant. Et qui illas per turnum distribuere debent, illas sine aliquâ ordinis ipsius turni perversione distribuant, illasque ad bancum cursorum, etiam irrequisiti, sine morâ transmittant, sub poenâ privationis officii, et aliis arbitrio nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum.

§ II.

De camerario et camerâ Apostolicâ[1].

1. Camerarius, praesidentes et clerici fisci nostri negociis incumbant; utque illud liberius et facilius facere et exequi possint, causis inter fiscum nostrum ac privatos iuxta propriam eorum tribunalis naturam contenti sint; et propterea a cognitione causarum inter privatos, etiam per viam appellationis, etiam ex terris

1 Taxa huius curiae est in Constitutione sequenti § 1. Ad haec vide Pii IV Constit. XLIV § 3 seq., et Constit. CVI in tom. VII, pag. 137 et 310 (R. T. ex Cherubinio).

Ecclesiae, ad Sedem Apostolicam interpositae, omnino abstineant, nisi causae a negociis fiscalibus dependeant, aut ab illis originem trahant.

2. Similiter abstineant a commissionibus, et avocationibus causarum, necnon litteris monitorialibus et inhibitoriis, et sequestrationibus, et aliis huiusmodi, ubi non agitur de interesse fisci, etiam in terris Ecclesiae; cum haec ad signaturam nostram spectare noscantur, et aliàs ordo iudiciorum multipliciter confundatur.

3. Permittimus tamen camerario, pro minori pauperum dispendio, ut causas appellationum a sententiis definitivis, vel earum vim habentibus interlocutoriis, intra quadraginta milliaria ab Urbe, in rebus minimis et profanis summam[1] viginti quinque ducatorum non excedentibus (de quo dispositive mentio fieri debeat), per simplices litteras (aliàs iuxta formam iuris, et iuxta solitum) committere possit.

4. Insuper, ne delicta impunita remaneant, ab absolutionibus et remissionibus delictorum quorumlibet, etiam levium, aut illarum commissionibus, necnon salvis conductibus pro delinquentibus, etiam de delictis extra terras Ecclesiae commissis, omnino abstineant.

5. Similiterque a moratoriis dilationibus, nec etiam ad modicum tempus.

6. Necnon litteras camerales pro adipiscendâ possessione beneficiorum ecclesiasticorum, etiam nobis ac Sedi Apostolicae reservatorum, ac prorogationem temporis ad expediendas litteras apostolicas quarumcumque gratiarum, aut ad solutionem annatarum, vel collegio cardinalium aut officialibus debitorum, minime concedere valeant.

7. Clerici camerae (cum nullam iurisdictionem, ut singuli, sed tantum collegialiter, et in plenâ camerâ habere noscantur) nihil expediant privatim et singulariter, nec aliquas litteras aut patentes de quacumque re subscribant, nisi ex commissione eis factâ in eâdem plenâ camerâ, in qua omnia clare et distincte proponi ac in libro propositionum adnotari debeant, vel nisi agatur de negociis guberniorum et praesidentatuum et praefecturarum, quae privatim iuxta solitum expedire possint;

8. Notariique, in expeditionibus et scripturis desuper conficiendis, de propositione et commissione huiusmodi mentionem expressam facere teneantur.

9. Sed et tam camerarius quam clerici ipsi (ultra prohibita in praesenti reformatione) a quibuscumque licentiis, gratiis et indultis de rebus spiritualibus, in formâ gratiosâ vel commissariâ, etiam cum clausulis iustificativis, et aliis, tam in terris Ecclesiae quam extra illas, omnino abstineant,

10. Et similiter a quibuscumque aliis expeditionibus, quae sibi ratione suae ordinariae iurisdictionis propter publicam utilitatem expresse per litteras suarum facultatum concessae non reperiuntur. Nec praetextus consuetudinis, aut quasi possessionis, etiam antiquissimae et immemorabilis, in similibus concedendis eis suffragetur, etiam si consuetudo vel quasi possessio huiusmodi per litteras aliquorum Pontificum generaliter approbatae fuerint.

11. Constitutio felicis recordationis Pii Papae IV super reformatione tribunalis camerae apostolicae incipiens *Cum inter ceteras*, sub datum kalendis novembris anno MDLXIV[1], iuxta solitum legatur singulis annis in primâ camerâ mensis octobris.

12. Causae coniunctorum et propinquorum alicuius clerici, ad quartum gradum

[1] Erron. Cherub. et Main. legg. *summa* (R. T.).

[1] Quam vide in tom. VII, pag. 310 R. T.

exclusive, ipsi clerico nullatenus committantur, nec quisquam eorum sibi commissas audiat, sed eas expressâ causâ recuset.

13. Nec etiam in discussionibus et decisionibus tam illarum, quam aliarum quarumcumque causarum, in quibus aliquod interesse praetendere posset, sive clericus, sive assistens ille sit, ullo modo interesse, nec ullum votum habere, sed statim a dictâ camerâ, etiam dum causa proponitur, etiam iniussus (cum in hoc ignorantiam praetendere non possit) egredi debeat; et, si secus fecerit, clericus per mensem suspensionem[1] ab exercitio et perceptione emolumentorum sui officii aliis clericis applicandorum ipso facto incurrat; assistens vero iocalium et salarii exactione, aliis assistentibus applicandâ, ipsiusque camerae ingressu[2] trium mensium spatio mulctetur.

14. Quicumque autem, sive ex clericis sive ex aliis cameralibus praedictis, ab aliquo ut[3] suspectus in causâ recusatus fuerit, recusans nonnisi expressâ suspicionis causâ audiri, illaque expressa, absente recusato ut suspecto, in camerâ discuti, eâque a pluribus approbatâ, suspectus ipse in huiusmodi causâ nullo modo se intromittere, aut interesse debeat; si vero suspicio probari nequiverit, nulla eius allegatae ratio habeatur.

15. Caveant autem appellationes a decreto vim definitivae habente ullo pacto recipere, neque alias appellationum causas committere, nisi gravamine, et gravaminis causâ ita expressâ, ut camera possit intelligere et deliberare, an appellatio sit admittenda necne, et in omni casu nonnisi citatâ parte haec fiant.

16. Ad haec, pauperum advocatus, necnon fisci tam advocatus quam procurator, commissarius, et quivis alius de eâdem camerâ, sub eisdem et aliis nostro et successorum nostrorum arbitrio poenis, non scribant in causis privatorum in camerae tribunali pendentibus, exceptis pauperum causis, et respective iis, in quibus camera alicui adhaerendo partem facit in iudicio, vel in quibus aliàs de fisci et camerae interesse agitur.

1 Perperam edit. Cherub. et Main. legunt *suspensione* (R. T.).

2 Utraque cit. edit. erron. leg. *ingressus* (R. T.).

3 Particulam *ut* nos addimus (R. T.).

§ III.

De gubernatore Urbis et eius tribunali[1].

1. Locumtenens civilis gubernatoris almae Urbis pro tempore existentis unus dumtaxat sit, legum scientiâ, vitaeque probitate, et Romanae Curiae experientiâ insignis, et ex hoc[2] loco, qui ab Urbe distet saltem per quadraginta milliaria, oriundus, qui omnes causas civiles, tam commissarias iuxta formam commissionum, quam ordinarias vel alias in ipso tribunali introducendas, iuxta suas facultates cognoscat, terminet et decidat. Audientiam terminorum, pro quibus litigantes pro certâ horâ citati non sint, in salâ palatii gubernatoris circa horam vigesimam pro tribunali sedendo teneat. Ius reddat singulis diebus, exceptis festivis de praecepto aut consuetudine almae Urbis, necnon diebus coronationis Pontificis viventis, ingressus gubernatoris, iovis, lunae et martis immediate ante Cineres, ac ipsius diei[3] Cinerum, totius hebdomadae maioris, Commemorationisque omnium fidelium defunctorum, et vigiliae Nativitatis Domini.

2. Significationes per viam recursus concedendas semper concedat cum clausulâ, non tamen in contumaciam.

3. In causis ordinariis, vel viâ ordi-

1 Taxa huius curiae est in Constit. seq. § 2, vide Const. CXIII Sixti V in tom. VIII, pag. 960 (R.T. ex Cherub.).

2 Vox *hoc* significat *tali* (R. T.).

3 Exactius diceretur *ac ipso die* (R. T.).

nariâ introducendis, etiamsi ad probationem producantur cedulae, iura et instrumenta obligationum cameralium, non relaxet mandata exequutiva (si respectu summae, vel valoris rei, vel aliàs ex naturâ causae, de qua agitur, dictae causae sint appellabiles) nisi elapsis decem diebus datis ad appellandum, et servatis solitis terminis ad docendum de legitimâ appellatione, et eius legitimâ prosequutione, et constito sibi de re iudicatâ.

4. Suspectus post litem contestatam, vel pro contestatâ habitam, allegari non possit, nisi a principalibusmet, vel eorum procuratoribus ad id speciale mandatum habentibus, et ex certâ causâ per eos in actis specificatâ et iuratâ, a gubernatore pro legittimâ approbatâ.

5. Ab eius sententiis definitivis appelletur ad nos, nostramque sanctam Sedem Apostolicam in causis appellabilibus. In quibus vero de iure recursus datur, recurratur ad gubernatorem, qui causas huiusmodi recursus per seipsum, vel alium ab eo deputandum, iuxta suas facultates expediat. Qui deputandus, tam in ipsis causis recursus, quam in illis in quibus loco locumtenentis uti suspecti recusati a gubernatore deputabitur, et in causis quoque commissariis, in quibus rescripto signaturae a gubernatore similiter deputabitur, ea dumtaxat emolumenta recipiat, quae, ut mox dicetur, locumtenens recipere posset, et nihil penitus ultra sub poenis eis indictis.

6. Recursus, ut supra, ad gubernatorem a locumtenentis vel deputandi decretis et sententiis petendi, infra decem dies dumtaxat peti debeant; et tunc exequutionem non retardent, usquequo gubernator huiusmodi recursus non admiserit.

7. Locumtenens habere debeat scuta auri in auro quinque a quolibet ex duobus notariis causarum civilium huius curiae, ipsi tantum locumtenenti quolibet mense in eius principio solvenda: et percipere possit iulium unum pro singulis infrascriptis expeditionibus, videlicet: pro quolibet mandato exequutivo, non tamen in contumaciam; pro quolibet arresto in carceribus, mandato de excarcerando, significatione dotali, aut vigore termini, aut in vim litis pendentiae, aut litis finitae, aut stante deposito, vel negatione, aut datâ cautione de stando iuri et iudicatum solvendo concessâ; et etiam pro qualibet citatione, vel inhibitione vigore commissionis aut extra curiam decretâ: dummodo in quolibet ipsorum casuum agatur de re vel summâ scutorum auri septem, qui constituunt iulios septuaginta septem.

8. Gubernator Urbis cumulative procedere valeat in omnibus et quibuscumque causis criminalibus, in quibus camerarius Ripae vigore suarum facultatum procedere potest, ita ut inter eos iuxta solitum sit locus praeventioni.

9. Habeatque iurisdictionem in hebraeos, prout infra dispositum est.

§ IV.

De auditore camerae, et eius tribunali [1].

1. In primis, quoad formam et exequutionem obligationis cameralis, mandamus servari stylum hodiernum, ut scilicet quis obliget se, haeredes, et bona in ampliori formâ camerae, cum solitis clausulis et renunciationibus, citra tamen constitutionem procuratorum; et qui voluerit arctius obligari, consentiat relaxationi mandati exequutivi, aut illud in se suscipiat, unicâ, si sic placuerit, citatione aut intimatione praecedente. Nec ullo unquam tempore renovetur vetus illa censurarum susceptio iam antiquata, et a curiâ eliminata.

1 Taxa huius curiae est in Const. seq. § 3. Ad haec vide Pii IV Constit. LXV in tom. VII, pag. 138, et Const. CLXXVI Pii V, ibid. pag. 865 (R. T. ex Cherub.).

2. Minusque ad dictarum censurarum relaxationem deveniatur, nisi in iuris subsidium, et factis prius diligentiis in locis destinatae solutionis, prout hactenus fieri consuevit.

3. Et, si parti petenti ac debitum agnoscenti danda videbitur aliquando longior aliqua dilatio ad solvendum (intra quam nullum omnino mandatum, aliudve exequutionis genus relaxari possit), ea erit dierum triginta ad summum, aut etiam viginti, vel minor, arbitrio iudicis, qui pro debitoris qualitate, ac debiti summâ, quem maluerit de praedictis terminis, eliget. Hoc tamen omnino observando, ut nonnisi simpliciter, et absque ullâ conditione, protestatione, vel reservatione, quae confessioni sit contraria, debitum confitenti concedatur, et qui aliter, aut praemissâ aliquâ protestatione vel reservatione, petere aut suscipere voluerit, repellatur. Et nihilominus protestatio vel reservatio forte clandestine aut aliter facta, quoad praeiudicium dictae confessionis et susceptionis termini, pro infectâ omnino habeatur, et nullius sit roboris et momenti. Et, si post decretum aut etiam actori a notario traditum mandatum exequutivum, iudici praefatam dilationem concedere visum fuerit, nec reus intra eam solverit, actor absque alio novo iudicio, citatione, vel mandato, sed eodem illo, quod antea decretum vel relaxatum aut traditum fuerat, exequutionem suam prosequatur.

4. Quodque supersessoriae, seu (ut vocant) *non gravetur*, aut inhibitiones, vel dilationes non concedantur, praeterquam in vim susceptionis censurarum, vel termini iudicialis a debitore suscepti, et nisi adiectâ hac conditione: *dummodo alium terminum ab ipso, vel alibi non susceperit.* Et tam pro dictis supersessoriis, quam pro illarum revocationibus, iuxta stylum dicti tribunalis consuetum, nihil prorsus recipiatur, sed gratis, etiam pro sigillo, ac sine ullâ secretarii, iudicis, aut cuiuscumque alterius personae mercede, concedantur.

5. In causis criminalibus, in locis nobis et sanctae Romanae Ecclesiae immediate subiectis, imposterum non decernantur neque relaxentur monitoria contra aliquem in primâ instantia, nisi per auditorem camerae pro tempore, facto prius verbo nobiscum, seu cum Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in casibus in Bullâ, in Coenâ Domini legi solitâ, contentis: in quibus nihilominus (quando monitoria extra Italiam decernenda erunt, in locis nobis et eidem sanctae Romanae Ecclesiae non subiectis, vel aliàs contra officiales curiales exemptos et contravenientes inhibitionibus et litteris apostolicis, vel etiam pro rebus dependentibus a causis criminalibus coram auditore camerae pro tempore legitime introductis ac pendentibus) huiusmodi monitoria non relaxentur, nisi facto prius verbo nobiscum, seu cum Romano Pontifice pro tempore existente.

6. Nec decernat monitoria specialia in causis profanis, etiam in terris Ecclesiae, ultra quadraginta milliaria ab Urbe, quando valor causae non excedit summam centum florenorum.

7. Appellationes non aliter recipiat, audiat, vel admittat, quam si exhibita fuerit notario in actis ab appellante fides publica, seu publicum instrumentum (ita quod simplex copia nec recipiatur nec admittatur) sententiae, a qua extitit appellatum, eaque sit definitiva, vel vim habeat definitivae, neque aliter earum ratione inhibeat, quam inserto in litteris inhibitionis toto fidei, seu instrumenti huiusmodi tenore, et expressâ clausulâ: *Quatenus a definitivâ vel vim definitivae habente appelatum sit.* Factâ tamen fide de petitione appellationis, et iudicis sive no-

tarii denegatione, auditor inhibere et in causâ procedere possit.

8. In expeditionibus vigore huiusmodi appellationum apponatur clausula: *Et, quatenus revera sententia non sit definitiva, vel vim definitivae non habeat, praesentes literae nullius sint roboris vel momenti.*

9. In monitoriis generalibus reservet facultatem etiam Ordinario loci absolvendi incurrentes censuras in eis contentas.

10. Item non decernat sequestra in causis beneficialibus, in quibus procedere potest, nisi iuxta formam constitutionis felicis recordationis Clementis Papae V praedecessoris nostri, quae incipit: *Ad compescendas*[1], prout servatur in Rotâ, et in illis semper apponatur clausula: *Proviso quod de fructibus sequestratis cultus divinus manuteneatur, animarum cura exerceatur, et alia onera beneficio incumbentia supportentur.*

11. Mandata de manutenendo numquam, nisi servatis servandis et parte legitime citatâ, decernat aut concedat.

12. Idemque in sequestris et in mandatis suspicionis fugae servet, nisi aliquâ ratione timendum sit, iudicis arbitrio, de suspicione fugae, vel bonorum dilapidatione, quo casu iuramentum praestari debeat de suspicione fugae vel de metu dilapidationis bonorum.

13. Non decernat contra episcopos et iis superiores monitoria ad personaliter comparendum, nisi praeviâ commissione signatâ manu nostrâ, aut pro tempore existentis Romani Pontificis, et pro decreto monitorii ad personaliter comparendum nihil recipiat.

14. Non concedat neque dari permittat auditor remissoriam ad partes examinandum, vel repetendum citatâ parte testes ad instantiam fisci, vel probandam eius intentionem; sed advocentur testes ad curiam, vel causa remittatur ad partes, ubi delictum est commissum.

15. Nec minus concedat litteras ad partes pro capiendis indiciis contra aliquem, nisi prius in curiâ ipsimet auditori camerae eius arbitrio aliqualiter constiterit de delicto.

16. Et in causis ordinariis auditor praedictus, seu eius in civilibus locumtenens, non recipiat sportulas, neque notarius aliquid pro notâ sententiae, sed in causis commissariis et declaratoriis contumacialibus tantum.

17. Praeterea auditor non concedat monitoria seu inhibitiones, in vim constitutionis Eugenianae, ad favorem curialium, nisi pro illis qui saltem per annum in curiâ continue residentiam fecerint.

18. Ut tollantur controversiae inter tribunalia curiae, et unicuique sua iurisdictio servetur, declaramus exequutionem obligationis in formâ camerae ad praedictum auditorem camerae, privative ad alia tribunalia, pertinere, praeterquam in instrumentis dependentibus a causis et actis in aliis tribunalibus huiusmodi gestis, ac sine praeiudicio motus proprii in favorem Populi Romani editi; et quoad clericos ratione originis vel beneficii Romanos, et loca pia, locus sit praeventioni inter ipsum auditorem et nostrum in Urbe vicarium.

19. Et, quoad praeventionem inter ipsum et forum Capitolinum in causis vertentibus inter cives et incolas, statuimus et declaramus, nomen incolarum iuxta iuris communis dispositionem esse intelligendum: et ubicumque super hoc dubitari contigerit, ortâ inter tribunalia differentiâ, ad praefectum signaturae iustitiae recurri mandamus, qui[1] hunc articulum manu regiâ sine scripturâ, omni et quacumque appellatione et recursu remotis, in quo-

1 Quae hucusque in *Bullario* non legitur (R.T.).

1 Videretur heic addendum *super* vel *circa*, vel quid simile (R. T.).

libet casu controversiam terminet et decidat.

20. Citationes autem extra Urbem exequutae, quarum vigore hodie coram auditore camerae ad exequutionem obligationis cameralis procedi solet, reproducantur infra mensem ab exequutione earum in partibus factâ, alioquin pro circumductis habeantur.

21. Litteras apostolicas, quibus certus, qui per seipsum procedat, exequutor praescriptus est, nullo modo auditor praedictus exequatur; sed et omnes praeterea, in quarum exequutione pars vocanda fuerit, non aliter exequatur, quam servatis pro rerum contingentiâ constitutionibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, nisi ipsis constitutionibus derogatum fuerit expresse in litteris, quae fuerint exequendae: sed et tunc nequemquam extra dioecesim ultra tot dietas evocet, quot in ipsis litteris expressum erit (exceptis litteris pensionum, quarum solutio in Romanâ Curiâ destinatur, et his omnibus, quibus ipse nominatim exequutor praescriptus fuerit; his enim casibus possit ad se undecumque et quocumque partes evocare): neve aliis vices suas committat, vel subdeleget, quam constitutis in dignitate ecclesiasticâ, aut aliis, quibus Sedes Apostolica causas committere solet.

22. Monitoria generalia, vulgo *significavit appellata* (quae scilicet, ut aliquid reveletur, seu restituatur, aut probetur, cum censuris ecclesiasticis publicari solent) nullo modo decernat sive expediat.

23. Similiter nihil sine speciali nostrâ commissione decernat, aut faciat, aut mandet, quod episcopos aut alios locorum Ordinarios impedire possit, ne ad exequutionem decretorum sacri Concilii Tridentini correctionemque morum libere procedant.

24. Ab omnibus autem et singulis iis, quae ad eius iurisdictionem secundum praemissa pertinere nolumus, usque adeo abstineat, ut neque monitoria, neque citationes, neque inhibitiones, neque sequestra, neque mandata de manutenendo, neque aliud quicquam quocumque sub praetextu super iis aut ipse decernat, aut ab aliis decreta revocet, et pariter eius notarii nihil omnino expediant, aut etiam scribant, sub poenâ scutorum quingentorum pro qualibet vice camerae apostolicae applicandorum; et, si adsit accusator vel instigator, ei quarta pars poenae solvendae detur.

25. In causis vero sui fori civilibus (etiam in quibus summarie et ad instar beneficialium procedendi ei concessa est facultas) nunquam omnino ad poenas contumaciales deveniat; sed potius, receptis probationibus ad negocium principale spectantibus, datoque competenti termino parti absenti, demum super his, servatis servandis, definitive pronunciet, etiam sine litis contestatione.

26. Ne autem contingat, ut absentes et in remotissimis ab Urbe partibus degentes maxima itineris incommoda et dispendia pati absque culpâ compellantur, dum ob praetensum delictum ad comparendum personaliter moniti comparent et inculpabiles reperiuntur, neminem posthac extra Italiam existentem ad comparendum personaliter moneat, nisi facto verbo nobiscum et successoribus nostris Romanis Pontificibus, de quo verbo habito fiat mentio in litteris monitoriis.

27. In causis, quae ordinarie secundum auditoris facultates in eius tribunali introductae fuerint vel introduci potuerint (sive post coeptam causam superveniat commissio, sive ante impetrata sit, sive in primâ, sive in ulteriori instantiâ), nullâ in re augeat impensam, sed quoad hoc habeatur semper causa pro ordinariâ, ita ut etiam ratione sententiae neque notarii neque iudices quicquam propterea acci-

piant ultra id quod accipere potuissent si commissio non adesset.

28. Permittimus tamen eius in civilibus locumtenenti in causis per commissionem ab initio introductis, etiam sui naturâ ordinariis, ob magnam laborum assiduitatem et emolumentorum tenuitatem, sportulas moderatas iuxta praesentem constitutionem recipere: declarantes nihilominus, in reliquis omnibus causas intelligi ordinarias, nec notarios quicquam amplius exigere posse, aut debere, quam in aliis ordinariis permissum est.

29. Quodque auditoris camerae pro tempore existentis locumtenens mandata exequutiva, nisi prius ipsemet locumtenens in in libro expeditionum diem subscriptionis manu propriâ notaverit, subscribere non possit.

30. Quodque auditoris camerae pro tempore existentis iudex locumtenens in criminalibus pro sportulis (salario sibi iam assignato contentus) nihil percipere possit.

31. In causis civilibus vero locumtenenti singulis mensibus quinquaginta scuta monetae a notariis dicti auditoris tribunalis pro ratâ solvi, nec aliqua alia portio pro eo retineri debeat.

§ V.

De auditorio Rotae[1].

1. Constitutiones felicis recordationis Innocentii VIII, Pii IV, et aliorum praedecessorum nostrorum innovantes, et auditorium nostri palatii, in quo universorum christifidelium graviores causae mature cognoscuntur et iuste terminantur, novis praerogativis augentes, volumus et ordinamus, ut unica tantum commissio in qualibet instantiâ sufficiat, et illius vigore auditor causam sibi commissam cognoscere, et cum omnibus et singulis dependentibus, emergentibus, ac aliàs quomodolibet incidentibus decidere valeat.

2. Possit etiam auditor sine novâ commissione praefigere terminum ad docendum de attentatis et nullitatibus et causis propter quas quis in integrum restitui debeat, ac illo elapso, et non docto, ad causae expeditionem procedere, necnon remissorias decernere, dilationes concedere, liquidationes fructuum in partibus delegare; ac omnia et singula alia usque ad finalem sententiarum suarum exequutionem inclusive facere, quae de iure Ordinarii facere possunt.

3. Necnon possit auditor praefigere terminum ad docendum de appellatione et eius legitimâ prosequutione, ad effectum procedendi ad exequutionem sententiae latae in causâ appellabili, in qua condemnatus non appellavit.

4. Insuper et tempus quadriennii in causis restitutionis in integrum possit auditor prorogare arbitrio suo.

5. Et tam dictam quam omnes alias facultates, sibi vigore vel Innocentianae vel constitutionis Pii IV aut aliorum summorum Pontificum praedecessorum nostrorum competentes, extendimus, et habere locum decernimus etiam in causis cuilibet Rotae auditori extra Rotam commissis.

6. Prorogationes autem fatalium saepius et passim non concedat; sed tantum ex aliquâ honestâ causâ, ac praeviâ illius cognitione, arbitrio Rotae.

7. Auditor tamen in aliquâ causâ, sive magni sive parvi momenti existat, etiamsi eius decisio clari iuris esse videatur, definitivam sententiam, vel interlocutoriam vim definitivae habentem, ferre non valeat, nisi causâ in Rotâ propositâ, et habitis votis coadiutorum, nisi partes in actis expresse consenserint, quod causa sine voto eorumdem expediri possit.

8. Idemque in aliis quibusvis praeiudicialibus decretis servari volumus, si actor,

[1] Taxa huius curiae est in Const. seq. § 4. Ad haec vide etiam Pii IV Const. LIV, § 1, 2 et 17 in tom. VII, pag. 155 seqq. (R. T. ex Cherub.).

vel reus, ut negotium in plenâ Rota cognoscatur, insteterit.

9. Item sententiae latae per auditores, prout in cedulâ, ut moris est, vel per viam termini pro servato[1], subscribantur, et publicentur in actis intra quindecim dies; et in ultimi anni audientiâ infra mensem; alioquin pronunciationes et termini huiusmodi pro circumductis habeantur.

10. Termini etiam pro servatis habiti et cedulae ipsarum sententiarum, quae interdum per alium notarium, quam actuarium ipsius causae, ad referendum accipi consueverunt, referantur ipsi notario causae eâdem vel sequenti die, qua recipiuntur; in ultimis vero audientiis saltem infra triduum. Et si auditor, qui pronunciavit, prout in cedulâ, vel terminum habuit pro servato, retinuerit citationem penes se, illam notario causae similiter intra praedictos dies consignare debeat, aliâs termini huiusmodi circumducti et irriti censeantur.

11. Auditor vero non pronunciet in causâ nisi perfecto registro, et illo ad Rotam delato unâ cum dictis testium, illisque ac iuribus in eâdem Rotâ, prout res exegerit, lectis.

12. In ultimâ vero anni audientiâ, et quandocumque agetur de ferendâ declaratoriâ contra contumacem, etiam registro non perfecto, ex actis originalibus pronunciare valeat, ita tamen, quod pars, ad cuius instantiam pronunciatum fuerit, registrum ipsum pro actorum conservatione quantocitius perfici curare teneatur.

13. Et insuper auditor, partibus petentibus copiam decisionis in causâ factae, cum iuribus ac rationibus tradere debeat, prout antiquitus laudabiliter fieri consuevit.

14. Causae autem propriae auditorum, et eorum familiarium, ac consanguineorum, vel affinium usque ad secundum gradum iuxta ius canonicum computandum, non cognoscantur in Rotâ.

15. Nec auditores in eorum domibus substitutos vel doctores aut alios iurisperitos etiam consanguineos habeant, qui substituti, vel advocati, aut procuratoris officio fungantur, aut in causis rotalibus, vel eorum processibus, sese quoquo modo intromittant.

16. Item advocati aut procuratores consanguinei vel affines, usque ad secundum gradum, ut supra computandum, alicuius auditoris, ac etiam illius notarii, in causis coram eo pendentibus nullatenus patrocinari valeant.

17. Nec iidem auditores compellant aut aliquo modo inducant partes, per se vel per alios, ut assumant certum advocatum vel procuratorem, sed electio huiusmodi omnino ipsarum partium arbitrio relinquatur.

18. Item decanus et alii auditores, praesertim antiquiores, attendant, ne aliquid non solum contra ius, sed nec etiam contra stylum et decisiones antiquas factas in Rotâ, quae impressae habentur, quoquo modo decidatur, etiam praetextu aequitatis in iure non scriptae, nisi maximâ cum ratione et discussione, omnibus votis, seu saltem illorum duabus tertiis partibus, aliter faciendum esse iudicaverint.

19. Non attendantur praeterea aliquae nullitates in causis, praeterquam ex defectu iurisdictionis, citationis, vel mandati.

20. A liquidatione fructuum et expensarum taxatione semel tantum appellare liceat, ita quod duae conformes rem iudicatam faciant.

21. Auditores causas sibi commissas ad solam partium instantiam ad cancellariam remittere non possint, sed tantum habitâ licentiâ a nobis vel successoribus nostris

1 Heic subintellige *habiti* (R. T.).

Romanis Pontificibus, vel ex iustis causis deductis in Rotâ, et ab eâ probatis.

22. Et, si auditor cognoverit in actis adesse suspicionem criminis, remittat acta huiusmodi, vel illorum exemplum, prout res exegerit, ad iudicem ordinarium, et si causa criminalis praeiudicialis fuerit causae civili, in eius cognitione supersedeat.

23. Quandocumque iudex ipse ordinarius in causis criminalibus coram eo pendentibus indiguerit depositionibus testium, vel aliquibus scripturis ad causas criminales facientibus, teneatur auditor illas, vel earum exemplum, ut praefertur, exhiberi facere.

24. Nemini liceat turbare ordinem servandum in distributionibus causarum, sed illarum commissiones distribuantur bonâ fide iuxta ordinem turni, qui nullo prorsus modo, neque a notariis, nec a quoquam alio, pervertatur, prout supra de signaturâ iustitiae dispositum est.

25. Ut autem debitus modus sportulis imponatur, non possint auditores a partibus, per se vel alium, quovis modo sportularum nomine aliquid petere vel exigere; sed nec a sponte dantibus, ultra taxam infrascriptam accipere, videlicet:

26. In causis pecuniariis, seu profanis, aut quae aliàs pretio quoquo modo aestimari possint, si aestimatio rei, de qua agetur, non excedat summam mille ducatorum, aureos decem; a mille vero usque ad decem millia, vigintiquinque; a decem millibus usque ad viginti millia, quinquaginta; ab inde supra usque ad quamcumque summam, centum. In beneficialibus vero, si redditus annuus, de quo agetur, non excedat summam centum ducatorum, similiter decem; a centum vero usque ad mille, viginti quinque; a mille usque ad tria millia, quinquaginta; ab inde vero supra, centum aureos pro sportulis cuiuscumque sententiae definitivae dumtaxat, ut praefertur, accipere valeant. Si vero causa aestimationem non facile recipiat, sportulae moderatae, pro rerum et personarum qualitate, iuxta taxas praedictas recipi possint. Nec aliquid ultra non solum ipsis auditoribus, sed nec eorum familiaribus, vel consanguineis, aut aliis quibusvis personis, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, exceptis esculentis et poculentis, quae triduo consumi possint, ipsarum sententiarum aut auditorum intuitu praestari possit. Quas quidem sportulas iuxta taxam praedictam apud notarium causae, post subscriptam sententiam et notario traditam et non antea, deponi et auditori consignari volumus: quodque notarius dispositionem et consignationem huiusmodi in actis notare et specificare teneatur.

§ VI.

De Capitolio et eius officialibus[1].

1. Senator et iudices ipsius possint primas instantias unicâ vice eorum arbitrio absque ullâ commissione prorogare.

2. Capitaneus appellationum, pro revocatione seu moderatione quarumcumque inhibitionum, sportulas nullo pacto accipiat: notarius vero dumtaxat mercedem actus, sive scripturae.

3. Si, petito consultore, pars quae petierit neglexerit per decem dies instare pro illius electione, capitaneus possit per seipsum causam expedire.

4. Et, si consultor electus infra duos menses a die electionis non acceptaverit, vel recusaverit, ad alterius electionem procedatur.

5. Terminus quinque dierum, datus a statuto Urbis ad redeundum pro aposto-

1 Taxa huius curiae est in Const. seq. § 7. Ad haec vide etiam Pii IV Const. LXXI in tom. VII. pag. 214 seq. (R. T. ex Cherub.).

lis, ita et taliter intelligatur, ut sufficiat interim quandocumque pro apostolis redire.

6. Conservatores Urbis abstineant ab omni genere muneris, etiam esculenti et poculenti, a pistoribus, ianiis, salsamentariis, olitoribus, fructarolis, et aliis artificibus, nec ab eis aliquid sub quovis praetextu accipiant. A quibus etiam abstinere faciant omnino eorum scribam, notarium, secretarium, fideles, et alios eorum officiales, atque in primis extraordinarios, corporali eos poenâ coercendo, et deinde ab officio removendo.

7. Nec possint de poenis statuariis, vel per eorum edicta inflictis, aliquo modo gratiam facere in totum, et praesertim de corporalibus, nec illas commutare, sine consensu ipsorum simul convocatorum; et eo casu non ultra medietatem poenae remittere; nec in domo propriâ super huiusmodi gratiis aliquid signare possint, sed ad earumdem poenarum exequutionem, postquam de illarum incursu constiterit, celeriter procedant.

8. Ad quarum etiam poenarum praesertim corporalium exequutionem, in eventum in quem non mittantur exequutioni per ipsos conservatores, a die delati criminis intra quindecim dies quilibet alius iudex ordinarius et aliàs competens procedere possit.

9. Extraordinarios ad officium extraordinariatus exercendum nullatenus admittant, nisi receptâ ab eis cautione sub poenâ ipsis conservatoribus benevisâ, de officium ipsum fideliter exercendo, et praemissa observando, ac de seipsos repraesentando pro omni eo, quod in dicto eorum officio committere vel omittere possent, ac dictis extraordinariis fidem adhibeant iuxta formam decreti aliàs a conservatoribus editi, et non aliter.

10. Cogant insuper extraordinarium maiorem ad exercendum officium etiam per seipsum, et per substitutum idoneum ab ipsis conservatoribus approbandum.

11. Atque iidem extraordinarius maior et eius substitutus ac minores extraordinarii cogere possint quoscumque, etiam per detentionem personarum, ut permittant ponderari carnes, et alia omnia quae sub eorum curâ sint, et pretium denuncient, et recusantes puniantur primâ vice in duplum valoris rei penes eos inventae: quod si aliâ vice illud idem admiserint, in duplum, et aliâ etiam poenâ corporali arbitrio conservatorum: et nihilominus extraordinarii, tam maiores, quam minores, omnia conservatoribus denuncient, et res taliter inventas nullatenus sibi retineant, sed ad ipsos conservatores deferre teneantur.

12. Et baroncellus ac alii exequutores quarumcumque curiarum eisdem extraordinariis maioribus, in praedictis et aliis eorum officium concernentibus, obedire teneantur.

13. Magistri viarum ad vias lateribus seu silicibus sternendas, prout eis opus esse videbitur, dominos contiguarum domorum cuiuscumque sint dignitatis, aut, ipsis absentibus vel solvendo non existentibus, illorum inquilinos iuris remediis opportunis ac sub eorum arbitriis poenis cogant.

14. Possint autem inquilini retinere de pensione solvendâ ratam ut supra per eos solvendam, non obstante obligatione camerali, aut quacumque exceptione quae opponi posset, et non obstantibus quibusvis sequestris, etiam anterioribus.

15. Curentque easdem Urbis vias continuo et plateas ad minus quater in anno, et hoc in martii, iunii, septembris et decembris mensibus, ab immunditiis purgari.

16. Nullos actus, nullaque negocia, quae alicuius momenti fuerint, sine rogitu sui notarii expediant.

17. Reddant rationem camerae singulo

quoque semestri, prout in litteris ad camerae tribunal spectantibus constitutum est.

18. Edant initio eorum officii edicta sub nomine camerarii; et de poenis in illis atque etiam in statutis contentis nullam, sine eiusdem camerarii aut saltem clerici praesidentis mandato, gratiam facere possint.

19. In ceteris, tam quoad appellationes ab eorum sententiis, quam quoad reliqua omnia, servent omnino statuta de eorum officio loquentia.

20. Submagistri vero suas relationes, quas tamquam periti facere solent, nonnisi medio iuramento faciant; et, si quid dolo vel fraude egerint, periurii et alias poenas arbitrio camerarii et clerici camerae pro tempore praesidentis incurrant, et ad interesse partibus condemnentur.

21. Consules artium quarumcumque observent earum statuta legitime approbata et usu recepta. Nec reassumant causas, praesertim mercedum ac miserabilium personarum, coram maioribus magistratibus introductas.

22. Minus impediant aut molestent aliquo modo peritos, sive aestimatores a iudicibus electos, sub poenâ privationis, et aliis arbitrio superioris.

23. Notarii vero ipsorum consulum taxam eis per statuta praescriptam[1], et ubi aliqui ipsorum nullam minorem taxam haberent, aliorum, qui illam habent, sequantur, et secundum illam exigant.

24. Assessores praedictorum consulum et aliorum officialium curiae Capitolinae, salarium non habentes, caveant ne in causis minimis, idest a quinque scutis infra, quicquam pro eorum voto seu consilio, et in aliis non ultra sportulas dictis statutis taxatas, percipiant.

25. Procurator fisci Capitolini illud ipsum in omnibus et per omnia observet, quod camerae nostrae apostolicae procurator, quoad ea scilicet capitula superius adnotata, quae ipsum etiam concernere et sibi convenire possint.

1 Videretur addendum *percipiant* (R. T.).

§ VII.

De iurisdictione in hebraeos[1].

1. Gubernator Urbis possit contra hebraeos in criminalibus causis procedere, etiam quod agatur inter ipsos hebraeos tantum.

2. In causis cameralibus, seu ad cameram quomodocumque spectantibus, aut ad camerarium, etiam ratione pignorum aut personarum hebraeorum bancheriorum, aut ad praesides, camerarius et praesides possint contra eos procedere.

3. In causis furtivorum pignorum, quoad hebraeos bancherios, sit locus praeventioni inter camerarium et gubernatorem.

4. Quoad auditorem camerae, hebraei sint illius iurisdictioni suppositi privative quoad alios, ubi agitur de obbligatione camerali, praeterquam in dependentibus a causis et actis aliorum tribunalium iuxta suas facultates. In criminalibus autem possit idem auditor camerae contra eos procedere, prout in praeteritum procedere consueverat.

5. Inter vicarium et senatorem, in delictis in quibus christiani sunt aliquo modo participes, et sic quando adest mixtura delinquentium christianorum et hebraeorum, ex officio non autem ad querelam locum habeat praeventio; in aliis vero casibus servetur constitutio felicis recordationis Iulii Papae III, praedecessoris nostri, disponens, quod, quando agitur inter ipsos hebraeos, habeat vicarius in eos iurisdictionem active et passive, quando vero inter alios, passive tantum.

1 Taxa notarii hebraeorum est in Const. seq. § 11 (R. T. ex Cherub.).

§ VIII.

De curiâ Sabellorum et Turris Nonae[1].

1. Iudex curiae de Sabellis gratuito a marescallo deputetur, adeo ut neque iudici dare neque marescallo propter hoc accipere quicquam liceat, etiam mutui vel alio nomine, aut quavis de causâ vel praetextu, sive ante sive post adeptum officium, etiam in vim vel praetextu cuiuscumque indulti apostolici, vel consuetudinis, quod et quam per praesentes expresse revocamus et improbamus, et, ut supra, omnino servari mandamus.

2. Deputatio vero iudicis fiat cum participatione et approbatione gubernatoris Urbis pro tempore, et fiat ad annum dumtaxat, quo finito, finitum sit etiam eius iudicis officium, nisi propter aliquam rationabilem causam prorogandum visum fuerit, quae tamen prorogatio alium[2] nullo pacto excedat, et semel tantum fieri possit.

3. Antequam incipiat exercere officium, caveat idoneis fideiussoribus de stando syndicatui, et finito officio, etiam si nec querelatus, nec requisitus fuerit, offerat se syndicatui coram gubernatore Urbis praefato: ille vero quadraginta diebus syndicatum absolvat, iudicemque, prout iure faciendum erit, vel absolvat, vel condemnet et puniat. Quod si intra dictorum dierum numerum non fecerit, camerarius S. R. E., qui tunc erit, duos viros deputet, qui intra alios viginti dies huiusmodi syndicatum peragant: lapsis autem dictis terminis, pro absoluto habeatur.

4. Commentariensis et capitanei nec non exequutorum eiusdem curiae munia per idoneos et fidos ministros gerantur; et neque vendantur, neque locentur ullo modo, nec quicquam, pro illis consequendis aut exercendis, quovis nomine et praetextu solvatur, vel respondeatur, etiam vigore contractuum aut locationum de praeterito factarum, quae per praesentes nullae et irritae intelligantur, et qui aliquid solverint, vel responderint, officio privati sint et publice fustigentur.

5. Turris Nonae iudex non se intromittat in causis summam decem scutorum excedentibus, nec in criminalibus nisi levibus et minimis.

6. Et dictus iudex Turris Nonae coram gubernatore praefato in fine cuiuslibet anni syndicatui se offerre et stare teneatur, prout de iudice curiae Sabellorum supra dictum est.

§ IX.

De curiâ Ripae et Ripettae[1].

1. Ripettae praeses aut iudex non faciat aliquam compositionem, minusque solvere faciat aliquam poenam quantumlibet minimam, sub quovis praetextu, nisi servatis servandis, ac praevio processu ac decreto, ut ex actis intelligi possit, an iuste poena soluta vel compositio facta fuerit.

2. Neque camerarius neque Ripettae praeses transmittant extra Urbem commissarios ad mensurandum passus lignorum.

3. Ripae et Ripettae iudices in fine officii coram clerico camerae eiusdem Ripae praeside syndacatui stare teneantur.

4. Nec camerarius Ripae ultra sex menses in eius officio permanere, nec confirmari debeat.

5. Pro malâ mensuratione lignorum nullus poenâ pecuniariâ, sed corporali, veluti trium ictuum funis, aut fustigationis, aut berlinae, arbitrio iudicis puniatur.

6. Camerarius Ripae aliquas composi-

1 Taxa huius curiae est in Const. seq. § 2. Ad haec vide etiam Pii IV Const. LXXI § 23 in tom. VII, pag. 217 (R. T. ex Cherub.).

2 Subintellige *annum* (R. T.).

1 Taxa curiae Ripae est in Const. seq. § 9; et curiae Ripettae ibid. in § 10. Ad haec vide etiam Pii IV Const. LXXI § 23 in tom. VII, p. 217, (R. T. ex Cherub.).

tiones facere non possit, nisi praecedente legitimo processu et decreto, et omnes compositiones in libro annotentur.

§ X.

De iudicibus criminalibus Urbis, et pertinentibus ad eos[1].

1. Iudices criminales Urbis, seu locumtenentes et eorum substituti, quibus certum a nobis salarium est constitutum, illo contenti nihil prorsus, aut pecuniae, aut alterius cuiuscumque rei etiam minimae quantitatis a quoquam etiam sponte dante accipiant, neque pro sportulis, seu propinis sententiarum, vel pro decretis, absolutionibus, aut relaxationibus quibuscumque in quibuscumque causis etiam delegatis et commissariis, neque quovis alio modo, titulo, vel nomine, etiam muneris, vel regaliorum, quamvis esculentum vel poculentum, etiam in casibus alioquin de iure vel quacumque constitutione permissis, sub privationis officii et inhabilitatis imposterum ad quodlibet iudicandi munus et aliis nostro et successorum nostrorum arbitrio infligendis poenis.

2. Camerarius; thesaurarius, et praesides camerae, excepto praeside Riparum, item hospitalium, confraternitatum, ac aliorum locorum piorum, seu collegiorum rectores, et alii quicumque habentes in Urbe iurisdictionem criminalem, et facultatem iudices deputandi, non deputent in criminalibus causis alios iudices, quam aliquem ex ordinariis sibi benevisum, qui nullas debeat recipere sportulas, ut supra sancitum est, et in describendis actis atque processu utatur proprio sui tribunalis notario, nisi notarius deputantis habeat officium titulo oneroso, et ius scribendi etiam in criminalibus; quo casu ipse deserviat in dictis causis, etiam apud iudices deputatos.

3. Nullus autem iudicum in causis criminalibus procedat, vel sententiam ferat, nisi procuratore fiscali vel commissario camerae respective in omnibus actis, in quibus de iure citari debent, legitime citatis.

4. Minusque transmittantur extra Urbem monitoria, nec aliquod iudicium ad fisci vel commissarii camerae respective instantiam introducatur, sine procuratoris fisci vel commissarii camerae licentiâ.

5. Nec quisquam capiatur sine indiciis ad instantiam cuiuscumque instigatoris, nisi in causis gravibus arbitrio iudicis, et tunc nonnisi datâ cautione per instigatorem de reficiendo damna, expensas et interesse, necnon etiam (si ita iudici visum fuerit) de se repraesentando.

6. Nec concedant iudices in causis criminalibus significationes aliquas, nisi in causis coram se, vel in suo tribunali; et aliter datae non observentur.

7. Pariter non relaxent monitoria criminalia pro contraventione inhibitionis obtentae in causâ civili, sed agatur pro eâ civiliter coram iudice, qui dedit inhibitionem, nisi forte contraveniendo fuerit vis aliqua illata, vel iniuria realis aut verbalis, in spretum inhibitionis et iudicis contemptum.

8. Contra reum absentem et contumacem pro delicto quilibet iudex competens procedere valeat, nec alter alterius processu impediatur.

9. Non transmittantur contra reos absentes citationes aut monitoria ad informandam curiam sub pecuniariâ mulctâ, quando iudex habet in processu probationes, vel indicia contra illos sufficientia ad transmittendum monitorium, sive inquisitionem, aut citationem super delicto.

10. Nec comminentur umquam in monitoriis poenae corporales maiores poenâ delicti, pro quo monitio fit.

1 Ad haec vide etiam Pauli III Const. LXII in tom. VI, pag. 284; et Pii IV Const. LIII tom. VII, pag. 151; et Clem. VIII Const. XII, tom. IX, pagina 538 (R. T. ex Cherub.).

11. Item inquisito reo non fiat inventarium illius bonorum, nisi agatur de delicto, pro quo veniat imponenda poena capitalis, vel confiscationis bonorum, aut alia notabilis poena.

12. Et quando inventarium conficiendum fuerit, non describatur inventarium huiusmodi in registro, sed tantum moderata merces pro qualitate rei a notario accipiatur.

13. Et casu, quo propter rei contumaciam inventarium fieri contingat, nonnisi unicum fiat.

14. Relaxatus ab uno iudice, non possit ab alio pro eâdem causâ carcerari.

15. Similiter pro pugnis et verbis altercatoriis et iniuriosis in rixâ et ex accidenti inter viles personas prolatis, aut pro quavis aliâ simplici rixâ minisque, etiam in flagranti reperti non carcerentur, nisi prius ducti ad praesentiam iudicis, sub poenâ privationis, et aliis arbitrio sui iudicis: et, si relaxandi erunt, gratis ubique relaxentur.

16. Querelae dominorum contra famulos, vel operarios, qui iam dominos ex causâ mercedis convenerunt, non recipiantur, nisi facto deposito, vel datâ cautione in formâ depositi, iudicis arbitrio, et nonnisi in eo tribunali, in quo causa mercedis pendet, si iurisdictionem habeat criminalem.

17. Captus ab incompetenti iudice, vel ab eo qui non processit, remittatur ad eum qui processit; sed captus ab eo, qui processum formaverat, non remittatur, etiam quod ab alio fuisset, in procedendo vel in contumaciam condemnando, praeventum[1]; quinimo processus omnes et informationes transmittantur ad illum, qui fuit diligentior in capturâ.

18. Quod si ex pluribus delicti consortibus quilibet aliquem habeat carceratum, remittantur omnes ad eum, qui habet principaliorem in manibus.

19. Curent autem iudices quicumque, ne rei detineantur in secretis ultra triduum antequam examinentur, nisi causae natura aliud suadeat.

20. Et tam reos quam testes interrogent, descriptis et extensis a notario integre verbis omnibus interrogatorii; reiecto prorsus et sublato abusu illo scribendi, *ad opportunam domini interrogationem*, vel *interrogatus respondit*, aut *subdens interrogatus*, aut simili, quem tamquam perniciosum, et uti suggestivarum interrogationum velamentum, et fraudibus plenum damnamus.

21. Responsiones similiter reorum et testium integre de verbo ad verbum, prout ex eorum ore profluunt, etiam quod contra fiscum sint, non diminute, nec per relationem, et in externae nationis hominibus adhibito scriba vel interprete illius linguae perito, fideliter scribi faciant.

22. Nec ullo pacto iudicibus liceat, vel notariis, testes, quos ipsi verisimiliter informatos crediderunt, citatos, seu vocatos, extraiudicialiter, cum iuramento vel sine eo, interrogare, et non scriptis eorum responsionibus dimittere, forsan ex eo quod contra fiscum deponant, et pro reo; seu[1] omnino, praevio iuramento de veritate dicendâ, eorum examen recipiatur, et in scriptis redigatur, dummodo non adsit vehemens suspicio subornationis.

23. Reorum recognitiones non fiant nisi iudice praesente, et coram pluribus, nec ullo pacto reus antea ipsi testi ostendatur.

24. Testes pro informatione curiae nonnisi in gravioribus carcerentur, et tunc pro relaxatione nihil penitus solvant, nec etiam pro alimentis, quae, vel instigator, si adest, solvere debeat, vel fiscus.

1 Videretur legendum *praeventus* (R. T.).

1 Videretur *sed* pro *seu* legendum (R. T.).

25. Captum pro uno crimine, super aliis, de quibus indicia non habent, interrogare nullo modo praesumant, sed in hoc, et aliis omnibus occurentibus, iuris communis dispositionem iudices servare teneantur.

26. Et in quocumque crimine, quantumvis gravissimo, reos, antequam torturae subiiciant, etiam non petentes admittant ad purgandum indicia, datâ eis indiciorum copiâ, pro eâ tantum parte processus quam ipsi petierunt, in formâ boni extractus et non registri, cum expressione nominum testium, et competenti termino ad faciendas defensiones; et eo pendente detur commoditas carceratis libere loquendi cum eorum advocatis et procuratoribus, etiam semotis arbitris, nisi tamen qualitas causae aliud necessarium suadeat; et dicta copia indiciorum detur pauperibus gratis, vel ostendantur originalia advocato et procuratori pauperum similiter gratis et absque ullâ impensâ.

27. Neque cogantur rei declarare se habere testes curiae pro rite et recte examinatis; et, quatenus voluerint illos sic habere, praeter absentes et mortuos, et salvis exceptionibus contra personas et dicta testium, salvoque iure illos repetendi, talis protestatio admittatur, minimeque reiiciatur.

28. Ac testes, contra reum repetendi, prius examinentur super interrogatoriis pro eius parte datis, deinde super eorum depositionibus repetantur.

29. Ac iudices, auditores, seu locumtenentes gubernatoris Urbis, seu alterius cuiuscumque magistratus habentis facultates procedendi praeter aut contra formam iuris vel statutorum, non utantur dictis facultatibus, nisi praevio decreto dicti gubernatoris, vel magistratus, concedente sibi facultatem sic procedendi in illâ causâ.

30. Tormento vigiliae iudices non utantur nisi in delictis atrocissimis, et in quibus etiam urgentissima praecedant indicia, et tunc nonnisi de voto congregationis illius tribunalis, quo proceditur contra reum, nec umquam reus subiiciatur huic tormento vigiliae eodem die, quo alio genere tormentorum fuit tortus, minusque reus qui tormento funis semel atque iterum tortus fuit: nec quisquam, in hoc tormento vigiliae positus, detineatur brachiis extensis ad modum torturae, ne ultra vigiliae tormentum patiatur etiam tormentum funis; sed in omnibus modus adhibeatur, quo vel innocentiae reus vel supplicio reservetur; et iudices, tam in hoc quam in aliis tormentis, ipsi assidue, continueque assistant omnino, nec eorum loco notarium vel substitutum fiscalem dimittant.

31. Nec in tormento funis quemquam ultra horam pro qualibet vice detineant.

32. Insuper abstineant omnino a verbis et factis iniuriosis in reos ac testes.

33. In sententiis et condemnationibus reorum absentium et contumacium iudices exprimant poenas certas, neque se referant ad ius commune, statuta, constitutiones, vel edicta.

34. Reis in contumaciam condemnatis et captis, ante exequutionem sententiae, detur copia processus, si petatur, et actorum, etiam quod non fuerint admissi ad novas defensiones.

35. Nec ullus inquisitus, sive carceratus, sive non carceratus, non solum a notariis iuxta constitutionem nuper a nobis de anno MDCVIII[1] editam (quam innovamus et illibatam esse volumus), sed nec etiam a iudicibus seu aliis quibuscumque officialibus cogatur directe vel indirecte processus cassare, absolutionem seu abolitionem petere.

36. Similiter iudices, fiscales, aut notarii nullo modo cogant vel inducant, directe vel indirecte, reos ad compositionem. Idcirco studeant iudices celerrimae causarum

1 Quam habes in tom. XI, pag. 470, et vide praesertim § 7, pag. 472 *b* (R. T.).

expeditioni, ne rei diutius taedio carceris, vel laboribus, et expensis fatigati, componere, et se redimere cogantur.

37. Studeant similiter omnes iudices et officiales quorumcumque tribunalium generaliter dilationes in favorem fisci abbreviare, ne rei diutius laboribus et expensis fatigentur; nec differant expeditiones causarum inter privatos pendentium, licet procurator fisci protestetur causam non expediri nisi ipso citato pro eius interesse, nisi de eo incontinenti saltem summarie doceat.

38. Obligationes et satisdationes quaecumque de non offendendo, vel se repraesentando, aboleri vel cassari nequeant, nisi citato fisco vel commissario camerae respective; et aliter cassae habeantur pro non cassis, nisi quando cautio de non offendendo cassatur ob pacem sequutam et consensum praestitum cassationi.

39. Et in quibus casibus officiales aut exequutores habent aliquam partem poenarum, si ex gratiâ poenae moderatio fiat, etiam post exequutionem, tamen non recipiant nisi partem eius, quod iuxta gratiae tenorem persolvitur.

40. Inhaerendo constitutionibus felicis recordationis Pii IV quae incipit: *Cum aliàs per specialem*[1], et *Cupientes pro iniunctae*[2], et Sixti V quae incipit: *Ad Romanum Pontificem pertinet non modo*[3], et Clementis VIII quae incipit: *Inter ceteras animi nostri, praedecessorum nostrorum*[4], ac illas ampliando, omnes et quascumque poenas, mulctas, compositiones et confiscationes a reis vel delinquentibus, maleficiorum vel quasi fraudum et contraventionum quarumcumque vel aliâ quavis occasione, per quemcumque iudicem, quavis dignitate et quantumvis speciali notâ dignum[1] fulgentem, magistratum, seu tribunal Urbis, etiam sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, gubernatorem, auditorem camerae, vicarium, senatorem, annonae praefectum, praesides, eorumque locatenentes, auditores, et iudices, alios que camerae Urbis ministros, quacumque dignitate fulgentes et quovis titulo et nomine criminum, vel quasi, cognitionem in Urbe habentes, vel quoquo mòdo exercentes, exigendas, sive ex bonorum mobilium vel immobilium praedictorum reorum vel delinquentium venditione vel subhastatione redigendas, cuiuscumque etiam minimae quantitatis, penes camerae nostrae depositarium pro tempore existentem, et non alium, integre et absque ullâ diminutione deponi debere praecipimus.

41. Nec quisquam ex iudicibus, magistratibus, aut officialibus praefatis, minus etiam fisci procurator, camerae commissarius, aut quivis alius, dictarum poenarum, mulctarum, compositionum, confiscationum, pecuniarum, aut participationum, quovis modo vel titulo habens[2], audeat vel praesumat sibi propriâ auctoritate partem aliquam etiam minimam retinere, nec aliter recipere quam de manibus depositarii praedicti, praevio dictorum magistratuum mandato, fisci procuratoris, et, in causis in quibus commissarius camerae intervenire solet, ipsius commissarii manu subscripto, causam propter quam solvit, quantitatem et personam cui solvitur, explicite expressam continente, sub poenâ privationis officii et inhabilitatis ad alia: solutionesque, aliter quam ut supra factae, tamquam indebite extortae, restitui, atque ad earum restitutionem quilibet praedictorum ab eodem commissario camerae cogi omnino et cum effectu debeat. Et

1 Hanc puto a *Bullario* abesse (R. T.).
2 In *Bullario*, tom. VII, pag. 154 (R. T.).
3 In *Bull.*, tom. IX, pag. 73 (R. T.).
4 In *Bull.*, tom. IX, pag. 538 (R. T.).

1 Videretur ex syntaxi legendum *dignâ* (R. T.).
2 Utrum quid desit, lector iudicet: forsan legendum: *aut pecuniarum participationem quovis modo vel titulo habens* (R. T.).

nihilominus depositarii, aliter quam cum praedicto mandato, ut supra subscripto, solventes, de suo erogasse censeantur, et in reddendis rationibus id eis minime computari debeat.

§ XI.

De iudicibus in causis civilibus[1].

1. Nullus iudicum audeat supersessorias, dilationes, aut *non gravetur* cuiquam, adversus mandata ab aliis iudicibus aut in aliis tribunalibus relaxata, concedere, et concessa sint nulla, neque serventur a iudicibus, qui mandata relaxarunt, salvis tamen inhibitionibus, quae vigore appellationum, seu commissionum, aut in vim reassumptionis causae, aut susceptionis censurarum, seu termini, ab auditore camerae conceduntur, et salvis etiam cartis dotalibus.

2. Minus etiam iudices apponere possint in mandatis illam clausulam, videlicet: *Exequatur per exequutores nostros*, sub poenâ nullitatis, vel simili.

3. Expediant causas a quinque scutis infra summarie, manu regiâ, et sine scriptis, partibus tantum oretenus auditis, nisi aliter ipsis iudicibus ex rationabili causâ visum fuerit, quam Turris Nonae, Sabellorum, Ripae et Ripettae iudices et consules artium exprimere in actis teneantur.

4. Causas autem summam scutorum undecim monetae non excedentes, et coram competentibus iudicibus vertentes, nullus prorsus iudex aut magistratus reassumere possit.

5. Similiter causae cuiuscumque collegii, societatis, confraternitatis, archiconfraternitatis, hospitalis, ordinis seu religionis, loci pii, artis, aut personae habentis ex privilegio proprium et specialem iudicem, non reassumantur, postquam eorum officiales, vel procuratores, aut personae privilegiatae, consenserint in iurisdictionem alterius iudicis ordinarii aliàs competentis, sine tamen praeiudicio facultatum et iurisdictionis auditoris camerae, necnon tribunalis ipsius camerae apostolicae, et cameralium.

6. Et causae mercedis, ad effectum faciendi depositum, illae tantum intelligantur, in quibus agitur de diurnâ vel menstruâ mercede, sive salario.

7. Non attendant nullitates, nisi ex defectu citationis, iurisdictionis, aut mandati, sed ad expeditionem causae procedant.

8. Non relaxent arresta contra debitores, nisi praecedente mandato relaxato servatis servandis, et aliter relaxata sint nullius roboris et momenti.

9. Pro debito summam septem aureorum, ad rationem iuliorum duodecim pro quolibet aureo, non excedente, nemo carcerari possit, nisi debitum habeat annexum crimen.

10. Neque in dictâ summâ comprehendantur expensae mandati, neque fiat cumulatio summarum, vel debitorum, ad effectum carcerandi.

11. Nec concedant inhibitiones, significationes, aut *non gravetur*, in vim cuiuscumque commissionis pro dilatione vel alternativâ obtinendâ impetratae cum clausulâ *servata forma motus proprii*, nisi delato bireto viridi, et non aliter. Et nihilominus quaecumque inhibitiones et *non gravetur* aliter quam ut supra concessa, non suffragentur, et sint nullius roboris et momenti, eisque non obstantibus exequutio quaelibet realis et personalis contra debitores sine bireto viridi repertos fieri possit et valeat.

12. Nec quisquam iudex, aut magistratus, praeter auditorem camerae, audeat directe vel indirecte sub quovis praetextu concedere terminum sive dilationem triginta dierum debitoribus.

[1] Ad haec vide etiam Pii IV Const. LXXI et LXXII in tom. VII, pag. 214 et 224; et Pii V Constit. XXVII ibid. pag. 483 (R. T. ex Cherub.).

13. Possit autem quilibet iudex, cui causae restitutionis in integrum, nullitatis, et attentatorum fuerint commissae, absque speciali commissione terminum praefigere ad docendum de causis restitutionis, sive de ipsis nullitatibus, vel attentatis; et eo lapso, nihilque, quod relevet, docto, ad negocii principalis expeditionem devenire.

14. Possit etiam quisque iudex in quibuscumque causis coram eo introductis, vel introducendis, omnes terminos substantiales absque aliâ speciali commissione reiterare.

15. Mandata de manutenendo in possessorio summariissimo nullus iudicum det nisi per viam decreti, non autem cedulae, nec quicquam sportularum aut propinae pro eis, etiam a sponte dantibus, accipiatur.

16. Mandata suspicionis fugae non citato debitore in Urbe non concedantur, nisi constito in actis summarie de credito liquido, ac de suspicione fugae saltem per iuramentum creditoris, et quod ipsi creditori non sit cautum per alios correos, vel fideiussores; et tunc etiam non relaxentur, nisi deducendo debitorem ad praesentiam iudicis, non autem ad carceres; et iudex ipse, debitore ducto audito, prout ipsi videbitur provideat. Expensas autem mandati et capturae creditor ipse absque ullâ spe repetitionis exsolvat. Et, si creditor aliter huiusmodi mandatum exstorserit, arbitrio iudicis puniatur, et notarii in concessione huiusmodi mandatorum suspicionis fugae, aut sequestrorum, nullo pacto possint creditores cogere ad solvendam vel deponendam mercedem mandati exequutivi.

17. Mandata suspicionis fugae non subscribantur, nisi visis a iudice iuribus; et a iudicibus non subscripta, exequutioni nequaquam mandentur.

18. Iuramentum calumniae non admittant iudices, nisi praestitum iuxta formam a nobis infra notariis in illius receptione praescriptam.

19. Pro periurio autem, in dicto iuramento calumniae commisso, non facile iudices criminaliter procedant, neque in alio tribunali, quam ubi periurium commissum praetenditur, et tunc non retardato iudicio civili.

20. Iuramenta vero litis decisiva coram iudice suscipiantur, et non aliter, nisi iudex aliud arbitratus fuerit ex causâ infirmitatis vel alterius legitimi impedimenti litigantium.

21. Causae discussionum inter creditores et haeredes defuncti, seu alterius debitoris de cuius bonis inter ipsos creditores agitur, intra tres menses, quoad praesentes, quoad absentes vero citra montes, intra sex, ultra autem, intra novem menses expediantur. Et nullo modo nisi ex magnâ causâ, ut supra diximus, instantia praedicta prorogetur. Et a die obitus debitoris, intra duos menses haeredes praesentes, absentes autem citra montes, intra quatuor, ultra vero montes, intra sex, inventarium conficere, et, an velint haereditatem adire, deliberare teneantur. Et interim iudices, coram quibus causas discussionis huiusmodi pendere contigerit, bona ipsius debitoris, vel defuncti vel decocti, creditoribus habentibus sua credita liquida (receptâ idoneâ cautione de restituendo habentibus priora et potiora, et contribuendo habentibus aequalia iura) consignari mandent et faciant.

22. Et quia iam a felicis recordationis Pio Papa V praedecessore nostro constitutum est, ut in causis discussionum miserabiles personae aliis anterioribus creditoribus pro summâ scutorum quinquaginta praeferantur, volumus et declaramus, id habere locum etiam cum dictae miserabiles personae sunt in maiori summâ creditrices, ut nihilominus pro dictâ summâ scutorum quinquaginta dumtaxat aliis e-

tiam anterioribus in omni iudicio iuxta dictam constitutionem praeferantur.

23. Et dictarum miserabilium personarum causae, ad instantiam creditorum, coram quibuscumque iudicibus ordinariis competentibus introduci et ab illis terminari possint.

24. Pro sigillo iudices ordinarii in quibuscumque causis et expeditionibus (his tantum exceptis quae taxam requirunt) nonnisi iulium unum recipiant.

§ XII.

Communia iudicum omnium, tam civilium, quam criminalium[1].

1. Nullus iudicum sive ordinariorum sive delegatorum, quantaecumque dignitatis et auctoritatis, etiam speciali notâ dignus, domi suae familiariter retineat advocatum aliquem vel procuratorem, etiam consanguineos, aut suae curiae notarium.

2. Similiter nullus iudicum sive ordinarius sive delegatus, suadendo vel rogando, minus etiam commendando, vel aliàs quomodolibet directe vel indirecte, se immisceat in proponendis advocatis, procuratoribus, vel sollicitatoribus in causis, tam coram eis quam coram aliis pendentibus.

3. Ipsi autem iudices ordinarii quicumque, tam civiles quam criminales, abstineant omnino a procuratoris, vel advocati munere, tam publice quam secrete, exercendo.

4. Ad haec iudices omnes, item auditores, subauditores, locatenentes, et substituti, seu alio quocumque nomine nuncupati, tam in causis civilibus quam criminalibus et mixtis, a partibus coram se litigantibus (sive sint actores, accusatores, querelantes, aut instigatores, sive etiam rei conventi, inquisiti, vel querelati) nihil prorsus muneris aut doni, neque sub alio quocumque titulo, nomine, vel praetextu, quantumlibet minimum accipiant, sub poenis nostro et successorum nostrorum arbitrio infligendis.

5. Iudices quicumque, tam civiles quam criminales, tam ordinarii quam delegati, etiam in causis in officio archivii praelatis Romanae Curiae commissis, sententias prout in cedulâ ferre et terminos pro servatis habere soliti, dictarum sententiarum cedulas subscribere et publicare, nec non terminos pro servatis habitos intra decem dies omnino a die habiti termini pro servato, et non ultra, declarare possint et debeant, exceptis Rotae auditoribus, qui in hoc eorum facultatibus utantur.

6. Nec citationes, in quarum[1] terminis pronunciare, vel quarum terminos pro servatis habere contigerit, penes se ipsos retinere possint, sed penes notarios dimittant; alioquin sententiae et termini ipsi, lapsis dictis decem diebus, pro nullis et circumductis habeantur.

7. A litigantibus iudices et eorum usque ad secundum gradum cognati et affines, eorumque familiares, neque mutuum, neque fideiussiones, nec alias similes obligationes recipiant.

8. Similiter a baroncellis, et quibusvis aliis exequutoribus, etiam suarum curiarum particularibus, etiam sponte dantibus, sub quovis praetextu nihil prorsus recipere possint.

9. Innovamus constitutionem felicis recordationis Gregorii Papae XIII, praedecessoris nostri, de datis et promissis propter gratiam vel iustitiam consequendam, quae incipit *Ab ipso pontificatus nostri*, et est sub datâ anni millesimi quingentesimi septuagesimi quarti, nonis novembris, pontificatus sui anno tertio, cuius tenor hic pro expresso de verbo ad verbum habeatur[2].

1 Ad haec vide praecit. Const. LXXI Pii IV, § 12, in tom. VII, pag. 216 (R. T. ex Cherub.).

1 Edit. Cherub. et Main. habent *quorum* (R. T.).

2 Quam vide in *Bullario*, tom. VIII pag. 105 (R. T.).

§ XIII.

De sportulis, seu propinis[1].

1. Nullus iudicum ordinariorum, Urbis et Romanae Curiae, cuiuscumque dignitatis, etiam speciali notâ dignus, in causis civilibus ordinariis, ratione sportularum sive propinarum, aliquid prorsus accipiat, etiam a sponte dare volentibus.

2. In commissariis autem pariter civilibus, ubi de summâ scutorum vigintiquinque agitur et infra, nihil prorsus; a vigintiquinque supra usque ad centum inclusive, scuta tria; a centum usque ad ducentum, scuta sex; a ducentum usque ad quamcumque summam, scuta decem, et non ultra.

3. Pro quacumque sententiâ declaratoriâ ob non paritionem monitorii in contumaciam, non ultra iulios septem cum dimidio.

4. Pro declaratoriâ in vim litterarum, aut aliàs habente vim diffinitivae[2], si summa sit certa, accipiant iuxta taxam praedictam, si vero incerta, sed agatur ad ipsarum litterarum exequutionem, accipiant iuxta causae et personae qualitatem, dummodo non ultra quinque aureos.

5. Pro quacumque interlocutoriâ, sive decreto, ante sententiam diffinitivam, nihil omnino.

6. Similiter et pro decreto mandati de manutenendo, item decreto moderationis, inhibitionis, et multo magis pro decreto taxationis expensarum, nihil omnino recipiatur.

7. Pro decreto super contractibus minorum, mulierum, aut rerum Ecclesiae et piorum locorum in domo ipsorum iudicum interponendo, non ultra iulios quinque, extra domum vero, non ultra iulios decem.

8. Quae decreta nonnisi a gubernatore, auditore camerae, vicario, et senatore, eorumque iudicibus, ac iudice Burgi in Burgo, et advocato pauperum dumtaxat, et a nullo alio, interponantur: et a pauperibus nihil recipiant.

9. Facultates autem interponendi decreta, quibusvis aliis personis et iudicibus in Urbe hactenus concessae, pro cassis et annullatis haberi volumus, prout illas omnino cassamus et annullamus.

10. Capitaneus autem appellationum curiae Capitolii recipiat sportulas iuxta taxam ei constitutam ab Urbis statutis, non tamen in casibus sibi hac constitutione interdictis.

11. At praedictas sportulas, sive propinas, ut supra taxatas iudicibus, nonnisi de manibus notarii causae, et sententiâ prius ab ipsis subscriptâ, accipere ullo modo liceat.

12. Debeantque propterea notarii librum habere, in quo dictas sportulas seu propinas notent, cum pro iudicibus deponuntur, ubi, cum postea latâ sententiâ iudici persolvuntur, ipse iudex manu propriâ notato deposito subscribat se illam recepisse. Quae sic, ut supra, iudici data deinceps inter expensas litis taxandas ac reficiendas omnino ponatur, et victori reficiatur, usu quocumque contrario non obstante.

§ XIV.

De commissariis.

1. Quicumque commissarii et subcommissarii, tam ad instantiam fisci nostri, quam etiam particularium personarum, a nobis, aut a successoribus nostris Romanis Pontificibus, vel almae Urbis nostrae gubernatore, camerae apostolicae auditore, vicario, senatore, et aliis quibuscumque iudicibus, ordinariis seu delegatis, ad diversa loca missis ad sumendas informationes, formandos processus et alia necessaria gerenda, necnon omnes et singuli

1 Ad haec vide etiam cit. Const. LXXI Pii IV, § 3-8, tom. VII, pag. 215 (R. T. ex Cherub.).

2 Edit. Main. legit *diffinitive* (R. T.).

notarii, secum ad effectus praedictos assumpti[1], teneantur[2] omnia et singula acta per eos scripta et recepta, processus, testium dicta originalia et authentica, cum primum ad Urbem redierint, vel commissio finita fuerit, omni morâ postpositâ, penes acta[3] notarii, ubi ipsa causa specialis pendet vel pendere speratur; aut, si id dubium sit, apud eum iudicem quem procurator fiscalis noster elegerit, exhibeant, deponant et dimittant, sub amissionis integri eorum propterea debendi salarii, ac etiam ducentorum ducatorum, camerae apostolicae applicandorum, poenâ.

2. Ne autem propterea notarii et scribae praedicti laborum suorum iacturam faciant, mandamus, ut, si pars certa et manifesta fuerit, ad cuius instantiam talis processus sit formatus, contra eam pro condignâ notarii satisfactione iudices ipsi summarie et executive procedant, prout in causis mercedum et depositorum gubernator procedere consuevit; sin autem nulla sit pars, sed solus fiscus noster ex officio inquirat et procedat, tunc de primis, quae ex causâ huiusmodi proveniunt, emolumentis eidem notario celeriter et sine fraude iudices causae satisfieri mandent et faciant cum effectu.

3. Necnon commissarii praedicti ad bona quaecumque, tam mobilia quam immobilia et semoventia, ubicumque existentia, quarumcumque personarum pro tempore delinquentium, et quorumcumque excessuum seu delictorum praetextu, quae iudices ipsi, coram quibus causas huiusmodi pendere contigerit, camerae seu fisco nostro applicanda esse putaverint, capienda et apprehendenda deputati seu deputandi, se de bonis ipsis non amplius intromittere, nec ex eis quicquam, etiam ratione viatici, seu aliâ quavis ratione vel causâ, sibi retinere ullatenus possint aut debeant; sed, causis et processibus huiusmodi coram iudicibus illis coram quibus illae prius pendebant terminandis et finiendis remanentibus, ipsi commissarii in informationibus et processibus in similibus fieri solitis rite formandis[1] dumtaxat versari, ac fideliter et ordinate, omnique cessante strepitu et confusione, bona ipsa, uti decet, in inventarium redigere et annotare, ac illa, sic redacta[2] et annotata, thesaurario seu depositario camerae praedictae in provinciâ, sive eius vicethesaurario aut vicedepositario, in illâ civitate vel loco deputato, realiter et cum effectu dare, tradere et consignare teneantur. Volumus autem quod de bonis, sic annotatis et consignatis, eisdem commissariis, de eorum viaticis iuxta formam et ordinem a iudicibus a quibus dicti commissarii transmissi fuerint praescriptum, satisfieri a depositario possit et debeat.

4. Commissarii vero ad spolia, decimas, subsidia, vel alia regalia, aut credita cameralia vel fiscalia exigenda, sive recuperanda, nonnisi idonei et probatae vitae, nullum habentes in ea interesse, constituantur, qui etiam iureiurando ac idoneis cautionibus de eorum officio fideliter et diligenter exercendo astringantur. Serventurque quoad eos in omnibus decreta congregationis bono regimini communitatum Status Ecclesiastici praepositae, et edicta cameralia, quae per praesentes approbamus et innovamus.

1 Perperam edit. Main. legit *assumptis* (R. T.).

2 Huic verbo *teneantur* deberet postea respondere infinitivum *deponere*, aut simile; vel paulo post legendum *exhibere*, *deponere* et *dimittere* pro *exhibeant, deponant* et *dimittant;* vel tandem ipsum verbum *teneantur* delendum (R. T.).

3 An heic mendum aliquod irrepserit, aut an sit legendum *archivia*, iudicet lector (R. T.).

1 Edit. Main. et Cherub. legunt *formandi* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *redicta* (R. T.).

§ XV.

De advocatis pauperum et fisci[1].

1. Advocatus pauperum sollicite studeat, ne carcerati in aliquo tam a iudicibus quam etiam ab exequutoribus et carcerum custodibus graventur, et propterea non absint unquam in visitationibus carcerum, tam publicis quam privatis. Et procuratores pauperum, ac illorum substitutos, et etiam carcerum visitatorem singulis hebdomadis unâ vice ad se evocet, et de omnibus carceratis, praesertim iis qui in secretis detinentur, diligenter se informet. Et, si ipsos procuratores vel substitutos et visitatorem negligentes invenerit, visitatoribus carcerum denunciet, atque ut de aliis provideatur instet; et, cum ratione sui officii gratis pauperes defendere et illis patrocinari debeat, nihil prorsus ab illis accipiat. Et, ut facilius pauperibus operam suam impendere valeat, visitato[2] carcerum quolibet die ad eum accedere, et alia, quae illi hac constitutione iniuncta sunt, facere teneatur.

2. Non possit advocatus praefatus contra reos ad offensam, etiamsi causa extra carceres agatur, patrocinando, aut aliàs quomodolibet, sub quovis praetextu intervenire; nec, exceptis pauperibus, pro ullo alio, qui contraxerit aut litiget cum camerâ, patrocinetur.

3. Fisci advocatus in omnibus causis criminalibus, et aliàs fiscum tangentibus, ubi articuli iuris emerserint, interveniat (et procurator fisci ipsum super hoc omnino requirere teneatur) et in eis absque ullo praemio patrocinetur. Possit tamen ab instigatoribus propriam iniuriam vel interesse prosequentibus, si quid sponte dare voluerint, illud percipere. Idemque in omnibus visitationibus carcerum adesse teneatur, nec reorum, etiam extra carceres existentium, defensionem assumat, sed pro veritate et iustitiâ causam fisci tueatur.

§ XVI.

De pauperum procuratoribus[1].

1. Procuratores pauperum, ac ipsorum substituti, singulo quoque die carceres visitare, et nomina omnium qui ad illos ducuntur, ac iudicum de quorum mandato[2], ac etiam causas eorum detentionis, et diem cum in liberiori carcere seu ad largam ponuntur, et an ante vel post prandium sive coenam, annotare teneantur; et similiter pecunias, et alias quascumque res, quas invenerint repertas fuisse penes ipsos carceratos; et deinde omnia ad notitiam dicti advocati pauperum deducant; ad quem, etiam quod ab ipso minime requisiti fuerint, semel in hebdomadâ, et interim toties quoties carceratis opus erit, accedant.

2. Nihil omnino accipiant, non solum a pauperibus, sed nec etiam ab aliis carceratis, etiam quod divites sint.

3. Non possint aliquo modo dicti procuratores et substituti contra reos ad offensam, etiamsi extra carceres ipsorum reorum causa agatur, patrocinando, vel aliàs quomodolibet, sub quovis praetextu intervenire.

§ XVII.

De fisci procuratore et substitutis[3].

1. In omnibus causis criminalibus quorumcumque iudicum et tribunalium, etiam Ripae, Ripettae, et aliorum omnium, unus tantum sit fisci procurator generalis, a nobis et successoribus nostris scilicet deputatus, quo citato, vocato et audito, et non aliter,

1 Vide etiam dictam Const. LXXI Pii IV, § 36 et 38, tom. VII, pag. 218, 219 (R. T. ex Cherub.).

2 Sic omnes edit.; sed mendum irrepsisse facile senties: videretur legendum *visitator* (R.T.).

1 Vide cit. Const. § 37 (R. T.).

2 Supple *detinentur* (R. T.).

3 Vide etiam dictam Pii IV Const. LXXI § 39, tom. VII, pag. 219 (R. T. ex Cherub.).

possit ad earum expeditionem, compositionem, seu quodcumque aliud decretum procedi, exceptis dumtaxat causis fori Capitolini, et iis in quibus pro fisco intervenire solet camerae commissarius.

2. Qui fisci procurator in primis prospiciat, ut, quemadmodum in admissione ad eius officium in camerâ iuramentum praestat de illud recte ac fideliter administrando, ita deinde taliter in illius prosequutione se gerat, ut promissis respondeat, nec ullam causam promoveat, quam calumniosam esse cognoverit, et, cum primum de calumniâ, lite coeptâ, vel de rei innocentiâ constiterit, ab illâ desistat, etiam non expectatâ sententiâ.

3. Cumque ratione sui officii cogatur ad introducendas causas in quibus de interesse fisci agitur, nihil omnino ab instigatoribus accipiat pro decreto vel subscriptione cuiuscumque monitorii, etiam ad personaliter comparendum, vel aliâ quacumque causarum introductione.

4. In prosequutione vero causarum tam ipse quam substituti ipsius nonnisi moderate [1] pro labore per eum sive eius substitutos ad utilitatem et commodum eorumdem instigatorum subeundo. Nihil vero accipiat a reis sub quovis praetextu, et praesertim ab iis qui obtinuerint sententiam absolutoriam, a qua ipse procurator appellare noluerit, nec etiam pro appositione manus in mandatus de relaxando.

5. Similiter et substituti ipsius, pro inventariis, cassationibus processuum, citationibus, informationibus, aut alio quocumque praetextu, titulo vel causâ, nihil prorsus a reis, sive in carceribus sive extra eos constitutis, aut pecuniae aut muneris, etiam esculentum aut poculentum et a iure vel constitutionibus permissum, accipiant, sub poenâ infamiae, privationis officii, inhabilitatis imposterum, et aliis etiam nostro et successorum nostrorum arbitrio.

6. Quoad expensas contumaciales, vel quae aliàs a reo reficiuntur, si instigator aderit, sive apertus sive secretus, qui ipsas fecerit, ipsi instigatori procurator fiscalis, cui ratione condemnationis solvendae veniunt, restituat; ubi vero nullus adfuerit instigator, satisfactis prius de illis notariis pro mercede laborum suorum, residuum dictarum expensarum, cum non sit iustum reum ex contumaciâ suâ commodum consequi, eidem procuratori fisci solvatur.

7. Reos ipse fisci procurator aut eius substituti non interrogent, neque testes examinent, nisi in praesentiâ iudicis. Atqui [1] extra carceres liceat eisdem cum interventu notarii examinare. Et pro assistentiâ, sive pro [2] examine reorum vel testium, sive ad offensam vel aliàs pro reo productorum, nihil prorsus accipiat ipse, nec eius substituti; et ubi in termino citationis examini testium non interfuerit, vel interrogatoria non dederit, testes inducti sine ulteriori dilatione examinentur.

8. Citatus originalem citationem non possit ultra diem penes se retinere, sed illam die sequenti restituere teneatur; in qua citatione pars, ad cuius instantiam fit, nomen notarii, in cuius officio causa tractatur vel tractari debet, et procuratoris, si principalis absit ab Urbe, debeat apponere; alioquin citatio ipsa nulla censeatur, nec ipsum fisci procuratorem afficiat.

9. Non det mandata de capiendo quempiam, voce vel in scriptis, nisi ubi adfuerit periculum fugae, et iudicis copiam incontinenti habere non possit.

10. Et, cum ad signaturam spectet causas appellationum nomine dicti procuratoris fiscalis a [3] sententiis contra eum latis

1 Subintellige *accipiat* vel *accipiant* (R. T.).

1 Nempe *sed*, nisi malueris legere *Atque* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *pro sive* (R. T.).
3 Praep. *a* nos addendam censuimus (R. T.).

interpositarum reiicere vel committere, idem procurator appellare non prohibeatur; verum, quoad illarum reiectionem vel commissionem, pro causarum vel personarum qualitate, signatura ipsa occurrentibus casibus huiusmodi providere poterit; in cuius commissionis signaturâ citetur prius, antequam signetur, pars quae sententiam absolutoriam obtinuit, et aliter signatura nullius sit[1] roboris, vel momenti.

11. Et, cum officium procuratoris fisci quoad causas criminales principaliter consistat in prosequutione publicae vindictae, non se intromittat pro obtinendis inhibitionibus de supersedendo in causis civilibus, et praesertim usurarum, nisi ubi de iure ad eius instantiam inhiberi potest.

12. Nec ei concedantur litterae ad partes pro capiendis inditiis, nisi dato prius aliquo fumo, arbitrio iudicis a quo impetrantur; et tunc non committantur alteri, quam loci Ordinario, vel eius vicario, nisi subsistente probabili causâ suspicionis.

13. Nec etiam dilationes non necessariae, nec debito longiores[2]. Quinimmo potius studeant iudices quamprimum causas expedire.

14. Procurator praefatus non tractet de compositione cum ipsis reis, sed expeditioni causarum incumbat; et ubi reus compositionem fieri petierit, non fiat nisi cum interventu iudicis, et ipsius fisci procuratoris.

15. Qui etiam non prosequatur causam appellationis a sententiâ contra eum latâ, ubi adsit instigator secretus vel apertus, nisi datâ prius per eumdem instigatorem cautione de reficiendo expensas tam prioris quam ulterioris instantiae in eventum succumbentiae.

1 Utraque edit. Main. et Cherub. habet *si* (R.T.).
2 Subintellige *concedantur* (R. T.).

16. Non audiatur fiscus protestando, causam quae agitur inter privatos non expediri nisi ipso citato sub praetextu interesse ipsius, nisi de illo incontinenti, quantum iudici sufficere videbitur, docuerit.

17. Et cum sit fisci et camerae apostolicae procurator generalis, et propterea ad eum spectet procuratores fiscales uti eius substitutos in terris sanctae Romanae Ecclesiae deputare, illos legati etiam de latere cum litteris patentibus dicti procuratoris fiscalis ad eorum officia admittere teneantur, et faciant admitti. Qui substituti, sub poenâ privationis eorum officii ac aliis arbitrio nostro imponendis, ipsum procuratorem generalem de omnibus fiscum concernentibus, et praesertim de sententiis tam absolutoriis quam condemnatoriis, certiorem facere debeant.

18. Caveat autem idem procurator generalis, ne a dictis eius substitutis, sive pro substitutione faciendâ, sive quavis aliâ ratione vel causâ, quicquam recipiat, sed omnia emolumenta eisdem substitutis libere et integre dimittat.

19. Vigesimam autem dicto fisci procuratori, et centesimam substitutis[1] ipsius, de compositionibus, confiscationibus, et poenis eorum operâ et interventu iam incameratis, idest factâ iam incameratione, et non prius, deberi ac persolvi volumus et declaramus.

20. Et amplius iidem substituti fiscales, cum ad reformandos processus extra Urbem mittuntur, ultra victus et equorum impensam, possint etiam debita et taxata viatica recipere.

21. Et fisci procurator septem substitutos habere debeat, quibus singulis camera scuta quinque menstrua persolvat, videlicet quatuor substitutos pro tribunali gubernatoris, duos pro tribunali auditoris camerae, et unum pro tribunali vicarii.

1 Omnes editt. erronee legunt *substituti* (R.T.).

§ XVIII.

De advocatis, procuratoribus, et sollicitatoribus[1].

1. Advocati, seu procuratores, consanguinei vel affines usque ad secundum gradum alicuius iudicis vel officialis, in causis coram eo pendentibus nullo pacto valeant patrocinari.

2. Non omnes passim, sed ii solum ad procurandum in Rotae auditorio admittantur, qui doctrinae usus et morum examen subierint, et per ipsius Rotae decanum, vel alium loco decani arbitrio Rotae deputandum, adhibitis duobus vel tribus procuratoribus ab ipsorum collegio deputatis, super his universis approbati fuerint; unde, si qui tales in praemissis idonei reperti non erunt, a procuratoris officio removeri volumus; ac pro dicto examine aliquid exigi vel solvi debere expresse prohibemus.

3. In tribunalibus gubernatoris, auditoris camerae, vicarii, et senatoris, procuratores non admittantur, qui non sint prius approbati a superioribus illius tribunalis, et in libro particulari descripti.

4. Quin etiam, ut indemnitati litigantium consulatur, omnibus et quibuscumque iudicibus districte praecipimus, ne procuratores inhabiles ad causas coram ipsis agendas admittant.

5. De propinis seu bibalibus dandis, procuratores aut etiam advocati se non immisceant; sed curam hanc partibus vel earum sollicitatoribus relinquant.

6. Stipendia modeste, nec ultra meritum, aut ultra taxas capiant.

7. Et sicut de quotâ litis, ita de fructibus et expensis aut parte earum in quibus adversarii condemnantur, aut aliis emolumentis et praemio, cum partibus in eventum victoriae quisquam advocatus vel procurator nullatenus conveniat.

8. Unum procuratorem idoneum cum competenti salario, qui patrocinium pauperibus gratis praestet, singulis annis deputent procuratores in eorum collegio, et factam deputationem denuncient advocato pauperum, qui eius operâ uti, et pauperes ad eum, cum occurrerit, mittere possit.

9. Cum notariis vel aliis de gratiis registrorum et extractuum, praeterquam in partium principalium utilitatem et commodum ita quod evidenter apparet per instrumentum publicum, non paciscantur; et in his reperti culpabiles perpetuo sint procurationis officio privati.

10. Notariatus aliquod officium procuratores emere non possint, neque cum notario societatem aliquam inire, neque in totum, neque in partem, sub poenâ amissionis ipsius officii. Quod advocatis etiam prohibitum esse volumus sub eâdem poenâ.

11. Sententias contra eorum principales a curiâ absentes, a quibus procurare[1] licet, in rem iudicatam transire non permittant, sed appellare, et causam committi facere teneantur, ac principalibus suis significare, et prorogationem fatalium semel petere, sub poenâ privationis officii, et aliis poenis arbitrio iudicis.

12. Postquam alicuius causae patrocinium susceperint, et onus procuratoris receperint, indefensas causas non dimittant, sed pro viribus defendant, nisi excusationem legitimam habeant a iudice approbandam; necnon secreta causarum adversariis[2] non revelent aliquo praetextu vel causâ, sub iisdem poenis.

13. Procuratores et sollicitatores quarumcumque causarum non possint a suis

1 Aliam habes horum reformationem quam edidit Benedictus XII in suâ Const. *Decens et necessarium* (quae legitur num. II apud Cherub., et nescio quomodo a *Coquelines* in edit. Main. relata non fuit; nos eam dabimus addendam ad calc. tom. IV n. edit.): vide etiam Pii IV, Constit. LIV § 10, tom. VII, p. 156 (R. T. ex Cherub.).

1 Ita omnes edit.: at forsan legendum *appellare* (R. T.).

2 Erronee edit. Main. fert *adversarii* (R. T.).

clientibus salarium petere, nisi conventum.

14. Pridie eius diei quo Rota agitur, non liceat advocatis, procuratoribus, et sollicitatoribus, etiam tamquam amicis vel aliter attinentibus, studia auditorum perturbare.

15. Procuratores, qui sunt de collegio procuratorum, praecedant omnes alios procuratores, licet antiquiores.

16. Neque advocatus, neque procurator, aut sollicitator, qui pro unâ parte patrocinium suscepit, in eadem causâ pro alterâ patrocinari possit, sub poenâ privationis officii, et infamiae.

§ XIX.

De notariis tribunalium Urbis.

1. Nullus notariorum cuiuscumque curiae, sive criminalium sive civilium causarum, audeat quicquam exigere, nisi iuxta taxam eis traditam, quam vulgari sermone scriptam in eorum officiis appensam, ita ut ab omnibus legi possit, habere teneantur.

2. Exerceant autem singuli (etiam quibus officia per sedem seu cameram apostolicam concessa fuissent) eorum officia per seipsos, nec illa arrendare, locare, aut in administrationem quovis modo concedere possint, sine expressâ nostrâ aut successorum nostrorum Romanorum Pontificum licentiâ in scriptis obtentâ; et tunc nonnisi personis a superioribus sui tribunalis approbatis, ac receptâ satisdatione de fideliter exercendo, et observandis taxis et reformationibus.

3. Et loca pia habentia aliquod simile officium illud exerceri faciant ab aliquo viro probo ab eis stipendiato, et a superiore sui tribunalis approbato, qui taxas et reformationes observare, ut supra, satisdare teneatur.

4. In iuramento calumniae a partibus praestando, notarii iurantem admoneant vim et importantiam ipsius, et faciant haec nominatim et specifice asseri et iurari: Primo, quod non animo calumniandi agit, vel defendit, sed quia lis pro parte suâ sibi iusta videtur: Secundo, quod probationem non exiget, nisi quam pro veritate sibi necessariam putabit: Tertio, quod nihil dedit, aut promisit, dabit, vel promittet iudicibus, aut notario, vel testibus, aut mediatoribus, aut alicui alteri personae, ut sententia detur: Quarto, quod calumniandi animo aliquam dilationem non petet: Quinto, quod pactum de quotâ litis non fecit. Quae capitula per actuarium iurantibus declarari mandamus, sub poenâ decem aureorum vice qualibet incurrendâ. Et nihilominus[1] ulterius ad scribendum in illâ causâ non admittatur. In actis tamen non opponatur[2] nisi iurasse monitum iuxta formam huius constitutionis[3].

5. Nihil scribant in causis ubi agitur de summâ vel re valoris infra quinque scuta, nisi aliter iudex mandaverit.

6. Et in causis scutum unum non excedentibus notarii cuiuscumque curiae nihil prorsus recipiant a partibus; ab uno vero scuto usque ad duo inclusive, pariter nihil (nisi si quid a iudice fuerit eis concessum) sub poenâ furti.

7. Neque possint rogari de instrumentis quae extra iudicium fiunt ad referendum alteri, quamvis connotario, etiam camerae, vel auditoris camerae, sed quisque per se aut per proprios substitutos,

1 Vel hic subintellige *ipse actuarius*, scilicet, praeter poenam praedictam, *ulterius*, etc., vel postea lege *non admittantur*, nempe *capitula* (R. T.)

2 Forsan legendum *apponatur* (R. T.).

3 Si coniicere licet, sensus huius loci mendosi videretur esse: *quae capitula per actuarium iurantibus declarari mandamus: et nihilominus non admittantur scripta in illâ causâ ad augendam scripturationem, sed in actis non apponatur nisi tantum iurasse monitum*, etc. (R. T.).

qui in ipsius officio commorantur, de dictis instrumentis rogetur, et non pro altero ad referendum.

8. Si contingat unum notarium accipere terminum pro alio notario ad referendum, teneatur accipiens, per totam illam diem qua acceperit, relationem facere, et decretum scribatur sive subscribatur manu notarii referentis.

9. Nec quisquam similiter possit in futurum plura notariatus officia in diversis tribunalibus obtinere; sed censeantur esse dicta officia inter se incompatibilia, absque nostrâ vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum licentiâ.

10. Et tam ipsi, quam eorum substituti, non possint esse procuratores in curiâ, in qua notarii sunt, aut substituti officium exercent.

11. Citationes, monitoria, seu quasvis alias provisiones extra Urbem mittendas, non expediant ad alicuius instantiam, nisi notato in actis nomine procuratoris principalis, aut alterius illas obtinentis; ut, si ad illarum moderationem sit procedendum, possit pars incontinenti scire, quis sit citandus, eiusque citatio sufficiat ad obtinendam moderationem.

12. Nec sufficiat in actis exprimere nomen procuratoris, nisi iis notus sit in curiâ ad hoc ut citari possit, vel saltem talis procurator eligat domicilium ubi citari velit.

13. In mandatis exequutivis vigore instrumentorum, sive apocarum, relaxatis, tam in curiâ quam extra eam mittendis, apponatur dies, mensis et annus instrumenti, sive apocae, cuius vigore mandatum relaxatum fuit.

14. Similiter in relaxatione mandatorum, et quarumcumque expeditionum, tam in curiâ quam extra eam mittendarum, citatis partibus, vel earum procuratoribus, aut in contradictorio iudicio obtentarum, apponi debeat altera ex istis clausulis, videlicet: *In contumaciam N. procuratoris;* vel, si procurator vere contradixerit et in actis protestationem fecerit, loco praedictae clausulae, scribatur: *Non obstante protestatione N. ex adverso procuratoris.*

15. Porro, moderatis inhibitionibus a suo iudice emanatis, nullo praetextu notarii lapso termino intimationis possint obtentae moderationis fidem retardare, nisi de impedimento vere constet in actis. Notarii quorumcumque tribunalium Urbis, exceptâ Rotâ, teneantur in quibuscumque causis, etiam commissariis, intra Statum Ecclesiasticum dare litteras missivas loco remissoralium, et pro singulis litteris huiusmodi, atque illarum instrumento, etiam cum articulis et interrogatoriis introclusis, solvatur merces iuliorum novem, nec pars, huiusmodi litteras petens, contra eius voluntatem cogatur remissoriam accipere.

16. Summaria testium, quando a notariis dari contigit, scribantur in bonâ cartâ non bibulâ, et caractere intelligibili, solutâ solitâ mercede.

17. Notarii nullam prorsus mercedem aut emolumentum etiam minimum recipiant, quod prius in libro receptorum (quem retinere debeant) fideliter non annotaverint, cum expressione diei, causae, et personae solventis, ut ex libro superior possit ex officio cognoscere, si quid ultra taxas indebite receperint.

18. Ceterum de datione arrharum pro registris, extractibus, aut copiâ iudiciorum non stetur libro notarii; nec eius annotationi, nisi cum subscriptione partis, aut procuratoris arrham dantis.

19. In manualibus, vel broliardis, vel libris instrumentorum actorum, et filzarum quas vocant ligatarum, non dimittant notarii folia ullâ in parte alba, ubi scribi solet, sed, ubi sic alba remanserint, ea interlineare teneantur.

20. Non retineant scripturas et iura

quaecumque producta in pulpitis, sed, intra biduum a die productionis eorum, productionem in manuali seu broliardo actorum annotare, et in filzis ponere teneantur, etiam quod productio fuerit in calce citationis annotata. Examina reorum et testium quorumcumque, tam in civilibus quam in criminalibus, ab initio et in ipso actu examinis describantur in libro bene compacto et compaginato.

21. Non audeant notarii inconsulto iudice facere ex se decretum aliquod quantumlibet solitum et ordinarium, nec aliquem terminum quamvis levissimum in formâ, ut aiunt, servare; sed semper iudicem adeant, et citationes omnes coram eodem legant, ab eoque decreta sumant, et deinde in actis apponant; et idem servent etiam si terminus sit ad videndum inhiberi iuxta formam commissionis, sub poenâ falsi et privationis exercitii.

22. Citationes, et aliae cursorum et mandatariorum relationes, nullatenus in actis apponantur, nisi cursores et mandatarii eas in cartulis earum subscripserint, et supra subscriptionem nomen notarii causae appositum fuerit.

23. Citationes et alios actus pro aliquo vel contra aliquem non recipiant, nisi tam actoris quam rei nomen cum cognomine, et exercitii vel habitationis vel patriae designatione, specifice in eis exprimatur.

24. Citationes ad videndum mandari consignari pignora non recipiant, nisi appositum sit etiam ad videndum mandari subhastari.

25. Item non audeant differre vel retardare publicationem, ostensionem et lectionem sententiarum, tam civilium quam criminalium, sub praetextu non solutae notae ipsarum, aut registri, et aut alterius cuiusque mercedis sibi debitae. Quinimmo teneantur per totum sequentem diem illas, unâ cum citationibus ad sententiam, in peculiari libro, quem ad hoc habeant, registrare.

26. Quod etiam servetur in cedulis privatis depositorum, quae scilicet statim factâ illarum productione registrentur.

27. Sententiarum, decretorum, aut aliarum quarumcumque scripturarum, tam civilium quam criminalium, copiam unicuique petenti, solutâ copiae competenti mercede, dare teneantur.

28. Caveant insuper notarii scribere quemquam in actis uti instantem, protestantem, producentem, seu quomodolibet comparentem, nisi is tunc praesens fuerit; nec suffragetur mandatum generale notario datum a quavis personâ, ut possit eius nomen in causis vel actis apponere.

29. In eventum in quem in causis fiant nullitates quae possint adscribi culpae aut negligentiae notarii, et pars propter paupertatem expensas reficere non valeat, ad illas substitutus notarii, qui in causâ scripsit, teneatur.

30. Protestationes[1] scribantur in broliardo eodem die, nec recipiantur in foliis volantibus, et, quatenus ob eorum[2] longitudinem in huiusmodi foliis recipiantur, statim huiusmodi receptio in broliardo annotetur.

31. Similiter non audeant expedire mandata, quae non fuerint a iudice manu propriâ subscripta; et, aliter expedita, sint omnino et in quacumque curiâ etiam Capitolii nulla. Verum dicta subscriptio gratis fiat, nec ob eam augeatur ullatenus solita impensa mandatorum.

32. Quando aliquis notarius allegatur suspectus, et alius deputatur, una tantum merces consignanda alteri ex dictis notariis, cui de iure persolvatur.

33. Custodiant notarii diligenter scripturas omnes, extractus, et registra; et quibusvis personis accomodata infra an-

1 Edit. Main. habet *protestatione* (R. T.).
2 Forsan legendum *earum* (R. T.).

num a die accomodationis recuperare, alioquin, eis vel aliquo eorum deperditis, illa suis sumptibus reficere teneantur.

34. In notariorum officiis non recipiantur substituti, scribae, iuvenes, vel alii quicumque ad testes examinandos, neque ad conficienda acta civilia aut criminalia, nisi qui prius fuerint, tam quoad sufficientiam pro munere ab eis exercendo, quam quoad vitae probitatem, a superiore tribunalis approbati.

35. Ad rogandum vero quaelibet instrumenta, testamenta, et alias quascumque dispositiones, tam inter vivos quam in ultimâ voluntate, non admittantur, nisi praevio rigoroso examine sint prius creati notarii ab habente facultatem; neque tamen propterea talis approbatio principalem notarium sive officialem excuset, quominus, si quid praefatorum culpâ vel facto minus recte gestum fuerit, ipsi omnino notarii teneantur, prout teneri volumus, ad damna, expensas et interesse partibus damnum passis.

36. Notarii non audeant rogare vel stipulari obligationes aliquas sive contractus, etiam parvi momenti, nisi vel contrahentes ipsos notarii bene noverint, vel ab uno saltem ex testibus, cum iuramento adhibitis, cognitos esse sciant, testesque praedicti, aut unus eorum, contrahentes ut supra recognoscentes, noti sint iisdem notariis; et nihilominus in quibuscumque contractibus, ultra nomen et cognomen cuiuslibet contrahentium, apponatur etiam patria, et nomen patris, aut alia similis demonstratio; atque de huiusmodi cognitione mentio fiat in instrumento; alioquin, ultra poenas infra subiectas, teneantur etiam partibus ad omnia damna, expensas et interesse, neque per hoc derogatum censeatur statutis maiorem in proposito solemnitatem vel diligentiam requirentibus.

37. Prohibemus insuper ne in instrumentis, testamentis, et aliis actibus in quibus testes requiruntur, notariorum socii, substituti, et alii in officio illius notarii qui rogatur degentes admittantur, sed alios adhiberi omnino mandamus.

38. Disdictam societatis officii teneantur notarii non solum in manuali registrare, sed etiam in margine instrumenti societatis annotare his verbis, videlicet: *Die tali disdicta, et die tali reproducta;* neque talis reproductio disdictae in actis alterius notarii de societate non rogati fieri possit, neque facta suffragetur, nisi quando contractus societatis extra Urbem est rogatus, vel etiam in Urbe, quando est rogatus notarius, qui non sit actuarius alicuius tribunalis; quibus casibus disdicta registretur in manuali, ut supra, sub poenâ in quolibet praefatorum casuum notario principali scutorum centum ipso iure fisco applicandorum, et substituto scribenti [1], vel de tali actu rogato, sub poenâ infamiae et suspensionis ab exercitio.

39. Idemque servetur in nominatione, necnon et in translatione periculi vitae; quae non suffragentur, neque cuiquam prosint, nisi parti intra tempus ad nominandum vel transferendum intimatae, et per notarios, ut supra, fuerint annotatae.

40. Et, si notarii, eorumque substituti, actuarii, vel iuvenes quicumque, se quoquo modo, directe vel indirecte, sub quovis etiam amicitiae nomine vel praetextu, ingesserint, interposuerint, vel tractaverint, seu mediatores fuerint in aliquo censuum, societatis officiorum, aut aliorum quorumcumque negotiorum contractu, non possint (sub poenâ perpetuarum triremium, ac privationis officii, eiusque proprietatis, et tituli ipso iure camerae apostolicae applicandi) ullas pecunias, bona, seu res, etiam minimae quantitatis, a quoquam

1 Edit. Main. legit *scribendi* (R. T.).

etiam sponte dante occasione, praemissâ recipere, sed sint et esse debeant contenti debitâ eis mercede rogitus instrumenti, si quod ab eis fuerit rogatum.

42. Quaelibet instrumenta subscribantur ab eo substituto qui illa confecit, apponendo nomen et cognomen suum in margine finis instrumenti.

43. Instrumenta quoque in suis manualibus dietim extendantur et describantur.

44. Instrumenta quaecumque, ab eis rogata, notarii debeant infra tres menses a die celebrati contractus vel instrumenti in librum, quem fileam vocant, redegisse, vel in protocollum, quod alii manuale extensorum appellant, descripsisse cum suo indice. Non derogando per hoc statutis diligentiorem formam requirentibus.

45. Testamenta autem et codicillos viventium nemini ostendant, sed fideliter recondita servent, et, quatenus sint aperta, illa et illos intra tres menses in librum ad hoc de more compactum redigant.

46. Alia cuiuscumque generis, qualitatis, quantitatis, contractus, acta, instrumenta, vel ab ipsis rogata, vel apud eos producta, teneantur partibus interesse habentibus ad earum beneplacitum gratis ostendere, ipsisque copiam facere et tradere, solutâ solitâ mercede competenti, sine tamen die, anno, mense, testibus, ita ut nullam in iudicio fidem facere possint.

47. Neminem tamen possint adstringere ad accipiendum instrumenta publica, vel eorum exempla, nisi ita ipsis contrahentibus, aut aliis interesse habentibus, placuerit.

48. Pro rogitu cuiuslibet instrumenti, cum quibusvis conditionibus et clausulis, ubi non adsunt particulares taxae, et ubi non praecedit conventio partium, solvantur, pro quolibet centenario scutorum usque ad scuta mille, iulii duo; a mille usque ad quinque millia, iulius unus pro quolibet simili centenario; a quinque mille usque ad quamcumque summam, bononeni quinque pro quolibet simili centenario, dummodo in totum non excedat summam scutorum vigintiquinque.

49. Pro cassatione cuiuslibet instrumenti seu retrovenditionis census, vel similium, cum quibusvis cessionibus, reservationibus, conditionibus, seu transationibus, et aliis clausulis, ubi non adsunt particulares taxae, solvatur ad eamdem rationem, prout dictum est pro rogitu cuiuslibet instrumenti.

50. In tradendis autem publicis instrumentis quoad mercedem quicumque notarii, sive descripti in archivio Romanae Curiae, sive in archivio Capitolii, et alii notarii retinentes pubblica officia, non habentes specialem taxam publicorum instrumentorum, vel in quibus eorum taxa non disponeret, teneantur servare taxam statutorum Urbis.

51. Pro rogitu testamentorum, codicillorum, donationum inter vivos et causâ mortis, ubi non adsint taxae minores, vel ubi notarii non subiiciuntur statutis Urbis, et ubi non fuerit aliter conventum per partes, si fuerint factae[1] a personis quorum patrimonium non excedat scuta quinque millia, solvantur iulii quinque; a quinque millibus usque ad viginti millia, scutum unum: a vigintimillibus usque ad quamcumque summam non exigant ultra scuta duo.

52. Orta inter notarios et litigantes vel alios differentia super ipsorum notariorum mercede, non a notariorum collegiis seu deputatis ab eis, sed ab eorum iudicibus[2], qui non ad mensarios seu notarios remittant, sed ipsimet proprio ipsorum arbitrio definiant, inviolabiliter observatâ taxâ.

1 Aptius legeretur *facta*, nempe *testamenta*, etc. (R. T.).

2 Aliquid hic deesse videtur, ex g. *definiatur* (R. T.).

53. Et quandocumque notarii vigore huius constitutionis ex facto suo, vel suorum, tenentur aliquid refundere, restituere, aut partibus resarcire, procedatur contra eos executive, et manu regiâ.

54. Ad haec, archivii privilegia illaesa esse cupientes, statuimus et mandamus, quod protonotarii, comites palatini, et alii quicumque habentes vel habere praetendentes facultatem creandi notarios, aut spurios legitimandi, non possint illos creare vel legitimare, nec iurisdictionem aut potestatem aliquam in Urbe et extra eam per unam dictam legalem exercere, in praeiudicium collegii archivii, et privilegiorum eius, iuxta constitutionem felicis recordationis Leonis X praedecessoris nostri editam pridie nonas octobris MDXIII, quae incipit *Ex ministerii pastoralis*[1], quam innovamus et approbamus;

55. Quodque, si aliquis creditor mandatum de capiendo, ratione suspicionis fugae, in quocumque tribunali, etiam auditoris camerae, contra debitorem suum, vel[2] ipsius debitoris pecunias et bona sequestrum aliquod obtinuerit, creditor ipse ad mandati exequutivi expeditionem, vel aliquo modo illius solutionem faciendam, aut eius taxam deponendam, cogi non possit.

56. Iuramenta suspicionis fugae ab aliis, quam a principalibusmet, vel personis ad id speciale mandatum habentibus, non recipiant.

57. Sequestra non scribant, etiam in causis mercedum, nisi in exequutionem mandatorum[3] servandis relaxatorum, vel nisi docto de credito etiam extraiudicialiter arbitrio iudicis, iuratoque prius de dilapidatione, aut fugae suspicione.

58. Advocatos, procuratores, et sollicitatores pro fideiussoribus occasione litium dandis nullo pacto recipiant.

59. Significationes per viam recursus concedendas non scribant, nisi cum clausulâ, *Non tamen in contumaciam.*

60. Alias vero significationes non scribant nisi vigore termini, aut nisi productis iuribus, vel probationibus super solutione, aut nisi stante pendentiâ litis, sive lite finitâ, vel nisi datâ cautione de stando iuri et iudicatum solvendo, quando essent relaxata mandata suspicionis fugae pro assecuratione iudicii, aut nisi stante negatione contra mandata in contumaciam relaxata.

61. Responsiones ad articulos et iuramenta super partitis decisivis coram iudice tantum recipere possint et debeant, nisi ipse iudex aliter decreverit ex causâ infirmitatis aut legitimi impedimenti colligantium.

62. Constitutionem a nobis die primâ martii MDCVIII contra notarios criminales Urbis editam[1] innovantes, denuo et districte inhibendo praecipimus omnibus quibusvis notariis cuiuscumque tribunalis et curiae quoquo modo causas criminales exercentibus, ne, sub poenâ privationis officiorum et proprietatis ipsorum ipso facto incurrendâ, et camerae nostrae apostolicae applicandâ, aliisque gravioribus etiam corporalibus arbitrio iudicis imponendis poenis, audeant vel praesumant mercedes notulae sententiae, vel decreti, aut cassationis processus in relaxatione carceratorum, seu abolitione querelarum non carceratorum, etiam a sponte dantibus, nec etiam ad minimum accipere, nisi quando reus ipse fabricato processu, et praecedente plenâ causae cognitione et discussione, fisco et parte si aderit citatis, in ipsâ sententiâ, vel decreto vim diffinitivae habente et a iudice subscripto, fuerit a crimine, pro quo

1 Huiusmodi in *Bullario* non legitur sed habetur de hoc Iulii II Const. XVIII ac XIX in tom. V, pag. 458.

2 Supple *contra* (R. T.).

3 Forsan legendum *servatis servandis* (R. T.).

1 Quam vide in tom. XI, pag. 470 (R. T.).

detinebatur, vel querelabatur, diffinitive tanquam innocens, vel tamquam hactenus non repertus culpabilis, expresse absolutus.

63. Pro compositionibus vero easdem notulas decretorum et cassationes[1] accipere (nisi in causis et criminalibus gravibus et gravem[2] poenam merentibus, et in quibus non solum intervenerit plena causae cognitio, sed etiam discussio, et decreta fuerint non iudicis tantum, sed et procuratoris nostri fiscalis manu subscripta) minime possint.

64. Remissiones tamen gratiosas bannitorum in contumaciam condemnatorum, necnon exilii et triremium poenarum, de ordine nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis, excipimus, in quibus iidem notarii notulas decretorum et cassationis processuum accipere licite possint. In aliis autem quibuscumque casibus contenti esse debeant solâ mercede mandati de relaxando, si rei fuerint carcerati; et, si non fuerint carcerati, pariter contenti sint eâ mercede, quae, si carcerati fuissent, eis deberetur pro dicto mandato de relaxando, reprobatâ, prout reprobamus, omni pravâ consuetudine et observantiâ notariorum, ad effectum extorquendi notulam decreti, in omnibus fere decretis de relaxando apponentium illa verba, *mandavit cassari, et amplius non molestari, silentium imponi*, vel similia.

65. Et insuper, super[3] eisdem poenis, omnibus notariis prohibemus, ne, per se vel alios, reos quoquo modo processatos, ad processus cassationem, aut cuiuscumque sententiae vel decreti absolutorii impetrationem vel postulationem, per citationem ad se repraesentandum, aut ad sententiam, vel aliâs qualibet viâ, directe vel indirecte, aut quoquomodo, cogere, inducere, aut invitare audeant vel praesumant; sed omnia et quaecumque hac nostrâ constitutione contenta ad unguem omnino observent.

66. Et pro mandatis de excarcerando, quibus a iudice adiectum est *gratis*, nihil prorsus; et[1] *in formâ pauperum*, pro medietate tantum accipiant: ideoque nec mandati mercedem ante recipiant, quam a iudice fuerit subscriptum, et forte receptam omnino restituant.

67. Nec pro copiâ indiciorum, quam effectualiter reo non dederint, quicquam percipere (nisi loco arrhae) debeant, et ubi reus amplius ipsam copiam habere noluerit, etiam quod arrham dederit, ab ipso non exigant, nisi pro ratâ copiae confectae.

68. Similiter alimenta carceratorum penes eos deposita notarii, sine ullâ retentione pro deposito vel aliâ qualibet diminutione, carceratis integre consignent.

69. Quicumque ex notariis[2] in eorum officiis scribentibus in aliquo praemissorum contravenerit, pro qualibet vice poenam scutorum viginti quinque, aliasque poenas pecuniarias et corporis afflictivas pro modo excessus a suo iudice arbitrandas, incurrat, damnaque et interesse partibus reficere cogatur.

70. Ultra praemissa, diligenter per omnes notarios, cuiusvis tribunalis observanda, sancimus, ut notarii infrascriptorum tribunalium etiam sequentes ordinationes quemlibet eorum tangentes servare debeant.

71. Notarii camerae illis qui annatas et alia iura camerae pro expeditionibus debita persolverint, quietantiarum et liberationum instrumenta, super solutionibus per eos factis, intra triduum, iuxta veterem consuetudinem, mercede solitâ receptâ, in formâ authenticâ tradere compellantur,

1 Paulo infra in num. 64 legitur *cassationis processuum* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *gravamen* (R. T.).

3 Forsan legendum *sub* (R. T.).

1 Id. *pro mandatis in forma pauperum* (R.T.).

2 Forsan hic deest particula *vel* (R. T.).

aut per eos non stet quominus tradantur. Et abstineant ab indebitis exactionibus, maxime pro obligationibus solvendi annatas.

72. Bullas, quarum ratione commune, annata, vel alia iura solvi debent camerae apostolicae, quae quomodolibet concernunt interesse dictae camerae aut Sedis Apostolicae, sive earum continentiam, per seipsos tantum, et non per substitutos, scribant et annotent in libris; et bullae registratae auscultentur per mensarium ipsorum notariorum, qui in signum auscultationis manum apponere in registro, et de malâ auscultatione teneri debeant[1]. Et registra in archivio palatii apostolici custodiantur.

73. Obligationes solvendi commune et alia iura camerae pro monasteriis vel ecclesiis oneratis pensione, aut solvendi quindennium ratione unionum, infra quindecim dies ab ipsismet notariis in libro scribantur.

74. De restitutis autem servetur consuetudo capiendi iulios duos cum dimidio cancellariae pro qualibet restitutione bullarum, et non ultra.

75. Emolumenta eis debita, tam ratione registrationis bullarum quam alia quaecumque, inter se certo pretio, vel aliàs quomodolibet, non arrendent, nec arrendare possint.

76. In expeditionibus et scripturis conficiendis, de propositione et commissione factâ in plenâ camerâ mentionem expressam facere teneantur.

77. Ponant in massâ communi mercedes intrumentorum omnium, tam cameralium quam interesse camerae active et passive seu aliàs quomodolibet concernentium, etiam extra cameram, coram thesaurario, vel alio per nostrum aut successorum nostrorum chirographum vel litteras aut aliter deputato, rogatorum; de quibus rogatus notarius teneatur illa denunciare collegio, et, ut praefertur, in massâ ponere, demptâ ratâ sibi pro mercede laborum debitâ iuxta constitutiones ipsorum.

78. Et conficiatur liber, apud eorum mensarium dimittendus, in quo quisque notarius in fine hebdomadae, summatim describat singulas, quas fecerit, expeditiones.

79. Pro expeditionibus et sigillo in gratiosis, quando sunt plures personae consortes, etiam si sint congregationes, collegia, capitula, vel universitates, non solvatur nisi pro taxâ duorum. In iudicialibus vero expeditionibus nonnisi pro uno tantum exigatur.

80. Et pro litteris patentibus quorumcumque commissariorum, tam a camerario quam a thesaurario, vel commissario camerae, etiam in partibus constitutorum, non solvatur ultra iulios viginti duos in totum, computato sigillo et mercede secretarii ac notarii.

81. Mercede semel solutâ iuliorum quinque notario dictae camerae pro deputatione iudicum ad solidanda computa, pro quacumque postea subrogatione solvatur tantum medietas summae praedictae.

82. Notarii gubernatoris teneant intus vel iuxta dictum palatium eorum officia separata, et in locis ita distantibus, ut collitigatorum tumultus nullum afferre possit impedimentum.

83. Manualia citationum et manualia protestationum separatim et distincte teneant.

84. Expeditionum duos libros habeant, in quorum uno distincte[1] et ordinatim annotare debeant omnes significationes per viam recursus concedendas, cum expressione nominis collitigantium et curiarum a quibus locumtenens recursus iuxta suas

1 Nescio an legendum foret *debeat*, nempe ipse *mensarius* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *distinctae* (R. T.).

facultates concedet, et etiam summae, vel valoris rei de qua agitur; necnon omnia sequestra et monitoria ex quavis causâ decernenda.

85. In altero autem similiter annotare debeant omnia mandata exequutiva, non tamen in contumaciam, et omnia arresta, mandata de excarcerando, significationes dotales, aut vigore termini, aut in vim litis pendentiae, aut litis finitae, aut stante deposito vel negatione, aut datâ cautione de stando iuri et iudicato solvendo concessas, et omnes citationes, vel inhibitiones vigore commissionis, aut extra curiam decretas, dummodo in quolibet ipsorum casuum agatur de re vel summâ scutorum auri septem, constituentium iulios octuaginta quatuor, ut supra.

86. Listas expensarum non conficiant, neque propterea mercedem aliquam etiam a sponte dantibus recipiant, nisi praevio locumtenentis decreto, et eiusdem subscriptione, in calce citationum *ad videndum taxari expensas* apponenda.

87. Examen testium scribere possint duo tantum notarii pro quolibet officio, quos gubernator pro tempore approbaverit, et non alii.

88. Notarii auditoris camerae, ultra ea quae sancita sunt de tribunali auditoris camerae et de aliis notariis, abstineant a monitoriis iactationis et iactationum, aut aliis quibuscumque, quibus prima instantia a suis ordinariis auferatur, exceptis casibus privilegiatis.

89. Et in monitoriis specialibus in primâ instantiâ, ubi permittitur, et inhibitionibus vigore appellationum, quae ab auditore camerae conceduntur in partibus cum clausulâ, *dummodo causa summam scutorum quinquaginta excedat, et molestiae non sint iudiciales,* debeant praedictam clausulam, *dummodo causa*, scribere litteris maiusculis et loco illius clausulae, *dummodo molestiae non sint iudiciales*, scribere pariter litteris maiusculis haec verba, videlicet, *dummodo iudicium non sit coeptum in partibus;* ita ut, si iudicium coram aliquo iudice competenti sit coeptum, monitorium non afficiat. Et quatenus inter partes de dicto valore controvertatur, auditor camerae, vel eius in civilibus locumtenens, constito sibi etiam extraiudicialiter causam non excedere dictam summam, teneatur per litteras missivas, et absque ullâ impensâ, dictas eorum inhibitiones et monitoria revocare et causas ad suos iudices remittere.

90. Et (quoniam experientiâ compertum est, quod notarii multoties inducunt huiusmodi monitos et citatos, ut in iurisdictionem tacite consentiant) volumus, ut quando summam praedictam causa non excedit, huiusmodi consensus in iurisdictionem minime sufficiat, nisi adsit expressus.

91. Non possint relaxare mandata vigore termini in eorum officiis suscepti, quando iam mandatum a iudice causae in alio tribunali est relaxatum. Eo vero nondum relaxato, in arbitrio sit et potestate creditoris illud utrobi voluerit accipere, cogi tamen ad id non possit.

92. Atque in praefatâ termini susceptione non admittant aliquam conditionem, reservationem, aut protestationem terminum petentis, neque illam scribant, sed tantum simplicem debiti confessionem, et solvendi in fine termini obligationem, et non aliter.

93. Et ad effugienda incommoda, quae ob citationes deperditas, forte etiam subtractas, frequenter occurrunt, mandamus eisdem auditoris camerae notariis, ut singuli iuxta veterem consuetudinem manuale actorum omnino conficiant, illudque infra unius mensis spatium a die publicationis praesentium debeant inchoasse, et quanto citius perfecisse, in futurum vero illud quolibet trimestri faciant, ac auditori ca-

meraemet quolibet trimestri exhibere teneantur.

94. Teneantur notarii praedicti describere in listâ omnes indistinte informare volentes in suâ die, nec pro ordine, antelatione, vel informando iudice aliquid recipiant, etiam a sponte dantibus. Et lista fiat unâ die pro alterâ. Et in eventum in quem omnes in listâ positi informare non potuerint, aliis praeferantur in sequenti informatione.

95. Pro contradictis non recipiant, nisi quod vere solvitur officio contradictarum.

96. Substituti notariorum eiusdem auditoris tribunalis, ad conficiendum acta civilia seu criminalia, ad testes examinandos, necnon ad roganda quaelibet instrumenta, testamenta, et alias dispositiones, ultra requisitas approbationes auditoris camerae, sive eius in civilibus vel criminalibus locumtenentium, non admittantur, nisi praeviâ etiam approbatione collegii eorumdem notariorum, in qua notarii ipsi de approbatione, fide et idoneitate admittendorum attestentur.

97. Quodque tam notarii sub amissionis officii, quam eorum substituti praedicti sub triremium perpetuarum poenâ, aliquas societatum officiorum pecunias, censuum, et aliorum cuiusvis generis contractuum[1] nisi procuratorio nomine, vel de ordine, consensu, aut voluntate partium, exigere, recipere, et penes se quovis modo retinere, tractare, et habere non audeant. Et si secus fecerint, notarii ad damna et interesse, quae culpâ substitutorum eorumdem partibus evenerit, teneantur et obligati sint, ac contra eos in his exequutive procedi possit, et debeat.

98. Postremo dicti notarii nihil unquam cuiusvis generis scripturae ad iudicium pertinentis, quod extra Curiam mittendum sit, expediant, et parti tradant, nisi cum subscriptione auditoris, vel eius locumtenentis.

99. Notarii vicarii Urbis non faciant monitoria generalia vel specialia extra curiam et Urbis districtum, cum non sit eorum officii; nec dent censuras, neque terminum super obligationibus in formâ camerae. Neque concedant monitorium in formâ *Significavit* pro rebus deperditis, nisi iuxta formam Concilii Tridentini.

100. Non capiant pro examine, vel litteris ordinandorum, nisi quantum sibi a Concilii Tridentini decretis et[1] reformatione sumere est permissum.

101. Pauperibus gratis dent, ut tenentur.

102. Notarii Rotae, in confectione registrorum, rubricarum, et copiarum remissoriis, compulsoriis, exequutorialibus, notis sententiarum diffinitivarum, testium examine, et huiusmodi, hanc nostram et alias Rotae constitutiones accurate observent, sub poenis in eis contentis, quas innovamus, nec ultra, quam per eas licet, accipiant.

103. Litteras remissoriales scribant in cartâ iuxta veterem morem a cartulario lineatâ, cuius unaquaeque linea contineat saltem syllabas decem et octo, atque rotuli palmus sit linearum triginta.

104. Dent iidem notarii Rotae petitas a partibus expeditiones absque requisitione depositi pro registro illius actus vel expeditionis conficiendo, vel facto deposito registrum de illis omnino fiat et non relinquant folia in albis.

105. Facto registro conficiant inventarium actorum, instrumentorum, et scripturarum in eo descriptarum, actoris primum, deinde rei acta et iura notando, cum adiectione foliorum in quibus illa descripta reperiuntur, et dictum inventarium assuant initio registri.

1 Edit. Main. legit *contractum* (R. T.).

1 Forsan legendum *de* (R. T.).

106. Pro notis vero interlocutoriarum nihil accipiant; quod idem de moderatis solutionibus in copiis, et publicatione testium servetur.

107. Ac pro relationibus socio faciendis de rogatis per eos, nihil capiant.

108. Faciant praeterea singuli in eorum officio broliardum qui dicitur actorum, in quo omnes omnino provisiones, decreta, comparitiones, et protestationes, etiam a tergo citationum scriptae notentur. Item et manuale citationum cum suis protestationibus, et decretis, atque aliarum rerum registrari solitarum, ita ut nihil prorsus supersit in cartulis, quod non sit in libris descriptum.

109. Officia notariorum Rotae non conferantur nisi personis peritis et idoneis, quae per seipsos illa exercere sciant et exerceant, nisi aliquâ legitimâ causâ impediantur. Nec eo casu officia aliquibus arrendare, aut substitutos deputare valeant, nisi a proprio auditore approbati fuerint, qui insuper de officio fideliter exercendo arbitrio auditoris cavere debeant.

110. Et pro ipsorum substitutorum facto, notarii ipsi, quoad interesse partium, tanquam principaliter obligati omnino teneantur.

111. Pauperes omnes qui iuxta formam constitutionum admitti debent ad iuramentum paupertatis, tam in beneficialibus quam in profanis, etiam per procuratorem admittant, et si ille, pro quo iuratur, praesens non erit, ultra notarii vel procuratoris assertionem, per duos testes de paupertate doceri debeat; ita tamen ut, quicumque fuerit admittendus, non sine iuramento et obligatione pinguioris fortunae, ut moris est, admittatur, et hoc nisi evidens sit atque notorium, quod paupertatem iurare volens sit opulentus, quo casu illum admittere non teneantur.

112. Quae omnia et singula inviolabiliter observari mandamus sub poenâ, ultra alias infra expressas, vigintiquinque aureorum, ac suspensionis ad sex menses pro primâ vice, et, si secundâ erraverint, eo ipso in poenam privationis officii et alias hac nostra constitutione contentas incurrant.

113. Quocirca querelae omnes pauperum et oppressorum ad dictae Rotae decanum deferantur, qui his omnibus opportunis remediis provideat, tum ne partes opprimantur, tum ut opprimere ausi puniantur, et praedicta exactissime serventur.

114. Notarii consulum agriculturae, et ceterarum artium taxam eis per statuta praescriptam, et ubi aliqui ipsorum nullam minorem taxam haberent, aliorum, qui illam habent, sequantur, et secundum illam exigant; et qui non habent officium titulo oneroso, exigant tantum pro medietate taxae aliorum notariorum Capitolinorum, et non ultra in omnibus et per omnia.

115. Protonotarius senatoris non se immisceat in causis criminalibus, neque fideiussiones recipiendo, neque mandata subscribendo.

116. Notarii Capitolini, deservientes collateralibus senatoris pro actuariis, per seipsos coram collateralibus acta conscribant, nullumque aliud officium notariatus in aliâ quavis curiâ obtineant.

117. Et tam dictus protonotarius, nec non maleficiorum, et collateralium notarii, quam scriba senatus, secretarius conservatorum, notarius magistrorum viarum, et alii omnes notarii curiarum Capitolii, aliquid etiam minimum non recipiant ultra taxam ipsis statutam sub quocumque praetextu.

118. Eorumdem notariorum Capitolii defunctorum, et eorum, qui in posterum decedent, haeredes, ac quicumque alii scripturas eorum detinentes, exceptis iis qui emerunt officia, iuxta constitutionem

felicis recordationis Sixti Papae V praedecessoris nostri[1], infra quindecim dies ab obitu ipsorum notariorum ac publicationis praesentium respective computandos, scripturas praedictas cum nomine notarii, cuius fuerint haeredes, sub poenâ amissionis dictarum scripturarum et emolumentorum inde provenientium, consignent archivio Populi Romani, cuius custos librum teneat, in quo per inventarium dictae scripturae adnotentur.

119. Notariorum officia in curiâ de Sabellis duo tantum habeantur, neque hic numerus ullo praetextu augeri unquam possit, et ii etiam approbandi sint ab Urbis gubernatore pro tempore existente.

120. Notarius curiae Turris Nonae observet tabulam notariorum curiae Sabellorum.

121. Notarii locorum piorum debeant servare stilum, consuetudinem, et taxas tribunalis vicarii, nec prorsus aliquid recipere ultra quod notarii vicarii in suis causis ordinariis recipere possunt. Qui autem ex eis gratis sunt deputati, nec habent officium titulo oneroso, non possint exigere nisi pro medietate dictae taxae notariorum vicarii, et non ultra, in omnibus et per omnia.

122. Notarius Ripettae pro publicandis instrumentis et in publicam formam dandis exigat iuxta formam statutorum Urbis.

123. Et in conficiendis extractibus servet formam Capitolinam, et normam aliis praescriptam.

124. Atque in primâ instantiâ nullus in curiâ Ripettae fiat extractus, minusque in secundâ coram praeside, nisi de utriusque partis consensu, vel notarius fuerit iuratus suspectus, ita ut acta transportari debeant; et, si secus factum fuerit, qui arrham dedit totum de suo solvere teneatur, nec ulla detur cedula depositi contra alium.

125. Nullum mandatum notarius dare possit pro indiciis absque iudicis licentiâ.

126. Singulis autem diebus, etiam festivis, ab ortu solis usque ad occasum, officium apertum tenere debeat, neque ab illo discedat sine causâ necessitatis.

127. Deposita non recipiat, nisi usque ad summam permissam; et penes eum facta, post decretum de consignando, debeat omnino infra diem consignare, sub poenâ arbitrio praesidis.

§ XX.

De registris, extractibus, et exemplis, seu copiis[1].

1. Quoad registra et extractus perpetuo statuimus et ordinamus, quod in omnibus et quibuscumque causis cuiuscumque generis ordinariis in quibuscumque Urbis tribunalibus, et coram quibusvis iudicibus, nullis prorsus exceptis, motis et movendis (quae scilicet a principio viâ ordinariâ introductae fuerint, etiamsi in illarum progressu una forsan, aut plures commissiones supervenerint, ac materia introducta viâ ordinariâ non esset[2] de iurisdictione iudicis ordinarii), nulla penitus fiant registra, sed tantum extractus simplices, et absque aliquâ terminorum extensione: qui in uno confecti, in quibusvis aliis tribunalibus, si ad illa transportantur, plenam fidem faciant in omnibus et per omnia, perinde ac si essent registra extensa.

2. Minusque extractus in causis ordinariis fiant, etiam unâ vel utrâque partium petente, nisi de iudicum licentiâ in scriptis obtentâ, vel nisi acta essent ad alium iudicem transportanda.

3. In vere autem commissariis causis summam ducatorum ducentorum auri de

1 Sixti V de notariis habetur Const. XIX in tom. VIII, pag. 621, et seq.; sed alia forsan hic innuitur (R. T.).

1 Ad haec vide taxas notariorum, de quibus in Const. seq. per totum (R. T. ex Cherub.).

2 Male edit. Main. habet *esse* (R. T.).

camerâ excedentibus, quarum videlicet principia ordinarie non sunt introducta, registra quidem fiant, sed modo infrascripto, quem et in extractibus praedictis servari volumus et mandamus.

4. Registra bona et legibilia notarii accurate, et iuxta normam hac nostrâ constitutione traditam et innovatam, faciant.

5. Tam in registris quam in extractibus huiusmodi conficiendis, facultates iudicum ordinariorum, vel deputationes eorum locatentium (cum illae sint notoriae, et illarum exempla publica et impressa habeantur) nullatenus praeinserantur, et pro illis notarii nihil a partibus exigant.

6. Deinde, tam in ordinariorum extractibus, quam in eorum et aliorum quorumcumque delegatorum, etiam causarum palatii nostri apostolici auditorum et S. R. E. cardinalium, registris, dimittantur appositiones festorum ordinariorum et certorum. Si autem occurrant festa incerta et repentina, in quae caderet observatio alicuius termini, fiat mentio de illis summarie, et hoc modo, videlicet: *Die tali fuit consistorium publicum*, et sic de ceteris similibus.

7. Successive citationes, sive cum inhibitione, sive absque eâ factae, in earum reproductione nullo pacto repetantur, sed illarum exequutio tantum apponatur his aut similibus verbis: *Tali die reproducta fuit citatio, de qua supra, quae fuit exequuta.*

8. Nec monitoria procuratoribus de solutione registri facta ponantur in registro, nisi forte ad effectum docendi de censuris.

9. Praeterea si contingat commissiones semel registratas aliis commissionibus dependentibus praeinseri, illae amplius non registrentur, sed annotetur folium in quo superius fuerunt registratae, et idem de motibus propriis, brevibus, et aliis litteris apostolicis, ac aliis quibuscumque iam semel registratis.

10. Idem et de terminorum etiam substantialium extensione observari mandamus, ut semel tantum pro qualibet parte extensa non amplius extendantur, sed tantum eorum reiteratio sine extensione notetur etiam in citatione ad sententiam.

11. Instrumenta, quae in actis causae rogantur, non ultra illorum notulam extendantur; quoad ea vero quae producuntur, praeinseratur aliquid de illorum substantiâ, idque succincte; deinde illorum tenor apponatur hoc modo: *Talis constituit procuratorem suum talem, prout in instrumento, cuius tenor sequitur*, et sic de aliis.

12. Consequenter, tam in registris, quam extractibus causarum in quibus per duos vel tres annos nihil actum fuerit, non ponantur in illarum reassumptione mutatio anni, vel mensis, indictio vacantiarum, creatio pontificis, et similia ad causam non spectantia.

13. Porro si contingat in aliquâ causâ plurium recipi iuramenta testium unico contextu, in registris huiusmodi unicum iuramentum, ubi omnes iurati nominentur, dumtaxat extendatur.

14. Insuper non repetantur[1] dignitates, vel tituli iudicum, vel locus eorum tribunalium, et partium litigantium, sed tantum talis iudex, vel auditor praedictus, vel talis actor, vel reus, aut procurator, aut similia.

15. Singula folia, in registris confectis coram quibuscumque tribunalibus ac aliis iudicibus praedictis, contineant in qualibet illorum paginâ ad minus lineas viginti quatuor, et unaquaeque linea ad minus duodecim syllabas, quae scribantur litteris bonis et intelligibilibus, et in cartâ bonâ, non infectâ, nec bibulâ, alioquin liceat unicuique tam iudicum, quam partium, vel procuratorum litigantium folia aliter scripta lacerare, et omnino debeant

1 Male edit. Main. habet *reputantur* (R. T.).

postmodum expensis notarii convenienter rescribi, sive lacerata sint, sive non, aut, si iudici et partibus seu procuratoribus magis placuerit, folia sic male scripta taxentur pro medietate vel aliâ ratâ ad iudicis arbitrium.

16. Rubricellae registrorum similiter litteris bonis et intelligibilibus scribantur, sintque fideles et sufficientes, integre et exacte introscripto actui respondentes, totiusque actus et decreti tenorem, prout in broliardo iacet, et instrumentum, diem, annum, mensem, et partium nomina, reique gestae summam, vel indicem continentes.

17. Processus de partibus, itemque remissoriales, compulsoriae, et alia, nullâ scripturae habitâ ratione, sive sit longa sive sit brevis, sive excedat sive non excedat numerum foliorum vigintiquatuor, non registrentur, neque in registris, aut extractibus describantur, sed tantum, ut dicitur, rubricentur si rubricati non fuerint, et pro dictâ rubricatione solvatur merces foliorum ipsius processus originalis tantum.

18. Nisi quando scriptura dicti originalis in qualibet facie excederet lineas triginta continentes in earum qualibet ultra syllabas decem et octo, quo casu excessivitas reguletur, et solvatur ad rationem linearum et syllabarum, ut supra.

19. Copiae, quae instar registri vel extractus dantur, non minori syllabarum aut linearum numero descriptae tradantur.

20. Instrumenta in actis rogata, etiam semel publicata, aut quae in actis aliàs producta sunt, si repetantur, et postea registrari contingat, non solvatur merces, nisi foliorum scripturae ad rationem registri vel extractus, et si non fuerint aliàs publicata, solvatur tantum tertia pars mercedis debitae pro publicatione, cuius etiam ratio habeatur in casu quo postea sumantur in publicâ formâ, ut scilicet tanto minus de mercede publicationis solvatur.

21. Pauperibus dentur gratis extractus, registra, instrumenta etiam publica copiae, aliae quaecumque expeditiones et scripturae, tam civiles quam criminales, et ostendantur etiam originalia pauperum advocato et procuratori similiter gratis, et absque ullâ impensâ, et, si quando contigerit probandam esse paupertatem, testes similiter gratis et summarie examinentur, et de paupertate stetur arbitrio iudicis.

22. Et, quoniam aliquando notarii extorquent a partibus modicam arrham, ut postea cogere illas possint ad recipiendum extractus, arrha non obliget, nisi in casibus, in quibus extractus iure conficiendus est.

23. Neque exigant notarii, quicumque illi sint, etiam archivii Romanae Curiae, mercedem extractus, sive registri, nisi illis completis.

24. Notarii Rotae, ultra praemissa per eos omnino servanda, rubricationes per se fideliter et sufficienter faciant, et correspondentes actui introscripto, ut supra dictum est.

25. Non rubricentur processus de partibus rubricati, ut iam supra dictum est, nisi quantum illis deesse visum fuerit, nec registra de illis ullatenus fiant, sed post registra de curiâ, ut moris est, ligentur, et, si interpretationem fieri necesse fuerit ob idioma a latino diversum, in quo processus forte conscriptus erit, non fiat in formâ registri, sed processus de partibus, ita ut una carta registri illius importet dimidiam ad minus processus de partibus, nisi de partium consensu id fieri convenerit.

26. De parte lucri registrorum, vel testium, vel copiarum, antequam causae suis sint auditoribus commissae, cum sollicitatoribus, advocatis, vel procuratoribus non paciscantur, nec de gratiâ, quam de regi-

stro facere intendunt (veluti de dando quindecim, vel viginti folia pro ducato, ita ut personae, cum quibus agunt, de lucro participent) sub poenâ privationis; sed totum quicquid post commissam causam convenerit, partis beneficio penitus cedat.

27. Mandantes omnibus et singulis iudicibus et auditoribus praedictis sub indignationis nostrae poenâ, ut pro praemissorum inviolabili observatione in causis coram eis ad praesens pendentibus, et quae in posterum pro tempore pendebunt, nulla aliter, quam ut praefertur, confecta registra et extractus admittant et recipiant, imo illa tamquam in fraudem ac damnum partium litigantium confecta reiiciant, suosque notarios, ut extractus et registra huiusmodi iuxta praemissa conficiant, cogant et compellant, atque, ut illa observentur diligentem curam adhibeant. Districtius nihilominus inhibentes notariis ipsis (sub mille ducatorum auri de camerâ, partim partibus litigantibus, partim camerae apostolicae applicandorum, ac privationis et amissionis notariatus per quemcumque contravenientem eo ipso incurrendis poenis) ne de cetero in causis, in quibus notarii deputati fuerint et scripserint registra et extractus, aliter quam ut praefertur, omnibus semotis fraudibus, conficere audeant seu praesumant. Volumus tamen et mandamus, quod gubernator Urbis et auditor camerae cumulative possint et debeant, etiam ex officio et partibus non instantibus, inquirere etiam extraiudicialiter et manu regiâ, an notarii cuiusvis tribunalis praemissa servent, et contravenientes supradictis poenis punire, prout etiam ipsimet scribae extractuum et registrorum, qui in illis scribendis praemissa omnia non servaverint, possint ab iisdem eorum arbitrio poenis puniri, non obstante quavis appellatione, reclamatione, aut recursu.

§ XXI.

De cursoribus et mandatariis[1].

1. Cursores et mandatarii quicumque eorum officium fideliter, et eâ, qua decet, integritate, diligentiâ, peritiâ, et discretione exerceant.

2. Ad dicta officia non admittantur personae suspectae de falsitate, et qui nesciant legere vel scribere latine, neque infirmi non valentes ambulare propriis pedibus, vel senes excedentes annum sexagesimum.

3. Cursores solitam et debitam assistentiam irreprehensibiliter observent, consistoria publica et privata, nec non alias solemnitates et divina officia intimari solita, fideliter debito tempore intiment cardinalibus, et aliis quibus tenentur, absque praemii et mercedis alicuius expectatione, nisi solitâ antiquitus et consuetâ[2].

4. Citationes et intimationes personales, vel ad domum, vel in valvis et locis publicis, tam cursores quam mandatarii, pro eorum officio et curiis quibus serviunt, fideliter et mature faciant, et factas referant, et contra proprias personas, non suppositas, vel falsas, aut non cognitas per eos, sub poenâ amissionis officii. Et, quando personae citandae eis notae non sunt, non assertioni partis, sed duorum testium testimonio de citandorum qualitate veram notitiam habentium[3] stare debeant; aliàs exequutionem citationis facere, vel factae[4] referre non debeant sub simili poenâ; et pro falsariis habeantur contrarium facientes; sintque statutâ mercede contenti, novas angarias non faciant, neque inducant.

1 Vide etiam pluries cit. Const. LXXI Pii IV, § 78 et seq. in tom. VII, pag. 223 (R. T. ex Cherubinio).

2 Nescio an non foret legendum *solitae..... consuetae* nempe *mercedis* (R. T.).

3 Perperam edit. Main. legit *habentem* (R. T.).

4 Forsan legendum *factam* (R. T.).

5. Relationes de citationibus personaliter exequutis, nisi sit persona citanti cognita et personaliter apprehensa, tam cursores quam mandatarii facere non audeant neque debeant.

6. Nec possint cursores vel mandatarii citationes ab aliis cursoribus vel mandatariis exequutas subscribere, etiam quod inter se citationes per Urbis regiones distribuant; sed illemet cursor vel mandatarius, qui citationem est exequutus, in pede eiusdem debeat fidem et relationem facere factae per eum exequutionis, sub poenâ falsi.

7. Officia pro alio vel aliis in arrendam capere vel exercere non debeant, nec possint.

8. Caveant etiam ab appaltu citationum super quibusvis, quod pactum cum quibusvis personis iniri omnino interdicimus.

9. Insuper curent tam cursores quam mandatarii omnes citationes personaliter exequi. Et, si personas commode habere non poterunt, teneantur dimittere citationum copiam in manibus alicuius de familiâ, qui si non adsit, aut fores aperire nolint, citationes affigant ad ianuam domus sibi cognitae, adhibito saltem uno teste, et relationes[1] in scriptis dumtaxat referre debeant, exprimendo, an personaliter, vel domi dimissâ copiâ, vel affixâ, in casibus praemissis qui in citatione[2] exprimi debeant, et an ad statim, vel ad hodie per totam, seu ad primam diem, vel aliam, fecerint, sub poenis praedictis.

10. Praeterea citationes, et earum copiae citatis dimittendae, vel affigendae, tam a cursoribus quam a mandatariis fiant omnino bono et intelligibili caractere, et dictae copiae subscribantur a cursoribus et mandatariis, qui eas exequuntur, ut in omnem casum possint[1] ad eum, qui eas fecerit, recurri.

11. Citationes, intimationes, et alia non exequantur praedicti, sive personaliter sive domi dimissâ copiâ, post tertiam horam noctis; per affixionem autem in casibus praemissis nonnisi de die, et tunc in relationibus exprimant fecisse de die dimissâ copiâ affixâ in tali loco.

12. In citationibus et aliis nomen tam actoris quam rei cum cognomine, exercitio, vel habitationis, vel patriae designatione exprimant.

13. Iidem cursores et mandatarii in subhastationibus pignorum affigere debeant ad valvas officii, in quo fit subhastatio, oblationes, quae dietim fiunt pro pignoribus captis subhastandis.

14. In citationibus *Ad videndum mandari consignari pignora* apponant etiam, *Et videndum mandari subhastari*.

15. Pignora omnia, ab exequutoribus quibuscumque eis consignanda, ordinatim singulariter adnotare debeant in eorum libris, exprimendo rerum qualitates et quantitates, nomen exequutoris et colligantium.

16. Oblationes recipiendas annotare debeant in eorum libris cum appositione anni, mensis et diei, ac expressione nominis, cognominis, exercitii, vel habitationis, vel patriae offerentium.

17. Non recipiant oblationes cuiuscumque officialis illius tribunalis, in quo facta est exequutio, nec ipsius officialibus inservientium, neque notariorum, aliorum iuvenum tribunalis, neque ipsorum cursorum et mandatariorum affinium vel consanguineorum usque ad tertium gradum.

18. Minus officium ipsorum cuiquam impartiri dolose recusent, vel differant, nec etiam sub praetextu modicae mercedis, vel quod maiorem habere velint.

1 Forsan legendum *relatione* (R. T.).
2 Forsan legendum *relatione* (R. T.).

1 Videretur potius legendum *possit* (R. T.).

19. Cursores ad quos spectat, commissiones ad bancum cursorum perventas statim scribant, et in libro solito annotent, ita ut ab omnibus videri possint, nec quovis modo aliquam commissionem non annotatam, vel occultatam penes se retineant.

20. Quicumque ex cursoribus et mandatariis, qui in aliquo praemissorum contravenerit, poenam scutorum decem pro qualibet vice, aliasque poenas pecuniarias, et corporis afflictivas, privationisque officii, pro modo excessus a suo iudice arbitrandas incurrat, damnaque et interesse partibus reficere compellatur.

21. Cursores pro qualibet citatione, inhibitione, vel quavis aliâ intimatione cuiuslibet actus iudiciarii, non exigant ultra bononenos duos; nisi forsan exequutio citationis, vel alterius actus iudiciarii huiusmodi, facienda esset in loco satis distanti a tribunalibus Urbis, quo casu exigere possint bononenos quatuor, et non ultra. Et loca intelligantur esse distantia, exempli gratiâ, si exequutio sit facienda in regione Transtyberim, montium, Trivii, et non longe ab ecclesiâ beatae Mariae de Populo. Et si extra moenia Urbis (in illius tamen suburbiis) non ultra carolenum unum.

22. Pro citatione vero, inhibitione, vel intimatione simili, faciendâ contra episcopos et praelatos, ac alias personas qualificatas et procuratores Fisci, non ultra bononenos quinque.

23. Pro citationibus, vel exequutionibus, aut intimationibus quarumcumque litterarum extra curiam et in partibus faciendis, statutâ et debitâ eis antiquitus mercede sint contenti, et ultra exigere non audeant.

24. Pro subhastatione quorumcumque pignorum, tam mobilium quam immobilium, iidem cursores exigant, prout hactenus exigere consueverunt.

25. Pro deliberatione vero custodiae, vel restitutione pignorum, aut alio praetextu, etiam quando bona non sunt posita sub hastâ, nihil, etiam a sponte dantibus, recipiant.

26. Nec quisquam ipsorum pro eâ intimatione, qua[1] parti intimatur mandatum procurae esse in actis productum, vel procuratores in causâ esse revocatos, ultra iulium unum percipere audeat, etiamsi dictum procurae mandatum de partibus veniret.

27. Et pro primâ commissione, per quam causa coram aliquo iudice introducitur, exigant bononenos quinquaginta, et pro aliis vero, si quae in causâ supervenerint, bononenos decem et octo, etiam quod dictae commissiones post primam supervenientes adderent aliquid, vel alterarent iurisdictionem, aut haberent aliquam novam clausulam, vel admitterent aliquem tertium pro suo interesse ad causam; quocumque contrario usu, vel potius abusu, non obstante.

28. Diem praesentationis in commissionibus appellationum, vel principalibus in causis, manu propriâ (antequam praesentent, vel in arcâ eas ponant, seu, ut vulgo dicitur, incapsent) vere et fideliter ponere teneantur, nec, sine tali manus et nominis appositione, ultra manum[2] magistri cursorum dictae commissiones ponantur in arcâ.

29. Ceterum mandatarii quarumcumque curiarum non exigant ultra bononenum unum pro citatione, nisi facienda sit in longinquis locis ab eorum curiis, quo casu exigant duos, et non ultra; itemque exigant duos bononenos pro intimatione cuiuslibet sequestri, monitorii, inhibitionis, decreti et cuiuscumque actus iudiciarii; exceptis citationibus faciendis contra fi-

1 Erronee edit. Main. legit *quae* (R. T.).

2 Videtur legendum esse *manu*, vel *per manum* (R. T).

scum, pro quibus exigere possint bononenos tres.

30. Pro subhastatione et deliberatione pignorum, sive rerum et bonorum mobilium et immobilium, usque ad summam trium scutorum, bononenum unum pro quolibet scuto; ab inde supra, bononenos duos pro quolibet scuto; ita tamen quod ultra unum scutum non exigant pro quacumque summâ, etiam quod res subhastatae et deliberatae ad magnam summam ascendant.

§ XXII.

De Baroncellis et exequutoribus[1].

1. Baroncelli et exequutores omnes quarumcumque curiarum observent in omnibus et per omnia tabulam, ordinationes, et taxam de mandato nostro editas; et pro exequutione quacumque nihil (ultra praedictam taxam et mercedem eis assignatam) etiam a[2] sponte dantibus recipiant, sub poenis in eâ contentis.

2. Quinimo nec debitam mercedem nec aliud quicquam etiam a sponte dantibus recipiant, nisi factâ vere et realiter exequutione reali vel personali, aut captis pignoribus; quorum retractus si non sufficeret, itaut sit opus novâ exequutione, novam propterea mercedem recipere non possint, sed teneantur denuo gratis et toties idem mandatum exequi, donec integre creditor satisfiat.

3. Quo vero ad pignorum in exequutione captorum custodiam, subhastationem, et restitutionem, quo res integre, et sine ullâ fraude fiat, quisque magistratus in suo tribunali suum quemque depositarium eligat et deputet, penes quem pignora conserventur.

4. Capta autem pignora debeant baroncelli et exequutores per totam sequentem diem consignare depositario, quem quisque magistratus ad hoc huius nostrae constitutionis auctoritate deputaverit.

5. Quae pignora fideliter describantur in libris ad hunc effectum specialiter per quemlibet baroncellum, exequutorem et depositarium ut supra deputandum, retinendis, cum annotatione quantitatis et qualitatis bonorum, diei, et exequutoris.

6. Et quando contingit poni sub hastâ bona in partibus existentia vigore mandati in Urbe relaxati, volumus et mandamus, praeter edicta et diligentias in loco subhastationis et iudicii fieri solitas, fieri debere etiam in loco, ubi vel in cuius territorio bona ipsa subhastanda reperiuntur, pro reperiendis oblatoribus; nec aliter posse ad deliberationem deveniri, nisi habitâ prius ab officiali illius loci relatione de edictis ibi publicatis.

7. Ad haec, in pignorum subhastationibus, si lapso ad offerendum tempore quispiam plus obtulerit, non fiat deliberatio, nisi intimato eo qui prius licitando vicerat, ut possit iterum si velit per totam sequentem diem plus offerre; alioquin oblatio et deliberatio illi, cui facta est, non suffragetur.

8. Cum autem in exequutionibus contigerit recipi cautionem in formâ depositi, aut pignora alicui in depositum tradi, non credatur de hoc exequutoribus, nisi vel cum subscriptione ipsiusmet depositarii a tergo mandati, vel cum interventu duorum testium, quorum nomina similiter a tergo mandati describantur, ac deinde in praedictum librum referantur.

9. Mandata civilia birruarii vel exequutores non exequantur in diebus festivis, neque de nocte, nisi sint mandata suspicionis fugae, neque de die in domo ianuis clausis, nisi parte citatâ, et cum speciali decreto iudicis.

10. Mandata sibi a partibus consignata

1 Taxa istorum est in Const. seq. § 13; vide etiam cit. Pii IV Const. LXXI § 30 et 80 (R. T. ex Cherub.).

2 Praep. *a* nos addimus (R. T.).

teneantur infra triduum exequi, vel illa partibus petentibus restituere; et casu quo mandata aliqua ipsis consignata perdiderint, ad sumptus duplicatorum extrahendorum teneri decernimus.

11. Et ostensâ exequutoribus cartâ dotali, *non gravetur*, vel inhibitione aliquâ, nihil exigant mercedis, neque faciant exequutionem aliquam, et si quam fecerint gratis restituant.

12. Quando autem exequutor asserit aliquam exequutionem non fecisse eo quia sibi exhibitum fuerit *non gravetur*, vel carta dotalis, vel inhibitio, debeat sumere eius copiam, si brevis est, vel saltem annotare diem, notarium et iudicem, qui huiusmodi inhibitionem, aut *non gravetur*, aut cartam dotalem concessit; aliàs exequutor iudicis arbitrio puniatur.

13. Restituat quilibet exequutorum praedictorum exequutiones, sive bona in exequutione capta, gratis, quotiescumque iudex id mandaverit.

14. Porro, traditis sibi mandatis de consignandis pignoribus in exequutione captis, non possint exequutores eorum consignationem vigore cuiusvis impedimenti supervenientis effugere, vel differre, sed teneantur omnino dicta pignora consignare.

15. Ceterum nullus exequutor, aut birruarius, possit mandata civilia exequi alterius tribunalis, quam eius in quo sunt ipsi exequutores, exceptis exequutoribus aut birruariis gubernatoris Urbis, vicarii, auditoris camerae, senatoris, et Burgi, pro quibus omnibus teneantur eorum baroncelli, contra quos quocumque casu procedatur exequutive, et manu regiâ.

16. Baroncelli autem et ceteri exequutores Urbis possint ad exequutionem procedere contra committentes fraudes, et facere, ut aiunt, inventiones, eo modo quo extraordinarii et alii curiae Capitolinae et conservatorum exequutores faciunt, dummodo in fraude deprehensos ad ipsos conservatores deferant et deducant, habeantque partem poenarum huiusmodi inventionum, sicuti et dicti extraordinarii.

17. Nec quispiam eorum qui exequutionem non fecerit, sub praetextu quod facta fuerit exequutio ab eo exequutore a quo fieri non poterat vel in loco in quo certus exequutor deputatus erat, aliquid prorsus a partibus, contra quas exequutio facta fuerit, sub poenâ furti audeat exigere.

18. Capti cum mandato de deducendo ad praesentiam non carcerentur, nec ad carceres, nisi de expresso ordine iudicis illius qui mandatum relaxavit, ducantur, etiam quod ipsius iudicis praesentia commode habere non possit.

19. Baroncelli non exigant a carceratis quicquam ratione expensarum in exploratoribus[1] factarum.

20. Baroncelli et alii exequutores quarumcumque curiarum extraordinariis maioribus, in spectantibus ad eorum officium, obedire teneantur.

21. Quicumque in praemissis ac aliis sibi vetitis aut ordinatis contravenerit, pro modo excessus, etiam corporalibus poenis, ac etiam privationis officii, superioris sui arbitrio plectatur, damnaque et interesse partibus reficere cogatur, pro quibus damnis et interesse quilibet baroncellus cuiuscumque curiae pro sui exequutoribus et birruariis obbligatus sit.

§ XXIII.

De carceribus et carceratis, et eorum visitatoribus et custodibus[2].

1. Carceres curiae Sabellorum, Turris

1 Nisi sit legendum *explorationibus* (R. T.).

2 Taxa custodum est in Const. seq. § 12; ad haec vide etiam Pauli III Const. LXII in tom. VI, pag. 384; Pii IV cit. Const. LXXI § 15 in tom. VII, pag. 214; et Gregorii XIII Const. XLI, § 5, in tom. VIII, pag. 106 (R. T. ex Cherub.).

Nonae, et Capitolii, nullo pacto locentur, sed ad eorum custodiam, et officium commentariensis, ipsorum carcerum domini, sub certâ mercede deputent aliquem virum probum a gubernatore Urbis et quoad Capitolium a senatore approbatum. Et, quatenus de licentiâ nostrâ vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum locentur, conductores approbentur a gubernatore et senatore respective, qui etiam possint ipsos conductores ex causis illis bene visis et ad eorum libitum removere.

2. Gubernator Urbis semel in mense unâ cum pauperum et fisci advocatis et procuratoribus ac deputatis a societatibus charitatis et pietatis (ultra visitationem ordinariam semel in hebdomadâ fieri solitam, quam omnino fieri volumus et mandamus) visitet carceres tam secretos quam publicos per seipsum, ne carcerati indebite a custodibus carcerum male tractentur. Atque, ut tabula novissime edita et in ipsis carceribus affixa tenenda observetur, provideat.

3. Protector autem charitatis, et illius deputati, cum interventu gubernatoris, et fisci procuratoris, eligat duos medicos fideles et expertos, unum scilicet physicum, alterum vero chirurgum, qui visitent carceratos infirmos, et curent, ac de eorum infirmitate, cum opus fuerit, fidem gratis faciant eidem gubernatori, et aliis iudicibus, provideatque eisdem de competenti salario ex poenis maleficiorum solvendo.

4. Eligat etiam in primis aliquem presbyterum, secularem, vel regularem, qui confessiones ipsorum infirmorum, vel aliorum carceratorum (non tamen ultimo supplicio damnatorum, postquam in manibus exequutorum consignati fuerint, quorum cura ad confratres societats Misericordiae spectat) audiat, eosque carceratos visitet, ac spiritualiter consoletur.

5. Triremes bis in anno visitentur a commissario ad id deputato.

6. Visitator vero carcerum, qui nunc a Societate Pietatis carceratorum eligitur et deputatur, quolibet die post carcerum visitationem ad advocatum pauperum accedere, et sibi[1] nomina eorum, qui in dies carcerantur, in scriptis, et pariter etiam iudicibus, deferre teneatur.

7. Capsae omnes eleemosinarum, quae fiunt carceratis, clausae teneantur, et claves sint penes pauperum advocatum, qui suo arbitrio eos aperiat, et eleemosynas in eis repertas distribuat inter carceratos, qui facultatem se alendi et alimenta aliunde non habent.

8. Carcerati in Ripâ praesententur in visitatione Capitolii; carcerati vero in Burgo praesententur in visitatione Turris Nonae, et visitationes intimentur camerario Ripae et iudici Burgi per procuratores pauperum.

9. Ceterum omnes, de carcere ad carcerem occasione visitationis transportandos, birruarii cuiusvis tribunalis requisiti transportare debeant gratis, et nihil prorsus recipiant etiam nomine muneris, sub poenâ privationis officii et trium ictuum funis publice infligendâ.

10. Citationes contra carceratos in carceribus exequendae nonnisi personaliter fiant.

11. Arresta contra debitores, aliter quam praecedente mandato servatis servandis relaxata, nulla sint, et eis non obstantibus arrestati relaxentur.

12. Alimenta debitoribus carceratis ex decreto praestanda deponantur anticipate saltem pro decem diebus, et integra carceratis solvantur, et consignentur absque ullâ diminutione vel retentione.

13. Carcerati pro testibus, quibus ab instigatore vel fisco praestari debent ali-

1 Nempe *ipsi advocato* (R. T.).

menta necessaria quamdiu ibi detinebuntur, expediti statim relaxentur gratis ubique, nec pro dictis alimentis sive expensis nullatenus retineatur [1], sed carcerum custodes illa exigant ab instigatoribus vel fisco.

14. Instrumenta satisdationum pro carceratis in partibus datarum, vel receptarum, nonnisi parte cuius interest citatâ in actis producantur; et aliter producta non suffragentur, et notarii, qui ea sine partis citatione receperint, periculo recepta intelligantur.

15. Iulius dari solitus cancellario baroncelli pro quolibet carcerato relaxando, solvatur cancellario dumtaxat baroncelli gubernatoris, et non aliis cuiusvis alterius tribunalis; et, quando mandatum erit signatum gratis, nihil, quando vero in formâ pauperum, nonnisi medietatem iulii cancellarius praefatus possit et audeat exigere, sub poenâ arbitrio visitatorum.

16. Relaxati a carceribus, in quibus pro causâ criminali detinebantur, per spatium horae non possint pro civili causâ capi et carcerari.

17. Relaxati vero a carceribus ob non praestationem alimentorum, possint quidem, volente quandocumque creditore alimenta praestare, denuo carcerari, sed non cum eodem mandato, nisi praeviâ novâ citatione, et facto alimentorum deposito saltem pro quindecim diebus, aut amplius, arbitrio iudicis.

18. Pauperes carcerati, quando sunt in causâ liberationis, liberentur et relaxentur gratis ubique, quoad iudices, notarios exequutores, carcerum custodes, et alios omnes, nec quicquam pro notâ sententiae vel decreti, iudicum propinis, aut quibusvis iuribus fiscalibus solvere teneantur.

19. Et si cum exilio relaxentur, conserventur in solitâ exemptione non solvendi custodibus carcerum expensas victus habitas in carceribus, et iuxta formam mandatorum statim ac libere dimittantur.

20. Custodes quorumcumque carcerum, seu commentarienses, observent et ipsi tabulam post praesentem constitutionem suo loco imprimendam, quam etiam publice affixam teneant, et alias ordinationes, et decreta ipsos concernentia, sub poenis contentis in eis.

21. Observent insuper et exequutioni semper demandent quicquid communi visitatorum voto fuerit deliberatum, et inobservantes eorumdem visitatorum arbitrio puniantur.

22. Et post decretum a visitatoribus factum de relaxando debitorem, custodes ad instantiam cuiusvis creditoris arresta eâdem die non recipiant; sed nec etiam postea ad instantiam illius creditoris qui eum detinebat, nisi arrestum fuerit a duobus visitatoribus subscriptum.

23. Teneantur etiam dicti custodes, post publicam visitationem carcerum, a visitatoribus seu ab advocato pauperum requisiti, dare notam carceratorum criminalium in secretis existentium, cum expressione temporis et iudicis illorum.

24. Et infirmos etiam, pro civili causâ detentos, teneantur ponere in valetudinario, quod infirmariam appellant.

25. Detentos in publicis carceribus superioribus et in mediis, quolibet die conducant ad audiendam Missam.

26. Nullum recipiant in carceres, quem prius non describant in libro carceratorum, de cuius mandato, ad cuius instantiam, et pro qua causâ captus, et an pro suspicione fugae. Alioquin carceratus non descriptus ad nullas victus aut carceris expensas teneatur.

27. Ac bona vel pecuniae, quae penes ipsum ad carceres ductum reperiuntur, facto inventario in eiusdem carcerati praesentiâ, cum duobus testibus consignentur [1]

1 Aptius Cherub. legit *retineantur* (R. T.).

1 Edit. Main. habet *consignetur* (R. T.).

custodi carcerum, qui teneatur omnia integre restituere ad mandatum iudicis, qui illum capi fecit.

28. Nec possint custodes vel capitanei, quicquam vestimentorum carceratis auferre, vel sibi retinere, praetextu alimentorum praestitorum, sub poenâ privationis officii, et aliis, arbitrio visitatorum.

29. Detentis in secretis carceribus nullo pacto, directe vel indirecte, prohibeant vel impediant, quominus alimenta aliunde deferantur, factâ tamen prius per scipsos custodes diligenti inquisitione, ne apodiffa[1], vel quid aliud in ferculis transmittatur, nisi aliud sibi a iudice demandatum fuerit. Atque in tali casu alimentorum aliunde habitorum, non possint custodes quicquam a dictis carceratis, neque pro alimentis, neque aliâ de causâ praetendere.

30. A carceratis autem in publicis carceribus, et, ut dicitur, ad largam existentibus, nihil pro camerâ, passeggio, vel etiam alimentis[2] ultra quinque dies petere possint.

31. Similiter pro transportatione carceratorum ad alios carceres de mandato iudicis faciendâ, vel pro extractione a carceribus ad effectum alicuius contractus, vel obligationis faciendae, aut etiam pro extractione compedum, nihil recipiant.

32. Nec pro arresto ab arrestantibus, etiam sponte dantibus, plus exigant vel recipiant, quam a carcerato exigitur pro relaxatione a carceribus.

33. Non permittant in publicis mulierum carceribus, neque ad earum ferreos cancellos, seu fenestras, aliquem alium carceratum accedere, seu versari.

1 Sic edit. oẽs, nec novi quid sit: forsan legendum *apodissa*. Apud Ducange *apodissa*, *apodixa*, e Gr. ἀπόδειξις, est cautio de susceptâ pecuniâ (Gall. *Quitance*); et Itali adhuc *Polizza* dicunt, forsan ab *apodixa*, cartulam manuscriptam quae vim habeat legalem: sensus iste a loco nostro non absonus est (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *alimenti* (R.T.).

34. Et ubi iudices in mandatis de excarcerando apponunt clausulam ***absque aliâ manu etiam procuratoris fisci vel commissarii camerae respective***, custodes obedire, et carceratos dimittere teneantur, licet procurator fisci, aut commissarius camerae respective manum apponere recusaverit.

§ XXIV.

De facultatibus visitatorum carcerum[1].

1. Visitatores carcerum possint relaxare debitores a carceribus ex causis infrascriptis:

2. Primo, concedendo dilationem datâ cautione de solvendo infra tempus assignatum, et hoc praesertim quando visitatores considerant retentionem debitoris cedere non solum in ipsius praeiudicium, verum etiam creditorum, cum debitor in carceribus existens efficiatur deterioris conditionis, et in dies minus solvendo[2], ubi extra carceres facilius intra tempus assignatum modum satisfaciendi reperturus sit, et hoc dummodo creditores sint ditiores, et aere alieno non onerati.

3. Secundo, relaxare possint debitorem, qui, licet non habeat pecunias in promptu, habet tamen tot bona ex quorum venditione potest creditoribus satisfieri, et ex tunc consentit[3] eorumdem bonorum subhastationi; et visitatores hoc faciant factâ prius per debitorem indicatione suorum omnium bonorum, ac datâ cautione de se repraesentando in eisdem statu et terminis, in quibus carceratus reperitur, in casu impedimenti, vel quod bona non sufficiant:

1 Ad haec vide Pauli III Const. LXII in tom. VI, pag. 384; et Pii V Const. CII in tom. VII, pag. 688 (R. T. ex Cherub.).

2 Subintellige *par* vel *sufficiens* vel *aptus*, vel quid simile (R.T.).

3 Sic legitur in cit. Pauli III Const.; perperam utraque edit. Cherub. et Main. habet *consensit* (R. T.).

4. Et si bona non sufficiant, nec bonis cedere velit, neque biretum viride deferre, nonnisi de omnium creditorum consensu quemquam relaxare possint:

5. Idemque servetur etiam quod clarum sit, debitores nullum prorsus habere modum satisfaciendi creditoribus suis, nisi ex sudore vultus sui.

6. Tertio, relaxare possint quando creditor[1] exequutionem habet realem, et est in bonis captis per exequutionem sibi bene cautum.

7. Quarto, in casu infirmitatis, creditores, eorum sumptibus, pauperibus debitoribus alimenta et medicamenta ministrent in carceribus; quibus creditoribus recusantibus, relaxentur, habitâ fide a medicis deputatis, et datâ cautione, si illam habent, sin minus, receptâ iuratoriâ cautione de se repraesentando postquam convaluerint. Quod servetur etiam in debitoribus non pauperibus infirmis, qui, datâ pariter cautione de se repraesentando, ut supra, sub poenâ debiti relaxari possint[2].

8. Quinto, relaxentur debitores quando, cognitâ eorum paupertate et pertinaciâ creditoris, qui tamen non sit aeque pauper, ei mandatum fuit ut carcerato debitori subministrent alimenta, et ipse hoc facere recusat. Quandocumque autem debitori relaxato creditor paratus sit alimenta praestare, possit illum cogere ad redeundum ad carceres, prout supra dispositum est.

9. Sexto, relaxentur mulieres pro debito civili detentae quando sunt honestae, etiamsi captae sint pro debito publico.

10. Septimo, relaxare possint debitores, qui ex naturâ debiti de iure non tenentur ultra id quod facere possint, tunc enim nec carcerari poterant, et propterea contra bona est exequutio dirigenda.

1 Haec vox *creditor* perperam omissa fuit in edit. Main. (R. T.).

2 Perperam in edit Cherub. et Main. legitur *possit* (R. T.).

11. Octavo, relaxentur debitores capti ut suspecti de fugâ, datâ cautione de se repraesentando sub poenâ debiti.

12. Nono, relaxentur debitores factâ cessione bonorum prout de iure, et servatâ formâ constitutionum felicis recordationis Pii Papae IV, quae incipit: *Cupientes mercatoribus*[1], et Pii Papae V, quae incipit: *Reverendi domini visitatores*[2].

13. Decimo, relaxentur debitores nulliter et indebite capti, de qua nullitate manifeste constet.

14. In quibus omnibus relaxationibus sint praesentes iudices, qui mandata relaxarunt, et uti edocti atque instructi de meritis causae rationem reddant.

15. Et in praemissis habeatur ratio paupertatis creditoris, et an debitor calumniose diu litem sustinuerit, fatigando creditorem expensis et laboribus, et an aliam dilationem habuerit, et creditori non satisfecerit, non constito de legitimo impedimento. Et in his omnibus visitatores arbitrio utantur, et pensatis qualitatibus tam creditoris quam debitoris, ac facultatibus et naturâ debiti, decernant ea, quae iuri et aequitati et utilitati etiam creditorum conveniat.

16. Cum autem a visitatoribus carcerum fuerit alicuius carcerati causa commissa alteri iudici, quam illi qui mandatum de carcerando relaxavit, maneat nihilominus dictae causae notarius is, per cuius acta fuit relaxatum mandatum; et id ipsum servetur quandocumque contigerit cautionem aliquam recipi per alium quam causae notarium; quo casu is, qui cautionem recipit, teneatur dictae cautionis integram fidem et authenticam dare causae notario.

17. Quando in visitatione alicui carcerato dilatio videtur concedenda, illa semper intelligatur concessa, etiam quoad exequutionem realem, nisi in specie in

1 Est XLIX in tom. VII, pag. 145 (R. T.).

2 Ipsa est iam cit. initio huius § (R. T.).

decreto sit apposita clausula: *Sine praeiudicio exequutionis realis.*

18. Atque praesides carcerum et alii[1], quibus a dictis carcerum visitatoribus alicuius carcerati causa commissa est, cum carceratum a carceribus relaxarint, nullo pacto se amplius in principalis causae cognitionem immisceant, sed merita suo iudici cognoscenda relinquant.

§ XXV.

De protomedico et aromatariis[2].

1. Protomedicus in visitatione aromatariorum faciat in manibus notarii praestare iuramentum ab aromatariis, quod bona, in aromatariâ existentia, sunt propria ipsorum, nec alia habent alio loco abscondita; et, qui falsum iuraverint, ab eodem protomedico et consiliariis debitâ poenâ puniantur.

2. Consules aromatariorum, sicut et ceteri aromatarii sint suppositi iurisdictioni et obedientiae protomedici, a quo si quando se gravatos senserint, ad auditorem camerae recurrant.

3. Atque in puniendis aromatariorum delictis, et aliis casibus in quibus, vigore concordiae, protomedicus et consiliarii tenentur exquirere consilium consulum aromatariorum, si dictis protomedico et consiliariis visum fuerit dictum consilium minime sequi, faciant eo non obstante suum decretum, a quo, qui senserint se gravatos, recurrant ad auditorem camerae, et interim, recursu vel tempore ad recurrendum pendente, supersedeatur in exequutione decreti.

1 Edit. Main. legit *praesidi carcerum et aliis;* nos emendavimus iuxta edit. Cherub. Lugdun.; edit. Cherub. Rom. habet *praesides causarum et aliis:* utraque edit. Cherub. habet *Atqui* (R. T.).

2 De protomedico vide Const. LIX Greg. XIII in tom. VIII, pag. 151; et de aromatariis Constit. CXLVII Clem. VIII in tom. X, pag. 320 (R. T. ex Cherub.).

4. Iidem consules nullam prorsus habeant potestatem et iurisdictionem eligendi aromatarium, quem proconsulem vocant, ad visitandas aromatarias extra Urbem degentes, minusque subscribendi patentes uti consules districtus Urbis et superintendentes artis in Statu Ecclesiastico, sed talis eligendi potestas penes protomedicum sit, et remaneat.

5. Decreta facta in congregationibus aromatariorum, quod nullus aromatarius possit pro veritate fidem aliquam facere, nisi de consensu vel licentiâ consulum, sint penitus nulla et invalida, et quisque ad libitum possit absque ullâ prorsus licentiâ pro veritate se examini subiicere, aut extraiudiciales fides facere.

6. Pro pretio rerum aromatariae servetur praescriptio quinquennalis, non obstante quavis interruptione etiam per receptionem partis pecuniarum, aut per dationem aliarum rerum aromatariae.

7. Aromatarii nullam prorsus audeant in quemquam exercere, sub quovis praetextu, criminalem iurisdictionem. Protomedicus autem nonnisi in delictis pro quibus veniat imponenda poena pecuniaria usque ad aureos viginti quinque.

Poenae et clausulae Constitutionis.

§ 2. Quicumque vero ex iis, qui hac Constitutione sunt comprehensi, aliquid contra praemissa eos respective concernentia, in quibus specialiter poena non est adiecta, commiserint, illi scilicet qui supremo magistratu funguntur, vel aliâ dignitate praefulgent, indignationis nostrae, et Romani Pontificis pro tempore existentis, aliasque similiter arbitrio nostro et Romani Pontificis infligendas poenas; ceteri vero omnes, ultra rerum et pecuniarum male, indebite, vel aliàs perceptarum restitutionem, et alia damna, expensas et interesse (ad quae omnino, tam ex suo, quam suorum in officio existentium facto,

Poenarum ordinatio in contravenientes.

teneri, et pro eis exequutive ac manu regià procedi volumus et mandamus), poenam privationis, exilii, et alias poenas pecuniarias, et etiam corporales arbitrio iudicis, pro facti et personarum qualitate, infligendas poenas incurrant.

Contra eos procedatur tam ex officio et per inquisitionem, quam ad instantiam quorumcumque.

§ 3. Ut autem praemissa omnia et singula, a nobis, ut praemittitur, ad publicam praecipue pauperum carceratorum et litigantium utilitatem et levamen, statuta, decreta et ordinata, debitae in omnibus et per omnia exequutioni mandentur, et inviolabiliter observentur, mandamus omnibus et singulis almae Urbis et curiae nostrae iudicibus et magistratibus, ac praecipue camerario, vicecamerario, et gubernatori Urbis, auditori camerae, ac praesidi carcerum pro tempore existentibus, et eorum singulis, ut (ultra alios etiam in aliquo casu specialiter deputatos) praemissa omnia et singula ab omnibus observari faciant cum effectu, inobedientes coërceant et compescant, tam ex officio et per inquisitionem, quam ad instantiam advocati pauperum, procuratoris fisci, commissarii camerae et procuratoris pauperum pro tempore existentium, et aliorum quorumcumque, omni et quacumque appellatione sive recursu remotis.

Omnesque maiores magistratus comprehendantur etiam in constitutione.

§ 4. Declarantes hac nostrâ constitutione, sub simplici ac generali magistratuum, iudicum, notariorum, aut officialium nomine, omnes omnino magistratus, iudices, et personas quantâlibet dignitate fulgentes, ac speciali notâ dignas, omniaque tribunalia, quamvis suprema, camerarii, vicecamerarii, gubernatoris, auditoris camerae, vicarii, causarum sacri palatii nostri auditorum, et clericorum praedictae camerae praesidentium, senatoris, conservatorum, locorum piorum, et ceterarum curiarum iudices quoscumque, tam maiores quam minores, eorumque notarios, officiales, et ministros omnes, nullis prorsus exceptis, comprehendi, et significari, et in eâ expressis poenis subiici, et ad eorum, quae in eâ sancita sunt, observantiam indistincte teneri.

Clausula *sublatâ*, et decretum irritans.

§ 5. Et ita per quoscumque iudices, tam ordinarios quam delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, et de latere legatos, iudicari et definiri debere (sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate); decernentes irritum et inane, quicquid secus in praemissis, et quolibet praemissorum, et hac nostrâ Constitutione contentorum et statutorum, vel circa ea, a quoquam, quavis auctoritate, scienter aut ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum et sanctio poenalis.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, legibus, ac Urbis et Romanae curiae tribunalium, et collegiorum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis, stylis et et consuetudinibus (quos et quas per praesentes improbamus), privilegiis quoque, indultis et facultatibus, et litteris apostolicis, eisdem tribunalibus, officiis et collegiis, ac personis, etiam motu proprio, et consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam in vim contractus, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros aut etiam nos concessis, approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa, ac individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda seu quaevis alia exquisita forma servanda foret), tenores huiusmodi pro sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si praefatis personis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eâdem sit Sede

indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo, etc.

Datum Romae apud S. Petrum, kalendis martii, anno Incarnationis Dominicae MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 martii 1612, pontif. an. VII.

CXCV.

Taxa notariorum et officialium Urbis[1].

Paulus Papa V,
motu proprio, etc.

Prooemium.

Cum nos nuper, generali reformationi tribunalium Urbis incumbentes, iudicibus, notariis, aliisque officialibus, et iustitiae ministris singulorum tribunalium, singulariumve curiarum, taxas, iuxta quas mercedes et emolumenta exigere et percipere deberent, confici et tradi mandaverimus, iamque expedito reformationis negocio; ac nostris litteris desuper confectis et publicatis, taxae praedictae, nec non ordinationes nonnullae ad illarum clariorem intelligentiam, de consilio prudentum virorum, quibus curam hanc demandavimus, vocatis et auditis iis etiam de quorum interesse agebatur, compilatae, ac (plerasque veteres taxas a praedecessoribus nostris editas, processuque temporis in abusum transactas, innovando, plerasque novas, pro personarum et rerum qualitate, addendo) tandem Dei auxilio ad formam et modum infrascriptos reductae fuerint:

Confirmatio taxarum.

§ 1. Nos, ut illae validiores et firmiores sint, omnibusque innotescant, et a cunctis inviolate serventur, opportune providere volentes, motu simili, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, taxas et ordinationes omnes et singulas supradictas, illarum omnium tenorem hîc pro repetito, expresso et inserto habentes, tenore praesentium approbamus et confirmamus, ac Bullae nostrae generalis reformationis annecti volumus;

Iussio eas observandi.

§ 2. Ac ab omnibus iudicibus, notariis, officialibus, et iustitiae ministris tribunalium et curiarum Urbis, et aliis ad quos spectat et in futurum spectabit, sub poenis in Bullâ reformationis, ac taxis, et ordinationibus supradictis irrogatis, inconcusse ac inviolabiliter observari;

Ac in loco publico eas retinendi.

§ 3. Ac in singulis notariorum officiis, curiisque, et tribunalibus taxas illas, quae curias, tribunalia, et officia praedicta concernunt, vulgari idiomate impressas, in loco publico, quo ab omnibus inspici, legi, et intelligi possint, affixas retineri mandamus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus omnibus, quae in nostrâ Bullâ reformationis praedictae voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Signatura absque data.

§ 5. Volumus etiam, quod praesentium sola signatura sufficiat, absque aliâ datâ et registraturâ, regulâ quacumque contrariâ pariter non obstante.

PP. subscr.

Placet motu proprio C.

§ 1.

Taxa notariorum reverendae camerae apostolicae, et solutionis sigilli illustrissimi domini cardinalis camerarii[1].

1. Citatio sive monitorium extra curiam, vigore commissionis Sanctissimi, cum inhibitione vel sine, etiam sub censuris, pro uno vel pluribus litis consortibus, collegio, capitulo, vel universitate, solvantur notario iulii octo, bononeni duo cum dimidio; et pro sigillo solvantur bononeni viginti septem cum dimidio.

1 Horum generalem reformationem habes in Const. praec.; declarationem autem illius et istius in subseq. (R. T.).

1 Reformatio camerae et camerarii est in Constit. praec. § II.

teneri, et pro eis exequutive ac manu regiâ procedi volumus et mandamus), poenam privationis, exilii, et alias poenas pecuniarias, et etiam corporales arbitrio iudicis, pro facti et personarum qualitate, infligendas poenas incurrant.

Contra eos procedatur tam ex officio et per inquisitionem, quam ad instantiam quorumcumque.

§ 3. Ut autem praemissa omnia et singula, a nobis, ut praemittitur, ad publicam praecipue pauperum carceratorum et litigantium utilitatem et levamen, statuta, decreta et ordinata, debitae in omnibus et per omnia exequutioni mandentur, et inviolabiliter observentur, mandamus omnibus et singulis almae Urbis et curiae nostrae iudicibus et magistratibus, ac preecipue camerario, vicecamerario, et gubernatori Urbis, auditori camerae, ac praesidi carcerum pro tempore existentibus, et eorum singulis, ut (ultra alios etiam in aliquo casu specialiter deputatos) praemissa omnia et singula ab omnibus observari faciant cum effectu, inobedientes coërceant et compescant, tam ex officio et per inquisitionem, quam ad instantiam advocati pauperum, procuratoris fisci, commissarii camerae et procuratoris pauperum pro tempore existentium, et aliorum quorumcumque, omni et quacumque appellatione sive recursu remotis.

Omnesque maiores magistratus comprehendantur etiam in constitutione.

§ 4. Declarantes hac nostrâ constitutione, sub simplici ac generali magistratuum, iudicum, notariorum, aut officialium nomine, omnes omnino magistratus, iudices, et personas quantâlibet dignitate fulgentes, ac speciali notâ dignas, omniaque tribunalia, quamvis suprema, camerarii, vicecamerarii, gubernatoris, auditoris camerae, vicarii, causarum sacri palatii nostri auditorum, et clericorum praedictae camerae praesidentium, senatoris, conservatorum, locorum piorum, et ceterarum curiarum iudices quoscumque, tam maiores quam minores, eorumque notarios, officiales, et ministros omnes, nullis prorsus exceptis, comprehendi, et significari, et in eâ expressis poenis subiici, et ad eorum, quae in eâ sancita sunt, observantiam indistincte teneri.

Clausula sublatâ, et decretum irritans.

§ 5. Et ita per quoscumque iudices, tam ordinarios quam delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, et de latere legatos, iudicari et definiri debere (sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate); decernentes irritum et inane, quicquid secus in praemissis, et quolibet praemissorum, et hac nostrâ Constitutione contentorum et statutorum, vel circa ea, a quoquam, quavis auctoritate, scienter aut ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum et sanctio poenalis.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, legibus, ac Urbis et Romanae curiae tribunalium, et collegiorum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis, stylis et et consuetudinibus (quos et quas per praesentes improbamus), privilegiis quoque, indultis et facultatibus, et litteris apostolicis, eisdem tribunalibus, officiis et collegiis, ac personis, etiam motu proprio, et consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam in vim contractus, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros aut etiam nos concessis, approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa, ac individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda seu quaevis alia exquisita forma servanda foret), tenores huiusmodi pro sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si praefatis personis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eâdem sit Sede

indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo, etc.

Datum Romae apud S. Petrum, kalendis martii, anno Incarnationis Dominicae MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 martii 1612, pontif. an. VII.

CXCV.

Taxa notariorum et officialium Urbis[1].

Paulus Papa V,
motu proprio, etc.

Prooemium.

Cum nos nuper, generali reformationi tribunalium Urbis incumbentes, iudicibus, notariis, aliisque officialibus, et iustitiae ministris singulorum tribunalium, singulariumve curiarum, taxas, iuxta quas mercedes et emolumenta exigere et percipere deberent, confici et tradi mandaverimus, iamque expedito reformationis negocio; ac nostris litteris desuper confectis et publicatis, taxae praedictae, nec non ordinationes nonnullae ad illarum clariorem intelligentiam, de consilio prudentum virorum, quibus curam hanc demandavimus, vocatis et auditis iis etiam de quorum interesse agebatur, compilatae, ac (plerasque veteres taxas a praedecessoribus nostris editas, processuque temporis in abusum transactas, innovando, plerasque novas, pro personarum et rerum qualitate, addendo) tandem Dei auxilio ad formam et modum infrascriptos reductae fuerint:

Confirmatio taxarum.

§ 1. Nos, ut illae validiores et firmiores sint, omnibusque innotescant, et a cunctis inviolate serventur, opportune providere volentes, motu simili, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, taxas et ordinationes omnes et singulas supradictas, illarum omnium tenorem hîc pro repetito, expresso et inserto habentes, tenore praesentium approbamus et confirmamus, ac Bullae nostrae generalis reformationis annecti volumus;

Iussio eas observandi.

§ 2. Ac ab omnibus iudicibus, notariis, officialibus, et iustitiae ministris tribunalium et curiarum Urbis, et aliis ad quos spectat et in futurum spectabit, sub poenis in Bullâ reformationis, ac taxis, et ordinationibus supradictis irrogatis, inconcusse ac inviolabiliter observari;

Ac in loco publico eas retinendi.

§ 3. Ac in singulis notariorum officiis, curiisque, et tribunalibus taxas illas, quae curias, tribunalia, et officia praedicta concernunt, vulgari idiomate impressas, in loco publico, quo ab omnibus inspici, legi, et intelligi possint, affixas retineri mandamus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus omnibus, quae in nostrâ Bullâ reformationis praedictae voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Signatura absque data.

§ 5. Volumus etiam, quod praesentium sola signatura sufficiat, absque aliâ datâ et registraturâ, regulâ quacumque contrariâ pariter non obstante.

PP. subscr.

Placet motu proprio C.

§ I.

Taxa notariorum reverendae camerae apostolicae, et solutionis sigilli illustrissimi domini cardinalis camerarii[1].

1. Citatio sive monitorium extra curiam, vigore commissionis Sanctissimi, cum inhibitione vel sine, etiam sub censuris, pro uno vel pluribus litis consortibus, collegio, capitulo, vel universitate, solvantur notario iulii octo, bononeni duo cum dimidio; et pro sigillo solvantur bononeni viginti septem cum dimidio.

1 Horum generalem reformationem habes in Const. praec.; declarationem autem illius et istius in subseq. (R. T.).

1 Reformatio camerae et camerarii est in Constit. praec. § II.

2. Citatio sive monitorium simile per edictum, notario scutum unum, sigillo bononeni viginti septem cum dimidio.

3. Compulsoriales generales sive speciales, pro uno sive pluribus, ut supra, notario scutum unum, sigillo bononeni viginti septem cum dimidio.

4. Remissoriae instrumentum, pro uno seu pluribus, ut supra, notario iulii quindecim, sigillo bononeni viginti septem cum dimidio.

5. Remissoriae rotulus, si fiat, pro quolibet palmo solvantur notario iulii septem cum dimidio; sit autem palmus linearum triginta, et syllabarum decem et octo.

6. Litterae missivae clausae loco remissorialium cum articulis introclusis, pro uno sive pluribus, ut supra, notario iulii sex, bononeni duo cum dimidio, sigillo bononeni viginti septem cum dimidio.

7. Instrumentum declaratoriae vigore commissionis, pro uno sive pluribus, ut supra, notario scutum unum, et sigillo bononeni viginti septem cum dimidio.

8. Instrumentum litis pendentiae extra curiam, pro uno sive pluribus, ut supra, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni viginti septem cum dimidio.

9. Intrumentum sententiae vigore commissionis, si extrahatur, pro uno sive pluribus, ut supra, notario scutum unum, sigillo bononeni viginti septem cum dimidio.

10. Instrumentum absolutionis vel commissionis pro uno, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni viginti septem cum dimidio.

11. Instrumentum absolutionis pro pluribus, capitulo, universitate, et similibus, notario scutum unum, sigillo iulii quinque cum dimidio.

12. Instrumentum absolutionis cum reincidentiâ, pro uno sive pluribus, ut supra, notario iulii quinque, sigillo bononeni viginti septem cum dimidio.

13. Inhibitio in curiâ vigore commissionis, pro uno sive pluribus, ut supra, notario iulii quatuor, sigillo iulius unus.

14. Instrumentum litis pendentiae in curiâ, pro uno sive pluribus, ut supra, notario iulii quatuor, sigillo iulius unus.

15. Monitorium extra curiam speciale, in ordinariis, etiam cum inhibitione, et etiam pro pluribus consortibus, capitulo vel universitate, notario iulii quinque, sigillo bononeni viginti septem cum dimidio.

16. Inhibitio in curiâ vigore privilegii vel recursus, aut praeviâ citatione, pro uno vel pluribus consortibus, notario iulii tres cum dimidio, sigillo iulius unus.

17. Citatio extra curiam vigore appellationis, etiam cum inhibitione, etiam pro pluribus, ut supra, notario iulii quinque, sigillo bononeni viginti septem cum dimidio.

18. Monitorium per edictum extra curiam, pro uno vel pluribus, ut supra, notario iulii septem cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

19. Remissoria per litteras clausas cum articulis, pro uno vel pluribus, ut supra, notario iulii sex, bononeni duo cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

20. Sequestrum extra curiam, sive mandatum de sequestrando, pro uno vel pluribus, ut supra, notario iulii quinque, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

21. Sequestrum in curiâ, nihil ubique.

22. Instrumentum litis pendentiae extra curiam, pro uno vel pluribus, ut supra, notario iulii quinque, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

23. Instrumentum declaratoriae, pro uno vel pluribus, ut supra, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

24. Mandatum exequutivum post declaratorias, pro uno vel pluribus, ut supra,

notario scuta duo, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

25. Mandatum suspicionis fugae usque ad quamcumque summam, etiam vigore obligationis cameralis, pro uno vel pluribus, ut supra, etiam parte citatâ, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

26. Mandatum exequutivum usque ad scuta vigintiquinque, pro uno vel pluribus, ut supra, notario iulii quinque, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio;

27. A vigintiquinque usque ad quingenta, notario iulii vigintiduo, sigillo iulii undecim;

28. A quingentis usque ad mille, notario iulii quinquagintaquinque, sigillo iulii undecim;

29. A mille usque ad quamcumque summam, notario scuta novem et iulii novem, sigillo iulii undecim.

30. Mandatum de excarcerando, sive relaxando, pro uno vel pluribus, ut supra, in eâdem causâ, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

31. Pro examine cuiuslibet testis in officio, tam in commissariis quam in ordinariis, cum articulis et interrogatoriis, notario iulii quatuor;

32. Si autem super materiis expressis in citatione, iulii duo;

33. Extra officium, capiatur duplum;

34. In excessivis, arbitrio iudicis.

35. Pro examine cuiuslibet testis super intrusione, notario iulius unus.

36. Pro mandato super intrusione sine testibus, etiam pro pluribus et capitulo vel universitate, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

37. Pro notâ sententiae diffinitivae in primâ instantiâ, pro uno sive pluribus, ut supra, notario iulii trigintaseptem cum dimidio;

38. In secundâ instantiâ, scuta tria;

39. In tertiâ instantiâ, iulii vigintiduo.

40. Pro notâ sententiâe absolutoriae, pro uno vel pluribus, ut supra, scutum unum.

41. Pro notâ declaratoriae, pro uno vel pluribus, ut supra, scutum unum.

42. Pro notâ interlocutoriae, pro uno vel pluribus, ut supra, scutum unum.

43. Transumptum extra curiam alicuius bullae, instrumenti, seu cedulae, vel etiam plurium similium, vel aliorum iurium in eodem transumpto descriptorum, non tamen de scripturis archivii camerae, si fuerint in formâ probanti (habitâ ratione scripturae arbitrio iudicis), pro uno vel pluribus, ut supra, notario iulii sex, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

44. Pro transumpto alicuius bullae extra registrum bullarum archivii, notario ducatus unus, sigillo iulii quinque cum dimidio.

45. Pro transumpto alicuius bullae ex archivio, quando ex licentiâ superiorum dare[1] contigerit, salvâ semper excessivitate scripturae arbitrio iudicis, tam in sumpto quam in transumpto, notario ducatus unus, sigillo iulii duodecim.

46. Pro quolibet instrumento publicato valoris usque ad quinquaginta ducatos auri, notario iulii quinque;

47. Usque ad centum inclusive, ducatus unus;

48. Usque ad quingentos, ducatus unus pro quolibet centenario;

49. A quingentis usque ad mille, dimidium pro quolibet centenario;

50. A mille supra, solvatur unum quartum pro quolibet centenario excedente.

51. Pro instrumentis non cameralibus, quorum merces non punitur in massâ, servetur taxa notariorum auditoris camerae.

1 Forsan legendum *dari* (R. T.).

52. Pro litteris de iure summario, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

53. Pro litteris commendatitiis, notario iulii quinque, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

54. Pro rogitu quorumlibet instrumentorum, cassatione, et pro rogitu testamentorum, et aliorum, servetur constitutio SS. D. N. in rubricâ *De notariis*, § *pro rogitu cuiuslibet,* et § *pro cassatione,* et § *in tradendis,* et § *pro rogitu testamentorum*[1].

55. Pro quocumque deposito cuiuscumque summae vel rei, per cedulam vel sine, nihil recipiatur.

56. Pro restitutione vero cedulae vel depositi, usque ad summam scutorum quadragintaquinque inclusive, recipiant notarii omni casu bononenos duos tantum pro quolibet scuto, nec aliud quicquam, neque pro restitutione cedulae, neque pro mandato, neque pro quietatione;

57. A scutis quadragintaquinque supra usque ad quamcumque summam, quando depositum est factum ante mandati relaxationem, absque conditione vel protestatione extrinsecâ, cum consensu quod consignetur adimpletis conventis et factâ legitimâ quietatione, tunc pro mandato de consignando habeat notarius iulios quatuor cum dimidio, et alios quatuor cum dimidio pro consignatione cedulae, et non ultra;

58. Quando vero depositum est cum protestatione vel conditione extrinsecâ non conventâ in scripturâ cuius vigore agitur, adeo quod oriatur super eâ decretum, tunc pro mandato de consignando illud habeat notarius tantum quantum solveretur pro mandato illius summae exequtivo, et amplius iulios quatuor cum dimidio pro restitutione cedulae, si consignetur in totum, sin minus, iulium unum pro quietatione summae, quae consignabitur, et non ultra;

59. Quando depositum est factum post mandati exequtivi relaxationem, quomodocumque fiat, etiam quod plura desuper fieri decreta contingat, nunquam habeat notarius nisi iulios quatuor cum dimidio pro mandato de consignando, et totidem pro restitutione cedulae et quietantiâ, si integrum consignetur, alioquin, ultra mandati praedicti mercedem, habeat iulium unum pro quietantiâ, ut supra, et nihil amplius pro quolibet praedictorum casuum.

60. Mandatum de consignando, aut de liberando, a vigintiquinque scutis infra, notario iulii tres cum dimidio, sigillo iulius unus.

61. A vigintiquinque supra usque ad quamcumque summam, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

62. Mandatum regaliarum in totum, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

63. Mandatum gratiosum de solvendo, pro uno seu pluribus, ut supra, notario iulii tres cum dimidio, sigillo iulius unus.

64. Mandatum de restituendo, a scutis vigintiquinque infra, pro uno seu pluribus, ut supra, notario iulii tres cum dimidio, sigillo iulius unus;

65. Ab inde supra usque ad quamcumque summam, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

66. Mandatum de immittendo, associando, vel manutenendo, seu simile, servatis servandis, exigatur prout in mandatis exequtivis.

67. Mandatum eleemosynae salis, notario iulii tres.

68. Mandatum de observando cum insertione privilegii, pro uno seu pluribus,

1 Nempe num. 48-51 in § XIX Const. praeced. ut supra pag. 90 (R. T.).

ut supra, notario scutum unum, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

69. Pro mandato de retinendo annatam, notario scutum unum, sigillo scutum unum.

70. Patentes quod soluto damno non teneatur ad poenam, pro uno sive pluribus, ut supra, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

71. Patentes faciendi mercatum, seu nundinas, notario iulii vigintiduo, sigillo iulii undecim.

72. Patentes ad favorem conducentium grasciam ad Urbem, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

73. Patentes concessionis arcis vel aliorum bonorum, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

74. Patentes aperiendi apothecam barbitonsoris, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

75. Patentes deferendi arma pro ministris et appaltatoribus cameralibus, notario scutum unum, sigillo scutum unum.

76. Patentes ad favorem deferentium aurum seu margaritas ad Urbem et Statum Ecclesiasticum, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

77. Patentes concessionis officii proxenetae Ripae in numero vigintiquinque, notario iulii vigintiduo, sigillo scuta quadraginta auri in auro.

78. Patentes concessionis officii notariatus Rotae, ex illis duodecim ad cardinalem camerarium spectantibus, notario iulii undecim, sigillo scuta vigintiquinque auri in auro.

79. Quietantia decimarum, vel alterius subsidii, pro uno, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio;

80. Pro clero et capitulo, vel pluribus, notario iulii undecim, sigillo iulii quinque cum dimidio.

81. Quietantia census unius anni, pro uno seu pluribus consortibus, notario iulii tredecim, sigillo iulii quatuordecim.

82. Quietantia unius quindennii, pro uno sive pluribus, universitate, vel capitulo, notario iulii duodecim, sigillo iulii duodecim.

83. Remissio caducitatis in plenâ camerâ, pro uno vel pluribus consortibus, notario iulii vigintiduo, sigillo iulii undecim.

84. Salvusconductus pro navi, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

85. Rogitus praestationis iuramenti pro computis solidandis, et fide illius, notario iulii quinque cum dimidio.

86. Pro quietantiâ apponendâ in mandatis de solvendo, non tamen ordinariis, notario iulii duo pro quolibet centenario; pro ordinario[1] vero, nihil.

87. Pro patentibus confirmationis statuti, et capitulorum, sive pro privatis, sive pro collegio, vel universitate, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

88. Pro patentibus confirmationis officiorum seu bonorum camerae, pro uno vel pluribus, ut supra, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

89. Pro patentibus deputationis alicuius officialis, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

90. Pro litteris cameralibus iustitiae, pro uno vel pluribus consortibus, ut supra, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

91. Mandatum de admittendo aliquem ad officium cursoratus, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

92. Patentes cum insertione Motusproprii sive Brevis in camerâ apostolicâ praesentati, pro uno sive pluribus, ut supra, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

1 Aptius legeretur *pro* vel *in ordinariis* (R. T.).

93. Pro tolerantiâ pro Iudaeis pro quolibet anno, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo iulii undecim.

94. Absolutiones, quas vocant a transgressibus, pro Iudaeis non sunt taxatae, quia nullo modo sunt concedendae.

95. Patentes exemptionis ob numerum duodecim filiorum, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

96. Patentes effodiendi thesauros, sive minerias, aut puteolanam, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

97. Attestatio visitationis liminum, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

98. Mandatum de cassando annatam alicuius ecclesiae, notario scutum unum, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

99. Pro quolibet consensu praestito per principalem, notario bononeni vigintiseptem cum dimidio.

100. Pro recognitione mandati, notario iulius unus.

101. Pro consensu coadiutoriae, notario ducatus unus.

102. Pro consensu cessionis monasterii consistorialis, notario ducatus unus.

103. Pro consensu cessionis ecclesiae cathedralis, notario ducati duo.

104. Pro consensu reservationis pensionis per obitum ad favorem palatinorum seu alterius personae (comprehensis obligatione principalis et fideiussoribus[1]), si in Italiâ adest beneficium, notario ducatus unus, si extra Italiam ducati duo.

105. Pro consensu reservationis pensionis super fructibus mensae monasterii consistorialis, notario ducatus unus.

106. Pro consensu reservationis pensionis super fructibus alicuius ecclesiae maioris, notario ducatus unus.

107. Pro registraturâ unius bullae, pro singulis quinque lineis, notario bononeni undecim.

108. Pro registraturâ bullae alicuius monasterii virorum, notario ducati tres.

109. Pro registraturâ bullae alicuius ecclesiae maioris, notario ducati quatuor.

110. Pro registraturâ bullae monasterii monialium usque ad valorem annuum ducentorum ducatorum, notario ducatus unus;

111. Usque ad trecentos ducatos, notario ducatus unus cum dimidio;

112. A trecentis usque ad quingentos, notario ducati duo.

113. Et notarius registri vel eius substituti non possint gravare partes ultra taxam appositam in bullâ per mensarium taxarum, sub poenis in reformatione Sanctissimi appositis; ac, solutâ taxâ ordinariâ, nihil prorsus pro collationaturâ vel registraturâ recipiat.

114. Pro qualibet obligatione annatarum, notario bononeni vigintiseptem cum dimidio.

115. Pro quolibet teste, notario bononeni undecim.

116. Pro qualibet quietantiâ annatae usque ad ducentos ducatos exclusive, notario bononeni vigintiseptem cum dimidio;

117. Pro ducentis ducatis, notario iulii quinque cum dimidio;

118. A ducentis usque ad quatuorcentum exclusive, notario iulii octo cum dimidio;

109. Pro ducatis quatuorcentum, notario ducatus unus.

120. Pro quietantiâ communium usque ad ducatos de camerâ centum, notario ducatus unus;

121. A centum usque ad quingentos, notario ducati duo;

122. A quingentis usque ad mille exclusive, notario ducati tres;

123. Pro mille ducatis, notario ducati quatuor;

1 Aptius utraque edit. Cherub. habet *fideiussionibus* (R. T.).

124. A mille vero usque ad quamcumque summam, multiplicetur usque ad dictam rationem quatuor ducatorum pro quolibet milliari.

125. Pro qualibet obligatione solvendi commune, notario iulii quinque cum dimidio.

126. Pro decreto relaxationis bullae ecclesiae cathedralis, notario ducati duo.

127. Pro decreto relaxationis bullarum, monasterii, notario ducatus unus.

128. Pro qualibet restitutione bullarum etiam quod sint plures, notario bononeni vigintiseptem cum dimidio.

129. Absolutio a censuris pro uno, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

130. Absolutio a censuris pro pluribus, capitulo vel universitate, notario iulii undecim, sigillo iulii quinque cum dimidio.

131. Arrestum pro uno vel pluribus in eodem negocio vel causâ, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

132. Attestatio valoris ducati, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

133. Attestatio superviventiae, vel obitus, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

134. Attestatio decreti cameralis, pro uno vel pluribus, ut supra, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

135. Aggravatoria excommunicationis, seu aggravatoria cum invocatione brachii secularis, pro uno vel pluribus, aut collegio, capitulo, vel universitate, notario iulii novem, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

136. Bannimentum pro uno vel pluribus consortibus, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

137. Exequatur mandatorum non emanatorum a tribunali camerae, si praeviâ causae cognitione et transportatis actis, et si supra scuta vigintiquinque, exigatur prout in mandatis executivis;

138. Si infra, vel supra sine causae cognitione, notario iulii tres cum dimidio, sigillo iulius unus.

139. Pro fide praestiti iuramenti, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

140. Pro fide pro nauta[1], notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

141. Instrumentum moderationis, vel reductionis inhibitionis ad viam iuris, vel supersessoriae, pro uno vel pluribus, notario iulii quinque, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

142. Indultum super aliquo novo modo invento, notario iulii vigintiduo, sigillo iulii undecim.

143. Indultum imponendi et exigendi collectam, etiam pro universitate, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

144. Indultum faciendi lottum, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

145. Salvusconductus a debitis extra Statum Ecclesiasticum contractis iuxta formam novissimam, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim.

146. Tracta grani extra Statum Ecclesiasticum et civitates Bononiae et Ferrariae (quae non concedatur, nisi praevio chirographo signato manu Sanctissimi) ab uno rubro usque ad decem rubra, notario iulius unus, sigillo iulius unus;

147. A decem usque ad quinquaginta inclusive, notario bononeni vigintiseptem cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio;

148. A quinquaginta usque ad centum inclusive, notario iulii quinque cum di-

1 Sic legimus cum Cherub.; edit. Main. legit *pro natura* (R. T.).

midio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio;

149. A centum usque ad ducenta, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim;

150. Et ab inde supra pro singulo centenario rubrorum, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo iulii undecim.

151. Pro tractis expediendis a praefecto annonae:

152. Ab uno rubro usque ad quinquaginta, notario iulius unus, sigillo iulius unus;

153. A quinquaginta usque ad centum, notario iulii duo, sigillo iulii duo;

154. A centum usque ad quamcumque summam, notario iulii quinque, sigillo iulii quinque.

155. Pro tractis infra Statum, de provinciâ ad provinciam, praeter loca comprehensa in facultatibus praefecti annonae (quae non concedantur nisi praevio chirographo signato manu Sanctissimi) ab uno usque ad quinquaginta, notario iulii duo, sigillo iulii duo;

156. A quinquaginta usque ad centum, notario iulii quatuor, sigillo iulii quatuor;

157. A centum usque ad quamcumque summam, notario scutum unum, sigillo scutum unum.

158. Pro tractis de loco ad locum in eâdem provinciâ, nihil ubique.

159. Licentia extrahendi usque ad unam salmam olei, pellium, vel saponis, nihil ubique;

160. Pro salmis duabus, notario iulii duo, sigillo iulii duo;

161. Pro salmis tribus usque ad quinque, notario iulii tres, sigillo iulii tres;

162. Pro salmis quinque usque ad decem, notario iulii quinque, sigillo iulii quinque;

163. Pro decem, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim;

164. Ab inde supra usque ad quamcumque summam, pro singulis decem salmis, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo iulii quinque cum dimidio.

165. Pro rebus quibuscumque, quae ad Urbem conducuntur, nihil ubique.

166. Idem fiat de pellibus quando concedi contigerit.

167. Idem de sapone ex Urbe vel aliunde extrahendo [1].

168. Pro licentiâ extrahendi oleum extra Statum (praevio tamen chirographo manu Sanctissimi), ad rationem milliarium pro singulis tribus millibus, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim;

169. Et sic augeatur et minuatur proportionabiliter.

170. Idem fiat de carnibus salitis.

171. Pro licentiâ extrahendi petia tria solae albae, nihil ubique;

172. Pro licentiâ extrahendi salmam unam calceamentorum novorum seu veterum, nihil ubique;

173. Pro licentiâ extrahendi cincia usque ad libras mille, nihil ubique.

174. A mille usque ad tria millia, notario bononeni vigintiseptem cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio;

175. A tribus millibus usque ad quinque millia, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo iulii quinque cum dimidio;

176. A quinque millibus usque ad octo millia, notario iulii octo, bononeni duo cum dimidio, sigillo iulii octo, bononeni duo cum dimidio;

177. Ab octo millibus usque ad decem millia, notario iulii undecim, sigillo iulii undecim;

178. Et sic augeatur proportionabiliter.

179. Pro licentiâ extrahendi agnos quinquaginta, notario iulii duo, sigillo iulii duo;

180. Pro centum, notario bononeni vigintiseptem cum dimidio, sigillo iulii duo;

1 Praedicta duo delentur in Const. seq. § 15 (R. T.)

181. Pro ducentis, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio;

182. Et sic pro singulis ducentis.

183. Litterae passus, notario iulii quinque cum dimidio, sigillo bononeni vigintiseptem cum dimidio.

184. Litterae legalitatis, pro uno vel pluribus, notario iulius unus, sigillo iulius unus.

185. Licentia accipiendi ad censum, vel se obligandi pro communitate vigore decreti camerae, usque ad quamcumque summam, notario iulii sexdecim cum dimidio, sigillo iulii quinque cum dimidio.

186. Pro non comprehensis in praesenti taxâ, nihil omnino recipiatur, neque a notariis, neque pro sigillo[1].

§ II.

Taxa notariorum civilium gubernatoris Urbis, vicarii, Burgi, et aliorum tribunalium non habentium propriam taxam[2].

1. Pro quocumque monitorio, arresto, seu praecepto litis introductivo, cum clausulâ *siquis*, etc., nihil recipiatur.

2. Pro quacumque petitione, comparitione, protestatione, sive allegatione, bononenus unus.

3. Pro quacumque revocatione inhibitionis de facto factae, arresti, sequestri, seu cuiusvis mandati, bononeni duo.

4. Pro mandato suspicionis fugae cum examine testium, usque ad summam scutorum decem, bononeni decem;

5. Cum productione iurium a decem infra, bononeni septem cum dimidio;

6. A decem supra cum examine testium, bononeni duodecim;

1 Hoc declaratur in Const. seq. § 16 (R. T. ex Cherub.).

2 Reformatio curiae gubernatoris et aliorum tribunalium huiusmodi est in Constitutione praeced. § III et seq.

7. Cum productione iurium ad decem supra, bononeni decem.

8. Pro arresto in carceribus, idem solvatur respective.

9. Pro mandato de relaxando, cum cautione, usque ad summam scutorum decem, comprehensâ mercede cautionis, bononeni quindecim;

10. Si vero cum consensu sine cautione, bononeni duodecim;

11. Ab inde supra, si cum cautione, comprehensâ mercede cautionis, ut supra, bononeni vigintiquinque;

12. Si vero sine cautione, bononeni viginti.

13. Pro quocumque mandato in contumaciam, bononeni tres.

14. Pro revocatione mandati in contumaciam, bononeni duo.

15. Pro *non gravetur*, seu mandato de non molestando in formâ iuris, bononeni tres.

16. Pro quocumque deposito, sive cedulâ cuiuscumque summae, in actis faciendo, nihil.

17. Pro restitutione depositi, pro quolibet scuto bononenus unus[1].

18. Pro rogitu cuiuscumque obligationis in officio usque ad summam scutorum decem, bononeni septem cum dimidio;

19. Ab inde supra, bononeni decem;

20. Extra officium, duplum.

21. Pro cassatione cuiuscumque obligationis iudicialis usque ad summam scutorum decem, bononeni quinque;

22. Ab inde supra, bononeni decem.

23. Pro susceptione termini in iudicio ad solvendum, bononeni duo.

24. Pro moderatione termini, bononenus unus.

25. Pro quocumque partito litis decisivo, bononeni duo.

26. Pro quocumque iuramento extra

1 Hoc declaratur in Const. seq. § 17 (R. T. ex Cherub.).

officium, susceptione termini aut actus iudicialis, usque ad scuta decem, bononeni septem cum dimidio;

27. Ab inde supra, bononeni decem.

28. Pro quocumque mandato vigore termini in iudicio suscepti, vel iuramenti, usque ad summam scutorum quinque, bononeni quinque;

29. A scutis quinque usque ad decem, bononeni decem;

30. A decem usque ad viginti, bononeni viginti;

31. A viginti usque ad quamcumque summam, bononeni quinquaginta.

32. Pro decreto supradicti mandati, bononeni duo.

33. Pro quacumque fide de exequendo mandatum in aliâ curiâ decretum, seu appositionis manus in contumaciam, vel aliàs non facto processu, bononeni duo.

34. Pro quocumque rogitu procurae in officio, bononeni duo;

35. Extra vero officium, bononeni octo.

36. Pro fide cuiuscumque procurae in actis rogatae, vel productae, bononeni decem.

37. Pro productione quorumcumque iurium, articulorum, et interrogatoriorum, bononeni duo.

38. Pro quacumque restitutione iurium cum dimissione copiae, a decem scutis infra (supra tamen duo), in scripturis privatis, bononeni septem cum dimidio;

39. A decem usque ad viginti, bononeni quindecim;

40. A viginti supra, bononeni viginti.

41. Si vero instrumenta publica, vel alia iura, duplum in quolibet casuum praedictorum.

42. Pro relatione ad videndum iurare testes, et illorum inductione, specificatione materiarum, etiamsi insimul cum inductione testium fiat, bononeni duo.

43. Pro responsione articulorum, sive praeparatoriorum, pro quolibet articulo, seu praeparatorio, etiam generali, sive fiat verbo, sive fiat per productionem cedulae, bononenus unus.

44. Pro examine testis, in quacumque summâ summarie, absque articulis et interrogatoriis, bononeni septem cum dimidio.

45. Pro examine super recognitione tesserarum, bononeni quatuor.

46. Pro recognitione apocharum, bononeni tres.

47. Pro examine super articulis, et interrogatoriis, a scutis decem infra (supra tamen duo) bononeni decem;

48. A decem usque ad viginti, bononeni quindecim;

49. A viginti usque ad quamcumque summam bononeni vigintiquinque.

50. Si vero articuli, et interrogatoria fuerint excessiva, solvatur arbitrio iudicis.

51. Extra vero officium, solvatur duplum.

52. Pro examine super articulis absque interrogatoriis, usque ad scuta decem (supra tamen duo) bononeni octo;

53. Usque ad scuta viginti, bononeni decem;

54. Usque ad quamcumque summam, bononeni quindecim, et non ultra.

55. Pro copiâ testium publicatorum, solvatur ad rationem, ut supra pro examine.

56. Pro quacumque informatione iudici faciendâ cum ostensione actorum, iurium, vel testium, si qui adsint, a quinque ducatis infra, nihil;

57. A quinque usque ad decem, bononeni sex;

58. Ab inde supra, bononeni septem cum dimidio.

59. Et unica tantum informatio in omnibus casibus solvatur.

60. Et si fiat extractus, vel registrum, ubi iuxta reformationem fieri licet, nihil solvatur pro informatione.

61. Pro notâ sententiae diffinitivae, et pro quocumque decreto vim diffinitivae habente, usque ad summam scutorum quinque, bononeni tres;

62. Usque ad decem, bononeni septem cum dimidio;

63. Usque ad viginti, bononeni vigintiquinque;

64. Usque ad quamcumque summam, bononeni quadragintaquinque.

65. Pro quocumque mandato vigore sententiae, servatis servandis, vel causâ cognitâ, usque ad summam scutorum quinque, bononeni quinque;

66. Usque ad decem, bononeni septem cum dimidio;

67. Usque ad viginti, bononeni vigintiquinque;

68. Usque ad quamcumque summam, bononeni quadragintaquinque.

69. Pro copiâ cuiuslibet commissionis, bononeni decem.

70. Pro copiâ simplici cuiuslibet instrumenti in actis rogati, bononeni septem com dimidio [1];

71. Pro copiâ subscriptâ pro fide eorumdem, bononeni decem.

72. Pro copiâ articulorum si sit magna scriptura, bononeni decem.

73. Pro copia cuiuslibet petitionis partiti, iuramenti, allegationis, et cuiuscumque alterius acti iudicialis in actis facti, bononeni duo.

74. Pro mandato de evacuando domum, bononeni vigintiquinque.

75. Pro quocumque mandato de consignandis pignoribus, bononeni tres.

76. Pro quocumque decreto confessionis debiti, bononeni duo.

77. Pro quibuscumque litteris et declaratoriis vigore monitorii, vel illarum loco mandato in contumaciam, bononeni trigintaseptem cum dimidio.

78. Pro quibuscumque litteris excommunicatoriis, sive declaratoriis, vigore obligationis in formâ camerae, vel monitorii reintegrati, vel mandato loco illarum, usque ad summam vigintiquinque scutorum, bononeni trigintaseptem cum dimidio;

79. A vigintiquinque usque ad quamcumque summam, bononeni quinquaginta.

80. Pro absolutione a censuris, bononeni septem cum dimidio.

81. Pro instrumento absolutionis a censuris, idem solvatur prout in litteris.

82. Pro quocumque brachio seculari, solvatur duplum ad rationem summae praedictae.

83. Pro monitorio extra Urbem in illius districtu, bononeni viginti.

84. Pro rogitu instrumenti possessionis intra moenia Urbis, bononeni trigintaseptem cum dimidio;

85. Extra vero moenia Urbis, arbitrio iudicis.

86. Pro inventario de bonis extra officium, bononeni quinquaginta.

87. Pro mercede publicorum instrumentorum, serventur statuta Urbis.

88. In causis a quinque scutis infra, specificentur materiae in actis, et examinentur testes absque articulis et interrogatoriis, et notarius teneatur super generalibus examinare, et si pars voluerit dare interrogatoria, concordet notarium.

89. Et si agatur de bonis, et non de pecuniarum quantitatibus, stetur arbitrio iudicis quae taxa solvi debeat.

90. Pro extractibus fiendis iuxta reformationem Sanctissimi, et non aliter, pro quolibet folio bene scripto iuxta dictam reformationem sub rubricâ *de registris* [1], bononeni sex.

91. In causis vero commissariis, iuxta praedictam reformationem, pro compa-

1 Declaratur in seq. Const. § 18 (R. T. ex Cherub.).

1 Quam vide in Const. praeced. ad pag. 97 (R. T.).

ritionibus et relaxationibus, nihil recipiatur.

92. Et in omnibus casibus solvatur, prout in aliis Urbis tribunalibus solvi solitum et consuetum est.

93. A pauperibus et miserabilibus personis, nihil; de paupertate et miserabilitate stetur relationi advocati vel procuratoris pauperum.

§ III.

Taxa notariorum auditoris camerae[1].

1. In causis ordinariis ad hoc forum pertinentibus, etiam quod adsit commissio quocumque tempore impetrata, exigatur ut infra:

2. Pro expeditionibus, quando sunt plures personae consortes, etiam si sint congregationes, collegia, capitula, vel universitates, nonnisi pro uno tantum exigatur, prout et in reformatione Sanctissimi sancitum est sub rubricâ *De notariis,* § *Pro expeditionibus*[2].

3. Pro monitorio specialis ad partes, iulii novem.

4. Pro monitorio speciali per edictum, iulii undecim.

5. Pro monitorio in vim Bullae Eugenianae, iulii duodecim.

6. Pro Eugenianâ per edictum, iulii quindecim.

7. Pro monitorio in vim Bullae Coenae Domini, iulii duodecim.

8. Pro citatione cum inhibitione vigore appellationis extra curiam, cum insertione instrumenti sententiae a qua appellatur, iulii decem.

9. Pro instrumento remissoriae, iulii novem.

10. Pro instrumento litis pendentiae extra curiam, iulii novem.

1 Reformatio huius curiae habetur in Const. praec. § IV.

2 Vide in Const. praeced. § XIX num. 79 ad pag. 93.

11. Pro transumpto simplici unius bullae, vel instrumenti, aut cedulae, vel etiam plurium similium, seu aliorum iurium in eodem transumpto descriptorum, si fuerint in formâ probanti, iulii duodecim;

12. Si vero in formâ *vidimus*, iulii novem:

13. Habitâ tamen ratione excessus scripturarum, arbitrio iudicis, quoad laborem notarii.

14. Pro sequestro extra curiam, iulii novem.

15. Pro litteris superviventiae quae non taxentur, comprehenso sigillo, iulii quatuor.

16. Pro fide legalitatis apponendae in instrumentis notariorum, in totum unâ cum sigillo iulii duo.

17. Pro mandato de exequendo, iulii novem.

18. Pro notâ sententiae, nihil.

19. Pro sportulis, nihil.

20. In causis commissariis, iuxta reformationem Sanctissimi sub rubricâ *De auditore camerae,* § *in causis*[1].

21. Pro citatione vigore commissionis absque inhibitione extra curiam, iulii novem.

22. Pro citatione cum inhibitione simplici, iulii undecim.

23. Pro citatione cum inhibitione sub censuris, iulii quatuordecim.

24. Pro citatione cum inhibitione sub censuris per edictum, etiam pro necessario examine, iulii decem et octo.

25. Pro inhibitione simplici extra curiam, iulii novem.

26. Pro inhibitione extra curiam sub censuris, iulii duodecim.

27. Pro inhibitione in curiâ, bononeni triginta quinque.

28. Pro monitorio speciali, iulii quindecim.

1 Vide Const. praeced. ad pag. 65 *b*.

29. Pro instrumento remissoriae, iulii duodecim.

30. Pro notis sententiarum diffinitivarum quae in scriptis proferuntur, in primâ instantiâ, scuta quatuor, idest iulii quadraginta;

31. In secundâ instantiâ, iulii triginta;

32. In tertiâ instantiâ, iulii viginti.

33. Pro notâ absolutoriae ab observatione iudicii, iulii quindecim.

34. Pro notâ interlocutoriae, iulii quindecim.

35. Pro notâ declaratoriae, iulii octo.

36. Pro mandato de exequendo, iulii quindecim.

37. Pro sequestro, iulii quindecim.

38. Pro sportulis iudicum, pro sententiis definitivis in scriptis proferendis non ultra id, quod in aliis curiae tribunalibus ordinariis olim a[1] felicis recordationis Pio Papa IV et nuper a Sanctissimo praescriptum et innovatum est sub rubricâ *De sportulis*[2];

39. In ceteris actis, scripturis, et expeditionibus infrascriptis, sive causae sint ordinariae sive commissariae, solvatur ut infra, videlicet:

40. Pro compulsorialibus generalibus, sive specialibus, iulii duodecim.

41. Pro palmo rotuli remissoriae, qui sit linearum triginta, et quaelibet linea sit syllabarum decem et octo, iulii tres.

42. Pro instrumento litis pendentiae in curiâ, bononeni quadragintaquinque.

43. Pro interdicto speciali, iulii quindecim.

44. Pro instrumento relaxationis interdicti, iulii quindecim.

45. Pro exequutorialibus, iulii triginta sex.

46. Pro mandato de immittendo in possessionem vigore litterarum apostolicarum, seu Brevis, iulii decem.

1 Praep. *a* nos addimus ex Cherub. (R. T.).
2 Quam vide supra ad pag. 80.

47. Pro absolutione, sive absolutionis commissione pro uno, iulii novem;

48. Pro duobus litis consortibus, iulii quatuordecim;

49. Pro tribus litis consortibus, iulii decem et octo;

50. Pro quatuor litis consortibus, iulii viginti tres;

51. Ultra quatuor quotcumque addantur personae litis consortes, nihil augeatur pretium expeditionis;

52. Pro capitulo, collegio, confraternitate, aut universitate, iulii quinquaginta.

53. Pro instrumento absolutionis, iulii duodecim.

54. Pro decretis a iudice non ex scripto prolatis, etiam vim definitivae habentibus, nihil.

55. Pro notâ eorumdem, nihil.

56. Pro sportulis eorumdem, nihil.

57. Pro simplici fide, etiam plurium actorum, iulii duo.

58. Pro examine testium cum articulis et interrogatoriis in causâ aestimationis, a quinquaginta scutis supra usque ad quamcumque summam, si articuli non excedant numerum vigintiquinque, et interrogatoria numerum triginta quinque, in domo vel officio notarii, iulii quatuor;

59. Extra officium, non ultra duplum;

60. In causâ aestimationis, a quinquaginta scutis infra, ad rationem iulii undecim pro scuto, solvatur tantum pro dimidio;

61. Quod si articuli excedant numerum vigintiquinque, et interrogatoria triginta quinque, solvatur merces notario, arbitrio iudicis.

62. Pro instrumento sententiae, si extrahatur, iulii quindecim.

63. Pro instrumento declaratoriae, non tamen vigore obligationis in formâ camerae, iulii duodecim.

64. Pro brachio seculari ob non paritionem monitorii, aut litterarum apostolicarum

licarum, vel exequutorialium, iulii triginta.

65. Pro mandato suspicionis fugae, usque ad quacumque summam, etiam in[1] vim obligationis cameralis et etiam parte citatâ decreto, iulii quatuor cum dimidio.

66. Pro mandato de consignando vigore sequestri, etiam ubi pro illius verificatione debitor prius fuisset conventus viâ exequutivâ vigore obligationis cameralis, iulii quatuor cum dimidio.

67. Pro mandato de consignandis pignoribus, subhastandis, aut deliberandis, iulii quatuor cum dimidio.

68. Pro mandato de relaxando pro debito civili, iulii quatuor cum dimidio.

69. Pro mandato in causis civilibus loco litterarum, pro parvâ summâ, iulii quatuor cum dimidio,

70. Computato in his omnibus mandatis iulio sigilli.

71. Pro mandato exequutivo, sive brachio seculari (ubi eius invocatione opus fuerit) per omnia expedito, omnibus comprachensis, ab uno scuto usque ad quindecim, ad rationem iulii undecim pro scuto, iulii quatuor cum dimidio;

72. A scutis quindecim, usque ad vigintiquinque ad eamdem rationem, iulii vigintiduo;

73. A scutis vigintiquinque usque ad quingentos ad eamdem rationem, iulii triginta tres;

74. A scutis quingentis usque ad mille ad eamdem rationem, iulii sexaginta sex;

75. A scutis mille usque ad quamcumque summam ad eamdem rationem, scuta undecim.

76. Pro censuris ecclesiasticis, vel in expeditione mandati exequutivi seu brachii secularis, vel seorsum ab eo, nihil.

77. Neque usquam aliàs, nisi ubi ad illas rite processum fuerit re ipsâ.

78. Pro declaratoriâ, aggravatoriâ, et reaggravatoriâ simul iunctis, et totali earum omnium expeditione ubi ad eas rite processum fuerit, et non alias, exigatur tantumdem, quantum pro mandato, seu brachio seculari, habitâ distinctione summarum, ut supra, ita ut omnis[1] impensa utriusque expositionis, tam mandati scilicet vel brachii secularis quam censurarum simul iuncta, duplum non excedat eius pretii, quod pro mandato seu brachio seculari pro qualibet dictarum summarum taxatum est, exceptâ ultimâ maiori summâ, videlicet a mille supra, in qua etiam si contingat ultra vel post mandatum exequutivum seu brachium seculare censuras quoque relaxari, nihil earum nomine exigatur, sed tantum ultra pretium solius mandati seu brachii secularis, ut supra taxatum, accipi possit iusta merces pro scripturâ.

79. Nec umquam cogantur partes invitae unâ cum mandato exequutivo vel brachio seculari, censurarum quoque expeditionem accipere, aut earum expeditionis pretium solvere, etiamsi ad censuras ipsas in subsidium contra contumacem iudex comminando rite processerit, et extra loca temporali dominio S. R. E. subiecta, vel etiam extra Italiam expeditio mittenda foret.

80. Et ubi quisquam legitime, servatis processibus, utramque expeditionem, mandati, scilicet vel brachii secularis et censurarum, eodem tempore habere voluerit, tunc apponatur verbis expressis in ipsâ expeditione quoad censuras, ne is[2] pretium, quod illarum ratione expendit, ullo modo repetere possit ab his contra quos decretae et prolatae fuerunt, nisi adversus eosdem vigore mandati exequutivi seu brachii secularis non satisfacientes, aut aliàs non parentes censuris ipsis, uti necesse fuerit.

81. Pro duplicatis, etiam post quod-

1 Praep. *in* addimus ex Cherub. (R. T.).

1 Edit. Main. legit *omnes* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. habet *eis* (R. T.).

cumque tempus expeditis, nihil praeter scripturae mercedem.

82. Pro sigillo parvo appenso in qualibet expeditione, si non adsit minor taxa, solvatur tantum iulius unus.

83. Pro mandatis exequutivis vel aliis quibuscumque expeditionibus, notarii nihil recipiant, nisi illis effectualiter partibus consignatis.

84. Nec partes cogantur accipere aliquam expeditionem, nisi quam voluerint.

85. Pauperibus expeditiones in formâ pauperum, miserabilibus vero gratis omnino tradant, etiam scripturae mercedem[1]; distinctio vero istarum personarum iudicis arbitrio remittitur.

86. Pro terminis coram iudice servandis, iudicibus informandis, scripturis ad eos deferendis, seu etiam in officio perquirendis, registris seu extractibus transportandis, et aliis huiusmodi, notarii, vel eorum substituti, scribae et copistae, etiam nomine regalium, seu bibaliorum, nihil prorsus, etiam a sponte dantibus, accipiant.

87. In causis criminalibus expeditionum, quae erunt eiusdem generis seu nominis[2] cuius sunt suprascriptae, pretium augeri non possit ultra tertiam partem eius, quod supra in civilibus praescriptum est.

88. In registris, extractibus, copiis indiciorum, et alterius quam supradicti generis seu nominis expeditionibus criminalibus, servetur taxa aliis tribunalibus ordinariis Urbis in criminalibus praescripta.

89. Pro rogitu instrumentorum, cassatione, et pro rogitu testamentorum, et aliorum, servetur constitutio sanctissimi D. N., sub rubricâ *De notariis, § pro rogitu cuiuslibet, § pro cassatione, § in tradendis,* et § *pro rogitu testamentorum*[3].

1 Subintelligendum videtur *renunciando*(R.T.).

2 Perperam edit. Main. legit *hominis* (R. T.).

3 Nempe num. 48-51 in § XIX Const. praeced. ut supra pag. 90 (R. T.).

90. Pro mercede intrumentorum seu testamentorum publicatorum, ab uno scuto usque ad vigintiquinque, bononeni quadraginta quinque;

91. A scutis vigintiquinque usque ad quinquaginta, iulii septem cum dimidio;

92. A scutis quinquaginta usque ad centum, scutum unum;

93. A scutis centum usque ad quingenta, pro quolibet centenario scutum unum;

94. A scutis quingentis usque ad quamcumque summam, pro quolibet centenario iulii duo;

95. Dummodo in totum usque ad centum scuta pro qualibet summâ, et non ultra, recipere valeant.

96. Pro quocumque deposito cuiuscumque summae vel rei, per cedulam vel sine, nihil recipiatur.

97. Pro restitutione vero cedulae vel depositi, usque ad summam scutorum quadragintaquinque inclusive, recipiant notarii omni casu bononenos duos tantum pro quolibet scuto, nec aliud quicquam, neque pro restitutione cedulae, neque pro mandato, neque pro quietatione;

98. A scutis quadragintaquinque supra usque ad quamcumque summam, quando depositum est factum ante mandati relaxationem, absque conditione vel protestatione extrinsecâ, cum consensu quod consignetur adimpletis conventis et factâ legitima quietatione, tunc pro mandato de consignando habeat notarius iulios quatuor cum dimidio, et alios quatuor cum dimidio pro consignatione cedulae, et non ultra;

99. Quando vero depositum est cum protestatione vel conditione extrinsecâ non conventâ in scripturâ cuius vigore agitur, adeo quod oriatur super eâ decretum, tunc pro mandato de consignando illud, habeat notarius tantum, quantum solveretur pro mandato illius summae exequutivo, et amplius iulios quatuor cum dimidio pro resti-

tutione cedulae, si consignetur in totum, sin minus, iulium unum pro quietatione summae, quae consignabitur, et non ultra;

100. Quando depositum est factum post mandati exequutivi relaxationem, quomodocumque fiat, etiam quod plura desuper fieri decreta contingat, numquam habeat notarius nisi iulios quatuor cum dimidio pro mandato de consignando, et totidem pro restitutione cedulae et quietantiâ, si integrum consignetur, alioquin, ultra mandati praedicti mercedem, habeat iulium unum pro quietantiâ, ut supra, et nihil amplius in quolibet praedictorum casuum.

101. Pro restitutione scripturarum quarumcumque in eodem termino productarum, etiamsi plures sint, iulios quatuor cum dimidio.

102. Pro quibuscumque copiis bene et unâ margine descriptis ad instar originalis, pro quolibet folio iulium unum.

103. Pro contradictis, quod vere solvitur officio contradictarum, et non amplius.

§ IV.

Taxa notariorum Rotae [1].

1. Pro quolibet centenario foliorum registri boni facti iuxta reformationem Sanctissimi sub titulo *de registris* [2], iulii sexaginta [3];

2. Pro quolibet folio copiarum instar boni originalis, bononeni septem cum dimidio.

3. Pro rubricaturâ cuiuslibet centenarii foliorum processus de partibus factâ iuxta reformationem Sanctissimi sub titulo *De registris* § *Rubricellae* et § *Processus de partibus*, et § *Notarii Rotae* [4], iulii vigintiquinque.

4. Pro rubricaturâ testium de partibus, pro medietate.

5. Et idem solvatur de processibus per alium quam notarium rubricatis in curiâ, nisi quod deducatur ad favorem partis tantum, quantum solvisset notarius causae copistae rubricanti.

6. De aliis vero processibus rubricatis in partibus, in quorum rubricaturâ nihil est corrigendum, addendum, vel minuendum, solvantur pro revisione cuiuslibet centenarii iulii quindecim.

7. Pro citatione simplici extra curiam, iulii septem cum dimidio.

8. Pro citatione cum inhibitione extra curiam, iulii quindecim.

9. Pro citatione cum inhibitione per edictum extra curiam, vel sub censuris, iulii quindecim.

10. Pro inhibitione simplici factâ in curiâ, bononeni trigintaseptem cum dimidio.

11. Pro inhibitione simplici extra curiam sub censuris, iulii undecim et bononeni duo cum dimidio.

12. Pro citatione ad valvas in curiâ tempore feriarum, bononeni quindecim.

13. Pro compulsoriâ generali extra curiam, iulii septem cum dimidio.

14. Pro compulsoriâ speciali extra curiam, iulii quindecim.

15. Pro arresto generali, iulii tres.

16. Pro instrumento remissoriae ad partes, iulii quindecim.

17. Pro quolibet palmo rotuli remissoriae, numerati iuxta reformationem Sanctissimi sub titulo *De notariis omnium tribunalium*, § *Litteras remissoriales* [1], iulii septem cum dimidio.

18. Et si remissoria consignatur non facto registro, depositum reguletur ad rationem sexaginta foliorum registri, excomputandum postea in mercede registri.

1 Reformatio huius tribunalis habetur supra in Constit. praec. § v.

2 In Const. praec. § xx, pag. 97.

3 Declaratur in Const. seq. § 19 (R. T.).

4 Vide supra pag. 99.

1 Vide Const. praeced. ad pag. 95 (R. T.).

19. Pro quolibet sequestro extra curiam cum illius instrumento iulii quindecim.

20. Pro instrumento revocationis seu relaxationis sequestri, iulii septem cum dimidio.

21. Pro monitorio poenali in eventum citatorio extra curiam, iulii quindecim.

22. Pro litteris excommunicationis in curiâ ob non solutam mercedem notarii, vel aliàs, bononeni trigintaseptem cum dimidio.

23. Pro mandato de reportando registrum, acta, vel processus, seu de perquirendo, iulii quatuor cum dimidio.

24. Pro notâ sententiae diffinitivae in primâ instantiâ, iulii trigintaseptem cum dimidio;

25. In secundâ instantiâ, iulii triginta;

26. In tertiâ instantiâ, iulii vigintiduo cum dimidio.

27. Pro instrumento sententiae diffinitivae, iulii quindecim.

28. Pro instrumento diffinitivae sententiae cum taxatione expensarum, iulii vigintiduo cum dimidio.

29. Pro instrumento taxationis expensarum ad partem, iulii septem cum dimidio.

30. Pro notâ sententiae interlocutoriae, nihil.

31. Pro litteris exequutorialibus sive eorum[1] instrumento (ultra depositum scutorum quatuor cum dimidio excomputandum postea in mercede registri), iulii quindecim.

32. Pro notâ sententiae declaratoriae vigore monitorii, vel litterarum exequutorialium, iulii septem cum dimidio.

33. Pro instrumento sententiae declaratoriae, iulii quindecim.

34. Pro instrumento aggravationis ad partem, iulii quindecim.

35. Pro instrumento reaggravationis ad partem, iulii quindecim.

1 Vel potius lege *earum* (R. T.).

36. Pro instrumento interdicti ad partem, iulii quindecim.

37. Pro instrumento brachii secularis per se et simpliciter absque declaratione, iulii triginta.

38. Pro instrumento absolutionis ab excommunicationis sententiâ, sive commissionis eiusdem absolutionis in partibus faciendae, etiamsi fuerint plures, sive communitas, capitulum, aut collegium, in eâdem causâ et expeditione, iulii quindecim.

39. Pro mandato exequutivo cuiuscumque summae, iulii triginta.

40. Pro mandato de manutenendo, reintegrando, sive de immittendo, iulii triginta;

41. Et si dentur non confecto registro, liceat exigere depositum pro foliis quinquaginta excomputandum, ut supra, in mercede registri.

42. Pro instrumento cessionis iuris, litis et causae, sive litis et causae dumtaxat, si extrahatur coniunctim vel separatim, iulii septem cum dimidio.

43. Pro notâ seu rogitu instrumenti huiusmodi cessionis, bononeni trigintaseptem cum dimidio, videlicet quando non extrahitur instrumentum; sed si extrahatur, tunc in extractione dicti instrumenti defalcatur dicta summa bononenorum trigintaseptem cum dimidio.

44. Pro instrumento processus subrogationis in iure cuiusvis, iulii quindecim.

45. Pro examine testis in domo notarii iurati coram domino, bononeni trigintaseptem cum dimidio;

46. Extra domum vel officium notarii, iulii septem cum dimidio;

47. Et si articuli excedant numerum vigintiquinque, et interrogatoria triginta, habeatur ratio excessivitatis iuxta laborem notarii.

48. Pro copiis testium publicatorum, sive in partibus sive in curiâ examinato-

rum, solvatur prout de foliis registrorum dictum est.

49. Pro quocumque instrumento, sive prorogationis remissoriae, sive mutationis iudicum, vel alicuius intimationis, aut alio quovis actu iudiciali in publicam formam redacto, iulii septem cum dimidio.

50. Pro quocumque deposito cuiuscumque summae vel rei, per cedulam vel sine, nihil recipiatur.

51. Pro restitutione vero cedulae vel depositi, usque ad summam scutorum quadragintaquinque inclusive, recipiant notarii omni casu bononenos duos tantum pro quolibet scuto, nec aliud quicquam, neque pro restitutione cedulae, neque pro mandato, neque pro quietatione;

52. A scutis quadragintaquinque supra, usque ad quamcumque summam, quando depositum est factum ante mandati relaxationem, absque conditione vel protestatione extrinsecâ, cum consensu quod consignetur adimpletis conventis et factâ legitimâ quietatione, tunc pro mandato de consignando habeat notarius iulios quatuor cum dimidio, et alios quatuor cum dimidio pro consignatione cedulae, et non ultra;

53. Quando vero depositum est cum protestatione vel conditione extrinsecâ non conventâ in scripturâ cuius vigore agitur, adeo quod oriatur super eâ decretum, tunc pro mandato de consignando illud habeat notarius tantum, quantum solveretur pro mandato illius summae exequutivo, et amplius iulios quatuor cum dimidio pro restitutione cedulae, si consignetur in totum, sin minus, iulium unum pro quietatione summae quae consignabitur, et non ultra;

54. Quando depositum est factum post mandati exequutivi relaxationem, quomodocumque fiat, etiam quod plura desuper fieri decreta contingat, numquam habeat notarius nisi iulios quatuor cum dimidio pro mandato de consignando, et totidem pro restitutione cedulae et quietantiâ, si integrum consignetur, alioquin, ultra mandati praedicti mercedem, habeat iulium unum pro quietantiâ, ut supra, et nihil amplius in quolibet praedictorum casuum.

§ V.

Taxa archivii.

1. Pro quolibet folio copiae factae instar boni originalis, bononeni sex.

2. Pro fide cuiuslibet primi actus, iulii quatuor cum dimidio.

3. Et si fuerint plures, addantur iulii duo pro quolibet actu.

4. Pro quolibet centenario registri boni iuxta reformationem Sanctissimi sub rubricâ *De registris*, iulii quadragintaquatuor.

5. Pro quolibet centenario rubricaturae processus de partibus, iulii viginti.

6. Testes, qui non rubricantur, solvantur pro medietate.

7. Processus habiti vigore remissoriae, seu compulsoriae, et alii etiam non excedentes folia vigintiduo, non registrentur, et circa rubricaturam fiat numeratio iuxta dictam reformationem Sanctissimi sub rubricâ *De registris*.

8. Pro notâ sententiae in primâ instantiâ coram referendario, iulii triginta;

9. In secundâ, iulii viginti;

10. In tertiâ, iulii quindecim.

11. Pro notâ sententiae interlocutoriae, iulii quinque.

12. Pro notâ sententiae declaratoriae, iulii quinque.

13. Pro instrumento declaratoriae, iulii sex.

14. Pro brachio seculari, iulii decem et octo.

15. Pro notâ sententiae absolutoriae a censuris, iulii quinque.

16. Pro instrumento absolutionis, etiamsi fuerint plures, aut capitulum, communitas, vel collegium in eâdem expeditione et causâ, iulii sex[1].

1 Declaratur in Const. seq. § 20 (R. T.).

17. Pro instrumento reintrusionis in censuras similiter, ut supra, iulii sex.

18. Pro quolibet teste examinato, in officio, iulii quatuor cum dimidio;

19. Extra officium, duplum;

20. Et si materiae fuerint excessivae, in officio, iulii sex;

21. Extra officium, duplum.

22. Excessivitas intelligatur si articuli excedant numerum vigintiquinque, et interrogatoria numerum trigintaquinque.

23. Pro publicatione, seu summario testium, solvatur modo quo supra, et habeatur respectus ad excessivitatem modo praedicto.

24. Pro mandato de manutenendo, iulii decem;

25. Et si fuerit vigore sententiae, iulii quindecim.

26. Pro simili de restituendo, et reponendo, iulii quindecim.

27. Pro mandato de subhastando extra curiam, iulii septem cum dimidio;

28. In curiâ, iulii quatuor cum dimidio.

29. Pro alio de deliberando, in curiâ et extra, tantundem.

30. Pro citatione cum inhibitione in curiâ, iulii quatuor cum dimidio.

31. Pro simili extra curiam absque censuris, iulii decem.

32. Pro citatione cum inhibitione sub censuris extra curiam, iulii duodecim.

33. Pro citatione simplici extra curiam, iulii septem cum dimidio.

34. Pro compulsorialibus generalibus, iulii octo.

35. Pro compulsorialibus specialibus, iulii decem.

36. Pro monitorio poenali vigore commissionis, iulii octo.

37. Pro sequestro extra curiam, iulii octo.

38. Pro instrumento relaxationis illius, iulii sex.

39. Pro mandato de consignando pecunias, res, et bona, postquam fuit relaxatum mandatum exequutivum, extra curiam, iulii novem;

40. In curiâ, iulii sex.

41. Pro instrumento intimationis litis, cessionis, et similium, iulii sex.

42. Pro mandato exequutivo extra curiam, iulii vigintiquinque;

43. In curiâ, iulii vigintiduo.

44. Pro mandato de exequendo extra curiam, iulii octo,

45. Pro fide decreti seu simili mandato in curiâ, iulii quatuor.

46. Pro instrumento remissoriae, iulii quindecim.

47. Pro litteris missivis, etiam cum articulis et interrogatoriis introclusis, iulii novem.

48. Pro instrumento prorogationis termini remissoriae, seu deputationis iudicum, iulii sex.

49. Pro quolibet palmo rotuli remissoriae factae iuxta reformationem Sanctissimi sub rubrica *De notariis*, § *Litteras remissoriales*[1], iulii quinque.

50. Pro instrumento subdelegationis, iulii decem.

51. Pro mandato de immittendo in possessionem, solvatur tantum, quantum pro mandato exequutivo, in curiâ et extra.

52. Pro deposito quocumque, etiam cedularum, nihil solvatur.

53. Pro restitutione vero cedulae vel depositi, usque ad summam scutorum quadragintaquinque inclusive, recipiant notarii omni casu bononenos duos tantum pro quolibet scuto, nec aliud quidquam, neque pro restitutione cedulae, neque pro mandato, neque pro quietatione;

54. A scutis quadragintaquinque supra usque ad quamcumque summam, quando depositum est factum ante mandati relaxationem, absque conditione vel protestatione extrinsecâ, cum consensu quod con-

[1] Vide supra pag. 95 (R. T.).

signetur adimpletis conventis et factâ legitimâ quietatione, tunc pro mandato de consignando habeat notarius iulios quatuor cum dimidio, et alios quatuor cum dimidio pro consignatione cedulae, et non ultra:

55. Quando vero depositum est cum protestatione vel conditione extrinsecâ non conventâ in scripturâ cuius vigore agitur, adeo quod oriatur super eâ decretum, tunc pro mandato de consignando illud, habeat notarius tantum, quantum solveretur pro mandato illius summae exequutivo, et amplius iulios quatuor cum dimidio pro restitutione cedulae, si consignetur in totum, sin minus iulium unum pro quietatione summae quae consignabitur, et non ultra:

56. Quando depositum est factum post mandati exequutivi relaxationem, quomodocumque fiat, etiam quod plura desuper fieri decreta contingat, numquam habeat notarius nisi iulios quatuor cum dimidio pro mandato de consignando, et totidem pro restitutione cedulae et quietantiâ, si integrum consignetur, alioquin, ultra mandati praedicti mercedem, habeat iulium unum pro quietantiâ, ut supra, et nihil amplius in quolibet praedictorum casuum.

57. Pro restitutione quarumcumque scripturarum simul et eodem actu restituendarum, iulii quatuor;

58. Et si fuerint excessivae, habeatur respectus quoad copiam a notario faciendam et in actis dimittendam.

59. Item, quod pro registraturâ quorumcumque mandatorum et aliorum instrumentorum, pro quibus solet fieri depositum in Rotâ, solvantur folia quinquaginti registri, quod tamen omnino fiat.

60. In causis coram cardinalibus solvatur duplum iuxta solitum.

61. In causis cardinalium, videlicet pro cardinalibus propriis, et aliorum privilegiatorum, servetur solitum eorumdem privilegiatorum.

62. Pro pauperibus, tam praesentibus quam absentibus, servetur reformatio Sanctissimi sub tituto *De registris,* vers. *Pauperibus* [1].

63. Pro duplicatis solvatur medietas omnium supradictorum.

§ VI.

Taxa notariorum causarum criminalium gubernatoris camerae, vicarii, senatoris, ac iudicis Burgi [2].

1. Pro receptione querelae, ex officio vel ad instantiam partis, sive in officio sive extra officium, nihil.

2. Pro examine testium pro informatione curiae, sive in officio vel extra officium, similiter ex officio vel ad instantiam partis, nihil.

3. Pro examine reorum in carceribus, nihil.

4. Pro quolibet monitorio, inhibitione, vel sequestro in curiâ cum clausulâ *Si quis*, bononeni tres.

5. Pro inhibitione, arresto, monitorio, vel sequestro, sine dictâ clausulâ, bononeni quinque.

6. Pro qualibet significatione, cum fideiussione, sive obligatione, bononeni quindecim.

7. Pro simili significatione absque fideiussione et obligatione, bononeni decem.

8. Pro monitorio poenali, citatione, inhibitione, sequestro, arresto, aut alio quovis instrumento, sive in curiâ sive extra curiam, sive auctoritate ordinariâ sive commissariâ pro fisco, nihil.

9. Pro simili monitorio in curiâ in vim commissionis, si adest instigator secretus vel apertus, bononeni trigintaseptem cum dimidio.

10. Pro monitorio vel sequestro extra

1 Est in Const. praec. § XX n. 21. Hoc autem declaratur in Const. seq. § 21 (R. T. ex Cherub.).

2 Reformatio iudicum criminalium est in Constit. praec. § X.

curiam auctoritate ordinariâ, si adest instigator ut supra, bononeni vigintiquinque.

11. Pro monitorio vel sequestro extra curiam in vim commissionis, si adest similis instigator secretus vel apertus, scutum unum.

12. Pro inhibitione in curiâ vigore commissionis ad instantiam partis, vel si adest instigator ut supra, bononeni trigintaseptem cum dimidio.

13. Pro inhibitione simili extra curiam, iulii sex.

14. Pro citatione, etiam cum inhibitione vigore commissionis, etiam per edictum, extra curiam ad instantiam partis, vel si adest instigator ut supra, scutum unum.

15. Pro compulsorialibus generalibus vel specialibus extra curiam vigore commissionis, scutum unum.

16. Pro instrumento remissoriae, scutum unum.

17. Pro quolibet palmo rotuli remissoriae factae iuxta reformationem Sanctissimi sub rubricâ *De notariis* § *Litteras remissoriales*, bononeni trigintaseptem cum dimidio.

18. Pro litteris missivis pro examinandis testibus extra curiam loco remissorialium, iulii duo.

19. Pro litteris declaratoriis ob non paritionem monitorii extra curiam [1], iulii septem cum dimidio;

20. Si in causâ commissariâ, scutum unum.

21. Pro brachio seculari similiter ob non paritionem monitorii extra curiam in causâ ordinariâ, scutum unum cum dimidio;

22. Pro brachio seculari vel mandato exequutivo loco exequutorialium extra curiam in causâ commissariâ, scuta duo cum dimidio.

23. Pro mandato de capiendo extra curiam auctoritate ordinariâ ad instantiam partis, vel instigatoris secreti vel aperti, bononeni vigintiquinque;

24. Si in causâ commissariâ, scutum unum.

25. Pro edicto tempore vacantiarum, bononeni quinque.

26. Pro comparitione, relatione, iurium productione, vel aliis quibusvis actis pro fisco, nihil.

27. Pro qualibet relatione, comparitione, protestatione, iurium productione, vel alio actu, parte instante, ubi non sit extractus vel registrum, bononeni duo.

28. Pro actu depositi pecuniarum vel cedulae, nihil.

29. Pro consignatione depositi, pro quolibet scuto bononenus unus.

30. Pro consignatione pignoris, vel rei depositae, in totum bononeni septem cum dimidio.

31. Pro examine cuiuslibet testis in causâ capitali, vel in qua veniret imponenda poena corporis afflictiva, cum articulis et interrogatoriis, vel cum interventu iudicis, vel fisci in officio, vel domo ipsius iudicis, iulii quinque:

32. Si extra domum et officium, etiam si testis sit egregius vel illustris, super eisdem scutum unum.

33. Si absque interrogatoriis et interventu iudicis et fisci, vel super bonâ famâ, aut super uno vel duobus articulis tantum, in officio, iulii duo;

34. Si extra officium, etiamsi testis sit illustris, ut supra, iulii quatuor.

35. Pro examine testis in aliis causis non capitalibus super articulis et interrogatoriis, vel cum interventu iudicis vel fisci, in officio, iulii tres;

36. Si extra officium, etiamsi testis sit egregius vel illustris, iulii quinque.

37. Si absque interrogatoriis et interventu iudicis vel fisci, in officio, bononeni quindecim;

1 Subintellige *in causâ ordinariâ* (R. T.).

38. Si extra officium, bononeni vigintiquinque.

39. Si materiae in articulis vel interrogatoriis fuerint excessivae, in quolibet ex casibus praedictis augeri possit taxa iuxta excessivitatem, arbitrio iudicis.

40. Pro examine testis in officio summarie absque articulis et interrogatoriis, iulius unus;

41. Si extra officium, bononeni quindecim.

42. Pro ostensione depositionis testium publicatorum absque copiâ, solvatur medietas eius, quod solutum fuerit pro examine respective.

43. Pro copiâ ipsius depositionis testium, pro quolibet folio facto in formâ boni extractus iuxta reformationem Sanctissimi sub rubricâ *de registris*, bononeni sex.

44. Pro quolibet folio[1] copiae indiciorum continente lineas vigintiquatuor, et pro qualibet lineâ duodecim syllabas ad minus, si unus tantum reus fuerit, bononeni quinque;

45. Si duo vel plures rei fuerint, etiam pro collegio, universitate, vel capitulo, eamdem copiam insimul omnibus dare teneantur, et pro quolibet folio simili, bononeni septem cum dimidio ad summum.

46. Pro quolibet folio extractus facti iuxta praedictam reformationem Sanctissimi, etiamsi fuerint plures rei vel adhaerentes in eâdem causâ, bononeni sex, dummodo in aliquo ex praedictis tribunalibus minor taxa non existat, quam omnino servari volumus.

47. Pro quolibet folio boni registri facti iuxta dictam reformationem in causis in quibus illa[2] fieri licet, solvatur idem.

48. Pro quolibet centenario rubricaturae processus de partibus, scutum unum cum dimidio.

49. Pro mandato de relaxando aliquem in causâ capitali, vel aliâ in qua veniret imponenda poena corporis afflictiva, ubi praecesserint indicia, et reus fuerit examinatus, non tamen fuerit lata et subscripta sententia, iulii quinque.

50. Ubi vero reus, praecedentibus indiciis examinatus, fuerit condemnatus, vel etiam tam ante quam post composuerit, aut solverit poenam, seu ex gratiâ poena ei remissa fuerit, scutum unum.

51. Pro mandato de relaxando aliquem in aliâ causâ ubi praecedunt indicia, et reus componat, vel poenam solvat, aut condemnatus ex gratiâ liberetur, iulii tres.

52. In aliis vero quibusvis casibus pro simili mandato de excarcerando, iulii duo.

53. Pro praecepto iniuncto illi qui excarceratur, nihil.

54. Pro rogitu cuiuslibet fideiussionis in officio vel carcere, iulius unus;

55. Si extra officium et carcerem, iulii duo.

56. Pro mandato de capiendo aliquem pro indiciis vel pro curiae informatione, nihil.

57. Pro mandato de capiendo pro cautione de non offendendo, bononeni septem cum dimidio.

58. Pro *non gravetur*, bononeni quinque.

59. Pro mandato de evacuando servatis servandis, iulii duo.

60. Pro inventario in causâ capitali, scutum unum.

61. Pro simili inventario facto mandato iudicis in quavis aliâ causâ criminali, iulii quinque, et plus vel minus, arbitrio iudicis.

62. Et pro simili inventario in causâ civili, si fieri contingat, iulii duo.

63. Pro aestimatione, subhastatione, et venditione bonorum mobilium vel semo-

1 Declaratur in Const. seq. § 22 (R. T. ex Cherub.).

2 Nisi legendum sit *illud* nempe *registrum* (R. T.).

ventium fisco incorporatorum usque ad valorem scutorum decem, bononeni quindecim;

64. A scutis decem usque ad viginti, iulii tres.

65. A scutis viginti usque ad quinquaginta, bononeni sexagintaquinque;

66. A scutis quinquaginta usque ad centum, scutum unum;

67. A scutis centum usque ad quingenta, scuta duo;

68. A scutis quingentis usque ad quamcumque summam, scuta tria, et non plus.

69. Pro adeptione possessionis bonorum stabilium fisco incorporatorum, intra moenia, scutum unum;

70. Si extra, solvatur, iuxta importantiam causae et distantiam loci, arbitrio iudicis.

71. Pro subhastatione, venditione et deliberatione similium bonorum stabilium usque ad valorem scutorum centum, scutum unum;

72. Ab inde supra, capiatur arbitrio eiusdem iudicis.

73. Pro notâ sententiae definitivae, declaratoriae, vel interlocutoriae in quavis instantiâ pro fisco, nihil.

74. Pro notâ sententiae absolutoriae definitivae in causâ capitali in primâ instantiâ, scuta quatuor;

75. Si in secundâ instantiâ, scuta tria;

76. Si in tertiâ instantiâ, scuta duo.

77. Pro simili notâ sententiae in aliâ causâ, in qua veniret imponenda poena corporis afflictiva, in primâ instantiâ, scuta tria;

78. Si in secundâ, scuta duo;

79. Si in tertiâ, scutum unum.

80. Pro simili notâ sententiae absolutoriae definitivae in causâ non capitali, et in qua non veniret imponenda poena corporis afflictiva, in primâ instantiâ, scuta duo;

81. Si in secundâ, scutum unum cum dimidio;

82. Si in tertiâ instantiâ, scutum unum.

83. Pro simili notâ sententiae declaratoriae in quavis causâ et instantiâ, scutum unum.

84. Pro notâ sententiae definitivae in causâ discussionis, recipiatur iuxta importantiam causae, arbitrio iudicis.

85. Pro notâ decreti habentis vim sententiae definitivae in quolibet ex casibus praedictis, permissis tamen, et iuxta reformationem Sanctissimi sub rubricâ *De notariis*, § *Constitutionem*[1], capiatur pro medietate iuxta taxam praedictarum sententiarum respective, et pariter, si fuerint plures, arbitrio iudicis.

86. Et in quolibet ex casibus praedictis, si fuerint plures pro notâ sententiae solvatur arbitrio iudicis.

87. Pro quolibet folio copiae articulorum vel iurium productorum factae instar boni originalis, bononeni sex.

88. Pro restitutione iurium, etiamsi fuerint plura, et diverso tempore producta, bononeni vigintiquinque.

89. Pro restitutione rerum furtivarum domino, etiamsi fuerit necessarium mandatum, nihil.

90. Pro quolibet salvoconducto pro homicidio ad quodvis tempus, si forte dari contingat de mandato SS. D. N., scutum unum;

91. Si pro alio minori delicto, iulii quinque.

92. Pro decreto ad exequendum mandatum iam decretum revocationis, inhibitionis, vel sequestri, de consignando bona depositata, vel similis naturae, unâ cum fide, vel mandato desuper opportuno, bononeni septem cum dimidio.

93. Pro cassatione cuiuslibet simplicis fideiussionis, obligationis vel querelae, in casibus permissis, iulius unus.

1 Habetur in Const. praeced. pag. 91.

94. Pro cassatione similis fideiussionis vel querelae, ubi sequutus fuerit processus vel examen inquisiti, non tamen condemnatio, in casibus permissis, iulii duo.

95. Pro cassatione similis fideiussionis vel obligationis in causâ gravi, et pro personâ illustri, attendatur importantia ipsius causae et personae inquisitae, et stetur arbitrio iudicis, nisi partes fuerint inter se concordes.

96. Pro cassatione processus in causâ capitali, scutum unum, et si fuerint plures, arbitrio iudicis.

97. Si in causâ minori, in qua tamen veniret imponenda poena corporis afflictiva, bononeni septuagintaquinque, et si fuerint plures, arbitrio iudicis.

98. Pro cassatione processus in aliâ causâ non capitali, et in qua non veniret imponenda poena corporis afflictiva, iulii quinque, et si fuerint plures, arbitrio iudicis.

99. Pro cassatione processus in causâ gravi et personâ illustri, attendatur importantia causae et personae, et stetur arbitrio iudicis, ut supra.

100. Pro instrumento sententiae in causâ capitali, scuta duo.

101. Pro simili instrumento in causâ, in qua tamen veniret imponenda poena corporis afflictiva, scutum unum cum dimidio.

102. Pro simili instrumento in causâ minori, scutum unum.

103. Pro instrumento sententiae declaratoriae absolutionis, vel decreti habentis vim similis sententiae, iulii quinque.

104. Pro susceptione censurarum vel termini in iudicio, bononeni quinque.

105. Pro fide cuiuslibet actus iudicialis, iulius unus.

106. Pro fide decreti visitae, in die visitae, nihil; extra diem visitae, bononeni quinque.

107. Pro rogitu procurae in officio, bononeni quinque;

108. Si extra officium, iulius unus.

109. Pro expensis contumacialibus in causâ capitali ordinariâ, in qua praecedentibus indiciis reus fuerit monitus, et in contumaciam condemnatus, scutum unum, cum dimidio, et nihil ulterius a fisco vel alio recipiatur.

110. Si in causâ non capitali, in qua tamen modo praemisso reus sit in poenam corporis afflictivam condemnatus, scutum unum, et nihil ultra, ut supra.

111. Si in aliâ minori causâ, in qua eodem modo reus sit tantum in poenam pecuniariam condemnatus, iulii quinque, et nihil ultra, ut supra.

112. Pro similibus expensis contumacialibus in causâ commissariâ in primo capite, ut supra, scuta duo cum dimidio, et nihil ultra, ut supra;

113. Si in secundo, scuta duo, et nihil ultra, ut supra;

114. Si in tertio capite, scutum unum cum dimidio, et nihil ultra, ut supra.

115. Si vero huiusmodi expensae fuerint in causâ gravi, vel pro personâ illustri, exigatur iuxta importantiam causae et qualitatem personae, arbitrio iudicis.

116. Pro quibusvis aliis instrumentis, expeditionibus et scripturis, quarum merces in praesenti taxa non exprimitur, et etiam in praeinsertis in quibus videlicet controversia inter notarium, et partem oriri contigerit, stetur arbitrio iudicis, nisi aliter per reformationem Sanctissimi fuerit provisum, et iudex per se cognoscat, et ad notarios non remittat.

117. In omnibus casibus praedictis et aliis quomodolibet contingentibus pro paupere nihil penitus recipiatur, et de paupertate stetur relationi domini advocati vel procuratoris pauperum, et, ubi opus fuerit, loco copiae indiciorum vel iurium, ostendantur originalia ipsi domino advocato vel procuratori dictorum pauperum gratis.

118. Eadem taxa praeinserta servetur in quibusvis officiis criminalibus praedictis, etiam in causis mixtis, vel etiam civilibus a criminalibus dependentibus, aut in quibus interesse fisci agitur.

119. In aliis vero mere civilibus in eisdem officiis pertractandis, etiam in casibus praedictis, servetur taxa notariis civilibus imposita.

§ VII.

Taxa notariorum Curiae Capitolii[1].

De instrumentis publicis.

1. Pro publicis instrumentis quorumcumque contractuum inter vivos, et quorumcumque testamentorum, et aliarum ultimarum voluntatum, usque ad quantitatem seu valorem scutorum vigintiquinque, recipiat notarius iulios tres;

2. A vigintiquinque usque ad quinquaginta, iulios septem cum dimidio;

3. A quinquaginta usque ad centum, iulios decem;

4. A centum usque ad ducentos, alios iulios decem;

5. A ducentis usque ad mille, iulios quinque pro quolibet centenario;

6. A mille usque ad quamcumque summam, bononenos vigintiquinque pro quolibet centenario, dummodo non excedat summam scutorum vigintiquinque in totum.

7. Pro duplicato instrumenti publicati, recipiat notarius a parte, si illa fuerit quae habuit praefatum instrumentum vel illius haeres, ultra mercedem scripturae, quintam partem eius quod valeret praedictum instrumentum, dummodo non excedat summam scutorum decem in totum.

8. Pro particulâ testamenti, seu legati cum haeredis institutione, habeat notarius a legatario, iuxta importantiam particulae sui legati, tantum ut supra in primo capite;

1 Reformatio huius curiae legitur supra in Constit. praec. § VI.

9. Sed scriptus haeres, eâ particulâ quoad institutionem quoquo modo utatur, possit cogi per notarium ad solutionem mercedis totius testamenti, dato tamen eidem instrumento publico totius testamenti:

10. Si vero notarius ab haerede de institutione, aut toto instrumento testamenti fuerit satisfactus, legatarius quartam partem praedictae summae taxatae pro particulâ solvere teneatur.

11. Pro instrumentis divisionum recipiat notarius tertiam partem eius quod acciperet, si bona illa alienarentur.

12. Pro duplicatis illorum quintam partem ut supra notarius recipiat, habendo rationem in praedictis ad excessivitatem scripturae, super qua si esset controversia inter notarium et partem, stetur declarationi domini senatoris.

13. Pro instrumentis emphyteuticis vel livellariis perpetuis, aut censuariis, in quibus non esset apposita aestimatio rei, habeat notarius pro quantitate census vel canonis, aestimando ad rationem scutorum quinque pro quolibet centenario, prout in primo capite, ubi vero apposita est aestimatio rei, itidem, ut in primo capite.

14. Pro duplicatis huiusmodi instrumentorum recipiat notarius, ut in capite de instrumentis duplicatis superius fuit expressum.

15. Pro instrumentis quietationum, si ipse notarius de obligatione rogatus non sit et est apposita certa quantitas, habeat tertiam partem eius quod solveretur pro principali obligatione; ubi vero non est apposita certa quantitas, si res aestimari potest, habeat notarius prout supra declaratum est; si vero aestimari non potest, stetur arbitrio domini senatoris pro personarum et rerum qualitate, qui in taxatione non excedat summam scutorum decem; si vero fuerit idem notarius qui fuit de primaevâ obligatione rogatus, pro

quacumque summâ, sive fuerit expressa, sive non, recipiat notarius non ultra iulios quatuor.

16. Pro instrumentis publicis investiturae, seu adeptionis possessionis, sive immissionis in illam, recipiat notarius bononenos trigintaseptem cum dimidio.

17. Pro rogitu investiturae in Urbe, habeat notarius iulios tres, extra moenia Urbis, et infra duo milliaria, iulios quinque, et habeat equum ad equitandum.

18. Si vero ultra dicta duo milliaria, habeat iulios septem cum dimidio quolibet die, ultra expensas victus, et vecturas.

19. Pro instrumentis quorumcumque consensuum, ratificationum, accessionum et similium, separatis a primo intrumento, cuiuscumque sint summae et qualitatis, bononenos trigintaseptem cum dimidio.

20. Pro instrumento cassationis obligationis, recipiat notarius, prout in quietationibus est dispositum, et pro quietatione et cassatione uno contextu factâ, sufficiat unica solutio.

21. Pro instrumentis locationis a decem annis citra, non excedentis annuam pensionem seu affictum scutorum centum, bononenos trigintaseptem cum dimidio;

22. A centum usque ad quamcumque summam, iulios septem cum dimidio:

23. Et si supra decennium, dummodo non fuerit contractus emphiteuticus, vel ex aliis supradictis expressis, recipiat notarius tertiam partem mercedis expressae in primo capite.

24. Pro instrumento tutelae, vel curae, cum inventario tutelari, iulios septem cum dimidio.

25. Pro instrumento actoriae, iulios tres.

26. Pro instrumento aditionis haereditatis cum inventario solemni, ac bannimento et edicto, habeat principalis notarius scutum unum;

27. Reliqui notarii se subscribentes, pro quolibet, bononenos decem:

28. Et ita servetur in his duobus postremis casibus, nisi essent haereditates multum opulentae, quo casu de instrumento tutelari cum inventario et de instrumento aditionis haereditatis plus recipiat notarius arbitrio domini senatoris.

29. Pro rogitu instrumenti aditionis haereditatis cum edicto et bannimento, ac illorum reportatione, iulios quatuor;

30. Reliqui notarii se subscribentes, bononenos quinque pro quolibet.

31. Pro instrumentis mandatorum ad lites, bononenos quindecim; ad quaecumque negocia, seu ad exigendum et quietandum cum quacumque clausulâ, iulios tres.

32. Pro instrumentis fideiussionis, sive ratificationis, sive recognitionis bonae fidei, subhastationis, et aliis similibus separatis a primo instrumento, recipiat notarius bononenos trigintaseptem cum dimidio.

33. Et illud idem solvatur pro instrumentis pacis.

34. Pro instrumento insinuationis donationis, si sine insertione donationis fuerit, bononenos trigintaseptem cum dimidio, si vero cum insertione ultra scripturam, iulios septem cum dimidio.

35. Pro rogitu cassationis et quietantiae quarumcumque obligationum, recipiat, notarius a vigintiquinque infra, iulium unum;

36. A vigintiquinque usque ad quinquaginta, iulios duos;

37. A quinquaginta usque ad centum, iulios tres;

38. Inde usque ad quamcumque summam, iulium unum pro quolibet centenario, dummodo in totum non excedat summam iuliorum decem.

39. Pro rogitibus quorumcumque instrumentorum, sive iudicialium, sive extraiudicialium, in quibus per huiusmodi taxam non esset dispositum, recipiat notarius, prout a partibus contrahentibus dari placuerit, quarum absoluto arbitrio stari debeat.

40. Teneantur quoque notarii partibus petentibus instrumentorum de quibus rogati fuerint copias dare simplices, exceptis instrumentis testamentorum, et codicillorum, quorum copias notarius invitus tradere non teneatur. Et pro dictis simplicibus copiis recipiat:

41. A scutis vigintiquinque infra, iulium unum;

42. A vigintiquinque usque ad quinquaginta, iulios duos;

43. A quinquaginta usque ad centum, iulios tres;

44. A centum usque ad quamcumque summam, iulium unum pro quolibet centenario, ita quod pro quavis summâ non excedat iulios decem;

45. Exceptis instrumentis locationum et similium minoris taxae, pro quorum copiis non ultra iulios duos exigere valeat, habitâ tamen in omnibus praemissis ratione ad excessivitatem scripturae, super qua si fuerit inter notarium et partem controversia stetur semper declarationi domini senatoris:

46. Excipimus tamen, ab obligatione huiusmodi dandi copias, archivistas, qui nullo modo teneantur, nec possint copias quorumcumque instrumentorum notariorum defunctorum, sub poenâ decem scutorum pro qualibet copiâ, dare.

47. Pro transumptis quorumcumque instrumentorum, testamentorum, et aliarum ultimarum voluntatum, collegium habeat suam integram tertiam partem, etiam ex instrumentis defunctorum (non obstante quocumque privilegio, etiam ex quavis causâ et occasione, cuivis personae concesso), uni ex notariis ad huiusmodi transumpta facienda deputatis solvendam iuxta taxationem faciendam per dictos deputatos: reliquae expensae fiant sumptibus partium petentium transumptari.

Pro iudiciariis actibus.

48. Pro expeditionibus, quando sunt plures personae consortes, etiamsi sint congregationes, collegia, capitula, vel universitates, nonnisi pro uno tantum exigatur.

49. Pro quolibet monitorio de evacuando et de respondendo articulis, bononeni tres.

50. Pro quolibet monitorio cum inhibitione et clausulâ *siquis*, bononeni tres.

51. Pro eorum reportatione, bononeni duo.

52. Pro quolibet sequestro, bononeni tres.

53. Pro verificatione crediti ad effectum obtinendi sequestrum, sive per testes, sive per instrumentum rogatum per eumdem notarium, cum sequestro, in totum iulius unus.

54. Pro revocatione cuiuslibet sequestri, bononeni duo.

55. Pro citatione edicto senatus, iulius unus.

56. Pro qualibet constitutione procuratoris ad lites, ad tribunal, vel in officio notarii, bononeni duo; extra officium, arbitrio partis constituentis.

57. Si vero fuerit constitutio cum potestate exigendi, quietandi, paciscendi, et similium, in officio, bononeni decem; extra officium, arbitrio partis, ultra dictos decem.

58. Pro qualibet relatione, contradictione, replicatione, protestatione, comparitione, verbali petitione, bononenus unus.

59. Pro fide moderationis inhibitionis ad effectum suspensivum, quando remanet cognitio quoad effectum devolutivum, bononeni quinque.

60. Pro productione praeparatoriorum, bononenus unus.

61. Pro responsione super praeparatoriis, bononeni tres solvendi per partem producentem, et pro viatico, si in Urbe contingat, per partem respondentem bononeni quinque.

62. Pro productione libelli sive petitio-

nis in scriptis, unâ cum actu productionis, bononeni duo.

63. Pro contestatione litis et iuramento calumniae, in qualibet parte lite contestante vel iurante[1], cum iudicis interlocutoriâ, cum decreto destinationis notarii ad recipiendum iuramentum calumniae, a qualibet parte, sive in officio sive ad tribunal iuris, bononeni duo.

64. Pro productione articulorum cum actu relationis, bononeni duo.

65. Pro specificatione materiarum ad tribunal iuris sive officio notarii, bononeni duo.

66. Pro inductione cuiuslibet testis, et iuramento, quatreni duo.

67. Pro responsione articulorum ad tribunal, vel in domo notarii, quatreni duo pro quolibet articulo, solvendi per partem producentem; si extra domum, bononeni quinque pro viatico per partem respondentem.

68. Pro decreto de habendis articulis pro confessatis, bononeni duo.

69. Pro instrumento intimationis litis, bononeni trigintaseptem cum dimidio.

70. Pro relatione ad dicendum contra facultates, bononeni duo.

71. Pro inhibitione emanatâ vigore facultatum, bononeni septem cum dimidio, cum insertione[2] motusproprii, bononeni triginta.

72. Pro inhibitione vigore commissionis sine illius insertione, bononeni septem cum dimidio; et cum insertione commissionis bononeni triginta.

73. Pro litteris remissorialibus, sive compulsorialibus, cum insertione articulorum et interrogatoriorum, bononeni triginta septem cum dimidio.

74. Pro productione quorumcumque instrumentorum, iurium, tesserarum, aut similium, cum actu relationis, pro quolibet, bononeni duo, dummodo non excedant iulium unum.

75. Pro recognitione dictorum iurium, seu tesserarum, bononeni duo pro quolibet teste et pro omnibus iuribus et tesseris; et si cum interrogatoriis partis, bononeni quinque.

76. Pro restitutione iurium quorumcumque unicâ citatione et productione, habeat notarius iulium unum in totum; et si ipse notarius copiam fecerit, habeat mercedem pro ipsius copiâ, ultra iulium unum pro restitutione.

77. Pro rogitu compromissi ex formâ statutorum facti, iulius unus a qualibet parte.

78. Pro inventario cum iudicis decreto faciendo, iulii tres.

79. Pro praesentatione cuiuslibet commissionis, bononeni duo.

80. Pro prorogatione instantiae, sive fatalium, seu novâ termini praefixione vigore commissionis, bononeni septem cum dimidio.

81. Pro repetitione generali actorum, extractus, sive extractuum, quanti fuerint, in totum bononeni septem cum dimidio.

82. Pro productione librorum, restitutione, et partitarum auscultatione, a quinque scutis infra, bononeni quinque;

83. A quinque usque ad decem, bononeni decem;

84. A decem usque ad viginti, bononeni quindecim;

85. A viginti usque ad quamcumque summam, bononeni viginti.

86. Pro examine cuiuslibet testis usque ad numerum quinque vel sex articulorum, excluso articulo repetitivo, in domo notarii, iulius unus; Pro examine testium, et aliis.

87. Et ultra supradictorum articulorum numerum, bononeni quindecim;

88. Si cum interrogatoriis partis, quae numerum decem et octo non excedant, in primo casu iulii duo;

1 Edit. Main. habet *iurate;* et fortasse aliquod aliud mendum est in hac pericope (R. T.).

2 Edit. Main. legit *insertioni* (R. T).

89. In secundo casu, iulii tres.

90. Si interrogatoria excedant numerum praefatum, pars quae dederit interrogatoria excessiva, solvat excessivitatem; si vero fuerit controversia inter notarium et partem, pars solvat notario mercedem arbitrio iudicis;

91. Et in quolibet casu praedictorum si alius notarius examini adiungatur, tantumdem solvatur adiuncto a parte illum adhibente; sed si causa esset valde gravis et perplexa, vel articuli super quibus testes examinantur essent ultra numerum praedictum, solvatur pro modo laboris; sed si super mercede esset controversia, solvatur notario a parte quod fuerit declaratum per iudicem:

92. Si extra domum vel officium notarii, intra tamen moenia Urbis, ultra summam superius taxatam habeat pro viatico, sive unus sive plures testes examinentur, iulium unum;

93. Si extra moenia per duo milliaria, habeat pro viatico iulios duos, et equum ad equitandum; si vero ultra dicta duo milliaria, habeat pro viatico (quando esset discordia inter notarium et partem) quod fuerit taxatum per iudicem, ac exspensas victus, et vecturas pro quolibet die.

94. Pro publicatione testium et processus petitâ et obtentâ, termino dato ad dicendum contra, seu excipiendum, bononeni duo.

95. Pro extractibus et quibuscumque copiis factis in formâ extractus, bononeni tres pro qualibet paginâ, quae debeat in se et qualibet facie habere lineas viginti, et quaelibet linea litteras trigintaduas, iuxta formam statuti, sub cap. XXVI, lib. I; sed si extractus ab aliquâ ex partibus peteretur revideri, solvatur id, quod per iudicem fuerit taxatum.

96. Pro extractu duplicato, pro medietate solvatur.

97. Pro rogitu voti assettamenti, et extensione in actis, quando iudex iuxta illud pronunciat in omnibus articulis, in quibus votum assettamenti a iudice conceditur, exceptis definitivis et causam terminantibus, iulius unus;

98. In definitivis autem et causam terminantibus, bononeni quindecim.

99. Pro lecturâ cuiuslibet sententiae definitivae, sive cum voto sive sine voto dominorum de assettamento, bononeni quindecim.

100. Pro quolibet partito litis decisivo, sive in scriptis sive verbali, bononeni duo.

101. Pro iuramento desuper faciendo, bononeni duo.

102. Pro susceptione termini ad solvendum, bononeni duo.

103. Pro decreto moderationis inhibitionis cum clausulâ *siquis*, bononeni tres.

104. Pro moderatione, seu decreto de exequendo ratione recursus ad dominos conservatores, vel alios, etiam cum clausulâ *nisi pro quacumque summâ*, bononeni tres.

105. Pro aliis vero moderationibus cum remissione causae, bononeni quindecim.

106. Pro bussulâ, et extractione consultoris, bononeni septem cum dimidio.

107. Pro traditione voti assessoris, seu consultoris, et viatico, in totum iulius unus.

108. Pro aperturâ dicti voti cum sententiâ, bononeni quindecim.

109. Pro electione peritorum a qualibet parte eligendorum, bononeni duo.

110. Pro relatione eorumdem peritorum a qualibet parte, et qualibet relatione, bononeni duo.

111. Pro significatione concedendâ, vigore instrumenti dotalis rogati per eumdem notarium, bononeni vigintiduo cum dimidio.

112. Pro copiâ cuiuslibet sententiae, bo-

noneni decem, praeterquam causarum discussionum prioritatis et potioritatis, pro quibus solvatur pro modo scripturae.

113. Pro *non gravetur*, sive significatione de non molestando, bononeni tres.

114. Pro interpositione appellationis, et cedulae productione cum iudicis responsione, tam interlocutoriis quam definitivis, bononeni duo.

115. Pro reditu apostolorum, et responsione factâ per iudicem, bononeni duo.

116. Pro instrumento publico appellationis, cum insertione cedulae appellationis, vel sine, cum iudicis responsione, bononeni quindecim.

117. Pro instrumento publico, vel fide responsionis apostolorum separato in alio folio ab appellatione primo loco interpositâ, bononeni decem; et si insertum fuerit, cum primo instrumento, nihil solvatur.

118. Pro reportatione dicti instrumenti, cum citatione vel sine, bononeni duo.

119. Pro fide mandati ad lites, bononeni quinque; ad alia quaecumque negocia, iulius unus.

120. Pro fide remissionis causae, vel revocationis sequestri, moderationis inhibitionis, cum clausulâ *siquis*, et aliorum similium, bononeni septem cum dimidio.

121. Pro fide tutelae, vel curae, vel actoriae, vel aditionis haereditatis substantialiter, ut fieri solet, consensus, fideiussionis, obligationis apud acta, immissionis in possessionem, reiectionis instrumenti, appellationis, moderationis inhibitionis sine clausulâ *si quis*, pronunciae desertionis causae, et similium, bononeni trigintaseptem cum dimidio; ubi vero taxa instrumentorum publicorum esset minor, solvatur prout in taxâ instrumentorum.

Pro repetitionibus.

122. Pro repetitione instrumenti, de quo sit idem notarius rogatus, continentis usque ad summam scutorum vigintiquinque, iulius unus;

123. A vigintiquinque usque ad quinquaginta, iulii duo;

124. A quinquaginta usque ad centum, iulii tres;

125. A centum usque ad quingentos, iulii quinque;

126. A quingentis usque ad quamcumque summam, iulii decem.

127. Pro repetitione instrumenti locationis ad non longum tempus, usque ad summam scutorum vigintiquinque annuae pensionis sive affictus, iulius unus;

128. A vigintiquinque usque ad quinquaginta, iulii duo;

129. A quinquaginta usque ad centum, iulii tres;

130. A centum usque ad quamcumque summam, iulii quinque.

131. Pro repetitione instrumentorum in actis rogatorum per notarium causae, et aliàs repetitorum, bononeni septem cum dimidio pro omnibus; si vero fuerit in alio iudicio, bononeni septem cum dimidio pro quolibet instrumento respective repetito.

132. Pro rogitu decreti mandati vigore praedictarum repetitionum, a vigintiquinque infra, bononeni septem cum dimidio;

133. A vigintiquinque usque ad quamcumque summam, iulius unus.

134. Pro repetitione sententiae in actis rogatae, recipiat notarius prout in capitulo de locatione ad modicum tempus dictum est;

135. Si vero certa quantitas expressa non esset pro mercede repetitionis, recipiat bononenos septem cum dimidio.

De deposito, et illius consignatione.

136. De deposito in pecuniâ numeratâ, seu cedulâ, vel in re mobili preciosâ, seu aliàs, in manibus notarii faciendo pro quacumque summâ, recipiat notarius bononenos duos pro quolibet deposito.

137. Pro consignatione, seu restitutione cuiusvis depositi in pecuniâ numeratâ, vel re mobili, usque ad summam scutorum

decem, habeat notarius bononenos duos pro quolibet scuto.

138. Ab inde supra usque ad quamcumque summam habeat notarius bononenum unum pro quolibet scuto, dummodo in totum non excedat summam scutorum trium.

139. Et idem servetur per mandatarios in subhastatione pignorum, et illorum deliberatione.

140. Si vero depositum factum fuerit in cedulâ, usque ad scutorum quinquaginta, bononenos quindecim;

141. Usque ad scuta centum, bononenos vigintiquinque;

142. Usque ad quamcumque summam, bononenos trigintaseptem cum dimidio.

143. Pro deposito in immobilibus penes acta notarii vel tertiam personam faciendo, recipiat notarius usque ad summam scutorum centum, bononenos quinque;

144. Usque ad quamcumque summam, iulium unum.

145. Et totidem pro restitutione, seu cassatione.

Pro sententiis publicis sive in extractus registrandis.

146. Si ordinariis definitiva sit sententia continens quantitatem seu rem minoris valoris quinquaginta ducatorum, recipiat notarius bononenos trigintaseptem cum dimidio;

147. A quinquaginta usque ad trecentos, ducatum unum;

148. A trecentis usque ad quingentos, iulios quindecim;

149. Inde usque ad quamcumque summam seu aestimationem, scuta duo:

150. Si vero certam non contineat quantitatem, vel de facili eius valor aestimari non possit, habeat notarius ducatum unum, aut plus vel minus arbitrio iudicis pro rerum qualitate et personarum, dummodo praedictam summam duorum scutorum non excedat.

151. Pro sententiis vero super exequutione instrumentorum, sententiarum, testamentorum et privatarum scripturarum: si certam contineant quantitatem, vel rei valor de facili liquidari possit, usque ad summam vigintiquinque ducatorum, recipiat notarius bononenos vigintiduos cum dimidio;

152. Usque ad quinquaginta, bononenos trigintaseptem cum dimidio;

153. Inde usque ad centum, iulios sex;

154. A centum usque ad ducentos, ducatum unum;

155. Inde usque ad quamcumque summam vel aestimationem, ducatos duos de carolenis.

156. Pro sententiâ super evacuatione seu exfractatione, iulios tres.

157. Pro sententiâ super interdictis quibuscumque, iulios septem cum dimidio.

158. Pro sententiâ latâ in causâ conventionis et reconventionis introductae ante litem contestatam, notarius habeat mercedem, ut supra dictum est, pro unicâ sententiâ tantum, non autem pro duabus; secus quando reconventio facta fuerit post litem contestatam, quia tunc satisfiat pro duabus sententiis iuxta praecedentem taxam.

159. Pro interlocutoriis, si publicentur cum signo, bononenos quindecim.

160. Pro quolibet actu iudiciario, de quo instrumentum actorum confecerint, bononenos tres, in quo debeant acta integra, non mutilata, scribere, alioquin mercedem petere non possint, et acceptam restituere teneantur.

161. In causis vero discussionum accipiat a quolibet graduato pro summâ graduatâ mercedem, ut supra in causis exequutivis est taxatum.

162. Pro quolibet mandato in contumaciam, etiam de evacuando, pro quacumque summâ bononenos tres. Pro mandatis.

163. Pro mandato de consignandis pignoribus, bononenos tres.

164. Pro mandato de parendo sententiae, iulios tres.

165. Pro reportatione dicti mandati, bononenos duos.

166. Si cum repetitione actorum sententiae, sive sententiarum, et rei iudicatae, bononenos septem cum dimidio.

167. Pro mandatis exequutivis in summariis, vel exequutivis, et vigore obligationis in formâ camerae, usque ad summam ducatorum decem, iulium unum;

168. A decem usque ad vigintiquinque, iulios duos;

169. A vigintiquinque usque ad quinquaginta, bononenos trigintaseptem cum dimidio;

170. A quinquaginta usque ad centum, iulios sex;

171. A centum usque ad quingentos, iulios decem;

172. A quingentis usque ad quamcumque summam, iulios quindecim.

173. Pro mandato duplicato usque ad summam scutorum decem, bononenos quinque;

174. Usque ad quinquaginta, iulium unum;

175. Ab inde usque ad quamcumque summam, bononenos viginti.

In ordinariis. 176. Pro mandato servatis servandis, a vigintiquinque usque ad quinquaginta ducatos, iulios tres;

177. A quinquaginta usque ad centum, iulios sex;

178. A centum usque ad trecentos, scutum unum;

179. A trecentis usque ad quingentos, iulios quindecim;

180. A quingentis usque ad quamcumque summam, scuta duo.

181. Pro mandatis duplicatis, servetur forma superius tradita.

182. Pro mandato vigore termini, quando aliquid non fuerit verificatum, bononenos tres;

183. Quando vero fuerit aliquid verificatum, solvat[1] ut supra fuit dispositum in mandatis servatis servandis.

184. Pro mandato de evacuando servatis servandis, iulios tres.

185. Pro mandato suspicionis fugae cum examine, sive iurium productione, bononenos quindecim.

186. Pro mandato de restituendis pignoribus captis vigore mandati in contumaciam, bononenos tres.

187. Si vero ulterius mandati, bononenos quinque.

188. Pro mandato de excarcerando, seu relaxando carcerato, pro quacumque summâ, bononenos quindecim.

189. Pro mandato gratioso in consignatione cedulae depositi, seu pecuniarum alibi quam in manibus notarii depositarum, usque ad summam scutorum vigintiquinque, iulium unum;

190. A vigintiquinque usque ad quamcumque summam, iulios tres.

191. Pro arresto in carceribus, iulium unum.

192. Pro appositione manus in mandatis alterius iudicis, a decem infra, bononenos quinque;

193. Ab inde usque ad quamcumque summam, bononenos quindecim.

194. Pro appositione manus in mandato de auferendo pallium, de aperiendo portam per vim, vel de capiendo, quando non potest exequi in bonis, vel de exequendo non obstante significatione, et similibus, bononenos tres.

195. Pro mandato de immittendo in possessionem, et de associando, iulios tres.

196. Sed si esset relaxatum servatis servandis in ordinariis causis habeat notarius prout in ordinariis causis pro mandato exequutivo est dispositum; et in du-

1 Videretur potius legendum aut *habeat*, aut *solvatur* (R. T.).

bio, quando esset discordia inter partem et notarium, stetur declarationi iudicis.

197. Pro mandato de manutenendo, iulium unum.

198. Pro bannimento pro subhastatione bonorum immobilium, bononenos quindecim.

199. Pro reportatione illius, bononenos duos.

200. Pro decreto deliberationis bonorum stabilium plus offerenti, bononenos quindecim.

201. Pro decreto adiudicationis bonorum, bononenos duos.

202. Pro decreto dationis in solutum, bononenos quindecim.

203. Pro examine listae expensarum, bononenos septem cum dimidio.

204. In casibus autem, in quibus scriptura videretur excessiva, cuius excessivitatis ratio semper habeatur, ortà controversià, recipiat notarius quantum per iudicem vel senatorem respective oretenus taxatum fuerit, cui declarationi semper stare debeat notarius, et partes, in casibus hìc non expressis.

205. In quibus non reperitur provisum per huiusmodi taxam, procedatur prout in similibus, et aliàs arbitrio senatoris vel iudicum, ut supra, qui non excedant summas taxatas.

206. Et quod praesens taxa indistincte servetur a protonotario, notariis conservatorum, capitani appellationum, magistrorum viarum, iustitiariorum quorumcumque consulatuum (pro medietate tamen, qui gratis officium et non titulo oneroso habent, iuxta reformationem Sanctissimi) et aliis quibuscumque notariis Capitolinum forum versantibus, in omnibus casibus, in quibus particulariter quoad eos respective per statuta vel reformationes provisum non fuerit. Et ita senator, et alii iudices teneantur facere ab omnibus servari sub poenis infrascriptis, sub quorum iurisdictione et correctione sint omnes notarii praefati, archivistae, et aliàs quomodocumque et qualitercumque in foro Capitolino et illius curiis versantes, etiamsi praefati notarii sint officiales.

207. Quod quilibet notarius, qui aliquid receperit ultra summam praesentis taxae, vel aliàs contravenerit supradictis, pro qualibet vice puniatur in scutis decem, quae actio sit popularis, et applicetur pro medietate fisco Capitolino et pro aliâ collegio, absque spe alicuius gratiae sive remissionis; et ultra dictam poenam pro secundâ vice suspendatur notarius ab officio, arbitrio senatoris vel iudicis causae; et pro tertiâ vice puniatur arbitrio eorumdem.

208. Notarius, qui quolibet anno non confecerit suum protocollum instrumentorum et manuale actorum iuxta formam statuti Urbis, et infra duos menses post festum Nativitatis Domini illa non exhibuerit perfecta decano et mensario, ultra poenam statutariam, non possit ab aliquo exigere nisi tertiam partem mercedis superius taxatae, etiam quoad acta iudiciaria, sententias, mandata, et quaecumque alia; et, quatenus exegerit, residuum restituat, et incidat in poenam superius impositam plus debito recipienti. Et decanus et mensarius teneantur praemissa servari facere.

§ VIII.

Taxa notarii magistrorum viarum.

1. Pro litteris patentibus licentiae occidendi haedos, coquendi castaneas in locis publicis, aperiendi macellum porcorum, immittendi tabulata, et similium rerum, non recipiat notarius ultra iulium unum.

2. Pro litteris patentibus loci perpetui in plateâ agonis in pergameno, cum capsulà, sigillo et cerà, in totum iulios quinque.

3. Pro litteris patentibus facultatis sternendi lateribus vel silicibus vias publi-

cas, sive alterius operis construendi, iulium unum.

4. Pro litteris patentibus perpetui macelli, semel tantum iulios quinque.

5. Pro licentiâ fodiendi puteolanam et lapides, iulios tres.

6. Pro litteris patentibus concessionis aquae, iulios quinque.

7. Pro litteris patentibus licentiae vehiculorum, sive cocchiorum, iulios tres.

8. Pro renunciâ vehiculorum, seu cocchiorum, iulium unum.

9. Pro litteris concessionis fili et terreni publici simul, iulios quinque.

10. Pro litteris concessionis fili tantum, iulios duos.

11. Pro mandato de restituendis pignoribus ad curiae sive officii instantiam captis, cassationis querelae, contraventionis bannimentorum, seu incursus[1] poenarum, bononenos quinque.

12. Pro productione mensurae silicatae, vel lateritii, bononenos duos.

13. Pro relatione peritorum, bononenos duos.

14. Pro aperitione relationis et decreto, pro qualibet parte, bononenos quindecim.

15. Pro mandato de restituendis pignoribus virtute mandati exequutivi captis bononenos tres.

16. Pro mandato de restituendo equos, sive bubalos, aut alia animalia, bononenos quinque.

17. Pro mandato de capiendo, nihil.

18. Pro mandato de excarcerando, pro uno vel pluribus eiusdem facti consortibus, bononenos vigintiquinque.

19. Pro mandato de assistendo, unâ cum ipsâ assistentiâ notarii et rogitu, bononenos quinquagintaquinque.

20. Pro mandato de amovendo, unâ cum assistentiâ notarii et rogitu, bononenos quinquagintaquinque.

1 Edit. Main. habet *incursu* (R. T.).

21. Pro licentiâ devastandi vias cum obligatione de reficiendo, iulios duos.

22. Pro qualibet licentiâ a magistris datâ carrecteriis expurgatoribus latrinarum, bononenos duos.

23. Pro visione loci differentiae in Urbe, bononenos quindecim;

24. Extra Urbem, iulios tres.

25. Pro quibusvis edictis, sive bannimentis, nihil.

26. Pro taxâ instaurationis, seu directionis viarum, vel iectitus, si usque ad summam scutorum quingentorum, scutum unum pro quolibet centenario;

27. Ab inde supra usque ad summam scutorum mille, iulios quinque pro quolibet centenario;

28. A mille supra usque ad quamcumque summam, scutum unum pro quolibet milliari.

29. Et praedicta intelligantur pro quocumque suo labore, tam in confectione taxae, quam illius exactione et exequutione, ita quod nihil aliud exigere possit, nec etiam pro confectione et registratione mandatorum solutionis faciendae pro mandatis depositario directis de solvendis pecuniis iectitus, sive emendationis damnorum, et similium, nec alio quovis praetextu.

30. Et si contingat taxam augeri, aut novam fieri pro eodem opere, augmentum, seu nova taxa iungatur, et computetur cum primâ taxâ ad praedictam notarii mercedem aestimandam.

31. Et dictam mercedem notarius exigere non valeat, nisi exactâ prius integre taxâ, et interim donec taxa integre exacta fuerit, possit notarius recipere tantum mercedem pro medietate taxae exactae.

32. Eadem merces solvatur submagistris viarum pro suis laboribus in confectione taxarum, et si labor fuerit valde excessivus, remittatur arbitrio domini praesidis, dummodo huiusmodi arbitrium medietatem supradictae taxae non excedat.

33. Pro litteris patentibus exactorum, et fideiussione per exactores praestandâ de fideliter exercendo, et ratione reddendâ, non exigat notarius ultra iulios tres, et pro fideiussione iulium unum.

34. Neque notarius, neque eius substituti pecunias taxae, nec etiam a sponte offerentibus, recipiant, sed omnes taxae debitores remittant ad exactores, seu depositarium.

35. Nullo modo esse possint exactores, neque notarius, neque eius substituti, neque mandatarius, neque viarum fabricatores.

36. Supradicta merces notarii servetur etiam in taxis pendentibus.

37. Pro immissione seu restitutione fistularum, notarius non exigat ultra iulios quinque.

38. Pro rogitu instrumenti, pro quolibet centenario usque ad scuta quinquaginta, iulios duos;

39. Ab inde supra, iulium unum pro quolibet centenario scutorum, dummodo non excedat in totum summam scutorum quinque.

In causis coram cardinali camerario, seu praeside viarum, tam coniunctim, quam divisim cum magistris viarum.

40. Pro monitorio de vendendo, seu de rescindendo, solvatur iulius unus.

41. Pro simili monitorio extra Urbem, cum insertione litterarum seu commissionis, bononeni septuagintaquinque.

42. Pro visione loci differentiae in Urbe, iulii tres.

43. Extra Urbem ultra unum milliare, iulii sex.

44. Pro notâ, et publicatione sententiae definitivae, scuta duo.

45. Pro instrumento sententiae coram camerario, et magistris viarum, pro quacumque summâ, bononeni quadragintaquinque.

46. Pro mandato de consignando pecunias parti, bononeni quinque.

47. Pro notâ decreti definitivi in causis ordinariis, etiam coram praeside, vel cum voto cardinalis camerarii, seu eius auditoris, bononeni trigintaquinque.

48. Pro deposito sportularum, tam pro sententiis, quam pro decretis definitivis, non recipiant, nec deponi faciat notarius, neque eius substituti, nisi summam vere iudicibus debitam.

49. Pro mandato de immittendo in possessionem in vim sententiae definitivae, nullo alio mandato exequutivo praecedente, scutum unum.

50. Praecedente vero mandato exequutivo, bononeni vigintiquinque.

51. Pro repetitione sententiae inter alias personas latae, bononeni trigintaseptem;

52. Si autem erit lata inter easdem personas, bononeni duo.

53. Pro declaratione de emendo, iuxta formam constitutionis felicis recordationis Gregorii Papae XIII super iure congrui [1] iulius unus.

54. Pro reproductione intimationis factae vicinis, seu inquilinis vigore dictae constitutionis, iulius unus.

55. Pro iuramento iuxta formam dictae constitutionis praestando tam ab emptoribus, quam a venditoribus, iulius unus pro qualibet parte.

56. Pro consignatione, sive restitutione cedulae depositi in Monte pietatis, usque ad summam scutorum quinquaginta, bononenus unus pro quolibet scuto;

57. A dictâ summâ usque ad scuta quingenta, scuta duo;

58. Ab inde supra usque ad scuta mille, scuta quatuor;

59. A mille supra usque ad quamcumque summam, non ultra scuta sex in totum.

60. In causâ vero mercedis pro consignatione cedulae, seu restitutione depositi in casibus praemissis, in omnibus pro medietate.

61. Pro restitutione cedulae faciendâ

1 Est eiusdem Gregorii Constitutio XXXIII in tom. VIII, pag. 88 (R. T.).

ipsimet parti deponenti in causâ succumbentiae, cessione litis, aut alio quocumque casu in quo depositum non habeat effectum, exigantur bononeni quadragintaquinque, et non ultra.

62. Pro deposito bonorum mobilium cuiuscumque summae, vel pecuniae usque ad summam scutorum quinque in manibus notarii, nihil.

63. Pro restitutione depositi usque ad summam scutorum quinque, bononenus unus pro quolibet scuto.

64. Pro restitutione vero mobilium penes eum depositorum, exigat ut supra dictum est pro restitutione cedulae depositi.

65. Pro quolibet actu coram illustrissimo domino camerario tantum, nihil.

66. Pro examine testium coram illustrissimo domino camerario, cum articulis et interrogatoriis, bononeni trigintaquinque pro quolibet teste.

67. Super materiis vero in citatione expressis, iulius unus.

68. Pro mandato de parendo sententiae, vel decreto definitivo, iulii tres.

69. Pro *non gravetur* coram illustrissimo domino camerario tantum, iulius unus.

70. Extractus autem faciat notarius iuxta formam reformationis Sanctissimi Domini Nostri, ita ut acta in eo describantur prout iacent in manuali, nec repetantur in omnia dignitates, aut tituli iudicum, seu partium litigantium, aut procuratorum comparentium, vel similia; et singula folia contineant in qualibet eorum paginâ ad minus lineas vigintiquatuor, et unaquaeque linea ad minus syllabas duodecim, et scribantur litterâ bonâ et intelligibili, et nullatenus in cartâ bibulâ, et aliâs iuxta formam dictae reformationis, alioquin partes ad earum solutionem non teneantur; et servatâ formâ praedictâ habeat notarius pro singulis foliis bononenos septem cum dimidio.

71. Pro copiâ simplici bene scriptâ adinstar boni originalis, pro quolibet folio bononenos sex.

72. Pro extractibus et quibuscumque aliis scripturis, et actis conficiendis, pro officio nihil, nec etiam pro sigillo.

73. Pro cessione litis, iulios tres.

74. In reliquis notarius servet taxam novissimam notariis curiae Capitolinae praescriptam, quam in eius officio in propatulo appensam simul cum istâ perpetuo retinere debeat.

75. Ultra praemissa non exigat notarius, nec eius substitutus aliquid, etiam a sponte dantibus, sub poenâ privationis officii, et aliis poenis, de quibus in generali reformatione Sanctissimi Domini Nostri.

§ IX.

Taxa notarii et aliorum officialium Ripae, servanda etiam coram praeside in quacumque instantiâ[1].

Tassa per li notari di Ripa.

1. Per qualsivoglia petizione o atto, baiocco uno.

2. Per qualsivoglia decreto, che non finisca la causa, baiocco uno.

3. Per esame d'un testimonio, dove non siano articoli, baiocchi tre.

4. Per esame d'un testimonio dove siano articoli ed interrogazioni, baiocchi sette e mezzo.

5. Per la produzione di qualsivoglia instrumento o polizza, baiocchi due.

6. Per qualsivoglia decreto definitivo, dove non interviene cedula di sentenza, baiocchi tre.

7. Per rogito di qualsivoglia sentenza data *in scriptis* in causa civile, baiocchi sette e mezzo.

8. Per qualsivoglia sentenza assolutoria in causa criminale data *in scriptis*, baiocchi sette e mezzo.

1 Reformatio curiae Ripae est supra in Constitutione praec. § IX.

9. Per qualsivoglia mandato esecutivo, baiocchi tre.

10. Per qualsivoglia mandato penale, baiocchi tre.

11. Per qualsivoglia mandato di rilasso, tanto civile quanto criminale, baiocchi cinque.

12. Per un mandato sospetto di fuga, baiocchi sette e mezzo.

13. Per il termine che si piglia in giudizio, baiocchi due.

14. Per il rogito di ciaschedun instrumento, baiocchi sette e mezzo.

15. Per instrumento pubblico fino alla somma di venticinque scudi, baiocchi quindici.

16. Per instrumento pubblico fino alla somma di scudi cento, giulì cinque.

17. Da cento scudi fino a mille, mezzo scudo per cento.

18. Da mille in su a qualsivoglia somma, scudi sei, e non più.

19. Per restituzione di scritture o d'instrumenti prodotti, ritenuta la copia collazionata con obligo di riportarli se la copia sarà fatta dal notaro, abbia, per detta restituzione ed obligo, baiocchi quindici; se gli sarà data la copia, e lui solo la collazionerà, abbia baiocchi cinque.

20. Dove occorre far atto, instanza o decreto di più persone nominate insieme, o sia in causa di discussione o di assicuramenti, o in qualsivoglia altro modo o causa, anco se fosse università, congregazione, capitolo o collegio, non si paghi se non l'ordinario che si paga per un solo.

21. Che quando si dimanda il conto, basti darlo semplice dal mercante senza altra mercede al notaro che un baiocco per l'atto.

22. Quando si domandasse esibir li libri, basti solo esibirli al camerlengo, e con il notaro collazionare il conto che lascierà, e riportarli, ed il notaro abbia per sua mercede con l'atto baiocchi due.

23. Per qualsivoglia inventario, ancorchè si facesse ad instanza di più persone e della Corte, per qualsivoglia causa civile o criminale, baiocchi settantacinque.

24. Dove occorre far deposito di qualsivoglia sorta di robe, in caso di fallimento, discussione o morte, si faccia in mano d'un mercante idoneo di Ripa; ma se saranno denari, si faccia nel Monte della Pietà; ed in questi casi il notaro non abbia più che baiocchi due per l'atto.

25. Negli altri casi da cinque scudi in giù si faccia in mano del notaro, e da detta somma in su, se in denari, nel Monte della Pietà, se in robe, ad arbitrio del camerlengo.

26. E per la restituzione de' detti depositi che si faranno in mano del notaro, abbia esso notaro, computato l'atto e la quietanza, per ogni scudo, baiocchi due.

27. Per quelli che non si faranno in man sua, abbia solamente il notaro per l'atto baiocchi due.

28. Che il notaro non possa pigliar deposito alcuno senza il decreto del giudice, eccetto quando fosse rilasciato il mandato contra il debitore; nel qual caso gli possa fare un *non gravetur*, ricevendo lui, o depositando la parte come sopra, la quantità giudicata e le spese fatte, le quali debba il notaro pagare intieramente al creditore, senza ritenersi deposito alcuno, ma farsi pagare dal debitore quando fra loro saranno d'accordo, quando gli darà il *non gravetur*.

29. Se per decreto di giudice si farà deposito in mano del notaro, debba esso notaro farsi pagare quanto gli viene dal deponente, quando farà il deposito, acciò il deposito intiero si consegni al creditore senz'alcuna diminuzione.

30. Che il notaro per portar atti ed informare il camerlengo non possa pigliar

cosa alcuna, ma per informare e portare atti al presidente, possa pigliare baiocchi sette e mezzo.

31. Per pigliare il possesso dentro di Roma, al notaro si paghi baiocchi trentasette e mezzo;

32. Fuori di Roma, fino a tre miglia, ad instanza di una o di più persone che siano insieme in causa contro di uno, giulî sette e mezzo;

33. E se si andasse lontano più di tre miglia, e contro diverse persone, ed in diversi luoghi, si pigli quel più che parerà al camerlengo.

34. Per qualsivoglia calculo per conto di gettiti o altri simili cose, se verrà il testimoniale fatto, il notaro non possa pigliare più d'uno scudo in tutto, computato tutto quello si è fatto in tal causa, con la sentenza, la quale anco sia tenuto dar autentica.

35. Se esaminerà esso notaro li testimoni, abbia d'avere più dello scudo la mercede dell'esame delli testimoni, secondo quello che è detto di sopra circa l'esame di testimoni, e questo s'intenda tanto in approvare quanto in riprovare.

36. Che il notaro, o altra persona, che avrà cura di tenere li trasti, siano obligati tenere sino al numero di cento trasti; e le barche, o padroni di esse, che l'adopreranno, siano obligati a pagare li soliti quindici baiocchi, e nel partire loro consegnarli fuori dell'acqua al padrone delli trasti, ovvero notificare a qual barca l'avranno consegnati per servirsene, sotto pena di pagarli del suo, e mancando il numero delli cento trasti e le barche che non l'adopreranno per mancamento di essi non siano tenute a pagare cosa alcuna per tal conto, nè le fregate che non usano adoprarli.

37. Per qualsivoglia subastazione, baiocchi due.

38. Per qualsivoglia deliberazione si paghi al notaro, fino a scudi cento, baiocchi due per scudo;

39. Da cento fino a cinquecento, baiocco uno;

40. Da cinquecento sino a mille, mezzo baiocco;

41. Da mille sopra, non si possa ascendere più.

42. Per la prima polizza che si fa per la spedizione delle barche, baiocchi sette e mezzo.

43. Non si possa commettere cosa[1] alcuna, nè civile nè criminale, ad assessore alcuno, e volendo il camerlengo il parer del saulo, lo pigli da se stesso senza intervento delle parti.

44. Il notaro che *pro tempore* sarà a Ripa, debba per se stesso, e non per sostituti, sottoscrivere mandati, instrumenti, fede, e simili atti, se già non fosse talmente impedito da infermità o altro caso che paresse al camerlengo di dare autorità di sottoscrivere ad altro idoneo che nominasse il detto notaro, e con il quale lui si debba accordare.

45. Da dieci scudi d'oro in giù, non si possa in modo alcuno appellare nè dir di nullità.

46. Li notari nè altri possan prendere parte alcuna della pena graziata, o in tutto o in parte, se sia fatta la grazia, ma debbano ancor loro restar contenti della grazia.

47. In modo alcuno non si faccia estratto nella prima instanza, ancorchè la causa non fosse commissaria, se già tutte le parti non se ne contentassero; ma, se una delle parti lo addimanda, nella seconda instanza si possa fare, ed in tal caso si faccia all'usanza di Campidoglio, e si pigli baiocchi tre per foglio.

48. Se in causa criminale occorrerà far estratto, o dar copia d'indizi, si paghi baiocchi cinque per foglio.

1 Forsan legendum *causa* (R. T.).

49. Per un monitorio, baiocchi tre.

50. Per un sequestro, baiocchi tre.

51. Per una inibizione concessa per facoltà ordinaria, baiocchi tre.

52. Per una inibizione *vigore commissionis*, baiocchi tre.

53. Per un *non gravetur*, o mandato di non molestare, baiocchi tre.

54. Per un partito che decida la causa, baiocchi due.

55. Per fede di eseguire un mandato fuor della Corte, baiocchi due.

56. Per li mandati e qualvivoglia altre esazioni, che si fanno dal presidente in nome e col sigillo del cardinal camerlengo, baiocchi dieci oltre il sigillo.

57. Per restituir chiavi o beni inventariati con la quietanza, baiocchi due.

58. Per un monitorio *extra curiam* in carta pergamena infra quaranta miglia, giulì nove.

59. Per un mandato simile *extra curiam* in carta pergamena, giulì nove.

Tassa delli mandatari di Ripa.

60. Per ciascheduna citazione, baiocco uno.

61. Per ciaschedun mandato penale, baiocchi due.

62. Per ciascheduna subastazione e deliberazione, fino a scudi tre, baiocco uno per scudo, da tre scudi in su, baiocchi due per scudo, purchè non passi in tutto uno scudo.

63. Per ciascheduna citazione nel luogo il quale si dice il franco, baiocchi due.

64. Per ciascheduna citazione alle porte della città, baiocchi due.

65. Per citazione da farsi fuori delle porte della città fra un miglio, baiocchi sei; da un miglio in su, baiocchi quattro per miglio.

Tassa delli esecutori di Ripa.

66. Per ciascheduna esecuzione, reale o personale, fino alla somma di cinque scudi, baiocchi sette e mezzo;

67. Sino alla somma di dieci scudi, baiocchi quindici;

68. Sino alla somma di cinquanta scudi, baiocchi trentasette e mezzo;

69. Da li in su fino a ciascheduna somma, baiocchi settantacinque.

70. Nelli casi ne' quali è pena capitale, ovvero di sangue, baiocchi settantacinque.

71. E nelli casi nelli quali se gli deve la quarta parte della pena secondo li statuti, cioè, quando esso è primo instigatore e delatore del delitto, se gli paghi la quarta parte della pena che realmente ed effettivamente si esigerà. E sia obligato stare alla composizione o grazia, che si farà della pena in parte, ovver del tutto.

§ X.

Taxa servanda in curiâ Ripettae tam in primâ quam in secundâ instantiâ per iudicem, notarium et alios officiales dictae curiae, etiam coram praeside [1].

De Sportulis iudici solvendis.

1. Pro qualibet sententiâ definitivâ, seu decreto *servatis servandis* facto, usque ad summam scutorum centum, solvantur bononeni duo cum dimidio pro quolibet scuto.

2. Ab inde supra usque ad quamcumque summam, bononeni duo pro quolibet scuto, dummodo non excedat scuta tria monetae.

3. Pro quolibet mandato suspicionis fugae, etiam parte citatâ relaxato, bononeni quinque.

4. Pro quolibet mandato restitutionis pignorum, bononeni quinque.

5. Pro mandato relaxationis carcerati, etiam pro pluribus in eâdem causâ, bononeni quinque.

6. Pro mandato vigore termini in officio suscepti, bononeni quinque.

7. Pro mandato vigore obligationis cameralis, iulius unus.

8. Pro mandato de capiendo pro cautione de non offendendo, iulius unus.

9. Pro mandato de relaxando carceratum, vel carceratos etiam plures pro in-

1 Reformatio huius curiae est supra in Constitutione praec., § IX.

diciis in eâdem causâ, dummodo indicia fuerint relevantia, iulius unus.

10. Pro cassatione obligationis, vel processus, etiam pro pluribus in eâdem causâ criminali, iulius unus.

11. Pro viatico faciendo ad videndum aliquam differentiam in Urbe, bononeni trigintaseptem cum dimidio;

12. Extra Urbem circa decem milliaria, scutum unum auri; ultra decem, scutum unum auri quolibet die, et expensae victus.

13. Pro revocatione sequestri datâ cautione, bononeni quinque.

14. Si vero *servatis servandis*, solvatur ut supra dictum est de definitivâ.

15. Pro sententiâ absolutoriâ, sive decreto *servatis servandis* facto in causâ criminali in casibus permissis a Constitutione SS. Domini Nostri Papae, etiam pro pluribus in eâdem causâ, bononeni septuagintaquinque.

16. Pro quibuscumque poenis pecuniariis, et aliis rebus confiscandis, quarta pars iuxta solitum assignetur eidem.

17. Et praedicta taxa servetur etiam quod in causis ab initio adsit, vel postea superveniat commissio.

De mercede notarii tam in primâ, quam in secundâ instantiâ, etiam coram praeside.

18. Pro monitorio, bononeni tres.

19. Pro sequestro, bononeni tres.

20. Pro *non gravetur*, bononeni tres.

21. Pro reproductione illorum, et decreto moderationis, seu reductione ad viam iuris, bononeni duo.

22. Pro inhibitione cum clausulâ *si quis*, bononeni tres.

23. Pro quacumque relatione, protestatione, et responsione, bononenus unus.

24. Pro quocumque termino habito pro servato, nihil.

25. Pro monitione factâ partibus praesentibus, nihil.

26. Pro mandato suspicionis fugae, etiam parte citatâ relaxato, et cum examine testium, sive productione librorum, et iurium, usque ad scuta viginti, bononeni quindecim;

27. A viginti supra pro quacumque summâ, iulii tres.

28. Pro arresto contra carceratum, constito de credito, et mandato relaxato, solvatur prout in mandato suspicionis fugae.

29. Pro mandato de relaxando carceratum cum cautione, vel de consensu, usque ad scuta decem, in totum bononeni quindecim;

30. Ab inde supra usque ad quamcumque summam, iulii duo.

31. Pro mandato in contumaciam relaxato, bononeni tres.

32. Pro illius revocatione, bononeni tres.

33. Pro quacumque significatione, subscriptâ, vel non subscriptâ a iudice, bononeni tres.

34. Pro quocumque deposito faciendo, bononeni duo.

35. Pro restitutione depositi pro quolibet scuto, bononeni duo; sed in causis mercedum pro medietate.

36. Pro rogitu cuiusque obligationis in officio, iulius unus; extra officium, iulii duo.

37. In causis mercedum, bononeni septem cum dimidio.

38. Pro cassatione cuiusque obligationis in causâ civili, a scutis quinque infra, bononeni quinque;

39. A quinque supra usque ad quamcumque summam, iulius unus.

40. Pro susceptione termini in officio, bononeni duo;

41. Extra officium, bononeni quinque.

42. Pro moderatione termini, vel repositione, bononeni duo.

43. Pro quocumque partito in actis facto, bononeni duo;

44. Pro copiâ illius, bononeni duo;

45. Pro iuramento illius, bononeni duo.

46. Pro quocumque mandato vigore

termini in iudicio suscepti, usque ad scuta decem, iulius unus.

47. Ab inde usque ad scuta vigintiquinque, bononeni vigintiquinque.

48. Ab inde usque ad scuta quinquaginta, iulii quinque.

49. Ab inde usque ad centum, bononeni septuaginta quinque.

50. Ab inde supra usque ad quamcumque summam, scutum unum.

51. Pro fide litis pendentiae, iulius unus.

52. Pro fide cuiuslibet actus, iulius unus.

53. Pro productione quorumcumque iurium, bononeni duo.

54. Pro quacumque restitutione cedularum privatarum, instrumentorum, librorum, ac aliarum quarumcumque scripturarum cum dimissione copiae, usque ad summam scutorum vigintiquinque, bononeni quindecim;

55. Ab inde supra usque ad quamcumque summam, bononeni vigintiquinque.

56. Si copia fuerit excessiva, solvatur arbitrio iudicis.

57. Pro responsione super articulis, pro quolibet articulo omisso repetitivo, bononenus unus.

58. Pro examine testium sine articulis et interrogatoriis, usque ad quamcumque summam, bononeni septem cum dimidio.

59. Cum articulis et interrogatoriis, usque ad summam scutorum decem, bononeni quindecim;

60. Ab inde supra usque ad quamcumque summam, bononeni vigintiquinque:

61. Et si articuli et interrogatoria fuerint excessiva, solvatur arbitrio iudicis.

62. Pro decreto publicationis testium, bononeni duo.

63. Pro copiis depositionis testium, solvatur prout in examine.

64. Pro recognitione, sive examine super recognitione tesserarum, et aliarum scripturarum, sive iurium, sine interrogatoriis, bononeni tres;

65. Cum interrogatoriis, solvatur arbitrio iudicis.

66. Pro informatione iudici faciendâ in causâ cuiuscumque summae, nihil.

67. Pro notâ sententiae, seu decreto definitivo servatis servandis, solvatur prout supra in mandato vigore termini.

68. Pro mandato servatis servandis relaxato, solvatur similiter prout in mandato vigore termini.

69. Pro quacumque appellatione interpositâ, verbo vel in scriptis, etiam cum productione cedulae appellationis, bononeni duo.

70. Pro mandato de evacuando servatis servandis, iulii duo.

71. Pro mandato de consignandis pignoribus mandatario ad effectum subhastandi, et de subhastando, bononeni tres.

72. Pro mandato de deliberando, bononeni septem cum dimidio.

73. Pro mandato vigore obligationis in formâ camerae, usque ad scuta decem, bononeni quindecim;

74. Usque ad triginta, iulii tres;

75. A triginta usque ad quinquaginta, iulii quinque;

76. A quinquaginta usque ad centum, scutum unum;

77. Ab inde supra usque ad quamcumque summam, scuta duo.

78. Pro subhastatione quorumcumque pignorum, nihil.

79. Pro rogitu adeptionis possessionis barcae, seu partis illius, bononeni vigintiquinque.

80. Pro rogitu adeptionis possessionis domus seu vineae in Urbe, bononeni vigintiquinque;

81. Extra Urbem, iulii quinque.

82. Pro confectione inventarii, sive descriptionis bonorum extra officium, similiter iulii quinque.

83. Pro repetitione instrumentorum rogatorum in officio, usque ad summam scu-

torum decem, bononeni septem cum dimidio;

84. Usque ad summam scutorum quinquaginta, bononeni vigintiquinque;

85. Usque ad quamcumque summam, bononeni quadragintaquinque.

86. Pro bannimentis ad instantiam privatarum personarum, in totum iulii duo.

87. Pro sequestris generalibus pro universitatibus artium carrecteriorum, impassatorum, et exoneratorum barcarum, bononeni trigintaquinque.

88. Pro specificatione materiarum, bononeni duo.

89. Pro iuramento calumniae, bononeni duo.

90. Pro accessu ad locum differentiae in Urbe, bononeni vigintiquinque;

91. Extra Urbem infra duo milliaria, iulii quinque;

92. In aliis locis longinquioribus, scutum unum.

93. Pro mandato de restituendis pignoribus, a decem infra, bononeni quinque;

94. Ab inde supra usque ad quamcumque summam, iulius unus.

95. Pro patente, quod soluto damno non teneatur ad poenam pro carrigio lignorum ad Urbem, etiam pro pluribus insimul, iulii quinque.

96. Pro inhibitionibus vigore decreti camerae in reassumptione causarum ab alio tribunali, stante quod agitur de iurisdictione Riparum, iulii tres.

97. Pro quolibet folio extractus facti iuxta reformationem Sanctissimi Domini Nostri, bononeni tres.

98. Admissus ad iuramenti paupertatis solvat pro medietate.

99. Pro cassatione cuiuslibet inventionis, iulius unus.

100. Et praedicta taxa servetur, etiam quod in causâ adsit vel superveniat commissio.

101. Pro rogitu quorumcumque contractuum, testamentorum, seu instrumentorum, ac pro illis in publicam formam dandis, nec non cassatione eorumdem, et aliis de quibus in praesenti taxâ non est dispositum, servetur taxa statutorum Urbis.

102. Teneatur quoque notarius partibus petentibus instrumentorum copias de quibus rogatus fuit tradere, et pro eis iulium unum pro centenario scutorum (ita tamen, quod pro quavis summâ iulios decem non excedat) recipere possit, et non ultra, exceptis instrumentis locationum, pro quorum copiis non ultra iulios duos exigere possit.

103. In causis criminalibus servet taxam felicis recordationis Pii Papae IV a Sanctissimo Domino Nostro innovatam.

104. Pro praesentatione monitorii, inhibitionis, sequestri, pro qualibet personâ, bononeni duo. De mercede mandatariorum.

105. Pro qualibet citatione in curiâ, bononenus unus;

106. Extra curiam infra unum milliare, pro qualibet personâ, bononeni tres;

107. In curiâ in locis longinquis, videlicet ad Ripam, ad ecclesias Lateranenses, vel sanctae Mariae Maioris, et similia, bononeni duo.

108. Pro citatione exequendâ in causâ criminali contra officiales curiae, bononeni duo.

109. Pro exequutione litterarum monitorialium rogatorialium citationis exequendae extra curiam ultra milliare, solvatur arbitrio iudicis.

110. Pro subhastatione, et deliberatione pignorum seu bonorum, usque ad scuta tria, bononenus unus pro quolibet scuto; ab inde supra, duo pro quolibet scuto, ita tamen quod non excedat in totum scutum unum.

111. Mandatarius teneatur praestare idoneam cautionem arbitrio iudicis de fideliter exercendo, de consignandis et restituendis pignoribus, ac pretio pignorum

iuxta decretum Domini, ac etiam habitare prope officium.

112. Item teneatur singulis diebus, tam feriatis quam non feriatis, bis in die ad minus ad officium se praesentare, et signanter horâ audientiae, et durante audientiâ sine licentiâ iudicis ab officio non discedere, et in horâ audientiae in praesentiâ iudicis apud notarium non sedere, et officium mandatarii facere, et non procuratoris, vel partis, aut notarii.

De mercede executoris.

113. Pro quacumque exequutione reali vel personali usque ad summam scutorum trium inclusive, bononeni septem cum dimidio;

114. Ab inde usque ad decem, bononeni duo cum dimidio pro quolibet scuto;

115. A decem usque ad quinquaginta, bononeni duo pro quolibet scuto, dummodo merces non sit minor iuliis tribus;

116. Ab inde supra usque ad centum, iulii quindecim dividendi pro ratâ cuiuslibet scuti;

117. Ab inde supra usque ad ducenta, iulii viginti;

118. Et a ducentis usque ad quingenta, iulii vigintiquinque in totum;

119. Et ab inde supra usque ad quamcumque summam, solvatur arbitrio praesidis, dummodo non excedat summam scutorum quatuor in totum:

120. Extra vero Urbem ultra duo milliaria, solvatur duplum.

121. Pro exequutione mandati suspicionis fugae, etiam parte citatâ, usque ad summam scutorum decem, solvatur ut supra;

122. Ab inde supra usque ad quinquaginta, iulii quinque;

12. Ab inde supra ad quamcumque summam, scutum unum in totum, et non ultra, et nonnisi ab unâ tantum parte ad id obligatâ.

124. Item exequutor teneatur praestare cautionem arbitrio iudicis de fideliter ac diligenter exercendo, ac de consignando pignora infra unum diem, iuxta reformationem Sanctissimi Domini Nostri.

125. Teneatur etiam habitare apud officium et singulis diebus de mane et de sero horâ audientiae se repraesentare, et per totam audientiam ibi permanere saltem cum uno socio vel famulo habili et sufficienti pro officio suo.

126. Item exequutor teneatur praemissa omnia ad unguem observare sub privationis officii et aliis poenis arbitrio praesidis.

127. In criminalibus observet taxam generalem aliorum exequutorum, nisi a iudice minus fuerit declaratum.

128. In reliquis observet tam reformationem generalem Sanctissimi sub rubricâ *de baroncellis et exequutoribus*[1], quam alias ordinationes a baroncellis et exequutoribus observandas.

§ XI.

Taxa notarii Hebraeorum[2].

1. Pro qualibet citatione, intimatione, protestatione, bononenus unus.

2. Pro productione iurium, bononeni duo.

3. Pro recognitione iurium, bononeni tres.

4. Pro monitorio de respondendo articulis, bononeni tres.

5. Pro responsione articulorum in domo notarii, dimidium bononeni;

6. Extra domum, pro viatico, bononeni quinque solvendi a parte respondente;

7. Pro deposito, bononeni duo.

8. Pro rogitu procurae ad lites in officio, bononeni duo;

9. Extra officium, iulius unus.

10. Pro fide seu instrumento publico dictae procurae ad lites, iulius unus.

11. Pro consensu, bononeni duo.

1 Est in Const. praeced. § XXII (R. T.).

2 De Hebraeis habetur in Const. praeced. § VII.

12. Pro quocumque termino ad solvendum, bononeni duo.

13. Pro notâ sententiae seu decreti definitivi servatis servandis, usque ad summam vel aestimationem scutorum centum, bononenus unus pro quolibet scuto;

14. A centum usque ad ducenta, dimidium bononeni pro quolibet scuto supra centum;

15. Si excedat usque ad quamcumque summam, scuta duo in totum.

16. Pro sequestro cum examine testium, vel productione iurium, bononeni quindecim.

17. Pro mandato suspicionis fugae, etiam parte citatâ, et cum examine testium, vel productione iurium, bononeni quindecim.

18. Pro inibitione in curiâ, iulius unus;

19. Extra curiam in pergameno, bononeni quadragintaquinque.

20. Pro *non gravetur*, idem quod supra dictum est de inhibitione.

21. Pro monitorio, seu inhibitione introductivâ litis, bononeni tres.

22. Pro arresto, bononeni quindecim.

23. Pro mandato de excarcerando, bononeni quindecim.

24. Pro mandato in contumaciam usque ad quamcumque summam iu curiâ, bononeni tres;

25. Extra curiam in pergameno, bononeni quadragintaquinque.

26. Pro mandato exequutivo, usque ad summam scutorum decem, iulius unus;

27. Usque ad vigintiquinque, iulii tres;

28. Usque ad centum, iulii sex;

29. Usque ad ducenta, scuta duo in totum;

30. Usque ad quamcumque summam, scuta quatuor in totum.

31. Pro mandato de evacuando, vel de admovendo, aut simili, iulii tres.

32. Pro mandato de immittendo, seu de manutenendo, iulii tres.

33. Pro mandato de consignandis pignoribus, seu deliberando, aut de restituendo, iulius unus.

34. Pro obligatione, seu fideiussione de stando iuri, et iudicatum solvendo, seu de repraesentando, in officio, iulius unus;

35. Extra officium, iulii duo.

36. Pro supersessoriâ in venditione pignorum intimandâ per notarium hebraeis bancheriis, iulius unus.

37. Pro perquisitione bonorum generaliter apud omnes hebraeos bancherios faciendâ, iulii quinque;

38. Si autem fiat pro maiori parte dictorum bancheriorum, iulii quatuor;

39. Si pro medietate eorumdem bancheriorum, bononeni vigintiquinque;

40. Si pro minori numero, iulii duo.

41. Pro extractu bene facto iuxta reformationem Sanctissimi Domini Nostri, pro quolibet folio, solvatur prout in aliis curiis.

42. Pro examine testis super materiis, iulius unus;

43. Super articulis autem sine interrogatoriis, iulii duo;

44. Cum interrogatoriis non excedentibus numerum triginta, iulii tres;

45. In excessivis autem, solvatur arbitrio iudicis.

46. Pro summario cuiuslibet testis, computatâ mercede scripturae, tantum quantum pro examine eiusdem.

47. Pro restitutione iurium quorumcumque uno actu productorum, iulius unus;

48. Et si notarius copiam fecerit, ultra iulium praedictum recipiat ut infra pro copiâ.

49. Pro restitutione bonorum depositorum valoris usque ad summam scutorum decem unâ, cum quietantiâ, iulius unus;

50. Valoris autem usque ad vigintiquinque, iulii duo;

51. Usque ad quinquaginta, iulii tres;

52. Usque ad quamcumque summam, bononeni quadragintaquinque.

53. Pro consignatione depositi, sive cedulae ipsius cum quietatione, pro quolibet scuto bononeni duo.

54. Pro simplici copiâ bene scriptâ ad instar boni originalis apocarum, et aliarum, pro quolibet folio, iulius unus.

55. Pro rogitu instrumenti procurae ad exigendum, sive ad alia quaecumque negocia, iulius unus.

56. Pro fide, seu instrumento publico dictae procurae ad negocia quaecumque, iulii duo.

57. Pro rogitu intrumentorum pro quolibet centenario usque ad scuta quingenta, iulii duo;

58. A quingentis usque ad duo millia, pro quolibet centenario, bononeni quindecim;

59. A duobus millibus usque ad quamcumque summam, scuta quinque.

60. Pro copiâ simplici dictorum instrumentorum integrâ, solvatur pro medietate; si vero sine die, anno, et testibus, ita ut non probet, solvatur quantum supra dictum est pro copiâ simplici aliarum scripturarum.

61. Pro instrumentis publicis, seu fide illorum, usque ad scuta vigintiquinque, iulii tres;

62. Usque ad scuta quinquaginta, iulii quinque;

63. A quinquaginta usque ad trecenta, scutum unum pro quolibet centenario;

64. A trecentis usque ad mille, scuta quinque;

65. Ab inde supra, scutum unum pro quolibet milliari.

66. Pro fide citationis, intimationis, seu alterius cuiuslibet actus, iulius unus.

67. Pro fide litis pendentiae, iulius unus.

68. Pro instrumento publico sententiae usque ad summam scutorum centum, bononenus unus pro quolibet scuto;

69. Ab inde supra usque ad quamcumque summam, iulii quindecim.

70. Pro deputatione curatoris, iulii duo.

71. Pro extractione, seu fide partitarum, ultra viaticum si fieri contingat, bononeni tres pro qualibet partitâ;

72. Pro viatico, iulius unus.

73. Pro decreto admissionis ad exercitium foenerandi in perpetuum, scuta quinque;

74. Pro decreto dictae admissionis ad tempus, scuta duo et iulii quinque.

75. Pro approbatione libri hebraeorum bancheriorum, bononeni vigintiquinque.

76. Pro venditione pignorum, bononeni duo pro quolibet pignore vendito.

77. Pro supravantio pignorum venditorum, bononeni duo pro quolibet scuto.

78. Pro fide seu quietantiâ dicti supravantii, usque ad scuta quinque, bononeni tres pro quolibet scuto;

79. Usque ad decem, bononeni duo pro quolibet scuto;

80. Usque ad viginti, bononenus unus cum dimidio;

81. Usque ad quadraginta, in totum iulii quatuor;

82. Ab inde supra usque ad summam quamcumque, in totum iulii quinque.

83. Pro obligatione, et fideiussione pro bollettinis amissis unâ cum bollettino dando, usque ad summam scutorum quinque, bononeni quinque;

84. A scutis quinque ad decem, iulius unus;

85. A decem usque ad vigintiquinque, bononeni quindecim;

86. A vigintiquinque usque ad centum, iulii tres;

87. Ab inde supra usque ad quamcumque summam, iulii quinque.

88. Pro examine listae expensarum, iulius unus.

89. In casibus in hac taxâ omissis, procedatur de similibus ad similia.

90. In criminalibus servetur taxa felicis recordationis Pii Papae IV a Sanctissimo Nostro innovata.

61. Pignora vendenda vendantur unâ cum suis involucris positis in pignoratione, sub poenâ arbitrio iudicis.

§ XII.

Ordine e tasse da osservarsi dalli guardiani delle carceri [1].

1. E prima li capitani e guardiani di qualsivoglia carcere tengano un libro, nel quale debbano scrivere tutti quelli, che entreranno prigione, esprimendo non solo con che mandato, ad instanza di chi, per che causa, e se per sospetto di fuga, ma anco quando entrano in secreta, e quando escono alla larga, e se innanzi o dopo pranzo, e parimente la sera, se innanzi o dopo cena, affinchè si possa far conto delli pasti, e li non scritti al libro non siano tenuti pagare nè spese, nè cosa alcuna per conto di carcere, e non essendo scritto il tempo preciso, come di sopra, non si paga cosa alcuna per quel giorno, così dell'entrata come dell'uscita.

2. *Item* siano obligati tener una cassa forata con due chiavi, delle quali una ne tenga il capitano, e l'altra il procurator de' poveri, nella quale s'abbino a riporre tutte le robe e denari, che si troveranno appresso quelli, che saranno condotti, e scriverlo nel libro per inventario fatto in presenza del carcerato e testimonii, e non facendo, siano puniti come di furto, con quella pena, che parerà a monsignor governatore di Roma, o al chierico presidente delle carceri *pro tempore*.

3. Sia in arbitrio de' carcerati farsi le spese da se, *etiam in secreta*, facendosi portare da mangiare come gli parerà (se però altro per qualche ragione non ordinasse il superiore), nè possa il capitano o guardiano in alcun modo direttamente o indirettamente impedire, nè mutarli di luogo, o trattarli peggio per questo, che si facciano le spese da se, o per qualsivoglia altro suo preteso credito, sotto le pene infrascritte, facendo solo diligenza quanto a quelli, che saranno in secreta, che non se gli portino polizze [1] o imbasciate.

4. E facendosi il carcerato le spese da se, non possa il guardiano o capitano, per il servizio, domandare cosa alcuna.

5. Per le spese che faranno alli prigioni in secreta, non possano pigliare più d'un carlino per pasto, e siano obbligati a dargli buon pane e buon vino abbastanza, e una libbra almeno di carne il giorno, con la minestra; e quando non si mangia carne, dargli ova, o pesce, secondo li tempi, onestamente.

6. Nè possano metter mano a botte di vino per le prigioni, se prima non sia provata dal procurator de' poveri.

7. Non dando o non facendo come di sopra, per ogni volta che contraverranno, li capitani caschino in pena di scudi dieci, da applicarsi un quarto al procurator sostituto sopra il governo de' prigioni, e gli altri tre quarti a san Leonardo, e inoltre star alla berlina per quel giorno.

8. E li guardiani e servitori che serviranno, non lo rivelando, *ipso facto* s'intendano esser incorsi nella pena della frusta, alli quali guardiani o servidori si darà fede contra il capitano senz'altro testimonio.

9. Non possano pigliare da quelli che stanno nelle camere più di baiocchi cinque il giorno, eccetto che in Tor di Nona

[1] Reformatio custodum carcerum ut supra in Const. praeced. § XXIII.

[1] Hinc confirmatur nostra adnotatio adiecta supra in Const. praeced. ad § XXIII, num. 29, pag. 106 *a* (R. T).

e Corte Savella, dove si permette il solito d'un giulio per persona.

10. Non possano mettere nè tenere in dette camere maggior numero di persone di quello che sarà scritto da' superiori delle carceri (a' quali però si ordina che lo scrivano quanto prima sopra dette camere) senza espresso consenso d'essi carcerati o particolar ordine de' superiori predetti. In qual caso però non si accresca la mercede statuita alle camere, ma si divida egualmente fra tutti, facendo il conto con l'intervento del procuratore dei poveri e deputati della Carità.

11. E alle controversie di chi volesse star nelle camere o nelle sale, e non fosse meritevole, il prelato delle carceri, deputato dalla Carità *pro tempore*, abbia a rimediare e definirle.

12. Per la pubblica di sopra, per qualsivoglia lungo tempo, non si paghi più di cinque giulî per carcerato all'uscire che farà, e standoci meno di sei giorni non paghi più di un grosso il giorno.

13. Per la pubblica di mezzo, per qualsivoglia lungo tempo, non si paghi più di tre giulî per carcerato all'uscire, e standoci meno di sei giorni, non paghi più di tre baiocchi il giorno.

14. Le pubbliche da basso e le pubbliche delle donne siano *gratis*.

15. Parimente le pubbliche de' religiosi *gratis*, e le porte siano aperte.

16. Per la sala dove si fa la visita, cortili, tinelli, corridori ed altri luoghi fuori delli suddetti, non si paghi cosa alcuna. E l'abuso e nome di passeggio s'intenda levato via affatto.

17. Li poveri relassati con esilio non paghino cosa alcuna, manco di spese, secondo il solito.

18. E quando nel relasso de' testimonî semplici o altri ci sarà *gratis ubique*, s'intenda *etiam* quanto alla prigionia di qualsivoglia stanza, et dalli testimonî semplici non abbiano manco le spese, ma le ricuperino dall'instigatore o dal fisco.

19. Per la prigione d'ogni carcerato non si faccia pagar più di due carlini, nè si possa far pagare cosa alcuna per mancia del guardiano o altro, perchè quello è la sua mercede per la guardia.

20. E per ogni arresto che venisse contro il prigione, non si possa far pagare se non altrettanto, cioè due carlini da quello che porterà l'arresto, e non dal prigione, sotto pena della berlina, da incorrersi irremissibilmente ogni volta che contravverranno così all'uno come all'altro capo.

21. Per trasportare i carcerati, o per causa della visita o per altro, per cavar li ferri o per abilitarli per occasione di far instrumento o altro, non abbiano cosa alcuna.

22. Si faccia l'infermeria in ciascheduna prigione, e ne abbia cura il prelato delle carceri, deputato dalla Carità *pro tempore*, e in caso di bisogno ci si mettano ancora li carcerati civili, e li poveri stiano *gratis*.

23. Nell'osteria, che si permette, si faccia pagare la foglietta del vino mezzo baiocco manco, come nelle osterie esenti, e si tengano le misure giuste di vetro.

24. Nel ricevere le monete, si osservino li bandi.

25. Non permettano che li carcerati trattino con le donne carcerate, nemmanco alle grate loro.

26. Menino ogni mattina li prigioni, che stanno nelle pubbliche di sopra e di mezzo, alla Messa.

27. Del giulio di san Leonardo, e del giulio per il cancelliere del bargello del governatore, si osservi il solito; e quando il mandato sarà in *formâ pauperum*, si paghi per metà, e quando *gratis*, niente.

28. E quando li prigioni averanno avuto il mandato di rilasso, non possano il ca-

pitano o guardiani ritenere, nè levargli alcun vestito per il debito che avranno fatto, *etiam* per causa di vitto o altro, ma si debbano subito rilassare, imputando sè stessi se li averanno tenuti di sopra senza farsi pagare, o assicurarsi con sicurtà o pegno.

29. Alli condannati a morte, galera o altra pena, non possano, sotto pena di tre tratti di corda, frusta o berlina, levare panni o roba alcuna che detti condannati avessero o attorno o in prigione, ma tutto debbano notificare e consegnare al giudice della causa, acciò ne possa fare quel tanto sarà di giustizia.

30. Nè li detti capitani o guardiani possano pigliar più delle tasse sopradette, ancorchè se gli dasse spontaneamente, e debbano servare tutti li sopradetti capitoli, sotto pena di corda, frusta ed altre maggiori ad arbitrio de' superiori.

31. Dichiarando che nelle carceri, dove è minor tassa, non s'intenda per questi capitoli innovato cosa alcuna, ma si osservi sempre la minore.

§ XIII.

Ordini e tasse per li barigelli ed esecutori [1].

1. Li barigelli ed esecutori qualsisiano, e di qualsivoglia Corte, non possano ad alcuno, che condurranno prigione, levar denari nè robe di sorte alcuna, nè meno l'armi, quando non le porteranno contrabbando, ma debbano le robe lasciarle ad essi prigioni, e quelle consegnarle con l'arme al capitano o guardiano delle carceri, a fine di riporle come si è detto, sotto pena di tre tratti di corda, della frusta o berlina.

2. *Item*, dalli decapitati o altrimente morti o puniti per giustizia, o da qualsivoglia altro condannato a morte, galera, o altra pena, ancorchè vi fosse de' beni loro, non possano pigliare nè panni, nè cosa alcuna per loro esecuzione o altro conto, ma detti beni si consegnino a chi di ragione, sotto le suddette pene.

3. Per cattura di quelli che condurranno prigione per causa capitale et meritevoli di morte, o siano assoluti per sentenza, o commutatagli la pena, o in qualsivoglia altro caso, non possano per loro esecuzione pigliar più di uno scudo.

4. E meritando la causa non pena di morte, ma galera, esilio, mutilazione di membro, o frusta, o che siano assoluti per sentenza, o commutatagli la pena, o rimessa, o in qualsivoglia altro caso, per esecuzione e cattura non possano pigliare più di giulì cinque, e dalli puniti niente, come si è detto.

5. Nelle cause civili, per esecuzione reale o personale, per la somma di cinque scudi, piglino due carlini; e da cinque scudi sino a dieci, giulì tre; e da dieci scudi sino a venti, giulì cinque; e da venti scudi sino a quaranta, giulì dieci; e da quaranta fino a scudi settanta, giulì quindici; da settanta sino a cento, giulì venti; da cento sino a cinquecento, scudi tre; da cinquecento sino a mille, scudi quattro; e facendosi esecuzione per maggior somma, si paghi ad arbitrio del giudice del mandato, del quale sarà fatta l'esecuzione, purchè non passi la somma di scudi sei al più: eccettuando li giudici di Corte Savella, Tor di Nona, Ripa e Ripetta, li quali non possano eccedere la detta tassa senza licenza del governatore, ovvero auditore della camera, o del chierico presidente delle Ripe rispettivamente: eccettuando ancora li mandati della Corte del governatore, nelli quali si osservi la sua tassa, quale è minore per la povertà de' litiganti che concorrono ad essa Corte.

6. Per mandati di mettere in possesso de' beni stabili senza espressione di somma,

[1] Harum reformatio legitur in Const. praeced. § XXII.

uno scudo e non più, et dove sia la somma espressa, si osservi come sopra.

7. Per mandato di sospetto di fuga, sino alla somma di scudi quaranta, si pigli secondo la tassa sopradetta, e da quaranta in su per qualsivoglia somma, non più di uno scudo.

8. Per esecuzione fatta in animali, si osservi il medesimo, nè si faccia pagar alcuna cosa per la capezza, come già per abuso si è fatto alcuna volta.

9. Per esecuzione fatta fuori di Roma fra tre miglia, o sia civile o criminale, si osservi come dentro di Roma; e se oltre tre miglia, e in qualsivoglia città o castello, ancora oltre quaranta miglia, gli esecutori di Roma abbiano l'esecuzione che si paga in Roma duplicata; ma se saranno esecutori di altre città, si paghi duplicata la tassa che si osserva in quel luogo, dove si fa l'esecuzione.

10. Occorrendo caso non compreso in questa tassa, si stia alla dichiarazione del giudice che ha rilasciato il mandato, eccetto li sopraddetti giudici di Corte Savella, Tor di Nona, Ripa e Ripetta, li quali non possano far tale dichiarazione senza licenza del governatore o auditore della camera o presidente delle Ripe rispettivamente, come di sopra.

11. Nessun barigello, nè esecutore predetto, ardisca pigliar denari da debitori per la loro esecuzione se effettualmente non la fanno, nè differire l'esecuzione della quale son ricercati; ma debbano eseguirla quanto prima, nè dal creditore pigliar denari se non in caso che il debitore sia obligato a pagarlo. E mostrata che vi sia carta dotale, inibizione o *non gravetur*, non piglino cosa alcuna nè facciano esecuzione, e facendola, la restituiscano *gratis*.

12. Facendo cattura in casa di alcuno, non possano pigliar arme di alcuna sorte se non proibite, come archibugietti, *etiam* sotto pretesto che il prigione l'abbia portate in tempo proibito.

13. Non ardiscano, senza ordine particolare del giudice della causa, andare con notarî a far inventario di robe, et in caso che lor sia ordinato, non possano pigliar più di uno scudo in caso di omicidio seguito; in ogni altro caso, non più di giuli cinque.

14. Dalli poveri non possano per qualsivoglia mandato esigere cosa alcuna, ma siano tenuti lasciarli *gratis*, senza un quattrino di spesa; o pigliare solamente la metà di quello che gli verrebbe, secondo che li mandati saranno sottoscritti o *gratis* o *in formâ pauperum*.

15. Alli quali mandati così sottoscritti nessun barigello, capitano, o altro ministro ardisca replicare, ma subito eseguirli. Et quando li mandati saranno segnati *gratis*, non si ricerchi sottoscrizione di barigello esecutore, et il *gratis*, o *in formâ pauperum*, s'intenda tanto per il notaro, quanto per gli esecutori.

16. Non possano pigliar mercede, nè altro, se non fatta realmente l'esecuzione, o reale o personale, et per la rata di esecuzione fatta, et essendo una volta soddisfatti, siano obbligati ritornare quante volte bisognerà a far nuova esecuzione, fin tanto che il creditore sia intieramente soddisfatto, senz' altra nuova mercede.

17. Quelli che contravverranno alle cose predette, alle quali non è prescritta pena, incorrano per la prima volta la pena di tre tratti di corda; per la seconda, della frusta per la città; e per la terza, della galera, da eseguirsi irremissibilmente dalli suddetti giudici senza alcuna speranza di grazia.

18. Et acciò che ogni uno possa aver notizia delli detti ordini e tasse, tanto li barigelli et esecutori, quanto li capitani delle carceri, siano obligati tenere continuamente detti decreti stampati in una

tavola affissa nel muro, in parte che ogni uno possa vederli, et leggerli in ogni ora. Avvertendo particolarmente, che dalle persone ignoranti non si pigli oltre il dovere, sotto le pene suddette di scudi cinquanta, da applicarsi a san Leonardo, et altre pene più gravi.

CXCVI.

Declaratio constitutionis super reformatione tribunalium Urbis, nuper editae.

Paulus Papa V,

Motu proprio, etc.

Causa huius declarationis.

Cum, sicut accepimus, nuper post nostram super tribunalium Urbis reformationem a plerisque, praesertim vero a notariis eorumdem tribunalium, nonnullae difficultates super intelligentiâ et exequutione dictae constitutionis, et taxarum inde confectarum, submotae fuerint, nos difficultates omnes opportunâ declaratione tollere volentes, motu simili[1]:

§ 1. In primis, quoad dispositionem quae habetur in versu *Notarii quorumcumque tribunalium*[2], declaramus, notarios in causis commissariis, summam aut valorem ducentorum ducatorum auri de camerâ non excedentibus, teneri dare litteras missivas loco remissorialium; sed si dictam summam seu valorem excesserint et sint verae[3] commissariae, notarios ad dandas dictas litteras missivas loco remissorialium non obligamus. Et amplius declaramus copiam articulorum et interrogatoriorum, si quae[4] in curiâ data fuerint, et in dictis missivis introcludendorum, ultra taxatam mercedem iuliorum novem, esse solvendam ad instar aliarum copiarum.

§ 2. Insuper, quoad versum *iidem*[1], addendo volumus eam partem, quae instat pro sententiâ, teneri, in actu depositionis sportularum sive propinarum pro iudice, etiam mercedem notae sententiae pro notario deponere.

§ 3. Et quoad versum *Notarii non audeant*[2] declaramus sufficere quod notarius aut unus ex testibus cognoscat alterum ex contrahentibus. Et quando contrahens esset alienigena, sive peregrinus, aut tam vilis conditionis, ut eius cognitio, vel notitia esset in Urbe difficilis, contractum nihilominus fieri permittimus cum licentiâ gubernatoris, sive auditoris camerae, aut vicarii, vel senatoris, seu iudicum ipsorum, aut Burgi, modo dicta iudicis licentia in instrumento adnotetur, ac pro eâ nihil omnino neque iudici neque notario solvatur.

§ 4. Quoad versum *Citationes, monitoria*[3], post verba, *aut alterius illas obtinentes*, addatur, *et electo domicilio*.

§ 5. In versu *Ad rogandum vero*[4], etc. in fine addatur, *Volumus autem, et declaramus, quod omnia testamenta et contractus intelligantur rogati nomine officii, sive notarii primarii, non autem nomine proprio, etiam quod aliter exprimeretur, aliàs notarii substituti aut alioquin in aliorum officiis manentes severissime puniantur arbitrio iudicum cuiusque tribunalis.*

§ 6. Quoad versum *Responsiones*[5], declaramus excipiendas esse mulieres, et egregias personas, ad quas notarius possit iudicis arbitrio transmitti, qui iudex, quandocumque ipse dictis responsionibus aut

1 Subintellige *declaramus*, uti postea sequitur (R. T.).
2 Cap. istud est in Const. CXCIV, § XIX, n. 15.
3 Aptius legeretur *vere* (R. T.).
4 Aptius legeretur *si qua* (R. T.).

1 Cap. istud est ibid., n. 25.
2 Cap. istud est ibid., n. 36.
3 Cap. istud ibid., n. 11.
4 Hoc cap. est ibid., n. 35.
5 Hoc cap. est ibid., n. 61.

iuramentis, etiam in domo respondentis aut iurantis vel alibi intervenerit, nihil recipere possit aut debeat.

§ 7. Quoad versum *Notarii locorum piorum*[1], declaramus, loca pia, quae notariorum operâ uti hactenus consueverunt, non posse de cetero alium notarium, tam in civilibus quam in criminalibus, eligere, quam unum ex dictis vicarii notariis, inter quos et solita distributio servetur et solita merces solvatur.

§ 8. Quo vero ad registra, versu *Neque exigant*[2], declaramus illa verba, *nisi illis completis*, intelligi de actis factis, usque ad diem petitae confectionis extractus, sive registri.

§ 9. Quoad versum *Non rubricentur*[3], declaramus, tunc non esse rubricandos processus de partibus quando bene fuerunt in partibus rubricati, alioquin prohibemus in curiâ ab alio quam a notario causae rubricari.

§ 10. Quoad versum *In vere autem commissariis*[4] et versum *Processus de partibus*[5], declaramus non fuisse nostrae intentionis comprehendere notarium archivii, qui propterea possit in causis commissariis cuiuscumque valoris registra conficere, in illisque processus de partibus, remissoriales, et compulsorias, sive excederent sive non folia vigintiquatuor, registrare; servatâ in ceteris formâ in dictâ nostrâ reformatione contentâ super registrationis confectione.

§ 11. Quo vero ad cursores, versu *Cursores pro qualibet citatione*[6], declaramus Trivii regionem pro locis ultra fontem et arcum Trivii, non citra; nec ullo pacto inter partes longinquas enumerari loca illa, quae vel antea ipsi cursores non enumerabant, vel pro quibus solitâ mercede bononenorum duorum contenti erant: ne, quod a nobis ad publicam utilitatem et tollendo abusus constitutum est, pravâ interpretatione contrarium pariat effectum.

§ 12. Insuper declaramus[1] pro citatione contra episcopos, vel alias qualificatas personas, quinque bononenos accipere[2] posse, quando citatio sit personaliter contra ipsammet personam qualificatam exequuta, non autem contra procuratorem, vel aliter.

§ 13. Et, dum in eâdem nostrâ reformatione[3] prohibetur auditori camerae concedere remissoriam ad partes ad examinandum vel repetendum citatâ parte testes ad instantiam fisci, vel ad probandam eius intentionem, et prout latius in eâ, declaramus id non procedere, si aliquâ legittimâ subsistente causâ aliud in aliquo particulari casu ipsimet auditori visum fuerit.

§ 14. Insuper in versu *Quodque supersessoriae*[4] *etc.* post verba, *vel alibi non susceperit*, addatur, *vel nisi ex legitimâ causâ sui tribunalis tantum, et non aliàs.*

§ 15. Quoad taxas impressas post dictam nostram reformationem, infrascripta corrigi mandamus. In primis quoad notarios camerae deleatur versiculus *Idem fiat de pellibus*, et vers. *Idem de sapone*[5], utpote impressoris errore supervacanee editi[6], ex quo iam super sufficienter erat provisum.

1 Hoc cap. est in eâdem Const. CXCIV, § XIX, n. 121.
2 Hoc cap. est ibid., § XX, n. 22.
3 Hoc cap. est ibid., n. 24.
4 Hoc cap. est ibid., n. 3.
5 Hoc caput est ibid., num. 17.
6 Hoc caput est supra in eâdem Const. CXCIV, § XXI, n. 21.

1 Hoc caput est de novo additum.
2 Edit. Cherub. aptius legit *accipi* (R. T.).
3 Hoc cap. est in dicta Const. CXCIV, § IV, n. 14.
4 Hoc cap. est ibid., n. 4.
5 Hoc cap. est in Const. CXCV, § 1, n. 126 et seq.
6 Perperam edit. Main. legit *edicta*; edit. Cherub. legit *edita* (R. T.).

§ 16. Quoad versum ultimum taxae notariorum camerae incipientem *Pro non comprehensis*[1], declaramus intelligi de expeditionibus gratiosis. In iudicialibus autem, si quid in eâ vel aliis taxis fuerit praetermissum, servetur de similibus ad similia.

§ 17. Quoad taxas notariorum gubernatoris, vicarii, et aliorum, versu *Pro restitutione depositi*[2], *bononenus unus pro quolibet scuto,* intelligi volumus in causis mercedum; in aliis vero bononenos duos pro quolibet scuto permittimus, sicuti vere in taxâ felicis recordationis Pii IV praedecessoris nostri habetur, licet aliter aliquando fuerit per errorem impressum.

§ 18. Et in eâdem taxâ versu *Pro copiâ simplici cuiuslibet instrumenti in actis rogati*[3], declaramus intelligi de instrumento actûs iudicialis, non de simplici extraiudicialium instrumentorum copiâ, pro qua bene et ad instar boni originalis descriptâ bononenos septem cum dimidio pro quolibet folio solvi et exigi permittimus.

§ 19. Quoad taxam notariorum Rotae in primo versu[4] *iulios sexaginta sex* legendum declaramus, non autem *sexaginta*, prout impressoris errore fuit notatum.

§ 20. Quoad taxam archivii, versu *Pro instrumento absolutionis*[5], mandamus corrigi iuxta taxam felicis recordationis Gregorii XIII, praedecessoris nostri.

§ 21. Rursus in versiculo *Pro pauperibus*[6], declaramus, et volumus servari eamdem taxam felicis recordationis Gregorii XIII, ut admissi ad iuramentum paupertatis, iuxta formam dictae taxae solvant.

§ 22. Quoad taxam notariorum criminalium gubernatoris, auditoris camerae, et aliorum, versiculo *Pro quolibet folio copiae indiciorum*[1], declaramus intelligendum, ut quaelibet pagina, idest facies cuiuslibet[2] continere debeat lineas viginti quatuor, prout in nostrâ reformatione, sub tit. *De registris* § *Singula folia*[3], et alibi, volumus intelligi.

§ 23. Quoad taxam fori Capitolini, versu *A centum usque ad ducentos*[4], addatur verbum *alios*[5], errore scriptoris omissum:

§ 24. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et extraordinarios, et etiam exequutores dictae nostrae constitutionis, iudicari et definiri debere, sublatâ, etc., irritum, etc. *Clausula sublatâ, et decretum irritans.*

§ 25. Non obstantibus praemissis ac prioribus litteris super reformatione et taxis emanatis, ceterisque contrariis quibuscumque, et cum decreto, quod praesentis sola signatura sufficiat, etiam absque aliâ datâ et registraturâ. *Derogatio contrariorum.*

Placet motu proprio. *PP. subscriptio.*

CXCVII.

Sequitur declaratio eiusdem reformationis quoad aromatarios Urbis.

Paulus Papa V.

Motu proprio, etc.

Causa huius declarationis. Cum post aliquas declarationes a nobis constitutioni[5], quam super reformatione tribunalium Urbis condidimus, factas, aromatarii quaedam eiusdem constitutionis capita ipsos tangentia declarari suppliciter postulaverint; nos dubia tollere et litibus occurrere cupientes:

1 Hoc cap. est in Const. CXCV, § I, n. 186.
2 Hoc cap. est ibid., § II, n. 17.
3 Hoc cap. est ibid., n. 70.
4 Hoc cap. est in Const. praeced., § IV in princ.
5 Hoc cap. est in dictâ Const., § V, n. 16.
6 Hoc caput est ibid., n. 62.

1 Hoc cap. est ibid. § VI, n. 44.
2 Subintellige *folii* (R. T.).
3 Est in Const. CXCIV, § XX, n. 15.
4 Hoc cap. est in Const. praec., § VII, n. 4.
5 Loco cit. hoc verbum iam fuit additum (R.T.).
6 Aptius legeretur *constitutionis* (R. T.).

Declaratio circa praescriptionem quinquennalem.

§ 1. Dum in praefatâ nostrâ constitutione dicimus, pro pretio aromatariae servandam esse praescriptionem quinquennalem [1], non obstante quavis interruptione, etiam per receptionem partis pecuniarum, aut per dationem aliarum rerum aromatariae, declaramus dictam dispositionem non intelligi, neque locum sibi vendicare, ubi vel interruptio fuerit iudicialis vel aliter, quam per proprios ipsorum libros, aromatarii suum creditum probaverint, quibus casibus dispositionem statutorum Urbis servari volumus et mandamus.

Declaratio circa iurisdictionem criminalem.

§ 2. Insuper dum in eâdem constitutione interdicimus aromatariis, ne ullam prorsus audeant in quemquam exercere, sub quovis praetextu, criminalem iurisdictionem [2], declaramus intentionis nostrae non fuisse adimere eis facultatem aliàs ipsis a felicis recordationis Clemente VIII praedecessore nostro concessam, res medicinales ad eorum artes spectantes visitandi, recognoscendi, et quod in eis corrupti, vitiati, vel adulterati repertum fuerit, proiiciendi, comburendique [3]; ac iuxta delicti et negligentiae qualitatem culpabiles repertos debitis poenis non tamen corporis afflictivis (quae poenae ecclesiae et hospitali sancti Laurentii in Miranda nuncupatae eo ipso applicentur et applicatae censeantur) afficient. Quod tamen quoad libros negamus, etiam quod in illis fraus aliqua detegeretur, sed hoc a suo iudice competenti cognosci ac definiri debere intendimus et mandamus.

Declaratio circa electionem aromatarii mittendi extra Urbem ad visitandas aromatarias.

§ 3. Et tum [4] in dictâ constitutione nostrâ sancitum est, quod consules nullam habeant iurisdictionem eligendi aromatarium, quem proconsulem vocant, ad visitandas aromatarias extra Urbem (minusque subscribendi patentes uti consules districtus Urbis), et superintendentes artis in statu Ecclesiastico, sed talis eligendi potestas penes protomedicum sit et remaneat [1], declaramus nostrae intentionis non fuisse quoad hoc derogare concordiae aliàs initae inter collegium physicorum et collegium aromatariorum, dum in eâ dicitur, quod quotiescumque ad visitandas aromatarias extra Urbem medicus ex Urbe mittendus erit, ne is forsan artis aromatariae imperitum sibi comitem adiungat [2], protomedicus, qui visitatoris designandi ius obtinet, urbanis aromatariis id denunciet, atque ab eis exquirat, habeant ne aliquem peritum et idoneum hominem, qui medico illi in huiusmodi visitationis munere comes et minister esse velit, et cetera iuxta praedictam concordiam confirmatam per felicis recordationis Gegorium XIII praedecessorem nostrum, sub die primâ iulii MDLXXV, versu *Quotiescumque ad visitandas tabernas etc.* [3]: dummodo aromatarii neque iurisdictionem propterea in hoc sibi aliquam usurpent iuxta formam dictae concordiae, neque electum proconsulem vocent, neque patentes subscribant uti consules districtus Urbis, neque quicquam contra tenorem nostrae praedictae constitutionis faciant, sub poenis in eâ contentis.

Sola signatura sufficit.

§ 27. Et praesentis sola signatura sufficiat, etiam absque aliâ datâ et registraturâ.

Subscriptio Papae.

Placet motu proprio C.

1 Vide Const. CXCIV, § XXV, n. 6 (R. T.).
2 Vide Const. praecit., § XXV, n. 7.
3 Perperam edit. Main. legit *comprendique* (R. T.).
4 Vel potius legendum *dum* (R. T.).

1 Vide eamdem Const. CXCIV, § XXV, n. 4 (R. T.).
2 Perperam prorsus tam in edit. Main. tam in utrâque Cherub. edit. legitur: *ne eis forsan artis aromatariae impeditum sibi comitem adiungat* (R. T.).
3 Nempe in Const. XLVI eiusdem Greg. XIII, § 20, tom. VIII, pag. 122 (R. T.).

CXCVIII.

Facultas nuncio Coloniensi conferendi beneficia, in mensibus Sedi Apostolicae reservatis, in Westphalia et districtu oppidi Aquisgrani Leodiensis dioecesis, Romano Imperio vacante[1].

Venerabili Fratri Antonio episcopo Vigiliensi, nostro et Sedis Apostolicae in partibus inferioris Germaniae nuncio,

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio facultatis, de qua in rubrica.

Ad Westphaliae provinciae necnon terrae et districtus Aquisgranae Leodiensis dioecesis statum pro nostro pastoralis officii debito animum convertentes, et beneficiorum inibi consistentium, sacro romano imperio vacante, collationi prospicere volentes, ac de fraternitatis tuae fide, prudentiâ, et integritate plurimum in Domino confisi, eidem fraternitati tuae, ut quaecumque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, secularia et quorumvis ordinum regularia, in locis provinciae, terrae et districtus praedictorum Westphaliae et Aquisgrani, quorum tamen iurisdictio temporalis ab haereticis occupatur, consistentia, etiamsi secularia, canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis etiam curata, nobis et Apostolicae Sedi ratione mensium, vel aliàs quomodolibet, iuxta concordata dudum inter eamdem Sedem et inclytam nationem Germanicam inita, reservata, quae, durante vacatione imperii praedicti per obitum clarae memoriae Rodulphi dum vixit romanorum regis in imperatorem electi, in dictis ecclesiis vacare contigerit, quibusvis personis, quae tibi magis idoneae et in primis in fide catholicâ constantes videbuntur, etiam quaecumque, quodcumque, et qualiacumque, cum curâ et sine curâ, cum eisdem tamen conferendis beneficiis compatientia beneficia ecclesiastica obtinentibus, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, apostolicâ auctoritate, iuxta sacrorum canonum et conciliorum dispositionem conferre, et de illis etiam providere, ipsasque personas, vel earum procuratores illarum nomine, in corporalem possessionem per te eis, ut praefertur, conferendorum beneficiorum, iuriumque et pertinentiarum omnium eorumdem inducere, et inductos defendere, tibique de illorum fructibus, redditibus et proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi;

Aliarumque ad hoc necessariarum.

§ 2. Aliaque in praemissis et circa ea necessaria et opportuna facere, etiam contradictores quoslibet et rebelles per poenas pecuniarias tibi benevisas, ac demum per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, libere et licite valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, de speciali gratiâ indulgemus;

Clausulae.

§ 3. Decernentes reservationes in dictis mensibus, regulas, constitutiones et ordinationes, ac decreta in illis contenta, quoad impediendum te quominus concesso tibi per praesentes indulto uti valeas, ad beneficia huiusmodi nullatenus extendere[1], ac irritum et inane, si secus super praemissis, etiam per nos et alios quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis aliis apostolicis, nec non per nos in contrarium editis et edendis constitutionibus et ordinationibus, ac cancellariae apostolicae regulis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Lege potius *extendi* vel *se extendere* (R.T.).

sufficienter expressis habentes, hac vice, ad effectum praesentium tantum, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Decreta Concilii Tridentini, et constitutiones apostolicae in collationibus huiusmodi servandae.

§ 5. Volumus autem, quod tam parochiales ecclesias[1], et alia curata, quam cetera beneficia omnia, iuxta formam et tenorem decretorum sacri Concilii Tridentini super hoc editorum, personis dignis et idoneis, etiam quae prius professionem fidei, iuxta litterarum felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri desuper editarum formam, emittere omnino teneantur, super quo tuam conscientiam oneramus, conferre debeas, aliter collationes nullae sint;

Infra sex menses litterae apostolicae expediendae.

§ 6. Quodque ii, quibus beneficia aliqua huiusmodi vigore praesentium contuleris, infra sex menses a die illis factae eorumdem beneficiorum provisionis computandos, novas provisiones super beneficiis huiusmodi a nobis impetrare, et litteras apostolicas desuper in totum expedire[2], ac iura camerae apostolicae propterea persolvere omnino teneantur, possintque per alios ab eâdem Sede libere impetrari[3]. Et insuper in litteris provisionis, quae de ipsis beneficiis sic reservatis vel affectis per te vigore praesentium fierit, decretum huiusmodi exprimi debeat, alioquin provisiones huiusmodi similiter nullius sint roboris vel momenti.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die X martii MDCXII pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 10 martii 1612, pontif. an. VII.

1 Erronee edit. Main. legit *ecclesiae* (R. T.).
2 Aptius legeretur *expediri facere* (R. T.).
3 Aptius legeretur *impetrare* (R. T.).

CXCIX.

Facultas nuncio ad praepositum, decanum, capitulum et canonicos ecclesiae Salisburgensis inquirendi de fide, vitâ, et moribus Marci electi ipsius ecclesiae Salisburgensis archiepiscopi[1].

Dilecto filio magistro Antonio Dias, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, ad dilectos etiam filios, praepositum, decanum, capitulum et canonicos ecclesiae Salisburgensis nuncio nostro,

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Marcus Altaemps eligitur in archiepiscopum Salisburgensem.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nuper ecclesiâ Salisburgensi certo, quem praesentibus pro expresso haberi volumus, modo pastoris solatio destitutâ, dilecti etiam filii decanus, capitulum et canonici dictae ecclesiae, quibus[2] electionem futuri archiepiscopi in casu vacationis praedictae concessimus et indulsimus, in unum legitime congregati, dilectum pariter filium Marcum ex comitibus ab Altaemps eiusdem ecclesiae canonicum in archiepiscopum canonice elegerunt[3]:

Commissio de qua in rubrica.

§ 2. Nos, de tuâ fide, prudentiâ, doctrinâ, et morum probitate plurimam in Domino fiduciam habentes, tibi munus instructionis, examinis et inquisitionis de fide, vitâ, moribus, doctrinâ et prudentiâ, aliisque personalibus qualitatibus dicti Marci electi, nec non de ecclesiae Salisburgensis statu, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, committimus.

Necessariarum facultatum concessio.

§ 3. Dantes tibi plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem omnia et singula, quae ad instructionem, examen et inquisitionem huiusmodi iuxta sacrorum canonum dispositionem requiruntur, faciendi, et professionem fidei dicti Marci electi, servatâ tamen in omnibus formâ litterarum felicis recordationis Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri desuper editarum, recipiendi.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Erronee edit. Main. habet *qui* (R. T.).
3 Potius legendum foret *elegerint* (R. T.).

CXCVIII.

Facultas nuncio Coloniensi conferendi beneficia, in mensibus Sedi Apostolicae reservatis, in Westphalia et districtu oppidi Aquisgrani Leodiensis dioecesis, Romano Imperio vacante[1].

Venerabili Fratri Antonio episcopo Vigiliensi, nostro et Sedis Apostolicae in partibus inferioris Germaniae nuncio,

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio facultatis, de qua in rubrica.

Ad Westphaliae provinciae necnon terrae et districtus Aquisgranae Leodiensis dioecesis statum pro nostro pastoralis officii debito animum convertentes, et beneficiorum inibi consistentium, sacro romano imperio vacante, collationi prospicere volentes, ac de fraternitatis tuae fide, prudentiâ, et integritate plurimum in Domino confisi, eidem fraternitati tuae, ut quaecumque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, secularia et quorumvis ordinum regularia, in locis provinciae, terrae et districtus praedictorum Westphaliae et Aquisgrani, quorum tamen iurisdictio temporalis ab haereticis occupatur, consistentia, etiamsi secularia, canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis etiam curata, nobis et Apostolicae Sedi ratione mensium, vel aliàs quomodolibet, iuxta concordata dudum inter eamdem Sedem et inclytam nationem Germanicam inita, reservata, quae, durante vacatione imperii praedicti per obitum clarae memoriae Rodulphi dum vixit romanorum regis in imperatorem electi, in dictis ecclesiis vacare contigerit, quibusvis personis, quae tibi magis idoneae et in primis in fide catholicâ constantes videbuntur, etiam quaecumque, quodcumque, et qualiacumque, cum curâ et sine curâ, cum eisdem tamen conferendis beneficiis compatientia beneficia ecclesiastica obtinentibus, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, apostolicâ auctoritate, iuxta sacrorum canonum et conciliorum dispositionem conferre, et de illis etiam providere, ipsasque personas, vel earum procuratores illarum nomine, in corporalem possessionem per te eis, ut praefertur, conferendorum beneficiorum, iuriumque et pertinentiarum omnium eorumdem inducere, et inductos defendere, tibique de illorum fructibus, redditibus et proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi;

Aliarumque ad hoc necessariarum.

§ 2. Aliaque in praemissis et circa ea necessaria et opportuna facere, etiam contradictores quoslibet et rebelles per poenas pecuniarias tibi benevisas, ac demum per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, libere et licite valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, de speciali gratiâ indulgemus;

Clausulae.

§ 3. Decernentes reservationes in dictis mensibus, regulas, constitutiones et ordinationes, ac decreta in illis contenta, quoad impediendum te quominus concesso tibi per praesentes indulto uti valeas, ad beneficia huiusmodi nullatenus extendere[1], ac irritum et inane, si secus super praemissis, etiam per nos et alios quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis aliis apostolicis, nec non per nos in contrarium editis et edendis constitutionibus et ordinationibus, ac cancellariae apostolicae regulis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Lege potius *extendi* vel *se extendere* (R.T.).

sufficienter expressis habentes, hac vice, ad effectum praesentium tantum, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Decreta Concilii Tridentini, et constitutiones apostolicae in collationibus huiusmodi servandae.

§ 5. Volumus autem, quod tam parochiales ecclesias[1], et alia curata, quam cetera beneficia omnia, iuxta formam et tenorem decretorum sacri Concilii Tridentini super hoc editorum, personis dignis et idoneis, etiam quae prius professionem fidei, iuxta litterarum felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri desuper editarum formam, emittere omnino teneantur, super quo tuam conscientiam oneramus, conferre debeas, aliter collationes nullae sint;

Infra sex menses litterae apostolicae expediendae.

§ 6. Quodque ii, quibus beneficia aliqua huiusmodi vigore praesentium contuleris, infra sex menses a die illis factae eorumdem beneficiorum provisionis computandos, novas provisiones super beneficiis huiusmodi a nobis impetrare, et litteras apostolicas desuper in totum expedire[2], ac iura camerae apostolicae propterea persolvere omnino teneantur, possintque per alios ab eâdem Sede libere impetrari[3]. Et insuper in litteris provisionis, quae de ipsis beneficiis sic reservatis vel affectis per te vigore praesentium fierit, decretum huiusmodi exprimi debeat, alioquin provisiones huiusmodi similiter nullius sint roboris vel momenti.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die X martii MDCXII pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 10 martii 1612, pontif. an. VII.

1 Erronee edit. Main. legit *ecclesiae* (R. T.).
2 Aptius legeretur *expediri facere* (R. T.).
3 Aptius legeretur *impetrare* (R. T.).

CXCIX.

Facultas nuncio ad praepositum, decanum, capitulum et canonicos ecclesiae Salisburgensis inquirendi de fide, vitâ, et moribus Marci electi ipsius ecclesiae Salisburgensis archiepiscopi[1].

Dilecto filio magistro Antonio Dias, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, ad dilectos etiam filios, praepositum, decanum, capitulum et canonicos ecclesiae Salisburgensis nuncio nostro,

Paulus Papa V.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Marcus Altaemps eligitur in archiepiscopum Salisburgensem.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nuper ecclesiâ Salisburgensi certo, quem praesentibus pro expresso haberi volumus, modo pastoris solatio destitutâ, dilecti etiam filii decanus, capitulum et canonici dictae ecclesiae, quibus[2] electionem futuri archiepiscopi in casu vacationis praedictae concessimus et indulsimus, in unum legitime congregati, dilectum pariter filium Marcum ex comitibus ab Altaemps eiusdem ecclesiae canonicum in archiepiscopum canonice elegerunt[3]:

Commissio de qua in rubrica.

§ 2. Nos, de tuâ fide, prudentiâ, doctrinâ, et morum probitate plurimam in Domino fiduciam habentes, tibi munus instructionis, examinis et inquisitionis de fide, vitâ, moribus, doctrinâ et prudentiâ, aliisque personalibus qualitatibus dicti Marci electi, nec non de ecclesiae Salisburgensis statu, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, committimus.

Necessariarum facultatum concessio.

§ 3. Dantes tibi plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem omnia et singula, quae ad instructionem, examen et inquisitionem huiusmodi iuxta sacrorum canonum dispositionem requiruntur, faciendi, et professionem fidei dicti Marci electi, servatâ tamen in omnibus formâ litterarum felicis recordationis Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri desuper editarum, recipiendi.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Erronee edit. Main. habet *qui* (R. T.).
3 Potius legendum foret *elegerint* (R. T.).

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non dictae ecclesiae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem ecclesiae, illiusque praesuli, capitulo et canonicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX martii MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 30 martii 1612, pontif. an. VII.

CC.

Facultas nuncio Salisburgensi suspendendi quaedam statuta a capitulo et canonicis ipsius ecclesiae Salisburgensis edita[1].

Dilecto filio magistro Antonio Diaz, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, nostro et Sedis Apostolicae apud dilectos etiam filios praepositum, decanum et capitulum et canonicos ecclesiae Salisburgensis nuncio,

Paulus Papa V.

Dilecte fili[2]**, salutem et apostolicam benedictionem.**

Ecclesiâ Salisburgensi vacante, capitulum nonnulla statuta ediderat.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nuper, ecclesiâ Salisburgensi (per cessionem regiminis et administrationis venerabilis fratris Wolfangi archiepiscopi nuper Salisburgensis in manibus tuis sponte factam, et per te, auctoritate a nobis tibi attributâ, admissam) vacante, dilecti etiam filii praepositus, decanus et capitulum et canonici dictae ecclesiae ante electionem certa statuta, conventiones, seu pacta, aut capitula fecerint et iuraverint, ac illis se subscripserint, quae nonnulla praeiudicialia iurisdictioni pro tempore existenti archiepiscopo Salisburgensi competenti, et forsan alia sacris canonibus contraria continent:

Committitur nuncio apostolico, ut ea rescindat, vel suspendat.

§ 2. Nos, quibus omnium ecclesiarum et sacrorum canonum commissa est custodia, ex nostri apostolatus officio, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, si ita tibi videbitur, et in Domino expedire iudicaveris, statuta, conventiones, seu pacta aut capitula huiusmodi, illorumque effectum, donec et quousque a nobis visa, examinata, et, quid desuper decernendum erit, a nobis et Apostolicâ Sede decretum fuerit, auctoritate nostrâ apostolicâ suspendas, et ad illorum observationem tam electum Salisburgensem, quam praepositum, decanum, capitulum et canonicos praedictos et alios quoscumque minime teneri decernas, ac, quatenus opus sit, quaecumque iuramenta per eos desuper praestita ad effectum praemissum relaxes seu suspendas, vel, si etiam opus esse duxeris, eadem statuta, conventiones seu pacta aut capitula, reliquis eiusdem ecclesiae statutis in suo robore permansuris, dictâ auctoritate casses, irrites et annulles, viribusque et effectu evacues, aut aliàs mandes, statuas et decernas.

Concessis ad id necessariis facultatibus.

§ 3. Nos enim tibi super praemissis, electo, praeposito, decano, capitulo et canonicis praedictis, et quibusvis aliis, etiam per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, inhibendi aliaque praemissa in eisdem et circa ea quomodolibet necessaria faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et exequendi, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem, eâdem apo-

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

[2] Erronee edit. Main. fert *dilecti filii* (R. T.).

stolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem ecclesiae, illiusque praesuli, capitulo, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et expressa mentio habenda esset, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV aprilis MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 14 aprilis 1612, pontif. an. VII.

CCI.

Monetur archiepiscopus Salisburgensis, ne quaedam pacta seu conventiones per capitulum et canonicos Salisburgenses initas, aut iuramento firmatas, observet[1].

Dilecto filio Marco electo Salisburgensi

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Capitulum statuta nonnulla edidit iurisdictioni archiepiscopi praeiudicialia.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilecti filii praepositus, decanus, capitulum et canonici ecclesiae Salisburgensis, antequam ad electionem novi archiepiscopi, per quam tu electus fuisti, devenirent, certa statuta, pacta, conventiones, seu capitula fecerint, ac iuramento illa observare promiserint, in quibus nonnulla iurisdictioni archiepiscopi Salisburgensis praeiudicialia, et forsan alia sacris canonibus contraria continentur, tuque inter ceteros canonicos ad illa observanda iuramento similiter te obstrinxeris:

Admonitio de qua in rubrica.

§ 2. Nos, pro pastoralis officii nostri debito, tecum, quem paternâ charitate diligimus, paterne etiam agere volentes, ex corde in Domino te hortamur, ut praedicta statuta, pacta, conventiones, seu capitula, adversus sacros canones inita, decreta et etiam iurata (non immemor, quod praedicti sacri canones statuant) minime observes, nec iures; id quod et tuo officio consentaneum, et nobis pergratum erit.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV aprilis MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 14 aprilis 1612, pontif. an. VII.

CCII.

Mandatum eidem electo archiepiscopo super eadem[1].

Dilecto filio Marco electo Salisburgensi

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

§ 1. Ad apostolatus nostri audientiam pervenit, quod nuper dilecti filii praepositus, decanus, capitulum et canonici ecclesiae Salisburgensis, ex cuius gremio tu etiam eras, antequam ad electionem futuri archiepiscopi devenirent, certa statuta, conventiones, seu pacta, aut capitula fecerunt, et observare iurarunt, iurisdi-

1 Ex regest. in Secret. Brev.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ctioni archiepiscopi Salisburgensis praeiudicialia, et alia forsan continentia sacrorum canonum dispositionibus contraria.

Mandatum archiepiscopo, ne edita statuta iuret, vel observet.

§ 2. Idcirco nos pro pastoralis officii[1] nostri debito a te serio requirimus, tibique in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae aliisque arbitrii nostri poenis, districte praecipimus et mandamus, ne statuta, conventiones seu pacta aut capitula huiusmodi in aliquo observes, nec iures observare, vel illis deferas[2], aut ad illorum seu alicuius eorum exequutionem procedas, aut procedi facias, donec a nobis, quid super illis statuendum sit, maturâ desuper consultatione adhibitâ, tibi nominatim iniunxerimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, et aliis quibusvis statutis et consuetudinibus dictae ecclesiae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis), privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis concessis, confirmatis et approbatis, nec non etiam iuramento pro dictorum statutorum conventionum seu pactorum aut capitulorum observatione a te praestito, quod ad hunc effectum harum serie suspendimus, et pro suspenso haberi volumus et declaramus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV aprilis MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 14 aprilis 1612, pontif. an. VII.

CCIII.

Committitur nuncio apostolico, ut iuramentum a capitulo Salisburgensi praestitum pro observatione praedictorum statutorum relaxet[3].

Dilecto filio magistro Antonio Diaz, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, nostro et Apostolicae Sedis ad dilectos etiam filios praepositum, decanum, capitulum et canonicos ecclesiae Salisburgensis nuncio

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Statuta per capitulum edita, et iuramentum praestitum.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dum venerabilis frater Wolfangus archiepiscopus nuper Salisburgensis ecclesiae Salisburgensi praeesset, quaedam statuta a praeposito, decano et capitulo et canonicis ecclesiae Salisburgensis perpetuo observanda edita fuerint, et dilecti etiam filii moderni praepositus, decanus, capitulum et canonici dictae ecclesiae illa et certa alia statuta, conventiones, seu pacta, aut capitula, per eos nuper, sede archiepiscopali Salisburgensi vacante, et antequam ad electionem futuri archiepiscopi devenirent, facta, observare iuraverint, haec autem omnia a Sede Apostolicâ minime approbata fuerint; et, sicut etiam accepimus, in eis nonnulla sacris canonibus minus conformia contineantur:

Commissio de qua in rubricâ.

§ 2. Nos pro nostro pastoralis officii debito tibi per praesentes committimus et mandamus, ut quaecumque iuramenta per dictos praepositum, decanum, capitulum et canonicos in praemissis quomodolibet praestita, quatenus opus sit, auctoritate apostolicâ relaxes, eosque et quemlibet eorum ad statutorum, conventionum, pactorum et capitulorum huiusmodi observationem minime teneri dictâ auctoritate declares.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictis et aliis quibuscumque dictae ecclesiae statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, eidem ecclesiae, illiusque praesuli, capitulo, canonicis, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et de-

1 Edit. Main. legit *officio* (R. T.)
2 Erronee ibidem legitur *deferes* (R. T.).
3 Ex Regest. in Secret. Brev.

cretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XII maii MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 12 maii 1612, pontif. an. VII.

CCIV.

Sigismundo III Poloniae regi facultas conceditur recipiendi subsidium ab ecclesiasticis regni sponte oblatum pro bello contra Moschos[1].

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae et Suetiae regi illustri Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem,

Pro bello contra Moschos ecclesiastici regni Poloniae aliquod subsidium regi praestari promittunt.

§ 1. Ex maiestatis tuae litteris nuper cognovimus, quod (cum suscepti a te belli in Moscoviâ rationes postulent, ut cum novis copiarum supplementis eo proficiscaris, nutantibus ac partim etiam rebellantibus Moschis, felicesque progressus tuos catholicae religionis hostibus impedire adnitentibus, regiaeque vires exhaustae et opes accisae sint) dilecti filii clerus regni Poloniae, subsidii nomine, aliquam pecuniae summam eidem maiestati tuae, nostro videlicet ad hoc et Apostolicae Sedis accedente consensu, conferre sponte volunt.

Hoc sibi permitti petit Sigismundus rex.

§ 2. Cum autem propter[2] Lateranense Concilium, nec non diversas alias canonicas et apostolicas constitutiones, sub diversis censuris et poenis caveatur expresse, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniarum summam sive subventionem recipiant; nobis propterea humiliter supplicasti, ut praemissis nostram et huius sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur.

Permittit Pontifex.

§ 3. Nos, huiusmodi supplicationibus inclinati, subsidio huiusmodi, sponte tamen per archiepiscopos, episcopos, abbates et alias ecclesiasticas personas, pro unâ vice et summâ quae eis videbitur tantum, tribuendo, nostram et dictae sedis auctoritatem interponimus per praesentes.

Ecclesiasticis illud elargiendi, regiisque ministris recipiendi, sine censurarum incursu tribuit facultatem.

§ 4. Et nihilominus archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis ecclesiasticis personis praedictis, ut aliquam pecuniae summam huiusmodi semel tantum, ut supra, conferendam persolvere, ac maiestas tua, tuique ministri praedicti petere et recipere, absque conscientiae scrupulo, ac censurarum et poenarum praedictarum incursu libere et licite possint, concedimus et indulgemus; ipsosque archiepiscopos, episcopos, abbates et alias personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus ipsi dictam pecuniae summam promiserint, aut solverint, nec non eamdem maiestatem tuam et tuos ministros praedictos, si illam iam receperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis propterea quomodolibet incursis eâdem auctoritate absolvimus, et absolutos fore censemus et declaramus.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ac exemptio-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Videretur potius legendum *per* (R. T.).

nibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, quibusvis generaliter vel specialiter concessis (etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales etiam specialem mentionem importantes eis derogatum esse non censeatur, aut derogari videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis): quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro plene expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Archiepiscopo Gnesnensi committitur huiusmodi subsidii exactio.

§ 6. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Gnesnensi, ut ad praedicti subsidii exactionem auctoritate nostrâ apostolicâ per personas ecclesiasticas, et non alias, cum a maiestate tuâ fuerit requisitus, procedat, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, tenore presentium committimus et mandamus, eidemque eamdem exactionem faciendi facultatem damus.

Exceptis tamen clericis pauperibus.

§ 7. Volumus autem, ut pauperes clerici, qui in redditibus non haberent nisi victum necessarium, ad contribuendum minime compellantur.

Praesentium transumptis credi iubet.

§ 8. Praetera volumus praesentium transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem prorsus fidem, in iudicio et extra, in omnibus et per omnia adhiberi, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die I iunii MDCXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 1 iunii 1612, pontif. an. VIII.

CCV.

Confirmatio concordiae initae inter regem catholicum administratorem Militiae beatae Mariae de Montesia et praeceptorem de Onda ac universitatem oppidi de Onda Dertusensis dioecesis super quadam iurisdictione[1].

Venerabili fratri Antonio archiepiscopo Capuano nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae se. tutis officio piorum locorum quorumlibet, et maxime regularium, utilitati et commodis intendentes, ea quae propterea inter fideles quoslibet, semotis litium anfractibus, concorditer facta fuisse dicuntur, ut firma et illibata perpetuo persistant, libenter, cum a nobis petitur, mandamus apostolico patrocinio roborari.

Ad controversias sopiendas inter praeceptorem, et universitatem oppidi de Onda,

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, qui administrator perpetuus Militiae beatae Mariae de Montesia et sancti Georgii de Alfama auctoritate apostolicâ deputatus existit, ac dilectorum filiorum moderni praeceptoris praeceptoriae oppidi de Onda dictae Militiae Dertusensis dioecesis, ac universitatis et hominum eiusdem oppidi petitio continebat, quod, cum hactenus graves et variae lites inter Philippum regem, uti administratorem Militiae huiusmodi ac praeceptorem ex unâ, nec non universitatem et homines praedictos ex alterâ partibus, aliosque forsan litium consortes, super quibusdam iurisdictionibus civilibus et maxime eâ, quam *Alphonsinam* vulgo vocant in illis partibus, variisque iuribus (quorum aliqua ad prae-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

ceptorem pro tempore existentem dictae praeceptoriae spectabant, videlicet electio unius ex pluribus a populo deputatis pro officio praetoris, seu, ut dicunt in illis partibus, iustitiae civilis, ac graduandi, sive gradatim per ordinem eligendi iuratos, aliosque officiales alia vero idem praeceptor ad se, licet pluries super illis condemnatus fuerit, spectare praetendebat) rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, ortae fuerint, et aliquae etiam de praesenti in supremo regio consilio indecisae pendeant;

Partes ad quamdam concordiam devenere.

§ 2. Praeceptor ac universitas et homines praedicti excessivis sumptibus, quos passi sunt, parcere, ac tam iidem, quam dictus Philippus rex conditionem dictae praeceptoriae meliorem efficere cupientes, ad infrascriptam inter se, sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, devenerunt transactionem, videlicet: quod dictus Philippus rex tamquam administrator Militiae praedictae omnem iurisdictionem civilem supra expressam, usumque et exercitium eiusdem, unâ cum arce, terris, ac omnibus iuribus et pertinentiis, salariis, poenis, ac proventibus et emolumentis, quae [1] ipse tamquam talis administrator Militiae, et praeceptor praedictus in eodem oppido, illiusque territorio et districtu, nec non super incolis et habitatoribus oppidi huiusmodi nunc tenent et possident, ac denique omnia et quaecumque iura et actiones seu praetensiones, quae habent, et ad ipsos nunc spectant et pertinent, ac spectare et pertinere possunt et poterunt quomodolibet in futurum (etiam ratione iurisdictionis *Alphonsinae* huiusmodi, ex qua parva vel minima iurisdictio resultat) ex quocumque iure, viâ, modo, formâ, titulo, causâ, vel ratione, ex quibus omnibus praeceptor dictae praeceptoriae pro tempore existens non ultra quinquaginta ducatos auri de camerâ annuatim percipiebat), universitati et hominibus praedictis cedere, renunciare et transferre; ipsi vero universitas et homines, in recompensam cessionis, renunciationis et translationis huiusmodi, bona stabilia valoris in proprietate sex mille, et annui redditus trecentarum librarum monetae Valentinae (quae trecentae librae summam ducentorum quadraginta ducatorum auri de camerâ, vel circa, constituunt) praedictae praeceptoriae (de consensu et cum interventu dicti Philippi regis, uti administratoris generalis religionis praedictae, seu ab eo deputati) assignare cum pacto retrovendendi quandocumque; ac idem Philippus rex, tamquam talis administrator, et praeceptor praedictis omnibus et quibuscumque litibus et instantiis occasione praedictae iurisdictionis civilis et *Alphonsinae,* sive illius usus et exercitii, ubicumque motis et pendentibus indecisis, ac insuper quibuscumque articulis et provisionibus ab illis dependentibus, ac iuribus et actionibus, quae eâ occasione quomodolibet praetendere possent, renunciare, prout cum effectu renunciaverunt; universitas autem et homines praedicti omnes et singulas expensas in expeditione praesentium necessarias de suorum proprio facere tenerentur; ac sub pactis et conditionibus tunc expressis licitis et honestis, prout in publico desuper confecto instrumento dicitur plenius contineri.

Philippus rex administrator dictae Militiae concordiam petit confirmari.

§ 3. Quare pro parte Philippi regis, et praeceptoris, ac universitatis et hominum praedictorum (asserentium transactionem huiusmodi pro terminandis litibus inter ipsos vigentibus, et ad obviandum illis, quae frequentes et graves super praemissis oriri possent, ac pro conservandâ inter ipsos pace factam fuisse, illamque in evidentem dictae praeceptoriae cessisse et cedere utilitatem) nobis fuit humiliter supplicatum quatenus illam approbare et con-

[1] Edit. Main. legit *qui;* sed correctione opus erat (R. T.).

firmare, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Paulus.

§ 4. Nos igitur, certam de praemissis notitiam non[1] habentes, ipsosque Philippi regem, ac praeceptorem, nec non universitatem et homines praedictos, eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, nec non instrumenti praedicti tenores etiam veriores ac datas praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus (si et postquam, vocatis, qui fuerint vocandi, ac iuribus praedictis illorumque circumstantiis universis prius coram te specificatis, de transactione et iurium cessione cum pactis et recompensâ praedictis, ac[2] quod illa in evidentem dictae praeceptoriae cesserit, et cedat utilitatem tibi legitime constiterit) illam perpetuo approbare et confirmare, illique inviolabilis et apostolicae firmitatis robur adiicere, nec non omnes et singulos, tam iuris quam facti et substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplere, ac transactionem eamdem validam et efficacem fore et esse, per eosque, ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, firmiter observari debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari, irritum et inane decernere, auctoritate nostrâ procures.

Obstantia tollit.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II praedecessoris nostri de rebus ecclesiae non alienandis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non praeceptoriae et ordinis praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quorum tenores praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Decretum pro indemnitate bonorum ad praeceptoriam pertinentium.

6. Volumus autem, quod si contingat dicta bona stabilia per universitatem et homines praedictos, ut praefertur, assignanda, redimi, pretium inde proveniens penes aliquam aedem sacram omnino deponi, nec inde amoveri debeat, nisi ad effectum convertendi illud in emptionem aliorum bonorum stabilium pro dictâ praeceptoriâ.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die VIII iunii MDCXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 8 iunii 1612, pontif. an. VIII.

1 Particula *non* redundare videtur (R. T.).

2 Etiam coniunctio *ac* videtur redundare (R. T.).

CCVI[1].

Marcus Siticus ab Altaemps electus archiepiscopus Salisburgensis a quibuscumque censuris absolvitur[2].

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,

Dilecto filio Marco Sitico ex comitibus ab Altaemps canonico Salisburgensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Apostolicae Sedis consueta clementia, ne dispositiones per eam de metropolitanis ecclesiis pro tempore factae valeant quomodolibet impugnari, sed personae ad eas promovendae illis puro corde et se-

1 Hanc censuimus seqq. praemittendam (R.T.).

2 Ex regest. in Cancell. Apost.

curâ conscientiâ praesidere possint, remedia, prout convenit, adhibet opportuna.

Electum absolvit a censuris.

§ 1. Cum itaque nos hodie electionem de personâ tuâ in archiepiscopum Salisburgensem, ecclesiâ ipsâ tunc certo modo pastoris solatio destitutâ, canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio, apostolicâ autoritate approbari et confirmari[1], teque illi in archiepiscopum et pastorem praeficere intendamus: nos, ne (si forsan aliquibus sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis ligatus sis) approbatio, confirmatio et praefectio praefatae valeant propterea quomodolibet invalidae reputari, providere volentes, te a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodatus sis, ad hoc dumtaxat, ut approbatio, confirmatio, et praefectio praefatae, nec non singulae litterae desuper conficiendae, suum sortiantur effectum, dictâ apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, absolvimus, et absolutum fore nunciamus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae Salisburgensis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis et nunciationis infringere, vel ei ausu temerario contrahire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae MDCXII, XIV kalendas iulii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 18 iunii 1612, pont. an. VIII.

1 Melius lege *approbare et confirmare* (R.T.).

CCVII.

Confirmatio electionis Marci Sitici ab Altaemps in archiepiscopum Salisburgensem[1].

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,

Dilecto filio Marco Sitico ex comitibus ab Altaemps electo Salisburgensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Divinâ disponente clementiâ, cuius inscrutabili providentiâ ordinationem suscipiunt universa, in apostolicae dignitatis speculâ, meritis licet imparibus, constituti, ad universas orbis ecclesias aciem nostrae considerationis extendimus; et pro earum statu salubriter dirigendo apostolici favoris auxilium adhibemus. Sed de illis nos propensius cogitare convenit, quas propriis carere pastoribus intuemur, ut illis iuxta cor nostrum pastores praeficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam et providentiam circumspectam salubriter dirigant, et bona ecclesiarum ipsarum non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis.

Vacante Salisburgensi ecclesia.

§ 1. Sane nuper, postquam nos venerabili fratri nostro Wolfango Theodorico, archiepiscopo olim Salisburgensi, regimini et administrationi ecclesiae Salisburgensis, cui tunc praeerat, in manibus dilecti filii magistri Antonio Diaz, in utrâque signaturâ nostrâ referendarii ac nostri et Apostolicae Sedis in illis partibus nuncii, cedendi, et ipsi Antonio nuncio cessionem huiusmodi apostolicâ auctoritate admittendi, necnon dilectis filiis capitulo dictae ecclesiae (ad quos electio personae idoneae in archiepiscopum Salisburgensem, dum ecclesia ipsa pro tempore vacat, illi per Romanum Pontificem pro tempore existentem ad electionem huiusmodi prae-

1 Ex regest. in Cancell. Apost.

ficiendae, iuxta concordata dudum inter Sedem praefatam et nationem Germanicam inita, pertinere dignoscitur) ad electionem huiusmodi procedendi facultatem ex certis rationabilibus causis per nostras sub annulo piscatoris expeditas litteras concesseramus, cum concessionis et litterarum earumdem vigore Wolfangus Theodoricus archiepiscopus regimini et administrationi huiusmodi in dictis manibus sponte et libere cessisset, ac Antonius nuncius cessionem ipsam dictâ auctoritate admississet, ecclesiâ huiusmodi per cessionem eamdem pastoris solatio destitutâ, capitulum praefati pro futuri archiepiscopi Salisburgensis electione celebrandâ, vocatis omnibus, qui voluerant, potuerant et debuerant electioni huiusmodi commode interesse, die ad eligendum prefixâ, ut moris est, convenientes in unum, te tunc ipsius ecclesiae canonicum, de nobili et comitum genere procreatum, et in subdiaconatus ordine a nonnullis annis constitutum, et ad docendum alios idoneum, in eorum et dictae ecclesiae sic vacantis archiepiscopum concorditer elegerunt; tuque electioni huiusmodi, illius tibi praesentato decreto, consensisti, et deinde electionis huiusmodi negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis, petens illam dictâ auctoritate confirmari, in his omnibus statutis a iure temporibus observatis.

Capitulum Marcum Siticum ab Altaemps in archiepiscopum eligit.

§ 2. Nos igitur electionem eamdem, nec non idoneitatem et merita personae tuae examinare fecimus; et quia invenimus electionem ipsam de eâdem personâ tuâ (cui apud nos de litterarum scientiâ, vitae munditiâ, honestate morum, spiritualium providentiâ, et temporalium circumspectione, aliisque virtutum donis fide digna testimonia perhibentur) fuisse canonice celebratam, illam de fratrum nostrorum consilio dictâ auctoritate approbamus et confirmamus: teque eidem ecclesiae in archiepiscopum praeficimus et pastorem; curam et administrationem ipsius ecclesiae Salisburgensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat et gratias largitur praemia: confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, praefata ecclesia Salisburgensis per tuae circumspectionis industriam, et studium fructuosum, regetur utiliter et prospere dirigetur; ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiat[1] incrementa.

Paulus electionem confirmat.

§ 3. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris promptâ devotione suscipiens, curam et administrationem praefatas sic sollicite geras, et fideliter exequaris, quod ecclesia Salisburgensis gubernatori provido, et fructuoso administratori gaudeat se commissam; tuque, praeter aeternae retributionis praemium, nostram et Apostolicae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Electumque hortatur ut eam ecclesiam sollicite regat.

Datum Romae apud sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae MDCXII, XIV kalendas iulii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die, mense, annoque eisdem.

CCVIII.

Episcopos suffraganeos hortatur, ut electo Salisburgensi obsequium et obedientiam praestent[2].

Paulus episcopus
servus servorum Dei,

Venerabilibus fratribus universis suffraganeis ecclesiae Salisburgensis, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Hodie siquidem electionem de personâ dilecti filii Marci Sitici electi Salisburgensis in archiepiscopum Salisburgensem per dilectos filios capitulum et[3]

Electionem, confirmationemque praefatas recenset.

1 Aptius legeres *suscipiet* (R. T.).
2 Ex regest. Cancell. Apost.
3 Vel coniunctio *et* redundat, vel aliquid deest ex. g. *canonicos* (R. T.).

ecclesiae Salisburgensis, ecclesiâ ipsâ certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutâ, canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio apostolicâ auctoritate approbavimus et confirmavimus, ipsumque illi in archiepiscopum praefecimus, et[1] pastoralem curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Salisburgensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris, plenius continetur.

Monetque suffraganeos episcopos, ut electo obediant.

§ 2. Quodcirca universitatem vestram monemus et hortamur attente, vobis per apostolica scripta mandantes, quatenus, eidem Marco Sitico archiepiscopo electo tamquam membra capiti obsequentes, exhibeatis ei obedientiam et reverentiam debitas et devotas; ita quod mutua inter vos et ipsum gratia gratos sortiatur effectus, nosque devotionem vestram possimus propterea in Domino condignis actibus merito commendare.

Datum Romae apud sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae MDCXII, XIV kalendas iulii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die, mense, annoque eisdem.

CCIX.

Ad Matthiam imperatorem in idem argumentum[2].

Paulus Episcopus servus servorum Dei,

Charissimo in Christo filio Matthiae Hungariae regi in Romanorum imperatorem electo, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Gratiae divinae praemium et humanae laudis praeconium acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum praelatis, praesertim pontificali dignitate praeditis, opportuni favoris praesidium et honor debitus impendatur.

Facti series.

§ 1. Hodie siquidem electionem de personâ dilecti filii Marci Sitici electi Salisburgensis in archiepiscopum Salisburgensem per dilectos filios capitulum ecclesiae Salisburgensis, ecclesiâ ipsâ certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutâ, canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio apostolicâ auctoritate approbavimus et confirmavimus; ipsumque illi in archiepiscopum praefecimus, et[1] pastoralem curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Salisburgensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.

Adhortatio ad Mathiam ut novo archiepiscopo praestoletur.

§ 2. Cum itaque, fili charissime, sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus pro regis aeterni gloriâ venerari, maiestatem tuam regiam rogamus et hortamus attente, quatenus, eumdem Marcum Siticum electum et praefatam ecclesiam suae curae commissam habens pro nostrâ et Sedis Apostolicae reverentiâ propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui benigni favoris auxilio prosequaris, quod ipse Marcus Siticus electus, tuae celsitudinis fultus praesidio, in commisso sibi curae pastoralis officio possit, Deo propitio, prosperari, ac tibi exinde a Domino perennis vitae praemium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Datum Romae apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicae MDCXII, XIV kalendas iulii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die, annoque eisdem.

1 Vel coniunctio *et* redundat, vel postea *commisimus* pro *committendo* legi debet; vel potius legendum *in archiepiscopum praefecimus et pastorem, curam*, etc. (R. T.).

2 Ex regest. Cancell. Apost.

1 Vide antea not. praec.

CCX.

Capitulo Salisburgensi in idem argumentum[1].

Paulus Episcopus servus servorum Dei,

Dilectis filiis capitulo ecclesiae Salisburgensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Electionem factam recenset.

Hodie electionem de personâ dilecti filii Marci Sitici electi Salisburgensis in archiepiscopum Salisburgensem, per vos, ecclesiâ vestrâ Salisburgensi certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutâ, canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio, apostolicâ auctoritate approbavimus et confirmavimus; ipsumque illi in archiepiscopum praefecimus et pastorem[2], curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Salisburgensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus, eidem Marco Sitico archiepiscopo electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum intendentes, etiam exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter, et[3] efficaciter adimplere curetis, alioquin sententiam, quam idem Marcus Siticus archiepiscopus electus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Capitulum ad obedientiam suo pastori debitam hortatur.

Datum Romae apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDCXII, XIV kalendas iulii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die, mense, annoque eisdem.

1 Secret. Brev. Cancell. Apost.

2 Hinc dignoscitur quod etiam in duabus litteris praeced. *pastorem* per *pastoralem* legi oportebat (R. T.).

3 Coniunctionem *et* addimus, ut patet ex loco parallelo seq. Constitutionis (R. T.).

CCXI.

In idem argumentum clero Salisburgensi[1].

Paulus Episcopus, servus servorum Dei,

Dilectis filiis clero civitatis et dioecesis Salisburgensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series et hortatio.

Hodie electionem de personâ dilecti filii Marci Sitici electi Salisburgensis in archiepiscopum Salisburgensem per dilectos filios capitulum ecclesiae Salisburgensis, ecclesiâ ipsâ certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutâ, canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio, apostolicâ auctoritate approbavimus et confirmavimus, ipsumque illi in archiepiscopum praefecimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Salisburgensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus, eumdem Marcum Siticum archiepiscopum electum tamquam Patrem et pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, et exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas, eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter, et efficaciter adimplere curetis; alioquin sententiam, quam idem Marcus Siticus archiepiscopus electus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae apud sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae MDCXII, XIV kalendas iulii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die annoque eisdem.

1 Secret. Brev. Cancell. Apost.

CCXII.

In idem argumentum populo Salisburgensi.

Paulus Episcopus servus servorum Dei

Dilectis filiis populo civitatis et dioecesis Salisburgensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series et hortatio.

Hodie electionem de personâ dilecti filii Marci Sitici electi Salisburgensis in archiepiscopum Salisburgensem per dilectos filios capitulum ecclesiae Salisburgensis, ecclesiâ ipsâ certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutâ, canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio, apostolicâ auctoritate approbavimus et confirmavimus, ipsumque illi in archiepiscopum praefecimus et pastorem, curam, regimen, et administrationem ipsius ecclesiae Salisburgensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitatem vestram monemus et hortamur attente vobis apostolica scripta mandantes, quatenus, eumdem Marcum Siticum electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, et debitâ honorificentiâ pertractantes, eius monitis et mandatis salubrius humiliter intendatis. Ita quod idem Marcus Siticus electus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis.

Datum Romae apud sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae MDCXII, XIV kalendas iulii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die annoque eisdem.

CCXIII.

Vassallis ecclesiae Salisburgensis, ut electo debita servitia et iura exhibeant.

Paulus Episcopus servus servorum Dei

Dilectis filiis universis vassallis ecclesiae Salisburgensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Hortatio de qua in rubricâ.

Hodie electionem dilecti filii Marci Sitici electi Salisburgensis in archiepiscopum Salisburgensem per dilectos filios capitulum ecclesiae Salisburgensis, ecclesiâ ipsâ certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutâ, canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio, apostolicâ auctoritate approbavimus et confirmavimus, ipsumque illi in archiepiscopum praefecimus et pastorem, curam, regimem et administrationem ipsius ecclesiae Salisburgensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus, eumdem Marcum Siticum electum devote suscipientes, et fidelitatem debitam, et consueta servitia, et iura sibi a vobis debita integre exhibere studeatis; alioquin sententiam, sive poenam, quam idem Marcus Siticus electus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae apud sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae MDCXII, XIV kalendas iulii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die annoque eisdem.

CCXIV.

Marco Sitico electo Salisburgensi facultas conceditur munus consecrationis a quocumque sibi beneviso episcopo suscipiendi.

Paulus Episcopus
servus servorum Dei

Dilecto filio Marco Sitico electo Salisburgensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Electionem, confirmationemque recenset.

§ 1. Cum nos pridem[1] electionem de personâ tuâ in archiepiscopum Salisburgensem per dilectos filios capitulum ecclesiae Salisburgensis, ecclesiâ ipsâ tunc certo modo pastoris solatio destitutâ, canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio, apostolicâ auctoritate approbaverimus et confirmaverimus; teque illi in archiepiscopum praefecerimus et pastorem, curam, regimen, et administrationem ipsius ecclesiae Salisburgensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur;

Facultatem concedit, de qua in rubricâ, coniuncto onere iuramentum praestandi.

§ 2. Nos ad ea, quae ad tuae commoditatis augumentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, postquam presbyter fueris, ut a quocumque, quem malueris, catholico antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, accitis et in hoc illi assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis episcopis, similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti, ut, recepto prius per eum a te nobis[2] et Romanae Ecclesiae fidelitatis debitae solito iuramento iuxta formam praesentibus adnotatam, munus praefatum auctoritate nostrâ impendere libere tibi possit, plenam et liberam, earumdem tenore praesentium, concedimus facultatem.

Sub poenis hic expressis.

§ 3. Volumus autem, et câdem auctoritate statuimus atque decernimus, quod, si non recepto prius a te per ipsum antistitem praefato iuramento, idem antistes munus huiusmodi tibi impendere et tu illud suscipere praesumpseritis, idem antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Praeterea etiam volumus, quod formam iuramenti huiusmodi, a te tunc praestiti, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius destinare procures.

Forma iuramenti fidelitatis.

§ 4. Forma autem iuramenti, quod praestabis, haec est: — Ego Marcus Siticus electus Salisburgensis ab hac horâ in antea fidelis et obediens ero beato Petro, sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, ac Domino nostro Domino Paulo PP. V suisque successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur malâ captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore: consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam: Papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem: legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo: iura, honores, privilegia et auctoritatem Romanae Ecclesiae, Domini nostri Papae, et successorum praefatorum conservare et defendere, augere et promovere curabo: non ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personaliter[1] iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et, si talia a quibuscumque procurari novero

1 Ex datâ huius Const. et praecedentium constat legendum esse *pridie* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *nostro;* nobis correctionis opus esse visum fuit (R. T.).

1 Haec vox *personaliter* non omnino apta videtur (R. T.).

vel tractari, impediam hoc pro posse, et quantocitius potero commode significabo eidem Domino nostro, vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire: regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari: haereticos, schismaticos, et rebelles Domino nostro et successoribus praefatis pro posse persequar et impugnabo: vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonicâ praepeditione: apostolorum limina singulis quatrienniis personaliter et per me ipsum visitabo, et Domino nostro et successoribus praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio, et de rebus omnibus ad meae ecclesiae statum, ad cleri et populi discisciplinam, animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica praefata humiliter recipiam, et quam diligentissime exequar; quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio capituli mei, aut alium in dignitate ecclesiasticâ constitutum, seu aliàs personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum sacerdotem, et, clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum seu secularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum: de huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes, ad sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem proponentem in congregatione sacri Concilii Tridentini per supradictum nuncium transmittendas: possessiones ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu capituli ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc editâ constitutione contentas eo ipso incurrere volo: sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Datum Romae apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicae MDCXII, XIII kalendas iulii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 19 iunii 1612, pontif. an. VIII.

CCXV.

Confirmatio venditionis castri Vallisclusae in comitatu Venayssino favore Clarae de Perusiis[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Humilibus piorum christifidelium, praesertim nobis et Romanae Ecclesiae immediate subiectorum, votis libenter annuimus, eosque favoribus prosequimur opportunis, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Clara de Perusiis feudum Vallisclusae emit a Magdalena de Sagnet.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilecta in Christo filia Clara de Perusiis mulier vidua Avenionensis quod ipsa de anno MDCVIII, et die IV mensis martii, castrum feudale Vallisclusae Cavallicensis dioecesis in comitatu nostro Venayssino cum iurisdictione, iuribus et pertinentiis suis universis a dilectâ similiter in Christo filiâ Magdalena de Sagnet et Causan, tunc utili domino eiusdem castri, pretio inter eas convento tredecim millium, sexcentorum, et sexaginta sex scutorum, et solidorum quadraginta, ad rationem solidorum sexaginta illarum partium pro quolibet scuto huiusmodi, pro se, suisque haeredibus, et successoribus emit, et in instrumento emptionis et venditionis praedictae dictum et expressum fuit, dictum castrum Vallisclusae cum eius iuribus et pertinentiis esse sub directo dominio

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Cavallicensis episcopi, censuque et servitio consueto, prout in instrumento desuper confecto per dilectum filium Stephanum Marelli notarium dictae civitatis Avenionensis plenius dicitur contineri.

Episcopus Cavallicensis laudemium sibi solvendum esse praesumit.

§ 2. Et subinde, cum bonae memoriae Hieronymus, dum vixit, episcopus Cavallicensis, ius concedendi investituram dictae Clarae, nec non laudemium ratione venditionis praedictae in illis partibus solvi solitum, non nobis, sed sibi, et pro tempore existenti episcopo Cavallicensi deberi praetendens, litem super receptione eiusdem laudemii et concedendâ investiturâ praedictâ contra fiscum nostrum in illis partibus atque etiam in Romanâ Curiâ introduxisset, et interim dicta Clara licentiam petiisset et obtinuisset possidendi dictum castrum cum eius iuribus et pertinentiis a iudice camerae nostrae apostolicae in civitate Carpenctoratensi degente, citato procuratore dicti Hieronymi episcopi,[1] et in illius contumaciam obtulisset accipere investituram, et solvere laudemium, cui magis de iure deberetur, ac successive, praedicto Hieronymo episcopo vitâ functo, iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae debitorum in illis partibus subcollector laudemium huiusmodi exigi curasset, lite et causâ, tam super praedicti laudemii solutione, quam quantitate ad quam laudemium huiusmodi solvi deberet, et an ad cameram, vel episcopum praedictum pertineret et spectaret, indecisis pendentibus; praedicta Clara, ad instantiam praefati subcollectoris et commissarii spoliorum, persolvit scuta ducenta eidem commissario ad bonum computum dicti laudemii, sede episcopali adhuc vacante.

Actaque causa est contra fiscum reverendae Camerae apostolicae.

Deinde ipsa Clara infeudationem a Pontifice petit;

§ 3. Postmodum, factâ provisione dictae ecclesiae Cavallicensis de personâ venerabilis fratris Octavii episcopi Cavallicensis, cum dicta Clara differret sumere dictam investituram a camerâ nostrâ illiusque officialibus in illis partibus commorantibus, et solvere residuum dicti laudemii praedicto subcollectori, de mandato eiusdem subcollectoris fuerunt factae pignorationes et exequutiones in et super bonis mobilibus ed immobilibus eiusdem Clarae, ac etiam super dicto castro Vallisclusae, tam ante quam post adeptam per praedictum Octavium episcopum possessionem dictae ecclesiae, non obstantibus oppositionibus et appellationibus factis et interpositis per dictam Claram et procuratorem praefati Octavii episcopi praetendentis ius concedendi investituram et percipiendi dictum laudemium nondum integre solutum ad se pertinere, ob quod dicta Clara a[1] dilecto filio thesaurario camerae nostrae in comitatu Venayssino, cum interventu dicti subcollectoris et aliorum officialium camerae nostrae apostolicae in partibus praedictis commorantium, et cum protestationibus, reservationibus, et sub pactis et qualitatibus contentis in instrumento desuper confecto per dilectum filium Franciscum Geresi vicescribam dictae camerae, eidem subcollectori consignavit et tradidit centum salmatas frumenti, ex quarum pretio solvit scuta tercenta, ultra alia ducenta praedicta ad bonum computum dicti laudemii, ratione supradicti spolii; ulterioresque litium anfractus evitare cupiens, pro residuo eiusdem laudemii, alia septingenta scuta similia nobis persolvere obtulit, dummodo venditioni et emptioni praedictis beneplacitum seu consensum opportunum ac apostolicae nostrae confirmationis robur adiicere, ipsiusque castri infeudationem illis modo et formâ, quibus praedictae Magdalenae seu illius antecessoribus concessa fuerat[2], concedere dignaremur.

Qui, imposito super hac causa silentio episcopo, assentit;

§ 4. Nos igitur, praedictam Claram specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibuscumque excommunica-

1 An quid desit, iudicet prudens lector (R. T.).
2 Forsan hic deest *ipsi* (R. T.).

tionis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodata existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutam fore censentes, motu proprio ac ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, litis et causae praedictarum statum et merita ac praedicti instrumenti tenorem praesentibus pro expressis habentes, litem et causam praedictas, quoad laudemium huiusmodi, in statu et terminis, in quibus coram quibuscumque iudicibus reperiuntur ad nos avocamus et cassamus, extinguimus ac penitus annullamus, modernoque et pro tempore existenti episcopo Cavallicensi perpetuum super praetensione huiusmodi laudemii silentium imponimus, nec non septingenta scuta praedicta pro omni et toto eo, quod ratione laudemii huiusmodi exigi solitum erat et a nobis tam ratione spolii quam alio quocumque iure praetendi poterat, recipimus et admittimus, ac ab officialibus nostris, ad quos spectat, recipi et admitti praecipimus et mandamus, ac residuum eidem Clarae gratiose remittimus et condonamus.

Venditionisque contractum approbat.

§ 5. Et insuper motu et scientiâ paribus, ac de plenitudine potestatis nostrae apostolicae, beneplacitum et consensum praedictum praestamus, nec non praemissas venditionem et emptionem dicti castri Vallisclusae, et instrumentum praedictum, ac omnia et singula in eo contenta, licita tamen et honesta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac illis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti et solemnitatum forsan omissarum ac alios quantumvis substantiales defectus, etiam de stylo dicti comitatus, ac etiam ex dispositione constitutionum apostolicarum quomodolibet et qualitercumque requisitos, cognitos et incognitos, si qui principaliter vel accessorie intervenerint in eisdem, etiamsi de illis, ad hoc ut suppleri possent, specialis mentio facienda esset, plenissime supplemus; et dicti castri Vallisclusae infeudationem, nullâ tamen ipsius feudi primaevâ naturâ immutatâ, ac modo et formâ, quibus primitus concessa fuit (cuius tenorem etiam praesentibus pro expresso haberi volumus), sine tamen in reliquis praeiudicio iurium ecclesiae et pro tempore existentis episcopi Cavallicensis, ac praesertim super directo dominio ab eo praetenso, praedictae Clarae, pro se suisque haeredibus et successoribus, auctoritate et tenore praedictis, concedimus.

Et quamvis castrum illud ad directum episcopi Cavallicensis dominium spectare decernatur, Claram de Perusiis super hac investitura prohibet perturbari.

§ 6. Decernentes motu et potestatis plenitudine similibus, quod, si super directo dominio praedicto, et iure concedendi investituram ratione directi dominii huiusmodi, ad favorem dicti episcopi Cavallicensis moderni et pro tempore existentis, ullo unquam tempore lis terminari, et decidi, ac iudicari, et directum dominium, ac ius concedendi investituram praedictam eidem episcopo, tamquam directo domino, competere declarari contingat; nihilominus praedicta Clara ac dicti eius haeredes et successores, neque super laudemio, neque super investiturâ a nobis concessâ praedictis ullatenus molestari possint.

Clausulae pro huiusce Constitutionis firmitate.

§ 7. Praesentesque nostras litteras nullo unquam tempore (etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad id vocati non fuerint, neque solemnitates, et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta fuerint, seu quovis alio praetextu, causâ et occasione) de subreptionis et obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidari nullatenus posse; sed (etiam absque eo, quod

in eâdem camerâ apostolicâ praesententur, et in eâ, suisque libris admittantur, et registrentur) semper et perpetuo validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tol-

§ 8. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae nostrae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, nec non felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri, et aliis quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et dicti comitatus[1] (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis, indultis, et litteris apostolicis, dicto comitatui, illiusque habitatoribus et incolis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis mentio habenda foret, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXV iunii MDCXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 25 iunii 1612, pontif. an. VIII.

CCXVI.

Prohibitio alias domos Romae erigendi sub titulo Congregationis Oratorii[2].

1 Vocem *statutis* heic delemus (R. T.).
2 Similem huic Const. vide supra pag. 58 (R. T.).

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum dilecti filii praepositus et presbyteri Congregationis Oratorii sanctae Mariae in Vallicella nuncupatae de Urbe (quibus pridem a sede apostolicâ indultum fuit, ut pro felici regimine dictae Congregationis statuta et ordinationes ab ipsis observanda facere et condere valerent) indulto huiusmodi inhaerentes, statuta et ordinationes condiderint, quae de mandato nostro revisa, et per nos apostolicâ auctoritate confirmata fuerunt; et, sicut accepimus, in diversis locis aliae Congregationes, ad instar primo dictae, erectae fuerint, quae a primo dictae Congregationis regulis declinare noscuntur;

Congregationis petitio pro prohibitione de qua supra.

§ 2. Nos, primo dictae Congregationis institutum in suo vigore perpetuo manere cupientes, motu proprio, non ad praepositi et presbyterorum praedictorum vel alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, ne de cetero quaevis congregationes, ubivis locorum institutae, constitutiones et instituta sub denominatione beati Philippi Nerii, primo dictae Congregationis fundatoris, promulgare audeant, minusque in Urbe aliae domus eiusdem instituti absque praedictorum praepositi et presbyterorum licentiâ institui possint, sub poenis arbitrio nostro imponendis, et per contrafacientes ipso facto incurrendis, tenore praesentium prohibemus.

Pontificis prohibitio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XXVI iunii MDCXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 26 iunii 1612, pontif. an. VIII.

CCXVII.

Seminarium Anglicanum in oppido Matriti Toletanae dioecesis eximitur a iurisdictione archiepiscopi, et immediate subiicitur Sedi Apostolicae[1].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pastoralis officii cura, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissa postulat, ut ea, quae piorum locorum quorumlibet, praesertim collegiorum et seminariorum ad iuventutis religiosam educationem, ac in ecclesiasticis, aliisque salutaribus disciplinis institutionem pie instructorum, tranquillo statui, felicique progressui conducunt, libenter concedamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Privilegium de quo in rubrica.

§ 1. Itaque, dilectos filios rectorem, scholares, ministros et alias personas collegii, seu seminarii nationis anglicanae in oppido Matriti Toletanae dioecesis canonice erecti, ut apostolico praesidio suffulti, et a quibusvis perturbationibus et gravaminibus releventur, et in suâ vocatione utilius persistant, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, collegium seu seminarium praedictum, illiusque rectorem, ac scholares, ministros et alias personas quascumque, nec non eiusdem res et bona quaecumque, ab omni et quacumque iurisdictione, correctione, visitatione superioritate et potestate moderni et pro tempore existentis archiepiscopi Toletani illiusque officialium et ministrorum quorumcumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, tam in universum quam singillatim, perpetuo eximimus et liberamus, illosque et illa sub beati Petri, ac nostrâ et Sedis apostolicae protectione suscipimus, nobisque et pro tempore existenti Romano Pontifici etiam perpetuo subiicimus; ita ut modernus, et pro tempore existens archiepiscopus praedictus, eiusque officiales et ministri, ullam, quovis praetextu et ex quacumque causâ, in dictum seminarium, eiusque bona, rectorem, ministrum, scholares, ac alias persônas, res et bona quaecumque, iurisdictionem, correctionem, potestatem, et superioritatem habere et exercere minime possint.

Clausulae.

§ 2. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, nec non collegio, seu seminario et aliis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari: sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorem deputatio.

§ 3. Quocirca iudicibus, a pro tempore existente protectore dicti seminarii similiter pro tempore nominandis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte rectoris et collegialium ac aliorum praedictorum seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ rectorem et collegiales, aliosque praedictos, earumdem praesentium, omnium eis concessorum usu et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari: contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione posposità, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas, aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac apostolicis, nec non in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die III iulii MDCXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 3 iulii 1612, pontif. an. VIII.

CCXVIII.

Revocatio omnium licentiarum monasteria monialium ingrediendi, aut cum eis conversandi, mulieribus hactenus concessarum[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Monialium quieti, quae, carnalia desideria abnegantes, Dei obsequio sese addixerunt, pastorali sollicitudine consulere cupientes, ad ea removenda, quae religiosam earum quietem et regularem observantiam perturbare dignoscuntur, curam nostram libenter intendimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Revocatio licentiarum ingrediendi monasteria monialium mulieribus secularibus concessarum.

§ 1. Quoniam itaque, sicut accepimus, experientiâ compertum est, non levia incommoda licentias ingrediendi monasteria monialium, mulieribus secularibus concessas, dictis monialibus inferre: nos malis huiusmodi opportuno remedio providere volentes, motu proprio, et ex certâ nostrâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas licentias ingrediendi monasteria monialium ubique locorum existentium, ac cum monialibus conversandi et refectionem sumendi corporalem, mulieribus cuiuscumque status, gradus et conditionis existentibus, etiam marchionali et ducali dignitate fulgentibus, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus et efficacioribus ac insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, ad tempus vel in perpetuum, a praedecessoribus nostris romanis pontificibus et etiam a nobis concessas (quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, revocamus, cassamus et irritamus, ac revocatas, cassas et irritas esse decernimus.

Poena utentium licentiis.

§ 2. Inhibentes mulieribus praedictis, licentias huiusmodi habentibus, sub ex-

1 Hac super re vide Const. XLIX Greg. XIII *Ubi gratiae*, tom. VIII, pag. 113.

communicationis latae sententiae poenâ, a qua nonnisi a nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, ne monasteria praedicta praetextu licentiarum huiusmodi ingredi audeant, seu praesumant.

Poena eas admittentium.

§ 3. Ipsorum vero monasteriorum abbatissis, seu priorissis, ac superioribus, sub eâdem, ac privationis suorum officiorum quae obtinent, et inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ipso facto sine aliâ declaratione incurrendis poenis, ne eas introducere, seu admittere, vel admissas quoquo modo retinere audeant, seu praesumant.

Exequutorum deputatio.

§ 4. Quocirca dilectis filiis nostris et Apostolicae Sedis pro tempore existentibus nunciis, ac locorum Ordinariis, necnon dictorum monasteriorum praelatis et superioribus praecipimus et mandamus, quatenus praesentes litteras publicari et praemissa omnia observari faciant; contradictores quoslibet, ac praemissis non parentes, per praedictas et alias sententias, censuras et poenas, aliaque iuris et facti remedia opportuna, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Quia vero difficile foret, has litteras ad omnia loca deferri, volumus quod earum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ac si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die x iulii MDCXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 iulii 1612, pontif. an. VIII.

CCXIX.

Erectio congregationis ac deputatio officialium super Aquae Paulae et illius aquaeductus curâ et administratione in almâ Urbe.

Paulus episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Procemium.

In Sede beati Petri, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, boni pastoris fungentes officio, creditas nobis oves non solum sacris ac spiritualibus studemus munire praesidiis, sed temporalibus etiam commodis, illisque praesertim, quae sunt humanae vitae usui necessaria, abundanter cumulare enixe curamus, ut apertius deinde ad supremi pastoris ac mundi universi procreatoris immensam benignitatem ac munificentiam extollendam, ab operibus hisce nostris, ut ab humanis linguis, quotidie excitentur, ac fidâ veluti manu ad rerum divinarum assiduam contemplationem, laudemque deducantur.

Paulus orbem Romam novis aedificiis templis, viis, aliisque modis exornavit.

§ 1. Quod si omnium christifidelium, ceterarumque[1] civitatum et locorum nostrae curae et fidei commissorum, praecipua ratio nobis habenda est, quanto impensius urbem Romam, communem patriam, ac veritatis magistram, in qua Christus Dominus, illam prae aliis diligens, Ecclesiae fundamenta iecit et stabilivit, nos in terris Christi vicem agentes ad ipsius imitationem prae caeteris amare, et novis assidue ornamentis, commodisque augere et illustrare debemus? Hisce permoti causis Urbem hanc nostram, tum in templis tum in aedificiis, viis, areis, aliisque structuris amplificare, ac pulchriorem et commodiorem reddere non desistimus.

Et deinde aquarum foecunditate ditare studuit.

§ 2. Et iamdudum, paterno considerantes affectu illam, licet in ceteris sui partibus aquarum opportunitate foecun-

1 Puto forsan legendum *ceterarum quoque* (R. T.).

dam, in Transtyberinâ tamen regione, ac civitate Leoninâ, quae Burgus sancti Petri appellatur, earum usu pene destitutam esse, ac propterea complura ibi existentia templa, virorum et sanctimonialium coenobia, xenodochia, et alia pia loca, aedificiaque insignia, et, quod caput est, ipsius Principis apostolorum basilicam, et Romani Pontificis sedem et domicilium, aquarum commoditate carere, incommodo huic providere necessarium duximus.

Aquas multas, e locis ab urbe longe distantibus collectas, magno sumptu ad eam uno aquaeductu adduci curavit.

§ 3. Scientes itaque aquaeductum illum, antiquitate atque operis magnitudine celeberrimum, per quem olim aqua Sabatina et Alsietina, quae etiam Augustae a Caesare Augusto imperatore cognomentum sumpsit, in eamdem Urbem viâ Aureliâ, ad naumachias, aliasque delicias, et voluptuarios usus gentilium romanorum influebat, sive barbarae gentis, sive temporis iniuriâ dirutum ita iacere, ut eius vestigia vix alicubi apparerent, vigilantiâ pastorali dignum sane putavimus, non solum impuros ac superstitiosos veterum ritus verâ religione sacroque cultu emendare, verum etiam reliqua, vel ad ostentationem et superbiam ab illis extructa, vel ad illicita animi oblectamenta relaxationesque excogitata, ac deinde illorum temporum cuiusdam veluti intemperantiae monumenta posteris relicta, in meliorem ac necessarium vitae usum, quantum in nobis est, convertere: simulque intelligentes supra lacum Sabbatinum, Anguillariae et Brachiani nunc dictum, ad radices collium eidem lacui in illius ambitu dextrorsum superastantium, ultra Anguillariam et Trivinianum, vigesimo octavo ab Urbe milliario, complures aquarum perennium per silicum venas scaturientium, visu et gustu iucundissimarum et saluberrimarum, fontes exoriri, de aquis praedictis colligendis, corrivandisque, ac in Urbis, et Ianiculum, et Vaticanum eminentes colles inducendis cogitavimus, pro certo habentes, has aquas non solum regioni Transtyberinae, et palatio nostro apostolico in Vaticano, ac locis omnibus dictae regionis et civitatis Leoninae, sed etiam ultra pontes traductas, in plura castella divisas, universae fere Urbi, tum publicum, tum privatum commodum allaturas, nec non loca Transtyberina, incolarum paucitate pene alicubi deserta, usu et commoditate earum habitatu frequentiora, et frequentatione iucundiora, ac saniora reddenda. In primis autem aquaeductum veterem, ac ipsas aquas, sed longe salubriores quam quae primum ab Augusto, postea a felicis recordationis Adriano Papa I praedecessore nostro reductae sunt, earumque scaturigines et diverticula pervestigari iussimus; certioresque facti ab iis, quibus curam hanc demandavimus, aquas huiusmodi colligi, et ad Urbem collesque praefatos curâ solerti adhibitâ adduci posse; nos neque laboribus, neque sumptibus, pro huius Urbis et in eâ degentium commodo et utilitate, parcentes, opus aquae ducendae quamprimum aggredi, ac perficere deliberavimus. Ideoque compluriurn aquarum fontibus salubrioribus, qui in territoriis Brachiani, Hicarelli, Bassani et Triviniani, sub certis distinctis eorum denominationibus, oriuntur, opportunâ substructione comprehensis, corrivatisque rivulis unum in receptaculum collectis atque confusis, et unam aquam conficientibus, aquam omnem per novum aquaeductum, quem, ob veterem dissipatum, subterraneo et arcuato opere a fundamentis extruximus et restituimus, ac inter cetera duobus sublimioribus arcubus prope Urbem cum suis subscriptionibus ad perpetuum rei monumentum erectis ornavimus, longo[1] nempe a priori receptaculo quinque et triginta millia

[1] Nisi quis malit legere *longum*, *idest aquaeductum* (R. T.).

passuum circuitu, ad eminentiorum collium, et humiliorum vallium obices evitandos, et ut inflexo ductu, crebroque anfractu melior inde aqua redderetur, ad eamdem Urbem, Dei beneficio, ingenti omnium laetitiâ adduximus; et ex eâ, quae ad uncias centum supra mille simul ascendit, de maiori ipso aquaeductu in viâ supra sacellum sub invocatione beatae Mariae Reposi vulgo nuncupatae, trecentas in Vaticanum pro usu palatii nostri apostolici et burgi sancti Petri derivavimus, reliquas octingentas uncias in montem Ianiculum inter portam divi Pancratii et ecclesiam divi Petri in Monteaureo nuncupatam perduci placuit, ubi praedicto magnifico, latoque fonte extructo, ac ingenti sumptuosoque perpolitorum marmorum, et columnarum apparatu exornato, per quinque lapideas aquilas et dracones, veluti per totidem latissima ora, magno vel adstantium vel e longinquo prospicientium oblectamento, abunde aqua decurrit, ac perenne manat. Ut vero fons ipse egregiâ suâ structurâ meliorem e regione adventantibus praestaret prospectum, ac deinde publico usui commodior, et visui iucundior esset, omnibusque ad eum acclivior et facilior pateret accessus, parte montis, in qua fons ipse conspicitur, quantum opus fuit depressa, aream satis amplam, et viam aperuimus, alia etiam ornamenta, et commoditates in dies adiecturi. Atque ut cetera Urbis publica et privata loca, usu et commoditate huius aquae frui possint, eamdem aquam ultra Sixtinum et Quatuorcapitum dictae Urbis pontes traduci, et in castella divisam, in Capitolium et reliqua Urbis loca distribui mandavimus.

Et modo, pro dictae aquae ipsiusque aquaeductus cura et conservatione, congregationem Aquae Paulae erigit nuncupandam.

§ 4. Cumque non satis sit aquam huiusmodi adduxisse, et tantum opus summo labore ac tam largo sumptu absolvisse, nisi in eius administratione, ac perpetuâ conservatione exacta et praecipua quaeque cura et diligentia adhibeatur, partes nostri pastoralis officii esse cognovimus, ut huius aquae et illius aquaeductus, totiusque operis curam et rationem talibus viris committamus, quorum operâ, fide, prudentiâ, solertique studio recte et feliciter regantur et gubernentur, ac alia, quae ad eorum conservationem spectare noscuntur, statuamus. Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, ac deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuâ Constitutione congregationem Aquae Paulae nuncupandam, in qua dilecti filii camerae nostrae apostolicae generalis thesaurarius, et archihospitalis sancti Spiritus in Saxiâ de eâdem Urbe praeceptor, ac eiusdem camerae commissarius etiam generalis, nunc et pro tempore existentes, necnon, per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes ad nostrum ipsorumque successorum beneplacitum deputandi, unus ex eiusdem camerae praesidentibus clericis et duo cives romani esse debeant, perpetuo erigimus et instituimus; ac ex nunc ad ipsam congregationem magistrum Galeatium Sanvitalem eiusdem camerae praesidentem clericum, et Alexandrum Mutum, ac Paulum Mellinum cives romanos, dilectos filios, quibus nos aliâs ducendae aquae huius curam demandavimus, et de quorum prudentiâ, fide, et integritate plurimum in Domino confidimus, ad beneplacitum similiter nostrum deputamus.

Protectorem dictae congregationis cardinalem Burghesium deputat.

§ 5. Ipsique congregationi dilectum filium nostrum Scipionem tituli sancti Chrysogoni presbyterum cardinalem Burghesium nuncupatum, nostrum secundum carnem ex sorore germanâ nepotem, durante eius vitâ praeficimus, et in Aquae Paulae, et illius aquaeductus, et operis praedictorum protectorem similiter ad eius vitam deputamus; ipsam protectionem et

praefectionem post ipsius cardinalis obitum alteri concedi prohibentes, sed eas post obitum praedictum cessare, et penes dictam congregationem remanere debere, decernentes et declarantes.

Secretarium eiusdem congregationis Ioannem Iacobum Bulgarinum eligit.

§ 6. Praeterea dilectum filium Ioannem Iacobum Bulgarinum, quem aliàs ad curam scripturarum huius negocii deputavimus, ad eius etiam vitam, cum honoribus et oneribus, iuribusque et emolumentis solitis et consuetis, etiam in remunerationem laborum per eum, tam in opere huiusmodi quam pro servitio et utilitate camerae nostrae impensorum, eiusdem congregationis secretarium, cui castella, et receptacula, illorumque claves custodiendi, et ne a quoquam amplius aut latiori modulo, seu fistulâ, vel aliàs quam fuerit impetratum vel concessum aqua accipiatur, animadvertendi cura et onus incumbat, constituimus, deputamus ac declaramus, et esse volumus.

Congregationis iurisdictionem et facultates praescribit.

§ 7. Dictaeque congregationi universam custodiam et curam aquae et aquaeductus ac operis praedictorum per praesentes committimus et mandamus, illiusque deputatis praedictis semel singulis mensibus, et quoties opus fuerit, se congregandi, et aquam praedictam pro usu et commodo tam publico quam privato, et a quavis parte aquaeductus, et quasvis Urbis regiones et loca deducendam, distribuendi et erogandi, et, postquam fuerit distributa et erogata, per cessionem vel consensum obtinentium, in alia etiam transferendi, litterasque patentes[1], sub Scipionis cardinalis, quoad ipse vixerit, et successive sub thesaurarii pro tempore existentis praefatorum sigillo et nomine expeditas, desuper concedendi, necnon pro ipsius aquaeductus et operis conservatione ea, quae facienda, quae vitanda fuerint, decernendi, ac super praemissis etiam statuta condendi, eaque mutandi, corrigendi, variandi, et de novo faciendi, ac de et super eisdem praemissis, et eorum occasione, inter et contra quascumque personas, cuiusvis status, gradus, ordinis, et conditionis, ac quavis tam ecclesiasticâ quam temporali dignitate, titulo et honore fulgentes, summarie, simpliciter et de plano, manuque regiâ, et solâ facti veritate inspectâ cognoscendi, procedendi, iudicandi et definiendi, necnon citandi, ac ubi, quando ac quoties opus fuerit inhibendi, ac pecuniarias, et, ubi personarum et casuum qualitatem sic exigere congregatio ipsa iudicaverit, etiam corporis afflictivas poenas contra transgressores statutorum praedictorum, et alios, contra quos opus fuerit, eorum arbitrio imponendi, et ad illarum, necnon etiam earum, quae de iure communi, ac dictae Urbis statutis de custodiendo aquaeductu, aut aliàs in similibus constitutae sunt, incursus declarationem et exequutionem, omni et quacumque appellatione, reclamatione, revisione et recursu penitus et omnino remotis, deveniendi, ac deveniri mandandi et faciendi, aliaque necessaria et opportuna gerendi et exequendi etiam privative quoad omnes iudices et officiales romanae curiae (ita tamen, ut, ubi dicta congregatio ad exequutionem alicuius poenae corporis afflictivae super praemissis deveniendum duxerit, exequutionem huiusmodi dilecto filio moderno et pro tempore existenti dictae Urbis gubernatori, qui ad illam omni et quacumque appellatione pariter remotâ procedat, committere atque demandare debeat) similiter perpetuo tribuimus, concedimus et impertimur plenariam et omnimodam potestatem, facultatem et auctoritatem.

Visitatores aquaeductus esse duos, et deputari praecipit.

§ 8. Insuper, ut praemissa omnia accuratius perficiantur, duos aquaeductus et operis huiusmodi visitatores (quorum praecipuum inter alia aquaeductum invi-

1 Vocem *desuper* heic delemus, quia postea iterum sequitur (R. T.).

sere et perlustrari, repurgari ac resarciri facere, ac ut aqua aliquo pacto non inficiatur, nec in aquaeductu aliquid vitii fiat, neve a quopiam in aquarum iuribus ulla fraus, dolusve committatur, minusque aqua, sive clandestine, sive palam, per vim, aut propriâ auctoritate, et nisi permissione aut consensu ipsiusmet congregationis accedente, et iuxta modum ab eâ praescribendum, etiam praetextu seu vigore cuiuscumque rescripti, seu concessionis nostrae, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum, alio derivetur seu deducatur, provide cavere; fornices et parietes universos et ipsum opus ac aedificium integrum diligenter tutari; et quicquid in reparatione indigere, aut in aquaeductu, et illius iuribus aliquid vitii seu damni factum fuisse vel fieri repererint, quam primum eidem congregationi renunciare, ac de mandato eiusdem congregationis reparationem et provisionem opportunam adhibere; ac in omnibus iussa congregationis praefatae, ut ad effectum perducantur, efficere, munus existat et esse debeat) per Scipionem cardinalem, quoad vixerit, et, eo vitâ functo, per congregationem huiusmodi deputari, ipsisque visitatoribus, ac praedicto Ioanni Iacobo, et pro tempore existenti secretario huiusmodi quinque scuta monetae singulis mensibus constitui et persolvi mandamus et volumus.

Dotem locorum ducentum Montis non vacabilis, ut eorum annuus redditus pro aquaeductus conservatione deserviat, assignat

§ 9. Postremo, ut impensae, quae necessario fient in reparatione et conservatione praedictis, necnon ut officialium et ministrorum salaria solvi possint, ducenta loca alicuius Montis non vacabilis[1] de pecuniis camerae apostolicae, sub nomine et in favorem acquaeductus praedicti, quamprimum emi etiam mandamus, illaque sic empta ex nunc pro eiusdem aquaeductus et illius operis perpetuâ dote assignamus, hoc modo videlicet, ut illorum annuus redditus, illorumque sors numquam imminuatur, neque in alios usus, quam dicti aquaeductus convertatur. Quicquid autem ex ipso redditu (impensis necessariis et salariis deductis) annuatim supererit, sorti accrescat, et in emptionem aliorum locorum eiusdem Montis in sortis incrementum collocetur, et ipsius redditus ac incrementi administratio ac libera dispositio nunc et in perpetuum penes dictam congregationem sit et esse debeat. Non possit tamen redditus ipse in toto, vel parte, aliàs quam per congregationis mandata depositario huius Montis, nunc et pro tempore existenti, dirigenda exponi, et per dictum depositarium absque eiusdem congregationis mandato solvi, prout id omnino prohibemus.

Observantia praemissorum iniungitur.

§ 10. Decernentes praemissa omnia et singula per eos ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit firmiter et inviolabiliter perpetuo observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogatur.

§ 11. Non obstantibus piae memoriae Pii papae IV praedecessoris nostri, quatenus opus sit, super gratiis interesse dictae camerae concernentibus in eâdem camerâ intra certum tunc expressum tempus registrandis, ita quod praesentes, etiamsi in ipsâ camerâ registratae, vel in eâ intimatae[1] non fuerint, nihilominus perpetuo valere et in suo robore persistere debeant, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis facultatibus, privilegiis, indultis et litteris apostolicis, nostro et pro tempore existenti Romani Pontificis camerario, seu camerae apostolicae, et eius praesidentibus clericis, aliisque officialibus, et ministris quibuscumque, etiam iteratis vicibus, etiam motu simili, ex certâ scientiâ, et de apostolicae potestatis plenitudine, etiam con-

1 Nisi legendum sit *non vacabilia*.

1 Nisi quis malit legere *insinuatae* (R. T.).

sistorialiter, per nos et praedecessores nostros quomodolibet, etiam cum derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, ac tam praeceptori archihospitalis praedicti, quam deputatis Aquae Paulae, et quibusvis aliis, communiter vel divisim, concessis, approbatis et innovatis, etiam in corpore iuris clausis, etiam praemissa fieri specialiter prohibentibus, eorumque usibus et naturis. Quibus omnibus et singulis (etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret) illorum omnium et singulorum tenores huiusmodi, ac si praesentibus etiam de verbo ad verbum, et formâ in illis traditâ, nihil penitus omisso, observatâ, insererentur, eisdem praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse, motu, scientiâ et potestate paribus derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis apponitur.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum erectionis, institutionis, praefectionis, constitutionis deputatorum, deputationum, declarationis, commissionis, demandationis, tributionis, concessionis, impartitionis, voluntatum, mandatorum, assignationis, prohibitionis, decretorum et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDCXII, idibus septembris, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 13 septembris 1612, pontif. an. VIII.

CCXX.

Unio prioratuum Angliae et Hiberniae, ac baiulivatus Aquilae hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani magistratui dicti hospitalis, donec regnum Angliae ad unitatem Ecclesiae Catholicae redierit [1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Gregorius XIII univit praeceptorias Angliae magistratui.

§ 1. Aliàs, postquam felicis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster motu proprio et ex certâ eius scientiâ maiorem et alios omnes prioratus, et praeceptorias, ceteraque beneficia, et dependentias hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani in regno Angliae consistentia quaecumque, quotcumque et qualiacumque essent, et quibusvis modis, quos haberi voluit pro expressis, et ex quorumcumque personis illa vacarent, cum illis forsan annexis ac iuribus et pertinentiis suis, magistratui dicti hospitalis, donec dictum regnum ad obedientiam Sedis Apostolicae redactum foret, univerat, annexuerat, et incorporaverat; recolendae memoriae Sixtus Papa V, etiam praedecessor noster, ut de Angliae et Hiberniae prioratibus et baiulivatu Aquilae eiusdem regni et linguae Angliae personis idoneis dicti hospitalis salubriter provideretur, motu et scientiâ similibus, unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi, quoad Angliae et Hiberniae prioratus nec non baiulivatum Aquilae dumtaxat, dissolvit, et bonae memoriae Ugoni diacono cardinali, tunc dicti prioratus hospitalis magno magistro, concessit et indulsit, ut quotiescumque dicti prioratus Angliae et Hiberniae nec non baiulivatus Aquilae per cessum, vel decessum, aut alio quovis modo vacarent, vel eos vacare contingeret, fratribus eiusdem hospitalis sibi benevisis, cuiuscumque essent nationis et linguae,

Sixtus Papa V hanc unionem dissolvit quoad prioratus Angliae, et Hiberniae, et baiulivatum Aquilae.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

dummodo tamen aliàs essent idonei et capaces, ad dignitatem magnae crucis obtinendam iuxta formam stabilimentorum et consuetudinum eiusdem hospitalis, quoad praedictum regnum ad unitatem Catholicae Ecclesiae rediret, providere et conferre possent[1], prout in Gregorii et Sixti praedecessorum praedictorum litteris desuper expeditis plenius continetur.

Unionem a Gregorio factam restituit Paulus.

§ 2. Quoniam autem, sicut accepimus, plurimum expediat, ut prioratus et baiulivatus huiusmodi praedicto magistratui de novo uniantur; idcirco nos, motu et scientiâ paribus, prioratus Angliae et Hiberniae ac baiulivatum Aquilae praedictos, quorum fructus, redditus et proventus praesentibus haberi volumus pro expressis, ex nunc, si illi ad praesens quovis modo vacent, vel cum primum per resignationem, seu cessionem, aut obitum illos ad praesens obtinentium, aut aliàs quomodolibet vacare contigerit, etiamsi forsan tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, illaque dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservata existat, et super eis inter aliquos lis (cuius statum, nec non verum et ultimum cuiusque illorum vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa resultet, et[2] praesentibus similiter haberi volumus pro expressis) pendeat indecisa, cum illis forsan annexis ac omnibus iuribus et pertinentiis suis (sine tamen praeiudicio illos ad praesens obtinentium, et antianitatem, aut ius quaesitum ad illos habentium) magistratui praedicto, donec dictum regnum ad obedientiam praedictae sedis reductum fuerit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, de novo unimus, annectimus et incorporamus: ita quod liceat moderno et pro tempore existenti magistro dicti hospitalis, ex nunc[1], si dicti prioratus et baiulivatus vacent, vel cum primum illi, ut praefertur, vacaverint, per se, vel alium, seu alios, corporalem possessionem eorumdem prioratuum et baiulivatus propriâ auctoritate libere apprehendere, et, donec reductio praedicta facta sit, retinere, illorumque fructus redditus et proventus in eorumdem et suae mensae magistralis usus et utilitatem convertere, Dioecesanorum locorum vel quorumvis aliorum licentiâ desuper minime requisitâ.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus nostrâ de unionibus committendis ad partes, et valore fructuum etiam beneficii, cui illud uniri petitur, ac etiam de valore fructuum beneficiorum ecclesiasticorum in eorum impetrationibus exprimendo, nec non Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, aliisque apostolicis constitutionibus, ac dicti hospitalis (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac novis reformationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem hospitali, illiusque conventui, et linguis, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod prioratus et baiulivatus huiusmodi) ubicumque poterit, debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congrue supportentur onera consueta.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXV septembris MDCXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 25 septembris 1612, pontif. an. VIII

CCXXI.

Facultas deputatorum a capitulo conventuali eremi Montis Senarii, Ordinis fratrum Servorum B. Mariae Vir-

1 Videretur legendum *posset* (R. T.).

2 Particula *et* redundat (R. T.).

1 Edit. Main. legit *ex tunc* (R. T.).

ginis, recipiendi novitios, et mitigatio ieiunii in pane et aquâ, pro quartâ feriâ cuiuslibet hebdomadae Adventus et Quadragesimae[1].

Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sedis Apostolicae circumspecta benignitas personarum quarumlibet in eremis et aliis locis regularibus Altissimo famulantium votis, ad pii eorum instituti propagationem et incrementum tendentibus, libenter annuit, eaque favoribus prosequitur opportunis.

Facultas deputatorum a capitulo conventualis recipiendi novitios ad eremum.

§ 1. Hinc est quod nos, supplicationibus nomine dilectorum filiorum eremitarum domus Montis Senarii Florentiae dioecesis Ordinis fratrum Servorum beatae Mariae nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem eremitis perpetuo concedimus et indulgemus, ut in eorum domo tres ex antiquioribus a capitulo conventuali eiusdem domus deputari possint, qui eamdem habeant facultatem et potestatem in admittendis novitiis, quam habent capitula generalia et provincialia aliique[2] deputandi iuxta constitutionem super novitiorum receptione a felicis recordationis Sixto Papa V praedecessore nostro editam sub datum VI kalendas decembris anno tertio, et alteram eius declarationem sub datum XII kalendas novembris, anno quarto eius pontificatus[3], dummodo in reliquis earumdem constitutionum formam servent; ad hocque plenam et amplam facultatem et auctoritatem dictis deputatis impertimur.

1 Haec eremus instituta vel potius restituta fuit anno MDXCIII tempore Clem. VIII, ut videre est in eius Const. CCLXIV, *Decet* (in h. n. edit. CCLII, tom. X, pag. 658); cetera de Ordine isto Servitarum vide in Const. XI *Sedis* Martini V, tom. IV, pag. 702.

2 Edit. Main. legit *aliaque deputandi*; sed vel *aliique* legendum vel *deputanda* (R. T.).

3 Tum constitutio tum declaratio huiusmodi habentur in tom. VIII, pag. 961 seq. (R. T.).

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus praedictis Sixti V, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die II octobris MDCXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 2 octobris 1612, pontif. anno VIII.

CCXXII.

Pro eisdem Servis B. M. supradicta mitigatio ieiunii in pane et aquâ.

Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Clementis VIII constitutio.

Aliàs felicis recordationis Clementi Papae VIII praedecessori nostro, etc.[1].

Petitio mitigationis ieiunii in pane et aqua.

§ 3. Cum autem (sicut pro parte dilectorum filiorum maioris et conventus fratrum eremitarum dictae eremi Montis Senarii nobis nuper expositum fuit) quod[2] praedicti prior generalis ac prior et fratres dictae domus Annunciatae, concessâ sibi, ut praefertur, facultate utentes, erectionem et alia praemissa fecerint, statuerint et ordinaverint; experientiâ vero compertum sit, quod ieiunium in pane et aquâ tantum, in tribus praedictis quarumlibet hemdomadarum Adventus et Quadragesimae feriis observandum, dictorum fratrum eremitarum vires nimis debilitet, ac valetudini officiat; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio dictae mitigationis.

§ 4. Nos igitur, attendentes, quod praedictorum fratrum eremitarum institutum, etiamsi dicta panis et aquae ieiuniorum observantia moderetur tantum, satis arctum remanet, humanae infirmitati aliquid indulgendum duximus[3]. Itaque eosdem fratres eremitas specialibus favoribus et

1 Constitutionem Clem. VIII quae hic omittitur require ubi supra, tom. X, pag. 658 seq. (R. T.).

2 Vocabulum *quod* redundare cernitur (R. T.).

3 Edit. Main. legit *duxerimus* (R. T.).

gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem nunc et pro tempore existentibus eremi praedictae fratribus eremitis, ut in feriâ quartâ cuiuslibet hebdomadae Adventus et Quadragesimae in pane et aquâ tantum ieiunare minime teneantur, firmis in reliquis remanentibus litteris praedictis, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Iussio desuper non molestandi eremitas.

§ 5. Decernentes ipsos fratres eremitas super praemissis, aut eorum aliquo, nullo modo molestari vel perturbari quoquo modo posse; ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus litteris praedictis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et eremi praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis: quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XVIII octobris MDCXII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 18 octobris 1612, pontif. an. VIII.

CCXXIII.

Apostolica benedictio ad Petrum patriarcham Maronitarum Antiochenum, facultasque ei tributa omnes catholicos Maronitas benedicendi, cum indulgentiarum elargitione.

Paulus Papa V

Venerabili fratri Petro patriarchae Maronitarum Antiocheno, salutem et apostolicam benedictionem.

Patriarcha Maronitarum Pontificis benedictionem pro se et aliis postulat,

§ 1. Quoniam fraternitatis tuae nomine apostolatui nostro nuper expositum fuit quod nostram apostolicam benedictionem tibi, ceterisque venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis, dilectisque filiis clero et populo Maronitarum impertiri desideras;

Qui illam ei impartitur.

§ 2. Idcirco nos, pio desiderio huiusmodi boni pastoris benigne satisfacere volentes, eidem fraternitati tuae huiusmodi apostolicam benedictionem libentissime impertimur.

Et alios auctoritate ipsius Pontificis benedicendi munus iniungit,

§ 3. Quo vero ad archiepiscopos, episcopos, clerum et populum praedictos attinet, ut eorumdem personas utriusque sexus respective, tuosque etiam et illorum agros, possessiones, domos et bona quaecumque, ex parte omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, et nostrâ, eadem fraternitas tua per se, vel alios, episcopali tamen dignitate fungentes, unicâ vice tantum benedicere;

Praesentibusque huic benedictioni, confessisque, et sacra communione refectis, remissionem peccatorum elargiendi.

§ 4. Iisque praeterea, qui confessi et sacrâ communione refecti huic benedictioni praesentes erunt, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino, eâdem auctoritate nostrâ apostolicâ, elargiri possit, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

§ 5. Precamurque Dominum, ut, aperiens manum suam, impleat vos, et bona vestra, et universam Maronitarum catholicam nationem benedictione suâ.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXII, decimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 22 novembris 1612, an. pontif. VIII.

CCXXIV.

Confirmatio electionis et coronationis Matthiae in regem Romanorum[1].

Paulus episcopus,

servus servorum Dei,

Charissimo in Christo filio Matthiae Romanorum, Hunghariae et Bohemiae regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Romani Pontificis, qui Regis regum, Domini dominantium, et per quem reges regnant et legum[2] conditores iusta decernunt, in beati Petri Sede vices gerit in terris, muneris esse dignoscitur, quae ad communem utilitatem, salutem et praesidium, et ad sacri Romani imperii statum pertinent, iudicii et auctoritatis suae robore communire.

Mortuo Rodulpho Romanorum imperatore eligitur Matthias;

§ 1. Quapropter, cum, inclytae memoriae Rodulpho Romanorum rege in imperatorem electo rebus humanis exempto, Romanum vacaret imperium; eiusdem imperii principes electores, a venerabile fratre nostro Ioanne archiepiscopo Moguntino pro munere suo in civitatem Francofurti de more ad certam diem vocati, in eâdem civitate convenientes ut Romanorum regem futurum imperatorem eligerent qui praecelsis regiisque virtutibus rempublicam tueretur, iidem principes te, qui Hunghariae et Bohemiae rex eras, unanimi consensu divinâ favente clementiâ in Romanorum regem futurum imperatorem solemniter elegerunt; tuque electioni huiusmodi, oblato tibi de more decreto, qua decuit modestiâ consensisti; ac deinde in eiusdem civitatis collegiatâ ecclesiâ sancti Bartholomaei, post missarum solemnia a praedicto Ioanne archiepiscopo Moguntino celebrata, per te in manibus eiusdem Ioannis archiepiscopi praestito, more catholicorum regum Romanorum praedecessorum tuorum, iuramento, aliisque solemnibus rite peractis, dicti Ioannis archiepiscopi ministerio, ritu et pompâ solitâ coronatus fuisti.

Qui ab archiepiscopo Moguntino coronatus,

Electionem suam pontificiâ auctoritate petit confirmari.

§ 2. Quoniam vero electionis, coronationisque negocium huiusmodi nuper per venerabilem fratrem nostrum Ioannem episcopum Bambergensem eiusdem imperii principem, consiliarium, et oratorem tuum specialem, coram nobis proponi fecisti, petens omnia praemissa per nos apostolicâ auctoritate coeremoniis servari solitis confirmari;

Confirmat Paulus.

§ 3. Nos de praemissis per legitima documenta sufficienti habito testimonio, et re cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus diligenter perpensâ, et mature consideratâ, magnâ animi nostri cum spirituali laetitiâ ex eâdem electione susceptâ, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, gloriosissimaeque eius genitricis Mariae, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli, necnon eiusdem Romanae Ecclesiae, et sacri imperii exaltationem et honorem, electionem de personâ maiestatis tuae in regem Romanorum futurum imperatorem et coronationem in dictâ civitate Francofurti factas, ob praestantissimas animi et corporis tui dotes, luculentissimaque earum indicia ac testimonia, et certissimam spem, quam de te in sanctae fidei et religionis catholicae, ac nostrâ, et Romanae Ecclesiae, illiusque rerum et honorum[1], defensione, propagatione et protectione conceptam habemus, de eorumdem fratrum consilio et unanimi assensu, auctoritate apostolicâ, et ex

1 Ex Archiv. in Castro sancti Angeli.

2 Pessime edit. Main. legit *regum* (R. T.).

1 Videretur legendum *bonorum* (R. T.).

certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, qui aut ratione formae, aut loci coronationis eiusdem, aut personarum electorum eorumdem, seu etiam ex eo, quod idem Rodulphus electus imperator de manu Romani Pontificis auream coronam non susceperit, seu quavis aliâ ratione, vel causâ in huiusmodi electione et coronatione quovis modo forsan intervenerint, supplemus, teque sic electum et confirmatum ad suscipiendum imperialis dignitatis culmen suis loco et tempore dignum et idoneum etiam decernimus et declaramus.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis legibus imperialibus ac privilegiis, electoribus ipsis et quibusvis aliis forsan concessis; quibus (etiamsi ad illorum derogationem de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia forma servanda esset) illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, auctoritate, scientiâ, potestate et tenore praemissis, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, suppletionis, decreti, declarationis, derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCXIII, quinto idus ianuarii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 9 ianuarii 1613, pontif. anno VIII.

Papae.

✠ EGO PAULUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

(Loco ✠ signi).

Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Et cardinalium subscriptiones.

† Ego Antonius episcopus Sabinensis cardinalis Saulius.

† Ego Evangelista episcopus Tusculanus cardinalis Cusentinus.

† Ego Paulus episcopus Albanensis cardinalis S. Ceciliae.

† Ego Benedictus cardinalis Iustinianus episcopus Praenestinus.

† Ego Franciscus Maria tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis a Monte.

† Ego Flaminius tituli S. Mariae de Pace presbyter cardinalis Platus.

† Ego Octavius tituli S. Sabinae S. R. E. presbyter cardinalis Bandinus.

† Ego Bartholomeus tituli S. Praxedis S. R. E. presbyter cardinalis Cesius.

† Ego Franciscus tituli S. Mariae de Populo S. R. E. presbyter cardinalis Mantica.

† Ego Bonifacius tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Bevilaqua.

† Ego Dominicus tituli S. Petri in Monte Aureo presbyter cardinalis Tuscus.

† Ego Robertus tituli S. M. in Via presbyter cardinalis Bellarminus.

† Ego Dominicus Ss. Apostolorum cardinalis Gymnasius.

† Ego Antonius tituli S. Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis Zapata.

† Ego Carolus tituli S. Priscae presbyter cardinalis de Comitibus.

† Ego Ioannes cardinalis de Vincen.

† Ego Ioannes cardinalis Sannesius.

† Ego Scipio cardinalis Burghesius tituli S. Chrisogoni.

† Ego Ioannes Garzia tituli Ss. Quatuor

Coronatorum presbyter cardinalis Millinus.

† Ego M. tituli Ss. Quirici et Iulittae cardinalis Lantes.

† Ego F. cardinalis la Rochefoucault.

† Ego F. tituli S. Augustini presbiter cardinalis Verallus.

† Ego I. B. tituli S. Sixti presbyter cardinalis Lenius.

† Ego Decius tituli Ss. Ioannis et Pauli presbyter cardinalis Carafa.

† Ego M. tituli S. Alexii presbyter cardinalis Senensis.

† Ego T. tituli S. Georgi in Velabro presbyter cardinalis Serra.

† Ego F. Augustus tituli S. M. in Aracaeli presbyter cardinalis.

† Ego Horatio tituli S. Salvatoris in Lauro presbyter cardinalis Lancellottus.

† Ego Gaspar tituli S. Susannae presbyter cardinalis Borgia.

† Ego A. S. Laurentii in Damaso diaconus cardinalis Montaltus S. R. E. vicecancellarius.

† Ego A. S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Perettus.

† Ego F. S. Agathae diaconus cardinalis Capponus.

CCXXV.

Senatus Solodori admonetur, ut quaedam decreta per nuncium apostolicum apud Helvetios ad disciplinam regularem in monasterio monialium Tertii Ordinis S. Francisci inducendam exequutioni curet demandari[1].

Dilecto filio Sculteto, et Senatui Solodori.

Paulus Papa V.

Dilecti filii,

salutem et apostolicam benedictionem.

Nuncius apostolicus nonnulla statuit ad reparandam disciplinam regularem in monasterio Tertiariarum urbis Solodori.

§ 1. Accepimus, nec sine animi nostri molestiâ, quod postquam venerabilis frater Ladislaus episcopus Venafranensis et Apostolicae Sedis in istis partibus nuncius, de speciali mandato nostro, ad reformationem regularis disciplinae collapsae in monasterio Tertiariarum Ordinis sancti Francisci istius urbis, iuxta sanctorum patrum regulas, et sacrorum canonum decreta, laudabiliter processit, eaque gessit, et decrevit, quae Dei honorem, eiusque monasterii statum, et religiosarum spiritualem utilitatem[1], pro traditâ sibi a Deo prudentiâ et zelo, exigere in Domino iudicavit, hostis humani generis, qui religiosae vitae candorem et sanctitatem subvertere semper conatus est, solitis dolis et insidiis perfecit, ut, a quibus opus Dei huiusmodi intentis studiis adiuvari et promoveri debebat, grave detrimentum acceperit.

Nonnulli tamen ea parvi pendunt.

§ 2. Siquidem, licet praedictus Ladislaus episcopus pro sui officii debito et nostris specialibus mandatis gesserit et decreverit quaecumque dicti monasterii reformationi et recto regimini expedire perspexit, tamen non defuerunt, qui honoris Dei, Apostolicae Sedi debitae reverentiae, suaeque professionis immemores, salubria eiusdem episcopi acta et decreta non tantum parvipendere non sint veriti, sed etiam penitus convellere, quasi temere et sine auctoritate facta, sint conati.

Pontifex magistratum adhortatur, ut ea exequutioni demandari curet.

§ 3. Quamobrem, etsi vestrâ prudentiâ, pietate, et sincerâ in nos et Apostolicam Sedem devotione freti minime dubitamus, quin vos omnium, quae nostrâ, et Apostolicae Sedis auctoritate geruntur, promptos defensores exhibeatis; nihilominus pro nostro pastorali munere vos cohortandos duximus, prout in Domino cohortamur, ut omnino efficiatis, quantum vestro auxilio et favore effici potest, ut acta et decreta huiusmodi inviolabiliter observentur, non praebentes aures iis, qui auribus prurientes, non erubescunt

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. habet *Dei honor, eiusque monasterii status, et religiosarum spiritualis utilitas* (R. T.).

fidem praelatorum a nobis et Apostolicâ Sede comprobatam, a vobis vero, ut par erat, agnitam, in dubium vocare, non sine detrimento honoris Dei, et vitae religiosae ancillarum eius, et in animarum suarum damnationem. Rem enim vobis dignam, et nobis et Apostolicae Sedi gratissimam, Deoque maxime acceptam feceritis.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XVI februarii MDCXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 16 februarii 1613, pontif. anno VIII.

CCXXVI.

Matthiae Romanorum regi in imperatorem electo primariae preces, seu ius ad beneficia ecclesiastica primo vacatura nominandi, conceduntur[1].

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei,

Charissimo in Christo filio Matthiae Romanorum regi illustri in imperatorem electo, salutem.

Matthiae Romanorum regis preces.

§ 1. Cum, post factam de personâ tuâ per sacri Romani imperii principes electores in regem Romanorum electionem, ac per nos pro universâ christianae reipublicae salute confirmatam, nuper nobis significaveris, te summopere desiderare personas tibi gratas et acceptas gratiâ et munificentiâ aliqua beneficia ecclesiastica consequi posse; nos, quemadmodum magnis merentur efferri laudibus, insignibusque praeconiis commendari sublimium principum desideria et vota, quae in divini nominis[2] et personarum illi clericali vinculo adstrictarum amorem feruntur, et opere postmodum consequente tutum deducantur[3] in actum; ita etiam dignum vel potius debitum existimamus, ut (quoniam in fidei sinceritate, et devotione illibatae Ecclesiae sponsae nostrae te fidelem advocatum devovisti, eamque humili professione matrem et dominam tuam recognovisti, et, ad ipsius honorem et sacri Romani imperii decus, unctionem victoriae et diadema etiam nostro ministerio adveniente tempore suscipere, et in eis immobilis persistere intendis, verum etiam tamquam ipsius Ecclesiae legitimus pugil et athleta te adversus schismaticorum et haereticorum, Turcarum tyramni, ac fidei et Christi[1] nominis hostium insanias et furores spiritualiter et temporaliter armaris, et in dies arma huiusmodi iugiter exequeris) ea tibi favorabiliter concedamus, quae tuae celsitudini cedant ad honorem, et per quae eisdem benemeritis personis te munificum reddere possis, ope auctoritatis apostolicae, exhibitione gratiarum:

Concessio de qua in rubricâ.

§ 2. Hinc est, quod tuae celsitudinis supplicationi inclinati, dictâ auctoritate, praesentium serie, eidem celsitudini tuae concedimus et indulgemus, quod si per te quibusvis collatoribus seu collatricibus quorumcumque-beneficiorum ecclesiasticorum secularium vel regularium ordinum quorumcumque per sacrum romanum imperium ubilibet constitutorum (etiam si quis, vel si quae pontificali, vel aliâ quavis dignitate praefulgeant, seu collegia, capitula et conventus fuerint) super singulis beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, secularibus vel ordinum huiusmodi regularibus; in singulis cathedralibus, etiam metropolitanis, collegiatis et aliis quibusvis ecclesiis (etiamsi beneficia huiusmodi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in eisdem cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, et ipsae praebendae, in illis ex huiusmodi ecclesiis in quibus maiores vel minores praebendae

1 Ex Archiv. in arce sancti Angeli.
2 Forsan legendum *Numinis* (R. T.).
3 Videretur legendum *deducuntur* (R. T.).

1 Nisi malis legere *christiani* (R. T.).

esse noscuntur, etiamsi maiores fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes, vel officia huiusmodi consueverint qui[1] per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo dignitates ipsae in cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificales maiores, aut collegiatis huiusmodi principales non existant) ad eorumdem collatorum et collatricum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim pertinentibus, singulis personis conferendis, seu sic per hoc[2], quod personae huiusmodi ad illa recipiantur et admittantur, preces porrigi, seu de personis eisdem ad huiusmodi beneficia nominationes fieri contigerit primarias; iidem collatores et collatrices (salvo quod singulae collationes, et singulae ecclesiae ex hoc ultra quam in uno beneficio non graventur, ac ipsi collatores et collatrices saltem quatuor beneficia ecclesiastica conferre habeant) huiusmodi precibus et nominationibus parere et intendere, nec non personas ipsas ad huiusmodi beneficia, postquam ipsis de illis canonice provisum[3] fuerit, iuxta earumdem precum aut nominationum tenorem, recipere et admittere debeant, et etiam teneantur, *etc.*: quodque quicumque, quibusvis in dignitatibus constituti, seu ecclesiarum cathedralium canonici singuli (videlicet in illis, quos pro singulis personis praedictis precum et nominationum huiusmodi et ad hoc, ut illae sortiantur effectum, etiam praesentium exequutores deputaveris) per se, vel per alium, seu alios, beneficia praedicta (cum in quibusvis, etiam ordinariis, collatoribus per constitutiones nostras aut litteras alternativas aliaque privilegia et indulta quaecumque quomodolibet concessis et in posterum concedendis, aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint; et quae personae, pro quibus preces et nominationes huiusmodi factae fuerint, quatenus huiusmodi preces sive nominationes ad illa se extendant, infra mensem, postquam ipsis vacatio huiusmodi beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda) etiamsi ipsa beneficia dispositioni apostolicae aliàs quam per constitutionem felicis recordationis Benedicti Papae XII praedecessoris nostri, quae incipit *Ad regimen*, generaliter reservata existant, et ex diversis personis vacaverint, *etc.* (dummodo quoad huiusmodi qualitates aliàs cum eis canonice dispensatum, et beneficia in eàdem ecclesià obtinenda talia sint, quae sine dispensatione apostolicà insimul obtineri possint, aut consueverint, ac ipsorum vacantium beneficiorum collatio non fuerit iuxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa) conferre et assignare, etc.; ac personis praedictis, pro quibus huiusmodi primarias preces porrigi seu nominationes fieri contigerit, quod ipsae expectativis et nominationibus, seu speciatim reservationum de quibusvis beneficiis pro eis factarum gratiis et mandatis de providendo ipsis de eisdem, si quae ipsis concessa fuerint, unà cum gratià precum et nominationum primariarum earumdem uti possint, nec, aliquà gratiarum huiusmodi consumptà, reliquae earumdem cassae censeantur vel irritae, indulgemus.

§ 3. Non obstantibus nostris de non utendo gratià, expectativà, ac reservatione speciali, vel duabus gratiis insimul, ac de insinuatione, ac publicatione et diligentiis per acceptantes desuper faciendis, et in favorem ordinariorum collatorum, nec non expectativas in formà pauperum habentium, ac illustrium et graduatorum, ac Derogatio contrariorum.

1 Vox *qui* praeter rem esse videtur, vel aliquid aliud deest (R. T.).

2 Aptius legeretur *seu super hoc* (R. T.).

3 Forsan legendum *constitutum* (R. T.).

Sedis praefatae officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium: nec non quibuscumque in cancellariâ apostolicâ quandocumque publicatis et publicandis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, statutis et consuetudinibus) illis praesertim, quibus in ecclesiis, in quibus maiores et minores praebendae huiusmodi fuerint, caveri dicitur, quod nullus inibi maiorem praebendam maiore assequi valeat, nisi ad[1] illam de minori gradatim, et per optionem ascendat) iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, contrariis quibuscumque, *etc.*; nec non concordatis nationis Germanicae, ac eorumdem concordatorum confirmatione, ac praedictis et quibuscumque aliis quandocumque editis et edendis constitutionibus, et regulis nostris, et dictae cancellariae (ad quarum solemnitatem, adstrictionem, formam, vel satisfactionem, seu observantiam habentes preces seu nominationes huiusmodi minime teneantur, nec ipsae preces sub illis comprehendantur quoquo modo); nec non quibusvis privilegiis, indultis et litteris apostolicis, et quibusvis gratiis expectativis, specialibus vel generalibus, etiam mentalibus, reservationibus, unionibus, annexionibus et incorporationibus, suppressionibus et extinctionibus, perpetuis et temporalibus, nominationibus, *etc.*

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXIII, kalendis martii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 1 martii 1613, pontif. an. VIII.

CCXXVII.

Erectio seminarii sub invocatione sancti Pauli in Urbe, fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiae, pro christianae fidei propagatione.

1 Praep. *ad* nos addimus (R. T.).

Paulus Papa V
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta animarum saluti assidue invigilans, quae antea provide facta fuisse videntur, si rerum et temporum ratio postulaverit, nonnumquam in melius commutat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Hic Pontifex instituit Congregationem sub invocatione sancti Pauli ex Ordine Carmelitarum reformatorum pro Christianae fidei propagatione.

§ 1. Aliàs siquidem, pro missione ad conversionem infidelium instituendâ, per nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras, sub datum XXII iulii MDCVIII, pontificatus nostri anno IV, motu nostro proprio, ex Ordine beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo novae reformationis tam Hispaniarum quam Italiae, unam Congregationem sub invocatione sancti Pauli, ab uno commissario generali, cum definitorum interventu regendam, perpetuo ereximus, ipsamque Congregationem, et eius commissarium generalem, ac fratres, illorumque monasteria, domos et bona ab omni iurisdictione Ordinariorum locorum quorumcumque, nec non ab omni obedientiâ praepositorum generalium, tam congregationis Hispaniae, quam Italiae, praeterquam in nonnullis tunc expressis, etiam perpetuo eximimus et liberavimus, ac sub nostrâ et Sedis Apostolicae protectione subiecimus, aliaque fecimus, prout in dictis litteris plenius continetur[1].

Eam modo revocat.

§ 2. Quoniam autem, sicut nobis innotuit, novae Congregationis huiusmodi erectio, et alia praemissa, iustis de causis, ut effectum sortiantur non expedire in Domino dignoscitur; idcirco nos, dictarum litterarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine erectionem Congregationis sancti Pauli, et litteras praedictas, ac in eis contenta, et si quae sint inde sequuta quaecumque, tenore praesentium perpetuo cassamus,

1 Quas vide in tom. XI, pag. 535 (R. T.).

irritamus et annullamus, viribusque et effectu vacuamus.

Seminariumque in Urbe pro eisdem fratribus Congregationis Italiae ad eumdem effectum erigit.

§ 3. Cupientes autem dicti Ordinis fratres in pio eorum propagandae religionis zelo confovere, nihilque quod convertendis ad fidem infidelibus et reducendis haereticis opportunum in Domino iudicamus praetermittere, in aedibus, per dictos fratres in Monte Quirinali prope ecclesiam monasterii monialium sanctae Susannae de Urbe noviter extructis, unum seminarium dicti Ordinis Congregationis Italiae, sub invocatione sancti Pauli, in quo praedicti Ordinis fratres, qui ad messem dominicam aptiores videbuntur, diversarum linguarum et controversiarum scientiam ad evertendos errores haereticorum, schismaticorum, saracenorum, gentilium et iudaeorum, aliorumque infidelium, necessariam addiscere, et maioribus vigiliis, abstinentiis, aliisque virtutum exercitiis assuescere possint, indeque edocti, pro arbitrio superiorum ad infidelium partes pro conversione animarum proficisci debeant, motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus, etiam perpetuo erigimus.

Gratias aliorum quorumcumque Ordinum elargitur.

§ 4. Nec non seminario huiusmodi, illiusque rectori, et fratribus, quod omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, concessionibus, gratiis tam spiritualibus quam temporalibus et indultis, quibus alii fratres tam mendicantes quam non mendicates, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter uti, potiri et gaudere possint et debeant, concedimus et indulgemus.

Clausulas praeservativas, et decretum irritans apponit.

§ 5. Decernentes, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque perpetuo valida et efficacia fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non praedicti, et quorumcumque aliorum Ordinum statutis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis), privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, illorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, aut sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die VII martii MDCXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 martii 1613, pontif. an. VIII.

CCXXVIII.

Statuitur omnes collegii doctorum et Ambrosianae bibliotecae conservatores ex ecclesiasticorum coetu esse eligendos[1].

Paulus Papa V
ad perpetuam rei memoriam.

Recenset a Cardinali Friderico Borromaeo erectum doctorum collegium Mediolani;

§ 1. Aliàs, pro parte dilecti filii nostri Federici tituli sanctae Mariae Angelorum presbyteri cardinalis Borromaei nuncupati, ecclesiae Mediolanensis ex concessione et dispensatione apostolicà praesulis, nobis exposito, quod antea ipse, pio et laudabili tam ordinem ecclesiasticum quam rem litterariam in civitate et dioecesi Mediolanensi iuvandi, promovendique zelo et affectu ductus, in dictà civitate et loco ad id commodo et opportuno unum collegium ecclesiasticum duodecim doctorum, quorum quatuor sacrae theologiae, reliqui vero aliis facultatibus et scientiis operam dare deberent, ac quatuor propterea laicorum liberalibus disciplinis excultorum, nec non ibidem ad ipsius collegii usum et commoditatem unam bibliothecam Ambrosianam nuncupatam ingenti sacrorum et profanorum, ac antiquorum et recentiorum librorum magno dicti Federici cardinalis sumptu undique conquisitorum numero instructam, certis modo et formà tunc expressis, perpetuo erexerat et instituerat; ac ad defensionem et conservationem tam collegii et bibliothecae praedictorum, quam bonorum ad ea spectantium, octo conservatores, duos videlicet ex capitulo canonicorum ordinariorum ecclesiae praedictae, et duos alios ex reliquo clero urbano, ac praepositum pro tempore existentem Congregationis Oblatorum, aliàs sancti Sepulchri Mediolanensis, nec non unum ex sexaginta decurionibus concilii generalis dictae civitatis, ac unum ex iurisperitorum, reliquum vero ex physicorum collegiis[1] etiam Mediolanensibus assumendos, ac certis modo et formà tunc quoque expressis eligendos, qui curam collegii et bibliothecae, ac bonorum ad ea et sex cappellanias non collativas ad altare beatae Mariae de Arbore nuncupatae situatam in dictà ecclesià per eumdem Federicum cardinalem pro totidem cappellanis ex numero doctorum dicti collegii desumendis fundatas et dotatas spectantium, gererent, et alia tunc expressa facerent et curare deberent, constituerat et deputaverat;

Confirmatumque apostolicà auctoritate cum legibus a dicto cardinali sancitis.

§ 2. Nos, dicti Federici cardinalis supplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, primum erectionem et institutionem collegii et bibliothecae, ac desuper confectas scripturas, in eisque contenta quaecumque, auctoritate apostolicà perpetuo approbavimus et confirmavimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenissent supplevimus[2]; et subinde numerum dictorum quatuor laicorum in praedicto collegio, ut praefertur, adscriptorum, ad duos laicos tantum perpetuo reduximus, numerum vero dictorum octo conservatorum in duobus aliis, quorum alter ex capituli, alter vero ex cleri urbani praedicti gremio eligi et assumi deberent, auximus et ampliavimus; curam autem, gubernium, regimen, et administrationem tam dicti collegii, quam illius cappellaniarum praedictarum bonorum, fructuum, redditunm, iurium, obventionum, et pertinentiarum quorumcumque, tam praesentium quam futurorum, solis ex dictis conservatoribus, qui ecclesiastici ordinis essent privative quoad ceteros conservatores laici ordinis (ita quod deinceps in perpetuum cura et administratio

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Sic legimus loco *collegii* quod legitur in edit. Main. (R. T.).

2 Vide duas Pauli V Const. in tom. XI, pag. 279 et 511 seq. (R. T.).

dictae bibliothecae omnibus conservatoribus praedictis, tam ecclesiasticis quam laicis, communiter et coniunctim, regimen vero, gubernium et administratio collegii praedicti, illiusque ac cappellaniarum huiusmodi bonorum, fructuum, redditnum, proventuum, iurium et pertinentiarum praedictarum solis ex conservatoribus praedictis, qui ecclesiastici ordinis essent, ut praefertur, competere debeat) itidem perpetuo commisimus et mandavimus, et aliàs prout in diversis nostris desuper confectis litteris plenius continetur [1].

Idem cardinalis petit decerni omnes collegii doctorum, et bibliothecae conservatores ecclesiasticos esse.

§ 3. Cum autem, sicut dictus Federicus cardinalis nobis denuo nuper exponi fecit, ipse [2] usu et experientiâ edoctus felici collegii et bibliothecae praedictorum administrationi, doctorumque in ipso collegio pro tempore existentium quieti et tranquillitati expedire iudicaverit, ut omnes conservatores praedicti ecclesiastici existant; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere, ut infra, de benignitate apostolicâ dignaremur.

Hoc autem decernit Paulus.

§ 4. Nos igitur, dictum Federicum cardinalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac dictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ne de cetero perpetuis futuris temporibus laici in dicti collegii conservatores admitti possint, aut debeant, similiter perpetuo statuimus, eosdemque laicos conservatores ab ipso collegio, ipsiusque defensione et conservatione, ex nunc in perpetuum penitus removemus, ac remotos esse, irritumque et inane, si secus super his, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogat obstantibus.

§ 5. Non obstantibus litteris nostris praedictis, necnon dicti collegii (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XIV martii MDCXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 14 martii 1613, pontif. an. VIII.

1 Mutationes praedictas non puto omnes legi in *Bullario* (R. T.).

2 Erronee edit. Main. habet *ipsum* (R. T.).

CCXXIX.

Contra monachos sancti Bernardi Congregationis Cisterciensium Italiae, dignitates et officia ipsius Congregationis, conquisitis extra eam favoribus, ambientes, eorumque complices et fautores, necnon contra superiores, eosdem in electionibus favores attendentes [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Ut ambitus monachorum Congregationis sancti Bernardi Cisterciensis in Italia reprimatur.

Aliàs, per nos accepto quod quidam in Ordine sancti Bernardi Congregationis Cisterciensium Italiae, professionis et regulae, quam professi sunt, penitus immemores, nimiâque dignitatum et officiorum ecclesiasticorum in dictâ Congregatione consequendorum ambitione ducti, pro iis consequendis ecclesiasticorum et secularium principum studia requirebant, commendatitias litteras, aliosque favores et gratias propterea expectabant, quibus adiuti, quos ipsi ex se promeruisse minime confidebant gradus et dignitates in eâdem Congregatione consequi valerent, sicque eiusdem Congregationis quietem non sine animarum suarum periculo perturbabant:

Pontifex favores extra Religionem pro habendis gradibus in ea exquirentibus poenas imposuit, ut in alia eius Constitutione quam uti hic plene relatum praetermisi.

§ 1. Nos, malum hoc ab eodem Ordine et Congregatione pro nostrâ pastorali sollicitudine expellere summopere cupientes, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine,

1 Congregationem istam firmavit Alexander VI in sua Const. X, *Plantatus*, tom. V, pag. 371.

eos omnes et singulos monachos dicti Ordinis et Congregationis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae, qualitatis et dignitatis existentes, qui ex tunc de cetero, ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, et alia officia dicti Ordinis et Congregationis assequenda intenti, ad principum et praelatorum, ac aliarum quarumcumque personarum tam secularium, quam ecclesiasticarum, de gremio dictae Congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore, et quacumque seculari dignitate et excellentiâ, etiam imperiali, regali et ducali fungentium, favores recurrissent, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis, directe vel indirecte, palam vel occulte, ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et alia officia praedicta obtinenda aspirassent, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere quaesiissent, aut etiam sponte oblatis et minime conquisitis usi fuissent, illorumque complices et fautores, ad quascumque praelaturas, dignitates et officia, gradus, honores, administrationes, et munera in ipsâ Congregatione obtinenda perpetuo inhabiles declaravimus, et obtentis per eos praelaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, et officiis huiusmodi eo ipso privavimus, ac privatos, voce tam activâ quam passivâ carere decrevimus et declaravimus,

Superioribus favores huiusmodi attendentibus poenam inobedientiae, et excommunicationis latae sententiae iniunxit, ut ibidem.

§ 2. Atque in virtute sanctae obedientiae, ac sub censuris[1] latae sententiae poenâ, omnibus dicti Ordinis et Congregationis superioribus et praelatis, quocumque titulo nuncupatis, etiam praesidenti et patribus definitoribus, tunc praesentibus et futuris praecepimus, districteque mandavimus, ne quempiam ullo tempore precibus, litteris, nec favoribus adducti, vel aliàs ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem principum, vel praelatorum, aut aliorum quorumcumque, tam secularium quam ecclesiasticorum, extra dictum gremium existentium, etiam cardinalium, imperatoris, regum, ducum, ad cuiusvis generis praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et officia praedictae Congregationis promovere[1] vel poenas aliquas remittere auderent vel praesumerent, et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis sub die XXVII iulii MDCV expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso[2] haberi volumus, plenius continetur[3].

Ambientibus supradictis eamdem poenam excommunicationis addit.

§ 3. Nos, qui pro muneris nostri debito in hoc potissimum laborare non desistimus, ut ecclesiastica regularisque disciplina pristino candori restituatur, ac huiusmodi ambitionis malum, ne ulterius serpat, per amplius providere volentes, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, omnibus et singulis monachis dicti Ordinis et Congregationis cuiuscumque status, gradus, conditionis, praeeminentiae, qualitatis et dignitatis existentibus, ne de cetero ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et alia officia dicti Ordinis et Congregationis assequenda, ad principum et praelatorum, ac aliarum quarumcumque personarum, tam secularium quam ecclesiasticarum, de gremio dictae Congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore, et quacumque seculari dignitate fungentium, favores recurrant, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis, directe vel indirecte, palam vel occulte, ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et alia officia praedicta obtinenda aspirent, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere

1 Legendum foret *excommunicationis* (R. T.).

1 Erronee edit. Main. legit *promoveri* (R. T.).
2 Erronee edit. Main. legit *expressis* (R. T.).
3 Quas non puto esse in *Bullario* (R. T.).

quaerant, aut etiam sponte oblatis favoribus et minime conquisitis utantur, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ, per contrafacientes ipso facto incurrendâ, districte praecipimus, mandamus, ac prohibemus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si praedictis monachis, vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, *etc.*, mentionem.

Hanc legem in monasteriis publice legi mandat.

§ 5. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes dicti Ordinis et Congregationis monachos facilius deveniat, volumus illas in monasteriis dictae Congregationis publice legi, illasque in monasteriis huiusmodi lectas sic arctare, ac si legitime unicuique intimatae essent:

Transumptis credi iubet.

§ 6. Illarumque exemplis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo praesidentis ipsius Congregationis, vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae obsignatis, eamdem prorsus fidem haberi, quae praesentibus haberetur, si caedem exhiberentur.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX martii MDCXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 30 martii 1613, pontif. anno VIII.

CCXXX.

Collegium Hibernorum Ulyssiponense erectum eximitur a iurisdictione Ordinarii, et Sedi Apostolicae subiicitur[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii cura, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissa postulat, ut ea, quae piorum locorum quorumlibet, praesertim collegiorum et seminariorum ad iuventutis religiosam educationem, ac in ecclesiasticis, aliisque salutaribus disciplinis instructionem pie institutorum, tranquillo statui, felicique progressui conducunt, libenter concedamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Declaratio de qua in rubrica.

§ 1. Itaque dilectos filios rectorem, scholares, ministros, et alias personas collegii seu seminarii nationis Hibernorum civitatis Ulixbonensis canonice erecti, ut apostolico praesidio suffulti a quibusvis perturbationibus et gravaminibus releventur, et in suâ vacatione utilius persistant, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, collegium seu seminarium praedictum, illiusque rectorem, ac scholares, ministros, ac alias personas, nec non eiusdem res et bona quaecumque nunc et pro tempore existentia, ab omni et quacumque iurisdictione, correctione, visitatione, superioritate et potestate moderni et pro tempore existentis archiepiscopi Ulixbonensis illiusque officialium et ministrorum quorumcumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, tam in universum quam singillatim, perpetuo eximimus et liberamus, illosque et illa sub beati Petri ac nostrâ et Sedis Apostolicae protectione suscipimus, nobisque et pro tempore existenti Romano Pontifici etiam perpetuo subiicimus, itaut modernus et pro tempore existens archiepiscopus praedictus, eiusque officiales et ministri ullam quovis praetextu, et ex quacumque causâ

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

in dictum collegium seu seminarium, eiusque rectorem, ministrum, scholares, aliasque personas, bona et res huiusmodi, iurisdictionem, correctionem, potestatem et superioritatem habere et exercere minime possint.

Clausulae.

§ 2. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, nec non collegio, seu seminario, et aliis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 3. Quocirca iudicibus, ac pro tempore existenti protectori dicti collegii, seu seminarii, similiter pro tempore nominandis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et, quoties pro parte rectoris et collegialium ac aliorum praedictorum, seu alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ rectorem et collegiales, aliosque praedictos, earumdem praesentium, ac in eis contentorum quorumcumque, usu et commodo ac effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes, illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis ad iudicium non trahatur, ac apostolicis, nec non in provincialibus, universalibusque, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis statutis et consuetudinibus (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis), privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXII aprilis MDCXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 22 aprilis 1613, pontif. an. VIII.

CCXXXI.

Institutio Congregationis piorum sacerdotum, Oratorii Iesu Christi Domini nostri nuncupandae, in regno Franciae ab Henrico episcopo Parisiensi et Maria reginâ Francorum ad restituendam augendamque fidem catholicam promotae [1].

[1] Constitutionem istam, quae in edit. Main. in fine pontif. Pauli V extra locum vagatur, huc in suam sedem transferimus; et innumeris mendis refertam, adeo ut fere inextricabilis sit, emendare, quantum possibile erit, conabimur. Edita etiam fuit a FF. Sammarthanis in *Gallia Christiana*, tom. VII, in *Append. Instrum.* p. 163, sicuti etiam in 1 edit. 1656, tom. IV, pag. 988; at dolendum ibi pluribus adhuc mendis scatere quam in *Bullario* R. T.

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, quam Dei unigenitus Iesus Christus Dominus noster, auctor ipse piorum operum, fundavit, regimini supremâ dispositione praesidentes, pro nobis commissi gregis dominici prospero statu et animarum salute solliciti esse compellimur, et ea sincere tenemur amplecti, quae ad incrementum religionis pertinent, et ad virtutum spectant ornamentum, ac [1] piae christifidelium congregationes instituantur, et exinde uberiores fructus bonorum operum, in illis locis praesertim ubi id magis expedire dignoscitur, in dies per pia et spiritualia exercitia accrescunt[2], et iis exercitiis deditae [3] ac Domino famulantes personae animarum suarum salutem, eodem Domino miserante, facilius consequi, ceterisque christifidelibus vitae ac morum exemplo proficere valeant ad salutem.

Henricus episcopus Parisiensis et Maria Francorum regina supplicant Pontifici pro institutione Congregationis piorum sacerdotum in eo regno, eiusque regimen Petro de Berulle presbytero Parisiensi committatur.

§ 1. Sane exhibita nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Henrici episcopi Parisiensis ac charissimae in Christo filiae Mariae Francorum reginae petitio continebat, quod aliàs [cum ipsa Maria regina pro devotionis zelo ducta (ut aliquo devotionis suae monumento immensarum gratiarum munera, quibus eam bonorum omnium largitor optimus decoravit, testari possit) disciplinam ecclesiasticam, undique fere in regno Franciae, haeresum bellorumque praeteritorum iniuriâ, tum in religione tum etiam in moribus non parum depravatam ac corruptam, in primaevum et pristinum suum statum, devotionisque et pietatis splendorem salubri aliquâ ratione restitui plurimum desideret; et id (re ipsâ [1], in consultatione cum viris gravibus et piis ac praesertim cum dicto Henrico episcopo pluries habitâ, mature discussâ) utilius et fructuosius quam ex institutione alicuius Congregationis piorum sacerdotum (quorum studium et officium ad [2] munus sacerdotale, iuxta sanctum atque pium illius institutum, debite exequendum et adimplendum sit omnino directum) [3] exequi posse non videatur; ipsaque Maria regina unam devotam piorum ac probatae vitae sacerdotum (quorum principale institutum singulas actiones ordini sacerdotali convenientes et essentiales amplecti existat [4]) Congregationem in ipso regno, et praesertim in civitate Parisiensi, ubi illa non parum desiderari videtur, erigi et institui, curamque erectionis et institutionis huiusmodi dilecto filio Petro de Berulle [5] presbytero Parisiensi (cuius ministerium felici progressui et directioni ipsius Congregationis maxime profuturum esse in Domino confidit) per nos committi et demandari summopere desideret] pro parte eorumdem Henrici episcopi et Mariae reginae nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Congregationem piorum ac probatae vitae sacerdotum perpetuo erigere et instituere, illiusque curam dicto Petro committere et demandare, ut praefertur, ac aliàs de

1 Lectio mendosa, nec facilis de emendatione coniectura: forsan *ut* pro *ac* legendum, vel *ac praesertim ut... instituantur curare* aut *optare* (R. T.).

2 Iuxta not. praec. legendum foret *accrescant* (R. T.).

3 Perperam omnes *Bull.* editiones habent *debite* (R. T.).

1 Male *Gall. Christ.* legit *reipsa* adverbialiter (R. T.).

2 Edit. omnes legunt *ac;* nos censuimus opus esse correctionis (R. T.).

3 Praeter rem edit. Main. et Cherub. heic addunt *instituen.* nempe *instituendo* vel *instituenda* ut legit *Gallia Christiana;* nam praecessit iam *ex institutione alicuius Congregationis* (R. T.).

4 Pessime *Gallia Christiana* legit *exigat* (R. T.).

5 Edit. Main. habet *de Beralle;* erronee ut constat (R. T.).

apostolicae potestatis providentiâ consulere dignaremur.

Hic ideo Pontifex Congregationem Oratorii Iesu Christi Domini Nostri nuncupandam pro piis sacerdotibus instituit,

§ 2. Nos igitur (quibus cura et sollicitudo cordi insidet fidem et religionem catholicam propagare[1], divinique cultus augmentum et ut christifideles singuli per viam salutis in hoc seculo gradientes ad caelestia regna pervenire mereantur procurare, praesertim ubi catholicorum principum vota id exposcere ac in Domino salubriter conspicimus expedire), considerantes huiusmodi institutionem specialiter sacerdotes, aut personas ad sacerdotalem statum aspirantes, vel saltem eorum ministerio necessarias, ac Iesum Christum Dominum nostrum sacerdotalis dignitatis immediatum institutorem tangere et respicere, aequum maxime et rationi consentaneum iudicamus, ut qui huiusmodi institutum aggrediuntur, ultra communem fidelium devotionem, speciali et particulari devotioni Iesu Christi Domini nostri addicantur, qui est Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, et fons sacerdotii in Ecclesiâ Christianâ. Hinc (pio et salubri dictae Mariae reginae desiderio favorabiliter annuere, ac ipsum opus pium muneris Sedis Apostolicae consolatione confovere, nec non christifideles ad pia, meritoria et salutaria opera exercenda, ecclesias quoque et sacra Dei templa devotionis causâ visitanda[2], aeternis praemiis ac spiritualibus muneribus et peccatorum remissione invitare volentes; necnon Henricum episcopum et Petrum praedictos, ac eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes), huiusmodi supplicationibus inclinati (dicto Petro, apud nos de religionis zelo, vitae ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato, nostram et dictae Sedis benedictionem impertientes), ad laudem et gloriam omnipotentis Dei Patris et animarum salutem, unam sub nomine Oratorii Iesu Christi Domini nostri Congregationem in honorem orationum quas in diebus carnis suae fudit (ut ii qui Congregationem ipsam ingredientur eumdem Iesum Christum pro nobis in oratione positum et pernoctantem revereantur, atque etiam instituti ad quod vocati sunt moneantur[1], et praesertim semper hanc praecipuam omnibus communem et omni tempore congruentem officii eorum partem, quae in orationibus pro populo ac in Dei laudibus celebrandis versatur[2], habeant) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus:

Dictumque Petrum deputat praepositum dictae Congregationis piorum sacerdotum, qui insimul religiose vivant, eorumque sit praecipuum institutum perfectioni status sacerdotalis totaliter incumbere.

§ 3. Dictumque Petrum institutorem in praepositum generalem[3] huius piorum sacerdotum nulli antea religioni voto solemni addictorum (necnon et aliorum ad presbyteratus ordinem promoveri cupientium, et reliquorum ad familiaria officia necessariorum) Congregationis Oratorii Iesu Christi Domini nostri nuncupandae huiusmodi, qui simul et in societate religiose vivere, et humilitatis spiritu, et piae vitae studiis Altissimo famulatum exhibere et impendere studeant, quorum principale ac praecipuum institutum sit per-

1 Aptius legendum videretur *propagandi*, et paulo post *procurandi* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *visitandi* (R. T.).

1 Perperam omnino edit. Main. legit *moveantur* (R. T.).

2 Turbatissime adhuc eadem edit. legit *versantur* (R. T.).

3 Subintellige *deputamus et assumimus*, ut sequitur postea in fine § 4; nam eo usque sensus manet suspensus. Porro erronee, ut puto, ceterae editt. legunt: *dictumque Petrum in institutorem praepositum generalem* (R. T.).

fectioni status sacerdotalis totaliter incumbere, singulasque actiones ordini sacerdotali proprie et essentialiter convenientes, sibi ab eorum[1] Ordinariis, ubi stabilita fuerit, praescribendas, et non alias, amplecti, sacerdotum insuper et aliorum ad sacros ordines aspirantium instructioni, non circa scientiam, sed circa usum scientiae[2], ritus et mores proprie ecclesiasticos, se addicere[3],

Dat eidem facultatem Congregationes eiusmodi, in locis ad quae vocatus fuerit per Ordinarios, instituendi, et alia quaecumque necessaria praefiniendi.

§ 4. [Cum plenâ et omnimodâ[4] facultate, potestate et auctoritate eidem Petro (per nos ad id assumpto, et a dictâ Maria reginâ summopere commendato)[5] praedictam Congregationem huiusmodi, tam in civitate Parisiensi, quam in omnibus aliis civitatibus, oppidis, terris et locis, ad quae a locorum episcopis vocatus fuerit, et non aliàs, instituendi[6], ac demum, pro felici statu et directione personarum ac bonorum spiritualium et temporalium eiusdem Congregationis seu Congregationum sic erigendarum (tam circa receptionem et admissionem, numerum, aetatem et qualitates in ipsâ Congregatione recipiendorum et admittendorum, eorumque instructionem et disciplinam, quam circa[7] exercitia, ac modum et formam divinorum officiorum, precum et orationum, aliorumque suffragiorum recitandorum, et alia ipsis Congregationibus utilia atque necessaria) quaecumque statuta, ordinationes et capitula (licita et honesta, sacrisque canonibus et constitutionibus apostolicis, necnon Concilii Tridentini decretis minime contraria, a sanctâ Sede Apostolicâ postmodum approbanda, confirmanda, ac per ipsarum Congregationum praepositum, presbyteros, officiales, ministros, et coadiutores, sub poenis in eis apponendis, adimplenda et observanda) faciendi, edendi et condendi; factaque, edita et condita (quoties pro illorum, ac rerum et temporum qualitate et vicissitudine, seu aliàs, videbitur) corrigendi, limitandi, immutandi, alternandi; ac etiam alia (ut praefertur, examinanda[1] et approbanda, ac etiam, ut praefertur, adimplenda et observanda[2]) ex integro faciendi et condendi; aliaque omnia et singula (a similium Congregationum, necnon quorumcumque Ordinum approbatorum constitutoribus, aut aliis superioribus, etiam generalibus, de iure vel consuetudine, sive ex privilegio, aut aliàs quomodocumque fieri et exequi solita) faciendi et exequendi] dictâ auctoritate deputamus et assumimus.

Eas tamen Congregationes a Congregatione Parisiensi dependere decernit.

§ 5. Omnesque alias, ad instar supradictae per nos sic erectae[3], canonice erigendas Congregationes (quas ab eâ Parisiensi, et a dicto praeposito generali, ubicumque locorum stabilitae fuerint, in omnibus dependere volumus et intelligimus), ex nunc, prout postquam auctoritate praedictâ erectae fuerint, eisdem auctoritate et tenore, perpetuo approbamus et confirmamus.

1 Forsan substituendum vel addendum *locorum* (R. T.).

2 Perperam in edit. Cherub. legitur *non circa usum scientiae* (R. T).

3 Heic reliquae editiones addunt *volentes;* quae vox vel praeter rem est, si hucusque perseverat syntaxis ab iis verbis *quorum .... institutum sit*, etc.; vel adnecti debet ad superiora verba *qui... impendere studeant* (...), *sacerdotum insuper ... instructioni... se addicere volentes*, alio commate *quorum... institutum sit... amplecti* parenthetice lecto (R. T.).

4 Perperam in *Galliâ Christianâ* legitur *commoda* pro *omnimoda* (R. T.).

5 Reliquae editiones legunt *ut praedictam;* nos delemus particulam *ut*, nam sequitur *instituendi* (R. T.).

6 Edit. Main. habet breviatim, ut solet, *instituen.*, sed male *Gallia Christiana* legit *instituendam* (R. T.).

7 Haec verba *quam circa* nos addimus (R. T.).

1 In edit. *Bullarii* legitur de more solito *examinan. approban.* sed male *Gallia Christiana* scribit *examinandi, approbandi* (R. T.).

2 Perperam *Gallia Christiana* legit *adimplendis et observandis* (R. T.).

3 Male prorsus eadem legit *erectas* (R. T.).

Quam Congregationem Parisiensem duodecim saltem presbyteros, alias autem decem habere praecipit, cum opportunâ redditaum assignatione.

§ 6. Ita tamen quod Congregatio Parisiensis saltem duodecim presbyteris constare, et[1] tot redditus annuos habere debeat, ex quibus unicuique presbytero huiusmodi portio annua quadraginta quinque ducatorum auri de camerâ obvenire possit. Ceterae vero Congregationes decem ad minus presbyteros, ac eosdem redditus annuos (vel quos[2] Sedis praedictae legatus, aut pro tempore existens nuncius apostolicus, et episcopus loci, ac dictae Congregationis sic erectae praepositus generalis, pro loci qualitate sufficere iudicaverit) habere debeant.

Legatorum et eleemosynarum receptionem eisdem Congregationibus concedit.

§ 7. Et postremo eisdem Congregationibus ex nunc, prout etiam postquam institutae et erectae fuerint, ut praefertur, pro illarum dote, et dicti Petri, necnon praepostti generalis, et presbyterorum eorumdem pro tempore existentium sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione[3], omnia et singula, res, bona, fructus, redditus et legata ac eleemosynas, tam per dictam Mariam reginam, quam alios quoscumque christifideles dictis Congregationibus quomodolibet relinquenda, donanda et elargienda (ita quod liceat dicto Petro, vel alii praeposito generali, et presbyteris dictarum Congregationum pro tempore existentibus, illorum omnium corporalem, realem et actualem possessionem, per se, vel alium, seu alios[4], dictarum Congregationum nomine, libere apprehendere, et perpetuo retinere, fructus quoque, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque eorumdem percipere, exigere, levare, recuperare, ac in dictarum Congregationum usus et utilitatem convertere (Dioecesani loci, vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ) etiam perpetuo applicamus.

Quibuscumque contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac litteris apostolicis, quibuscumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et Sedem praedictam, eiusque legatos, quavis causâ et occasione, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, et formâ in illis traditâ observatâ, nihilque penitus ommisso inserti forent, praesentibus pro expressis habentes[1], illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Indulgentias elargitur personis dictae Congregationis.

§ 9. Ceterum ad augendam fidelium devotionem, animarumque saluti consulendum, et ut christifideles ad huius instituti exercitium animentur atque inviten-

1 Turbatissime tum Main. tum utraque Cherub. editt. legunt *constaret, tot redditus*, etc. Inepte etiam *Gallia Christiana* habet *constet, tot redditus*, etc. (R. T.).

2 Perperam edit. Cherub. et Main. legunt *quae*; hac saltem vice *Gallia Christiana* bene legit *quos* (R. T.).

3 Vox ista *supportatione*, forte necessaria, deest in utraque *Galliae Christianae* editione (R. T.).

4 Perperam in *Gallia Christiana* utriusque editionis legitur *alio* (R. T.).

1 Haec verba *praesentibus ..... habentes* de more addimus (R. T.).

tur, de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis presbyteris, qui perpetuis futuris temporibus dictam Congregationem ingredientur, et in eâ recipientur, eorumque coadiutoribus et oblatis, aliisque ministris, die eorum et cuiuslibet ipsorum ingressus, receptionis ac professionis, ac in mortis articulo, si poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti fuerint, plenariam indulgentiam, et omnium peccatorum suorum remissionem, eisdem auctoritate et tenore misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Postremo eisdem praeposito, presbyteris, coadiutoribus, oblatis, et aliis ministris praedictis, qui congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, aut pium aliquod opus circa functiones suas exercuerint, toties pro quolibet praemissorum piorum operum,[1] ut magis ad sui instituti opera animentur et suavius ad ea invitentur, sexaginta dies de iniunctis eis vel aliàs quomodolibet debitis poenitentiis, etiam apostolicâ auctoritate et tenore huiusmodi misericorditer relaxamus; necnon tam ipsis, quam omnibus aliis christifidelibus, qui etiam vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti eorumdem presbyterorum ecclesias aut oratoria (in sanctissimi Corporis Christi, et Assumptionis beatae Mariae Virginis festivitatum, ac in quo ecclesiae seu oratoria dictorum presbyterorum in unaquaque dioecesi seu loco primâ vice populo aperientur, diebus) devote visitaverint, simili apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, etiam indulgentiam plenariam et omnium peccatorum suorum remissionem concedimus et elargimur, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

1 Coniunctionem *et* delemus (R. T.).

Datum Tusculi, anno a Nativitate D. N. Iesu Christi MDCXIII, sexto idus maii, anno VIII.

Dat. die 8 maii 1613, pontif. an. VIII.

CCXXXII.

Facultas nuncio Poloniae concedendi clero dicti regni facultatem subsidium regi praestandi pro eiusdem regni necessitatibus[1].

Venerabili fratri Lelio episcopo Balneoregiensi apud charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniae et Svetiae regem illustrem nostro et Apostolicae Sedis nuncio

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum, sicut accepimus, ad subveniendum gravibus regni Poloniae praesentibus necessitatibus, eiusdem clerus subsidii nomine aliquam pecuniae summam charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae et Svetiae regi illustri, nostrâ et Sedis Apostolicae ad id accedente licentiâ et consensu, sponte conferre desiderent; *Optantibus regni ecclesiasticis aliquod regi praestare subsidium,*

§ 2. Nos praedicti Sigismundi regis et dicti Poloniae regni huiusmodi necessitatibus consulere volentes, tibi, ut dicto Sigismundo regi pro dictis necessitatibus regni subsidium, sponte tamen, archiepiscopi, episcopi, abbates, et aliae ecclesiasticae personae, pro unâ vice et summâ quae eis videbitur tantum, tribuere, praedicto autem Sigismundo regi, eiusque ministris, quod subsidium huiusmodi petere et recipere absque conscientiae scrupulo, ac censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu, libere et licite possint, apostolicâ auctoritate indulgendi, ac licentiam concedendi, ipsosque archiepiscopos, episcopos, abbates, ac alias personas ec- *Pontifex facultatem concedit de qua in rubrica.*

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

clesiasticas, et earum singulas, quatenus ipsi dictam pecuniae summam absque Apostolicae Sedis licentiâ promiserint, aut solverint, nec non eumdem Sigismundum regem, et suos ministros praedictos, si illam similiter absque licentiâ praedictâ iam receperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis, propterea quomodolibet incursis, eâdem auctoritate absolvendi facultatem et auctoritatem, tenore praesentium, concedimus et impertimur. Tibique, ut ad exactionem praedicti subsidii per personas ecclesiasticas tantum, et non alias, procedere debeas, eâdem auctoritate committimus et mandamus.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus concilii Lateranensis et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum, monasteriorum, et beneficiorum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ac exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, quibusvis generaliter vel specialiter concessis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales etiam mentionem specialem importantes eis derogatum esse non censeatur, aut derogari videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro plene expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Pauperes antem clericos ab huiusmodi praestando subsidio eximit.

§ 4. Volumus autem, ut pauperes clerici, qui in redditibus non habent nisi victum necessarium, ad contribuendum minime compellantur. Praeterea volumus praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra in omnibus et per omnia adhiberi, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die IV maii MDCXIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 4 maii 1613, pontif. an. VIII.

CCXXXIII.

Committitur nuncio apostolico inferioris Germaniae ut nonnulla decreta quoad tonsuram et habitum clericalem per ipsum edita pro dioecesi Leodiensi curet observari[1].

Venerabili fratri Antonio episcopo Vigiliensi in partibus inferioris Germaniae nostro et Apostolicae Sedis nuncio

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Nuncius apostolicus nonnulla edidit decreta super tonsura et habitu clericali in dioecesi Leodiensi.

§ 1. Cum, sicut accepimus, tu, pro commisso tibi a nobis munere, visitationi ecclesiae Leodiensis invigilans, et dispositioni Concilii Tridentini inhaerens, nonnulla decreta praesertim circa habitum et tonsuram clericales per canonicos, presbyteros et alios ecclesiasticae militiae adscriptos deferendos edideris, et clero praedicto observanda proposueris, seu proponere intendas; nonnulli vero ex iis, suorum status et salutis immemores, dicta decreta admittere et observare recusent, seu recusaturos dubites in praeiudicium salutis suarum animarum.

Paulus eidem committit, ut illa curet observari.

§ 2. Nos, attendentes, quod parum est recta statuere et ordinare, nisi illa executioni demandentur, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut decreta, quae circa praemissa edidisti, seu edi-

1 Ex regest. in Secret. Brev.

deris, venerabili fratri Ferdinando episcopo Leodiensi exhibeas, ad hoc, ut ille pro suâ in Deum pietate et religionis zelo, auctoritate sibi a dicto concilio attributâ, omnino observari faciat: ac contradictores et rebelles quoscumque opportunis iuris et facti remediis, appellatione postpositâ, compescat: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum, civitatis et dioecesis Leodiensis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, illarumque capitulis, canonicis, et quibusvis aliis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris; hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iulii MDCXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 6 iulii 1613, pontif. anno IX.

CCXXXIV.

Eadem commissio quoad similia decreta super monialium clausurâ.

Venerabili fratri Antonio episcopo Vigiliensi in partibus inferioris Germaniae nostro et apostolicae Sedis nuncio

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Decreta a nuncio apostolico edita super monialium clausurâ recensentur.

§ 1. Cum, sicut accepimus, tu pro commisso tibi a nobis munere, visitationi ecclesiae Leodiensis invigilans, et dispositioni Concilii Tridentini inhaerens, nonnulla decreta praesertim circa monialium clausuram edideris, seu edere intendas, et monialibus ipsis observanda proposueris, seu proponere decreveris, nonnullae vero ex iis, suorum status et salutis immemores, dicta decreta admittere et observare recusent, seu recusaturas dubites, in praeiudicium salutis suarum animarum.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Ei committitur, ut illa curet observari.

§ 2. Nos, attendentes quod parum est recta statuere et ordinare, nisi illa exequutioni demandentur, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut decreta, quae circa praemissa edidisti, seu edideris, venerabili fratri Ferdinando episcopo Leodiensi exhibeas, ad hoc, ut ille pro suâ in Deum pietate, et religionis zelo, auctoritate sibi a dicto Concilio attributâ, omnino observari faciat, ac contradictores et rebelles quoscumque opportunis iuris et facti remediis, appellatione postpositâ, compescat, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasteriorum dictarum monialium, et Ordinum quorum fuerint (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem monasteriis, illorumque abbatissis, priorissis, monialibus et aliis quibuscumque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iulii MDCXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die, mense, annoque eisdem.

CCXXXV.

Similis commissio quoad decreta edita pro observatione sacri Concilii Tridentini in eâdem Leodiensi dioecesi.

Venerabili fratri Antonio episcopo Vigiliensi in partibus inferioris Germaniae nostro et Apostolicae Sedis nuncio

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

§ 1. Cum, sicut accepimus, tu, pro commisso tibi a nobis munere, reformationi dilectorum filiorum cleri civitatis et dioecesis Leodiensis invigilans, et dispositioni Concilii Tridentini inhaerens, nonnulla decreta pro observatione eiusdem concilii hactenus edideris, et alia edere intendas, et clero praedictis observanda proposueris et propones; nonnulli vero canonici, et forsan capitula, et aliae personae ecclesiasticae ecclesiarum civitatis et dioecesis praedictarum, suorum status et salutis immemores, decreta praedicta seu eorum aliqua admittere et observare recusent, seu forsan recusaturi sint, in praeiudicium salutis suarum animarum.

Commissio de qua in rubrica.

§ 2. Nos, attendentes quod parum est recta statuere et ordinare, nisi illa executioni demandentur, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut decreta praedicta per te tam hactenus, ut supra, edita, quam edenda, venerabili fratri Ferdinando episcopo Leodiensi exhibeas, ad hoc, ut ille pro suâ in Deum pietate et religionis zelo, auctoritate sibi a dicto concilio attributâ, eadem decreta omnino observari faciat, ac contradictores et rebelles quoscumque opportunis iuris et facti remediis, appellatione postpositâ, compescat, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictarum ecclesiarum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, illorumque capitulis, canonicis, et quibusvis aliis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iulii MDCXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 20 iulii 1613, pontif. an. IX.

CCXVI.

Confirmatio erectionis congregationis presbyterorum secularium in ecclesiâ sancti Laurentii in Damaso de Urbe a cardinale Montalto institutae[1].

Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pro nostri pastoralis muneris debito auctoritatis nostrae robore libenter communimus, quae pro domus Dei zelo, divinique cultus augumento, et animarum salute non sine maturitate consilii novimus instituta, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Cardinalis Montaltus congregationem pre-

§ 1. Exposuit siquidem nobis nuper dilectus filius noster Alexander sancti Lau-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sbyterorum in ecclesiâ sancti Laurentii in Damaso erigit.

rentii in Damaso diaconus cardinalis Montaltus nuncupatus sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarius, quod ipse aliàs (attente considerans collegiatam insignem et parrochialem ecclesiam sancti Laurentii in Damaso, quae denominatio sui cardinalatus existit, curam animarum et parochiam satis amplam habere, et populum in eà ita numerosum esse, ut solus vicarius perpetuus ad curam huiusmodi destinatus non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et aliis quae ad divinum cultum et animarum salutem procuranda[1] spectant), propterea, ut muneris sui debito satisfaceret, iuxta dispositionem sacri Concilii Tridentini proxime praeteritis annis nonnullos pios sacerdotes ad nutum amovibiles deputavit, qui insimul et prope ecclesiam praedictam sancti Laurentii in domo ab ipso Alexandro cardinale conductà habitantes, ac pro eorum substentatione convenienti portione e[2] propriis redditibus ab eodem Alexandro cardinali constitutà, in eàdem ecclesià sancti Laurentii deservire, confessiones christifidelium audire, ecclesiastica sacramenta administrare, et pueros doctrinam christianam docere deberent; et postea (animadvertens idem Alexander cardinalis hoc opus ad magnum Dei servitium tendere, et in dictà ecclesià sancti Laurentii sacerdotum ipsorum operà ac industrià frequentiam sacramentorum, et alia pia et sancta exercitia in dies accrescere) in eàdem ecclesià sancti Laurentii ordinario iure sibi subiectà unam Congregationem presbyterorum secularium ad nutum amovibilium pro servitio eiusdem ecclesiae sancti Laurentii ad confessiones christifidelium audiendas, sanctissimum Eucharistiae sacramentum administrandum, necnon dictum exercitium doctrinae christianae manutenendum, moribundis assistendum, aliaque pia opera exercendum iuxta formam capitulorum et regularum ad hunc effectum ab ipso Alexandro cardinali praescriptam, seu praescribendam, erexit et instituit; illique sic erectae et institutae pro dictorum sacerdotum sustentatione, vigore facultatum per litteras felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri sub die XV septembris anni MDXCIII, ac nostras in simili formà Brevis expeditas sub die II iulii anni MDCVII sibi desuper concessarum[1], nonnullos redditus, canones et responsiones annuas ab[2] ecclesiis parochialibus eiusdem ecclesiae sancti Laurentii filiabus, apostolicà auctoritate suppressis, provenientes (videlicet unam domum cum apothecà in vià Leutariorum vicinam bonis dilectorum filiorum Hieronymi Mignanelli ab unâ et Pauli Bizzoni ab alterà partibus, ac ante viam publicam, in qua tunc habitabat dilectus etiam filius Georgius Albertus Leutarius uti emphyteuta eiusdem domus sibi ad tertiam eius generationem mediante beneplacito apostolico concessae sub annuo canone sexaginta quinque scutorum monetae, necnon unum canonem annuum sex scutorum similium super quadam domo sita in regione Arenulae in vià Gipponariorum nuncupatà, ac vicinà ecclesiae sancti Martinelli nuncupatae, possessà a dilectà in Christo filià Gentilesca Palma de Capranica, et dilecto filio Bernardino Normetae pellario ad praesens locatâ, ac alterum annuum canonem duodecim scutorum parium impositum super alià domo in eàdem regione, quem dilectus etiam filius Iacobus Cochectus uti legitimus possessor dictae domus solvit; quae domus et canones olim fuerunt ecclesiae sancti Martinelli praedictae dudum suppressae: insuper undecim scuta pro canone unius domus in dictà regione sitae, quam ad

Eique redditus nonnullos addicit.

1 Edit. Main. legit *procurandas* (R. T.)
2 Perperam edit. Main. legit *et* (R. T.).

1 Hae Clem. VIII et Pauli V litterae desunt (R. T.).
2 Praep. *ab* nos addimus (R. T.).

praesens possident uti emphyteutae dilecti filii haeredes quondam Baptistae Capponi ad tertiam generationem, et alia viginti unum scuta annua ex fructibus trium locorum Montis sanitatis, ac alium annuum canonem scutorum duorum et bononenorum vigintiquinque impositum super domo prope ecclesiam et sub campanili ecclesiae sancti Pauli de Arenula possessâ a dilecto etiam filio Thoma Thetio, ac alium canonem annuum scutorum trium, bononenorum trigintaseptem, impositum super aliâ domo prope dictam ecclesiam sancti Pauli de Arenula, ac olim sub proprietate illius existenti, modo possessâ a dilecto similiter filio Fabritio de Specules, necnon responsionem duorum barilium musti singulis annis debitam a dilectis etiam filiis haeredibus quondam Gasparis Maroffi pro canone vineae ab eis possessae, et positae extra portam sancti Laurentii extra maenia Urbis; quae loca montium, canones, et responsiones olim erant redditus dictae ecclesiae sancti Pauli de Arenula iam suppressae: necnon etiam fructus duorum locorum Montis pacis annuos, videlicet scuta decem et bononenos quinquaginta, ac unam domum vicinam ecclesiae sancti Nicolai de Molinis etiam nuncupatae[1], cum tribus apothecis, quae possideri solebant pro indiviso a rectore dictae ecclesiae sancti Nicolai et cappellano sanctae Catharinae nuncupatae in eâdem ecclesiâ existens[2] responsionis pro ratâ rectoris ipsius ecclesiae sancti Nicolai circiter scuta quadraginta, praeterea unam stantiam seu habitationem vicinam domui dilecti filii Dominici de Cavaleriis apud Caesarinos, quae ad usum repositionis currus et fenilis esse solet, ac locabatur scutis viginti quatuor; quae loca Montium et domus olim pertinebant ad eamdem ecclesiam sancti Nicolai de Molinis: necnon omnes redditus parochialium ecclesiarum sanctorum Valentini seu Sebastiani apud plateam Mattheiorum et sanctae Mariae de Cacaberis similiter nuncupatarum[1] in dictâ regione Arenulae suppressarum, cum primum ipsae ecclesiae per obitum illarum rectorum vacaverint: denique redditus parochialis eccclesiae sanctae Barbarae, etiam suppressae, cum primum, ut praefertur, vacaverit, deductis tamen ex dictis redditibus sanctae Barbarae centum scutis applicandis pro servitio cappellae musicorum dictae ecclesiae sancti Laurentii) applicavit et approbavit, ita quod liceret eisdem sacerdotibus propriâ auctoritate capere possessionem omnium praedictorum redditum, tam tunc decursorum, quam in futurum decurrendorum, ac sub applicatione huiusmodi comprehensorum; ac etiam disposuit praedictos redditus administrandos et expendendos esse modo et formâ ab ipso Alexandro cardinali praescribendâ, in utilitatem tamen dictorum sacerdotum, et non aliàs; qui ut commodius Deo in ecclesiâ sancti Laurentii huiusmodi in administratione sacramentorum et aliis exercitiis spiritualibus inservire possent, etiam duas domus simul iunctas prope dictam ecclesiam sancti Laurentii, unam eidem congregationi per dilectam in Christo filiam Ceciliam Tramezzinum Romanam perpetuo donatam, et alteram ab haeredibus quondam Ioannis Baptistae de Buvabellis a dicto Alexandro cardinali vigore aliarum nostrarum similiter in formâ Brevis sub die VII martii MDCXI expeditarum litterarum[2], ut accepimus, emptam, pro ipsorum sacerdotum habitatione et usu destinavit, et aliàs, prout in patentibus litteris eiusdem Alexandri cardinalis desuper expeditis latius dicitur contineri.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio

Et quae omnia pontificia auctoritate petit roborari.

1 Perperam edit. Main. legit *nuncupatur* (R. T.).

2 Mendosum locum corrigit ipse lector (R. T.).

1 Iterum edit. Main. legit *nuncupatur* (R. T.).

2 Etiam hae litterae desunt.

subiungebat, dictus Alexander cardinalis erectionem, applicationes et appropriationes, ac desuper confectas patentes litteras praedictas, necnon omnia in praedictis litteris contenta, ut firmiter observentur, ac perpetuâ validitate subsistant, apostolicae confirmationis robore communiri cupiat, et nobis propterea humiliter supplicaverit:

Confirmat Paulus.

§ 3. Nos, huiusmodi supplicationibus benigne annuere volentes, ac singularum litterarum et facultatum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, erectionem, applicationes, appropriationes, ac patentes litteras huiusmodi, cum omnibus in illis contentis et inde sequutis quibuscumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae ac inviolabilis apostolicae confirmationis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti necnon solemnitatum etiam substantialium defectus, etiam de necessitate specialiter et expresse exprimendos, si qui intervenerit in eisdem, supplemus, et quatenus opus sit denuo praemissa omnia et singula facimus.

Nonnulla statuit circa electionem, et regimen huiusmodi presbyterorum.

§ 4. Ac insuper perpetuo statuimus et ordinamus, quod electio sacerdotum huiusmodi semper spectet et pertineat ad Alexandrum cardinalem et pro tempore existentem sancti Laurentii in Damaso diaconum seu presbyterum cardinalem dumtaxat: ipsi vero sacerdotes, priusquam eligantur, a dilecto filio nostro in almâ Urbe vicario in spiritualibus generali ad confessiones audiendas praevio examine approbari et pro confessionibus huiusmodi audiendis dilecti etiam filii vicarii pro tempore existentis consensum habere debeant.

Facultates nonnullas vicecancellario concedit.

§ 5. Insuper eidem pro tempore existenti cardinali vicecancellario super praemissis et singulis, necnon circa servitium divinum, ac pias exercitationes in dictâ ecclesiâ sancti Laurentii per huiusmodi sacerdotes faciendas, et qualitatem personarum in dictam congregationem adscribendarum, ac redditum et proventuum ad huiusmodi Congregationem quomodocumque spectantium administrationem, ac aliàs dictos sacerdotes concernentia, quaecumque statuta et ordinationes (licita et honesta, sacris tamen canonibus et Concilio Tridentino non contraria, ac a Sede Apostolicâ approbanda) condendi et promulgandi, ac prout qualitas temporum exegerit, et expediens visum fuerit, praeviâ approbatione huiusmodi, reformandi et innovandi, eaque de novo faciendi, plenam et liberam facultatem et auctoritatem, auctoritate[1] et tenore praedictis, concedimus.

Clausulas pro praesentium firmitate apponit.

§ 6. Praesentesque litteras, et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore (etiam ex eo quod praemissa, non iustificatis et verificatis eorum seu cuiuslibet eorum causis, emanaverint, nec capitulum et canonici dictae ecclesiae sancti Laurentii, et alii in praemissis interesse quomodolibet habentes, ad hoc vocati fuerint, neque illis consenserint, et ex quavis causâ et occasione, ac quocumque capite undecumque resultante, vel praetextu et quaesito colore) de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illa quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari, seu etiam motu proprio concedi, nullatenus unquam posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum, etiam effectum non sortitarum, revocationibus, suspensionibus, institutionibus, derogationibus, et aliis contrariis dispositionibus, etiam a nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus, etiam in crastinum assumptionis cuiuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, et aliàs quandocumque, ac sub qui-

1 Vocem *auctoritate* nos addimus (R. T.).

buscumque tenoribus et formis, necnon quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis, necnon irritantibus et aliis decretis pro tempore emanatis, comprehendi, sed semper et omni tempore ab illis omnibus et singulis excepta esse et censeri; et, quoties aliquas contrarias dispositiones emanari contigerit, toties in pristinum et validissimum statum suum adversus huiusmodi contrarias dispositiones restitutas et plenarie reintegratas ac de novo concessas esse et censeri; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Cardinalem titularem earumdem exequutorem deputat.

§ 7. Quocirca eidem Alexandro cardinali, ac pro tempore existenti sancti Laurentii in Damaso presbytero vel diacono cardinali, per praesentes committimus et mandamus, quatenus per se vel alios praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicans, easdem debitae exequutioni demandari ac perpetuo custodiri auctoritate nostrâ curet et faciat: contradictores quoslibet, eisque auxilium et consilium, vel favorem[1], publice vel occulte, directe vel indirecte, quomodolibet praestantes, per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo.

Obstantia tollit.

§ 8. Non obstantibus regulis nostris de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interesset, ac de exprimendo valore etiam alterius beneficii, cui aliud uniri peteretur, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis[1]; aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem ecclesiae sancti Laurentii, et aliarum quarumcumque ecclesiarum, ac etiam almae Urbis nostrae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ac privilegiis, indultis, et litteris apostolicis, quibusvis personis, ecclesiis et locis piis, ac etiam dilectis filiis Populo Romano, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis et confirmatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et ad verbum expressa mentio habenda esset, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 23 iulii 1613, pont. an. IX.

CCXXXVII.

Confirmatio concordiae inter universitates locorum Roffeni et Montisturturis, Bononiensis et Mutinensis respective dioecesum, super differentiis et controversiis circa fines exortis.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, christifidelium quorumlibet, et praesertim subditorum nostro-

1 Edit. Main. legit *favore* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *prohibens* (R. T.).

rum, ac circumvicinorum populorum quieti intendentes, illa, quae pro litium inter ipsos semovendis anfractibus concorditer facta fuisse dicuntur, ne in recidivae contentionis vitium successu temporis prolabantur, sed firma perpetuo et illibata remaneant, libenter apostolicae confirmationis robore communimus.

Facti series. § 1. Cum itaque, sicut ex intimatione dilecti filii nostri Maffaei tituli sancti Honuphrii presbyteri cardinalis Barberini nuncupati, in civitate nostrâ Bononiensi ac toto eius comitatu, iurisdictione et districtu nostri et Apostolicae Sedis de latere legati, accepimus, ortâ dudum lite et controversiâ inter dilectos filios, universitatem et homines Roffeni ex unâ, ac universitatem, et homines Montisturturis terrarum seu locorum Bononiensis et Mutinensis respective territoriorum ex alterâ partibus, super dictarum terrarum seu locorum confinibus, dilecti filii Sylvius Albergatus, senator Bononiensis, ab eodem Maphaeo cardinale legato et regimento dictae civitatis Bononiensis, nec non Andreas Codebo a dilecto filio nobili viro Caesare Estensi duce Mutinensi et Rhegiensi ad praemissa specialiter deputati, de eorum ordine et mandato ad infrasscriptam, sub nostro et Sedis Apostolicae ac dicti Caesaris ducis beneplacito, devenerint concordiam, tenoris sequentis, videlicet:

AL NOME D'IDDIO

A dì 16 settembre 1613.

Concordiae tenor. Per dar fine alle differenze, che fino al dì d'oggi sono state fra le città di Bologna e quella di Modena intorno ai confini tra il comune di Roffeno, territorio di Bologna, da una parte, ed il comune di Montetortore, territorio di Modena dall'altra, il signor Silvio Albergati, nobile e senatore di Bologna, ed a ciò specialmente deputato dall'illustrissimo e reverendissimo signor cardinal Barberini per la Santità di nostro signore papa Paolo V, legato *de latere* della città di Bologna, ancora con il consenso e partecipazione degl'illustrissimi signori senatori del reggimento di detta città per lettere patenti sottoscritte da detto illustrissimo signor cardinale e dal signor Alberto Bolognetti confaloniere di giustizia sotto la data delli 3 del presente, da una parte, e il signor Andrea Codebò, nobile modenese e segretario del serenissimo signor duca di Modena, e parimente alle infrascritte cose deputato dal signor duca per lettere patenti sottoscritte da S. A., dall'altra, il tenore delle quali deputazioni sarà registrato nel fine della presente scrittura: avendo visitato una e più volte il luogo e li luoghi delle differenze, ancora con l'intervento dei periti dell'una e l'altra parte, ed intese le ragioni de' sudditi di tutti due gli Stati, ed avendo maturamente esaminato e considerato ciò che si deduceva ed allegava per ambe le parti; ed avendo avuti molti discorsi li sudetti signori con l'intervento ancora del massaro ed uomini di Roffeno e Montetortore, finalmente per salute, e queste di ambedue gli Stati e loro sudditi (salvo però, rispetto all'interesse della città di Bologna e del comune di Roffeno, il beneplacito ed assenso della Santità di nostro Signore da ottenersi dentro lo spazio di due mesi prossimi, che detto signor Cardinale, e li detti signori del reggimento procureranno di avere, in modo tale, che non s'ottenendo dentro li detti due mesi, il presente accordo si abbia per non fatto, ma sia privo di ogni valore, come se non fosse seguito; e parimenti, rispetto all'interesse della città di Modena, e podesteria di Montetortore, salvo l'assenso e beneplacido del detto serenissimo signor Duca, da ottenersi dentro all'istesso termine di due mesi, di che ne avrà cura il detto signor Codebò, quale consenso non otte-

nuto dentro il detto termine, sia parimenti nullo il presente accordo, e si abbia per non fatto), li suddetti signori Silvio ed Andrea, senza obbligare loro stessi, in virtù dell'autorità data a ciascuno di loro per dette lettere patenti, hanno convenuto, stabilito e concordato nel modo infrascritto:

Che partendosi dal luogo detto la Croce di Mazone (qual'è situato sul monte ovvero collina detta della Piastra, fra i confini del detto comune di Roffeno e della villa di Aiano, territorio della città di Bologna, e fra i confini del detto comune di Montetortore, territorio di Modena, dove è segnata una croce nella pianta ovvero disegno concordemente fatto da M. Vincenzo Saffi, perito di Bologna, e dal signor capitano Ascanio Ambrosii, perito di Modena, quale si registrerà nell'istromento della transazione, che a maggior prova dovrà esser celebrato fra le dette parti a voglia loro), la qual Croce è distante dalla casa di Baldone di Pellegrino, situata per disopra in Bolognese, pertiche 23 e piedi 9, misurando per la strada che tende per gradi 18 d'ostro (il quale luogo è il primo termine che hanno detti signori, con l'intervento di detti periti, stabilito che sia nel piede di un castagno di circuito di oncie 18 in circa, dove parimenti hanno fatto piantare un palo ivi fra i terreni di Luca di Pirone, Luca di Canobio, e Giacomo Fontana, distante da una querciola segnata con una croce piedi[1] ed un terzo, posta a mano destra del terreno di detto Luca di Pirone verso mezzogiorno), dalla detta Croce si ascende per la Sena[2] ovvero sommità della collina o monte della Piastra, per linea tortuosa, come cammina la detta sommità o schiena, verso la regione, che è tra oriente e tramontana, per la misura di pertiche 214 e mezzo, misurate per aria, secondo la tortuosità della detta collina, alla misura del comune di Bologna, sino al luogo che è nel detto disegno o pianta sopradetta segnato *A*, ed è nella fine della sommità della detta collina, dove s'è piantato un palo, ed è nel terreno di Pietro e Domenico Rozzolino del Zoleto:

E poi che[1] dal detto luogos egnato *A*, piegando nove gradi verso greco e camminando per retta linea, si continui per ispazio di pertiche 227 di lunghezza sino al luogo, che nel detto disegno e pianta viene dimostrato con la lettera *B*, ed in contro al quale dalla banda orientale di detta linea, e così sul Bolognese, sta situata una casa, ora posseduta da Michele, Giacomo e Battista del *quondam* Cirotto Fruelini da Roffeno, in luogo detto Valle di Medoro, *aliàs* Piano di Daiano, la qual casa è lunga piedi 26 e un sesto, e larga piedi 18 e tre quarti, secondo la detta misura di Bologna, e tende con la sua lunghezza per gradi 8 di levante, ed è distante dalla detta linea, tirando la misura in angolo retto da essa all'angolo meridionale della stessa casa più prossima, pertiche 2 e piedi 3 di misura fatta per aria, dove ancora s'è piantato un palo di quercia:

E dal detto luogo segnato *B* hanno stabilito che si vada continuando pure per linea retta pertiche 260 e piedi 6 fino al luogo segnato nella detta pianta o disegno con lettera *C* ad una collina, chiamata il Poggio di Misserino, sopra la quale dal lato occidentale di detta linea è posta una casa posseduta di presente da Stefano e Bartolomeo di Andrea di Misserino, la qual casa è lunga piedi 30 e larga piedi 15, e tende con la sua lunghezza per gradi 3 di greco dall'angolo orientale e meridionale, della qual casa più prossimo,[2] e di-

1 Sic legitur, nec emendare valeo (R. T.).
2 Forsan legendum *schiena* (R. T.).

1 Erronee edit. Main. legit *poichè* (R. T.).
2 Etiam hic emendationis opus esse videtur (R. T.).

stante la detta linea pertiche 2 e piedi 3, misurati per aria, partendosi dalla stessa linea con angolo retto:

E poi hanno determinato che dal detto luogo segnato con la lettera *C*, dove ancora s'è piantato un palo, si continui la medesima linea retta sino al mezzo del rio della Braia o Zresenda per ispazio di pertiche 133, il qual luogo nella pianta, o disegno, sta segnato con lettera *D*, ed è distante dal molino al presente posto sulla riva della Samoggia, e posseduto da Giovanni Antonio Corseno, pertiche 55, misurate per linea retta, e per aria, alla suddetta misura:

Ed indi partendosi dal detto luogo segnato *D* (nel qual luogo, in ripa però al rio, dalla banda che tende verso Garbini, hanno fatto piantare un palo distante dal detto mezzo del rio della Braia pertiche 6) si vada seguendo il corso di detto rio della Braia o Zresenda sino dove egli sbocca nella Samoggia, entrando fino al mezzo di detta Samoggia nel luogo segnato nella suddetta pianta o disegno con la lettera *E*, distante dal punto *D* al presente pertiche 59, misurate per linea retta, che tende per gradi 7 di maestro:

E che di lì partendosi dal detto luogo segnato *E* si segua dietro il corso della Samoggia, continuando sino dove cominciano i confini del Zoleto, comune del contado di Bologna, e di Montetortore suddetto, territorio di Modena, nel luogo segnato *F* nel disegno con la lettera *F*.

In maniera tale che tutto quello, che rimane da man destra nel cammino suddetto dal detto punto † fino alla detta lettera *F*, tanto rispetto al territorio, quanto alla giurisdizione, sudditi e case, con ogni ragione d'imporre collette, estimi, o altre tasse reali, personali o miste, e con ogni superiorità di mero e misto impero, e di altra giurisdizione, sia, e s'intenda della città di Bologna, e si comprenda dentro il comune di Roffeno; e per il contrario, tutto quello che, nel camminare dal detto punto † alla detta lettera *F*, si lascia da man sinistra, tanto rispetto al territorio, quanto alla giurisdizione, sudditi e case, con ogni ragione d'imporre collette, estimi, o altre tasse reali, personali o miste, e con ogni superiorità di mero e misto impero, e di altra giurisdizione, sia e s'intenda della città di Modena, e si comprenda dentro al comune di Montetortore; restando dalla linea tirata, come di sopra, dal punto † al punto *D* diviso e separato l'un territorio dall'altro, e parimenti servendo per termine divisorio il mezzo del rio della Braia o Zresenda, dal detto punto *D* al punto *E*, e facendo lo stesso effetto di separazione e distinzione de' territorî il mezzo della Samoggia dal punto *E* al punto *F*.

E per maggior prova e chiarezza ne' suddetti luoghi segnati † *A*, *B*, *C*, dove da' detti periti sono stati piantati li detti pali o termini di legno, si debbano porre a spese comuni tanti termini di pietra viva; e sul detto rio della Zresenda dalla banda di Bologna incontro al detto punto segnato *D*, dove similmente è stato piantato il suddetto palo, si ponga un altro termine di pietra viva.

E perchè dove Montetortore confina con il Zoleto, Savigno, luogo del contado di Bologna, quali passano la Samoggia, tendendo verso occidente al monte del Termine così chiamato, li termini benchè chiari, nondimeno sono di pietra rozza, acciò si conoscano per termini di giurisdizione, hanno convenuto che, in luogo loro, vi si pongano termini di pietra viva: li quali tutti suddetti termini di pietra viva dovranno avere le armi di Santa Chiesa e della città di Bologna dalla parte che riguarda il Bolognese, e le armi di S. A. e della città di Modena dalla banda che riguarda Montetortore, perchè deno-

tino che tutti questi sono termini divisorî e de' confini del territorio e giurisdizione di Bologna e di Modena, ed il tutto si faccia a spese comuni.

Che li beni, che de' sudditi di Montetortore, secondo il presente accordo, resteranno su quello del Bolognese, non sieno gravati più di quello che sono ovvero saranno gravati gli altri beni de' sudditi di Bologna, e i padroni sudditi di S. A., e i loro successori in detti beni, quanto sia per detti beni solamente, godano tutti i privilegî reali, e le immunità, quanto ai beni che godono gli altri di Roffeno; e così ancora hanno convenuto che si osservi per quelli di Roffeno, che godono beni dentro il comune di Montetortore, e per i loro successori.

Che alla detta casa del piano di Vaiano verso Montetortore, ed a quella suddetta di Misserino verso il Bolognese, non si possa fabbricare senza licenza rispettivamente de' superiori dell'uno e l'altro Stato, acciocchè le distanze e la detta linea si conservino nello stato detto di sopra.

Che gli uni e gli altri possano liberamente, senza licenza o denuncia, estrarre li loro frutti e raccolti da un territorio all'altro de' beni suddetti, talmente che per qualunque grida, proibizioni o altro che si sia, che s'abbia qui per espresso, mai si possano proibire, differire o impedire in qualsivoglia modo dette estrazioni.

Come anco che non possano essere astretti a venderli, permutarli o in altra maniera distraerli, ma sieno in assoluta libertà di tenerli, goderli e disporne in qual persona piacerà loro. Ed, alienandoli in sudditi del signor Duca, quelli di Montetortore, ai quali restano beni su quello di[1] Roffeno, e quelli di Roffeno, a' quali restano beni su quello di Montetortore, in sudditi del Bolognese, li successori e chi avrà causa da loro, in perpetuo godano del medesimo privilegio detto di sopra.

E per più quiete de' sudditi dell'uno e l'altro Stato hanno convenuto che s'intenda e sia con effetto rimessa ogni pena incorsa da qualunque particolare per causa d'alienazione de' beni, fatta a forastieri contro la forma de' statuti dell'uno e l'altro Stato, tanto contro gli acquirenti quanto contro gli alienanti, siccome li banditi, condannati e processati dall'una e l'altra parte, per causa di detti confini o di pretesa perturbazione di giurisdizione, sieno e s'intendano rimessi e liberati *gratis* dalli bandi e condannazioni, ed aboliti li processi formati contro di loro.

In fede di che, ecc.

§ 3. Nos, omnem super praemissis recidivae contentionis huiusmodi inter universitatem ac homines praedictos ac de cetero litigandi occasionem auferre volentes, concordiam praedictam, et omnia in eâ contenta, et inde sequuta quaecumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, ac solemnitatum aliàs forsan requisitarum et necessariarum, ac quosvis alios, etiam quantumvis substantiales et maximos, defectus, si qui in praemissis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici vel censeri possint, supplemus. Confirmantur.

§ 4. Decernentes concordiam et litteras praesentes huiusmodi perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, et ab omnibus, quos illae concernunt, perpetuo et inviolabiliter observari debere: sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi fa- Clausulae.

[1] Delemus verba heic intrusa *Montetortore in sudditi del Bolognese*, quae totum hunc locum vitiabant (R. T.).

cultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non universitatum praedictarum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis: quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die XXVIII septembris MDCXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 18 septembris 1613, pontif. an. IX.

CCXXXVIII.

Confirmatio privilegiorum universitatis studii generalis civitatis Cracoviensis[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Ad ea, per quae universitatum studii generalis, unde in Ecclesiâ Catholicâ doctrinae fructus uberes percipere assidue solet, iura confirmantur, libenter intendimus, ipsasque universitates favoribus et gratiis prosequimur opportunis, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Preces pro confirmatione privilegiorum huic universitati aliàs concessorum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt venerabilis frater episcopus Cracoviensis et dilecti filii rectores universitatis studii generalis civitatis Cracoviensis, quod ipsa universitas multis ac diversis privilegiis a plerisque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ac regibus Poloniae sibi concessis gaudet, quae, sicut aliorum praedecessorum nostrorum confirmatione roborata fuere, ita et nostrarum vigore litterarum communiri plurimum desiderant. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportunae confirmationis gratiam impertiri de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio apostolica.

§ 2. Nos igitur, honestae eorum petitionis aequitatem attendentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, facultates, indulta, exemptiones eidem universitati per quoscumque Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros et Poloniae reges, ut praefertur, concessa, confirmata et approbata (dummodo tamen sint in usu, et sacri Concilii Tridentini decretis, ac nostris et eorumdem praedecessorum constitutionibus non adversentur, nec revocata, vel sub aliquibus revocationibus comprehensa sint), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; ipsaque privilegia in eâdem universitate perpetuo observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV novembris MDCXIII, Pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 14 novembris 1613, pontif. an. IX.

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

CCXXXIX.

Regi Hispaniarum conceditur facultas amovendi et deputandi administratorem in temporalibus abbatiae seu monasterii sanctae Mariae de Alcobatia Ulyxbonensis dioecesis, illaesâ remanente facultate deputandi administratorem in spiritualibus nuncio concessâ[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Portugalliae et Algarbiorum regi catholico Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontifex recenset, commendatum a se monasterium de Alcobatia Ferdinando Hispaniarum infanti.

§ 1. Aliàs dilecto filio nobili puero Ferdinando infanti Hispaniarum nato tuo, tunc secundum aetatis suae annum agenti, monasterium abbatiam nuncupatum beatae Mariae de Alcobatia Cisterciensis Ordinis Ulyxbonensis dioecesis (quod de tuo iurepatronatus, ratione regni Portugalliae cuius tu etiam rex existis, ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscitur), illius commendâ, in qua bonae memoriae Georgius olim episcopus Visensis ad eius vitam ex concessione et dispensatione apostolicâ, dum viveret, obtinebat, per obitum dicti Georgii episcopi extra Romanam Curiam defuncti cessante, adhuc eo, quo ante commendam ipsam vacabat, modo tunc vacans, per eum quoad viveret, ex tunc, prout postquam clericali charactere rite insignitus foret, tenendum, regendum et gubernandum, motu proprio per alias nostras litteras commendavimus.

Datamque apostolico nuncio administratorem facultatem deputandi in spiritualibus et temporalibus.

§ 2. Et (ne propter eius minorem aetatem dictum monasterium interim aliquod in spiritualibus et temporalibus detrimentum pateretur), motu simili, personam, seu personas, in dignitate tamen ecclesiasticâ constitutas, a nostro et Sedis Apostolicae nuncio tunc et pro tempore in dictis regnis existenti deputandas de tuo consensu, ac toties quoties tibi videretur et placeret amovendas, ac illius, seu illarum loco, aliam, seu alias similes personas a dicto nuncio de eodem consensu tuo ponendas seu deputandas, administratores dicti monasterii, illiusque bonorum, reddituum et iurium quorumcumque in spiritualibus et temporalibus, donec dictus Ferdinandus ad legitimam aetatem pervenisset, cum omnibus facultatibus, immunitatibus, exemptionibus et aliis gratiis tam spiritualibus quam temporalibus similibus administratoribus eâtenus concessis et imposterum concedendis, ac de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliàs quomodolibet competentibus et competituris, constituimus et deputavimus; curam ipsius monasterii ac huiusmodi regimen et administrationem personae, seu personis, ut praetenditur, deputatis seu deputandis (ita tamen quod ab alienatione qualibet bonorum immobilium et pretiosorum mobilium mensae abbatialis eiusdem monasterii penitus se abstineret, seu abstinerent, ac de receptis seu administratis quoad temporalia tantum rationem tibi omnino reddere tenerentur, aetate autem legitimâ eidem Ferdinando suffragante, sibi) plenarie committendo, prout in dictis litteris plenius continetur[1].

Sed cum consultius esse putetur, administratorem in temporalibus ab ipso rege deputari,

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, dicto Ferdinando magis consultum et expediens sit, ut, durante minori aetate, cura et administratio monasterii huiusmodi in temporalibus ad illius perpetuum commendatarium pro tempore existentem pertinentibus alicui personae seculari ad id a te eius genitore, non autem nuncio praedicto, deputandae committatur;

Necessarias ad id Paulus concedit regi facultates.

§ 4. Nos, super his opportune providere volentes, ac litterarum praedictarum et inde sequutorum quorumcumque tenores praesentibus pro expressis habentes, motu

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Quas non puto esse in *Bullario* (R. T.).

cultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non universitatum praedictarum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis: quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die XXVIII septembris MDCXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 18 septembris 1613, pontif. an. IX.

CCXXXVIII.

Confirmatio privilegiorum universitatis studii generalis civitatis Cracoviensis[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Ad ea, per quae universitatum studii generalis, unde in Ecclesiâ Catholicâ doctrinae fructus uberes percipere assidue solet, iura confirmantur, libenter intendimus, ipsasque universitates favoribus et gratiis prosequimur opportunis, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Preces pro confirmatione privilegiorum huic universitati aliàs concessorum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt venerabilis frater episcopus Cracoviensis et dilecti filii rectores universitatis studii generalis civitatis Cracoviensis, quod ipsa universitas multis ac diversis privilegiis a plerisque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ac regibus Poloniae sibi concessis gaudet, quae, sicut aliorum praedecessorum nostrorum confirmatione roborata fuere, ita et nostrarum vigore litterarum communiri plurimum desiderant. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportunae confirmationis gratiam impertiri de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio apostolica.

§ 2. Nos igitur, honestae eorum petitionis aequitatem attendentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, facultates, indulta, exemptiones eidem universitati per quoscumque Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros et Poloniae reges, ut praefertur, concessa, confirmata et approbata (dummodo tamen sint in usu, et sacri Concilii Tridentini decretis, ac nostris et eorumdem praedecessorum constitutionibus non adversentur, nec revocata, vel sub aliquibus revocationibus comprehensa sint), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; ipsaque privilegia in eâdem universitate perpetuo observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV novembris MDCXIII, Pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 14 novembris 1613, pontif. an. IX.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

CCXXXIX.

Regi Hispaniarum conceditur facultas amovendi et deputandi administratorem in temporalibus abbatiae seu monasterii sanctae Mariae de Alcobatia Ulyxbonensis dioecesis, illaesâ remanente facultate deputandi administratorem in spiritualibus nuncio concessâ[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Portugalliae et Algarbiorum regi catholico Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontifex recenset, commendatum a se monasterium de Alcobatia Ferdinando Hispaniarum infanti.

§ 1. Aliâs dilecto filio nobili puero Ferdinando infanti Hispaniarum nato tuo, tunc secundum aetatis suae annum agenti, monasterium abbatiam nuncupatum beatae Mariae de Alcobatia Cisterciensis Ordinis Ulyxbonensis dioecesis (quod de tuo iurepatronatus, ratione regni Portugalliae cuius tu etiam rex existis, ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscitur), illius commendâ, in qua bonae memoriae Georgius olim episcopus Visensis ad eius vitam ex concessione et dispensatione apostolicâ, dum viveret, obtinebat, per obitum dicti Georgii episcopi extra Romanam Curiam defuncti cessante, adhuc eo, quo ante commendam ipsam vacabat, modo tunc vacans, per eum quoad viveret, ex tunc, prout postquam clericali charactere rite insignitus foret, tenendum, regendum et gubernandum, motu proprio per alias nostras litteras commendavimus.

Datamque apostolico nuncio administratorem facultatem deputandi in spiritualibus et temporalibus.

§ 2. Et (ne propter eius minorem aetatem dictum monasterium interim aliquod in spiritualibus et temporalibus detrimentum pateretur), motu simili, personam, seu personas, in dignitate tamen ecclesiasticâ constitutas, a nostro et Sedis Apostolicae nuncio tunc et pro tempore in dictis regnis existenti deputandas de tuo consensu, ac toties quoties tibi videretur et placeret amovendas, ac illius, seu illarum loco, aliam, seu alias similes personas a dicto nuncio de eodem consensu tuo ponendas seu deputandas, administratores dicti monasterii, illiusque bonorum, reddituum et iurium quorumcumque in spiritualibus et temporalibus, donec dictus Ferdinandus ad legitimam aetatem pervenisset, cum omnibus facultatibus, immunitatibus, exemptionibus et aliis gratiis tam spiritualibus quam temporalibus similibus administratoribus eâtenus concessis et imposterum concedendis, ac de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliâs quomodolibet competentibus et competituris, constituimus et deputavimus; curam ipsius monasterii ac huiusmodi regimen et administrationem personae, seu personis, ut praetenditur, deputatis seu deputandis (ita tamen quod ab alienatione qualibet bonorum immobilium et pretiosorum mobilium mensae abbatialis eiusdem monasterii penitus se abstineret, seu abstinerent, ac de receptis seu administratis quoad temporalia tantum rationem tibi omnino reddere tenerentur, aetate autem legitimâ eidem Ferdinando suffragante, sibi) plenarie committendo, prout in dictis litteris plenius continetur[1].

Sed cum consultius esse putetur, administratorem in temporalibus ab ipso rege deputari,

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, dicto Ferdinando magis consultum et expediens sit, ut, durante minori aetate, cura et administratio monasterii huiusmodi in temporalibus ad illius perpetuum commendatarium pro tempore existentem pertinentibus alicui personae seculari ad id a te eius genitore, non autem nuncio praedicto, deputandae committatur;

Necessarias ad id Paulus concedit regi facultates.

§ 4. Nos, super his opportune providere volentes, ac litterarum praedictarum et inde sequutorum quorumcumque tenores praesentibus pro expressis habentes, motu

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Quas non puto esse in *Bullario* (R. T.).

pari, tibi, ut tu solus, donec dictus Ferdinandus legitimae aetatis fuerit, et praedictum monasterium abbatiam nuncupatum obtinuerit, quamcumque personam secularem arbitrio tuo in administratorem iurium, rerum, bonorum, quoad temporalia tantum, ac etiam iurisdictionis temporalis dumtaxat ad pro tempore existentem commendatarium praedictum spectantis et pertinentis, auctoritate nostrâ constituere et deputare, ac tam ipsum administratorem, sic a te pro tempore constituendum et deputandum, quandocumque tibi videbitur et placuerit, quam alium quemcumque iam forsan a dicto nuncio hactenus constitutum et deputatum, ab administratione temporali huiusmodi dumtaxat, nullo ad id requisito consensu eiusdem nuncii, amovere, ac illius loco aliam personam secularem similiter arbitrio tuo ad curam et administrationem eorumdem temporalium ponere, sufficere et surrogare libere et licite valeas: ita quod administrator huiusmodi a te sic pro tempore deputandus plenam et liberam habeat facultatem et potestatem omnia et singula, quae ad officium administratoris huiusmodi in temporalibus praedictis de iure vel consuetudine et aliàs quomodolibet legitime pertinent, faciendi, gerendi et exercendi in omnibus et per omnia, perinde ac si cura et administratio temporalium huiusmodi personae a te, non autem nuncio praedicto, deputandae particulariter et in solidum per nos (servatâ in reliquis formâ litterarum praedictarum etiam quoad facultatem deputandi administratorem in spiritualibus eidem nuntio concessam, quae illaesa remaneat) commissa fuisset, concedimus et indulgemus, ac easdem litteras nostras quoad hoc restringimus et moderamus.

Remanente penes nuncium auctoritate deputandi administratorem in spiritualibus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis, quae in litteris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v decembris MDCXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 decembris 1613, pontif. an. IX.

CCL.

Confirmatio instrumenti concordiae initae super finibus et aquis inter civitates Bononiensem et Mutinensem[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, christifidelium quorumlibet, praesertim subditorum nostrorum, ac circumvicinorum populorum quieti intendentes, illa, quae pro litium inter ipsos semovendis anfractibus concorditer facta fuisse dicuntur, ne in recidivae contentionis vitium successu temporis prolabantur, sed firma perpetuo et illibata permaneant, apostolicae confirmationis robore libenter communimus.

Facti series.

§ 1. Cum itaque, sicut ex insinuatione dilecti filii nostri Maphaei tituli sancti Honuphrii presbyteri cardinalis Barberini nuncupati in civitate nostrâ Bononiensi, ac toto eius comitatu, iurisdictione et districtu, nostri et Apostolicae Sedis de latere legati, accepimus (ortâ dudum controversiâ inter civitatem et Statum nostrum Bononiensem ex unâ, civitatem et Statum Mutinae ex alterâ partibus, de et super modo operum in flumine Panarii, et circa, secusque ripas illius, tam ad obviandum et impediendum, ne flumen praedictum continuaret in corrodendo et destruendo terrena ibi contigua sita in agro Bononiensium, quam etiam ad reducendum dictum flumen ad pristinum illius alveum; et deinde super modo dandi felicem de-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

clivium, apertum aditum, et exitum facilem aquis cavamenti nuncupati de Foscaglia, et super formâ excavandi et expurgandi utrumque conductum Genarellae et Foscagliae usque in flumen Panarii, et de modo excavandi, et expurgandi cavamentum nuncupatum *la Muzza*, et muniendi ripas illius, et super modo dandi exitum aquis Bononiensibus a communi Gadii et aliis superioribus locis ad praesens derivantibus in territorium Nonantulanum, et super modo, quo Bononienses tenerentur recipere aquas agri Nonantulani per agrum Bononiensem mediante dicto cavamento Genarellae; praeterea super confinibus inter Nonantulanum et Bononiense territoria respective; et denique inter dilectos pariter filios universitatem et homines Roffeni ex unâ, ac universitatem et homines Montisturturis, terrarum seu locorum comitatus Bononiensis et Mutinensis respective dominii, ex alterâ partibus, super dictorum locorum seu terrarum confinibus, et aliàs, prout in instrumento infrascripto) dilecti filii Hercules Rangonus et Ioseph Anselmus dicti Maphaei cardinalis et legati auditores ab ipso Maphaeo cardinale et legato, vigore facultatis tam suae legationis quam illi desuper specialiter datae, nec non Philippus Pepulus et Silvius Albergatus a dilectis pariter filiis quadraginta viris reformatoribus Status libertatis dictae civitatis Bononiensis, ac Andreas Codebovius et quondam Petrus Paulus Caula a dilecto filio nobili viro Caesare Estensi Mutinae et Rhegii duce respective deputati, omnibus et singulis per plures menses et annos tractatis, ac omnibus partium praetensionibus ac iuribus exacte discussis, et mature hinc inde ventilatis, ad infrascriptam devenerint concordiam, tenoris sequentis, videlicet:

Concordiae tenor.

§ 2. In Christi Nomine. Amen. Anno ab illius nativitate millesimo sexcentesimo decimotertio, indictione undecima, die vero vigesimo octavo mensis septembris, tempore pontificatus sanctissimi domini nostri domini Pauli, divinâ providentia Papae V, circa horam primam noctis subsequentis dictam diem, tribus luminaribus accensis, diurnam lucem repraesentantibus.

Differentiae enarrantur.

Ad sedandas quaestiones satis antiquas, pendentes inter inclytam civitatem Bononiensem et illius Statum ex unâ, et inclytam civitatem et Statum Mutinae ex aliâ, super variis capitibus, et inter cetera:

Primo super modo operum in flumine Panarii, et circa, secusque ripas illius, quae Bononienses praetendebant facere eis licere, tum ad obviandum et impediendum ne flumen praedictum continuaret in corrodendo et destruendo terrena ibi contigua sita in agro Bononiensi, tum etiam ad reducendum dictum flumen ad illius pristinum alveum;

Et deinde circa modum dandi felicem declivium, apertum aditum, et facilem exitum aquis cavamenti nuncupati *di Foscaglia*, et super formâ excavandi et expurgandi utrumque conductum Zenarellae et Foscaliae usque in flumen Panarii, et de modo excavandi et expurgandi cavamentum nuncupatum *la Muzza*, et muniendi ripas illius, et super modo dandi exitum aquis Bononiensibus a communi Gadii et aliis superioribus locis in praesentiarum derivantibus in territorium Nonantulanum, et super modo, quo Bononienses tenerentur recipere aquas agri Nonantulani per agrum Bononiensem mediante dicto cavamento Zenarellae;

Item, et super finibus inter Nonantulanum et Bononiense territorium;

Et denique pro extinguendis antiquissimis controversiis finium communis Roffeni, comitatus Bononiensis, et Montisturturis, dominii Mutinensis, quos fines civitas Bononiensis praetendebat se extendere trans flumen Samodiae versus occidentem, usque

ad semitam vulgo nuncupatam *Sentiero di Montetortore*, et comprehendere nedum molendinum nuncupatum *di Corsino*, verum etiam domos in loco nuncupato *li Baghi*, dum, vice versâ, pro parte Mutinensium praetenderetur, fines Montisturturis, territorii Mutinensis, se extendere usque ad altare maius ecclesiae sanctae Luciae de Roffeno vulgo nuncupatae, et proinde comprehendere multas domos, et quamplura terrena citra flumen Samodiae, illorumque habitatores et incolas:

Deputati utrinque ad concordiam.

Quarum differentiarum occasione, illasque amicabiliter terminandi gratiâ, mediantibus perillustribus DD. assumptis, deputatis ab illmis DD. de regimine Bononiae, et perillustribus DD. commissariis a serenissimo D. duce Mutinae et Rhegii deputatis, fuerunt visitata loca differentiarum huiusmodi, etiam cum peritis utriusque partis, et haec nedum[1] semel, sed pluries, et habiti multi tractatus in facto, et extra, et tam coram illmo et revmo D. cardinale Iustiniano, tunc Bononiensi legato, quam coram illmo et revmo D. cardinale Barberino pro sanctâ Sede Apostolicâ moderno legato meritissimo eiusdem civitatis, et plene discussa iura ambarum partium, et visa dicta testium, inspectique libri aestimorum et catastorum, et alia multa monumenta, et allegationes facti et iuris utriusque partis, multaeque habitae sessiones et frequentes discussiones, non solum coram dicto illmo et revmo D. Bononiensi legato in hac civitate, verum etiam in Urbe coram Sanctissimo domino nostro mediantibus oratoribus utriusque civitatis, et denique in Congregatione illustrissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium superinde de mandato Sanctissimi factâ, tandem omnibus per plures menses et annos plene tractatis, ac omnibus partium praetensionibus et iuribus exacte discussis, et mature ventilatis, summi Dei gratiâ, mediante prudentiâ et dexteritate praedicti illmi et revmi D. cardinalis legati, concurrente operâ illustrissimorum et excellentissimorum DD. Herculis Rangoni et Iosephi Anselmi illius auditorum, suamque operam sedulo navantibus perillustribus DD. assumptis illmi regiminis Bononiensis in huiusmodi negotio deputatis, praesertim perillustribus DD. comitibus Philippo Pepulo et Sylvio Albergato, et cooperante illmo et excmo I. U. D. D. Dominico Medices eorum consiliario ex unâ, et ex alterâ parte mediante perillustri et excmo I. U. D. olim D. Petro Paulo Caula, dum viveret, praedicti serenissimi domini ducis ad hoc commissario, et deinde, illo impedito, demumque mortuo, perillustri et excellentissimo I. U. D. domino Andrea Codebovio nobili Mutinensi, eiusdem serenissimi domini ducis a secretis et in hoc negotio specialiter assumpto[1], interveniente etiam ministerio aliorum utriusque partis ministrorum, huiusmodi controversiae, quae inextricabiles videbantur, et quarum aliquae supra centesimum annum, cum morte multorum subditorum utriusque partis, fuerant protractae, denique terminatae, sedatae, sopitae et compositae fuerunt modo et formâ infrascriptis, videlicet:

Quia praedictus illustrissimus et reverendissimus dominus Bononiensis legatus, utens in hac parte non solum ordinariâ facultate suae legationis, sed etiam sequendo ordinem specialem ex parte Sanctissimi suae dominationi significatum per litteras illmi et revmi domini cardinalis Burghesii sub datâ die XXI augusti proxime praeteriti, nobis notariis per suam illustrissimam dominationem traditas ad praesentiam infrascriptorum testium in infrascripto loco, et infra post clausulas generales praesentis instrumenti registra-

1 Perperam edit. Main. legit *nondum* (R. T.).

1 Voces *ex alterâ* frustra repetitas delemus (R. T.).

ri[1] iussas, pro sanctâ Sede Apostolicâ agens, necnon illustrissimus dominus Albertus Bolognettus vexillifer iustitiae populi et communis Bononienis, et perillustres DD. Marcus Antonius Blanchettus, Federicus Guidottus, Franciscus Cospius, Æmilius Bologninus, Gualengus Ghislerius, et Ioannes Baptista Sampierius, omnes nobiles, patritii et senatores Bononienses, sex ex decem assumptis, et sic maior pars DD. assumptorum in materiâ huiusmodi aquarum et finium, cum consensu dicti ill^mi domini legati specialiter deputatorum ab ill^mo regimine Bononiensi ex senatusconsulto praesenti die eorum deputationis ad infrascripta speciali et individuo, rogato per D. Dominicum Castellanum uti prosecretarium illustrissimi regiminis antedicti et unum ex notariis Bononienibus, nobis notariis infrascriptis per dictos DD. vexilliferum, et assumptos ad praesentiam infrascriptorum testium in infrascripto loco praesentato in formâ probanti, et cuius tenor pariter infra post clausulas generales praesentis instrumenti registrabitur, agentes vice et nomine populi et communis Bononiensis, et communitatum, universitatum, ac singularum personarum quomodolibet ex parte Bononiensi in infrascriptis interesse habentium, salvo beneplacito sanctissimi domini nostri Papae, et serenissimi domini ducis, de quo in infrascriptis capitulis, obtinendo infra duos menses, de quibus in illis (quod intelligatur et sit dumtaxat respectu finium communis Roffeni et Montisturturis, et non aliter), ex unâ; et dictus perillustris et excellentissimus dominus Andreas quondam D. Gulielmi de Codebovis, nobilis Mutinensis, et a secretis dicti serenissimi domini ducis ac procurator specialis ab eâdem celsitudine in individuo deputatus ex instrumento dictae procurae rogato per dominum Franciscum Mariam Panizzatum notarium Mutinensem sub die XXIII mensis et anni praesentium, cuius tenor pariter infra registrabitur, cum litteris et sigillo legalitatis civitatis Mutinae in calce illius appositis, nobis notariis infrascriptis praesentato per eum ad praesentiam infrascriptorum testium in loco infrascripto in formâ probanti, ex aliâ; ad infrascriptam inter eos devenerunt transactionem, compositionem, et concordiam modo et formâ infrascriptis:

Nam una pars ad instantiam alterius, et e contra, agentes nominibus, quibus supra, respective, utentes facultatibus sibi attributis, et praemissâ protestatione, quam in qualibet parte praesentis instrumenti, ubi expediat, voluerunt esse et censeri repetitam, quod non intendebant neque se ipsos, nec eorum bona propria obligare, sed dumtaxat ex parte Mutinae serenissimi domini ducis praedicti et illius camerae ducalis bona, et respectu civitatis Bononiensis bona communis et camerae Bononiensis tantum, et non aliàs, aliter, nec alio modo, sponte, etc., una pars ad instantiam alterius, et e contra, dixerunt, asseruerunt, et unanimi consensu inter eos interveniente confessi fuerunt, et publice recognoverunt, huiusmodi controversias inter eos versas fuisse et verti, et pro illarum terminatione unanimiter et concorditer firmarunt, concluserunt, et stabiliverunt, immo verius, respectu communis Roffeni et Montisturturis, firmata, stabilita, et conclusa fore et esse voluerunt infrascripta capitula hinc et inde ab utrâque parte acceptata et approbata ac subscripta; et videlicet capitula quoad differentiam communis Roffeni et Montisturturis sub die XVI praesentis mensis et anni subscripta per admodum illustrem dominum Sylvium Albergatum nobilem, patritium, et senatorem Bononiensem unumque ex assumptis praedictis vigore litterarum patentium in calce praedictorum

1 Perperam edit. Main. legit *registrati* (R. T.).

capitulorum registratarum, et per praedictum perillustrem dominum Andream Codebovium similiter per litteras patentes deputatum a dicto serenissimo domino duce, similiter registratas post dicta capitula, firmata et subscripta; nec non alia capitula praesenti die et ad praesentiam testium, et nostrorum notariorum infrascriptorum subscripta et affirmata per dictum illustrissimum et reverendissimum dominum legatum, eumdem illustrissimum dominum vexilliferum, et supradictos sex perillustres dominos assumptos ex unâ, ac dictum perillustrem dominum Andrea Codebovium ex alterâ: quorum capitulorum, et primo concordiae differentiae Roffeni et Montisturturis cum litteris patentibus auctoritatum primo dicti domini Andreae Codebovii et deinde dicti domini Sylvii Albergati, et postea aliorum capitulorum, ut supra, praesenti die concordatorum tenores sunt infrascripti, videlicet:

AL NOME DI DIO

A dì 16 settembre 1613.

Concordia differentiarum inter incolas Roffeni et Montisturturis de confinibus.

Per dar fine alle differenze, che fino al dì d'oggi sono state fra le città di Bologna e quella di Modena intorno ai confini tra il comune di Roffeno, territorio di Bologna da una parte, ed il comune di Montetortore, territorio di Modena dall'altra, il signor Silvio Albergati, nobile e senatore di Bologna, ed a ciò specialmente deputato dall'illustrissimo e reverendissimo signor cardinale Barberino, per la Santità di nostro signore Papa Paolo V legato *de latere* della città di Bologna, ancora con il consenso e partecipazione degl'illustrissimi signori senatori del reggimento di detta città, per lettere patenti sottoscritte dal detto illustrissimo signor cardinale e dal signor Alberto Bolognetti, confaloniere di giustizia, sotto la data delli 3 del presente da una parte, ed il signore Andrea Codebò, nobile modenese e segretario del serenissimo signor duca di Modena, e parimente alle infrascritte cose deputato dal detto signor duca per lettere patenti sottoscritte da Sua Altezza dall'altra, il tenore delle quali deputazioni sarà registrato nel fine della presente scrittura:

Avendo visitato una e più volte il luogo ed i luoghi delle differenze, ancora con l'intervento dei periti dell'una e l'altra parte, ed intese le ragioni de' sudditi di tutti due gli Stati, ed avendo maturamente esaminato e considerato ciò che si deduceva ed allegava per ambe le parti, ed avendo avuto molti discorsi con i suddetti signori, con l'intervento ancora del massaro e uomini di Roffeno e Montetortore, finalmente per salute e quiete di ambidue gli Stati e loro sudditi (salvo però, rispetto all'interesse della città di Bologna e del comune di Roffeno, il beneplacito ed assenso della Santità di Nostro Signore da ottenersi dentro lo spazio di due mesi prossimi, che detto signor cardinale e i detti signori del reggimento procureranno di avere, in modo tale, che, non s'ottenendo dentro i detti due mesi, il presente accordo s'abbia per non fatto, ma sia privo d'ogni valore, come se non fosse seguito; e parimenti, rispetto all'interesse della città di Modena e podesteria di Montetortore, salvo l'assenso e beneplacito del detto serenissimo signor duca, da ottenersi dentro allo stesso termine di due mesi, di che ne avrà cura il detto signor Codebò, qual consenso non ottenuto dentro il detto termine, sia parimente nullo il presente accordo, e s'abbia per non fatto), li suddetti signori Silvio ed Andrea, senza obbligare loro stessi, in virtù dell'autorità data a ciascuno di loro per lettere patenti, hanno stabilito, convenuto e concordato nel modo infrascritto:

Che partendosi dal luogo detto la Croce di Mazzone, qual è situato sul monte, ov-

vero collina detta della Piastra, fra i confini del detto comune di Roffeno e della villa di Aiano, territorio della città di Bologna, e fra i confini del detto comune di Montetortore, territorio di Modena, e dove è segnata una croce nella pianta ovvero disegno concordemente fatto da M. Vincenzo Saffi, perito di Bologna, e dal signor capitano Ascanio Ambrosii, perito di Modena, quale si registrerà nell'istromento della transazione, che a maggior prova dovrà esser celebrato fra le dette parti a voglia loro; la qual croce è distante dalla casa di Baldone di Pellegrino, situata per di sopra in Bolognese pertiche ventitre e piedi nove, misurando per la strada che tende per gradi diciotto di ostro, il qual luogo è il primo termine, ed hanno detti signori con l'intervento di detti periti stabilito che sia nel piede di un castagno, di circuito di oncie diciotto in circa, dove parimenti hanno fatto piantare un palo ivi fra i terreni di Luca di Pirone, Luca di Canobio e Giacomo Fontana, distante da una querciola segnata con una croce piedi sei[1] ed un terzo, posta a mano destra nel terreno del detto Luca di Pirone verso mezzogiorno: dalla detta croce si ascende per la Serra, ovvero sommità della detta collina, o monte della Piastra, per linea tortuosa, come cammina la detta sommità o schiena, verso la regione che è tra oriente e tramontana, per la misura di pertiche duecento quattordici e mezza, misurate per aria, secondo la tortosuità della detta collina, alla misura del comune di Bologna, sino al luogo che è nel detto disegno o pianta sopraddetta segnato *A*, ed è nella fine della sommità della detta collina, dove si è piantato un palo, ed è nel terreno di Pietro e Domenico Ruzzolino del Zoleto:

E poichè[2] dal detto luogo segnato *A* piegando nove gradi verso greco, e camminando per retta linea, si continui per ispazio di pertiche duecento ventisette di lunghezza, fino al luogo che nel detto disegno o pianta viene dimostrato con la lettera *B*, ed incontro al quale, dalla banda orientale di detta linea, e così sul Bolognese, sta situata una casa ora posseduta da Michele, Giacomo e Battista del *quondam* Cinotto Fucellini da Roffeno, in luogo detto Val di Medoro, *aliàs* Piano di Vaiano, la qual casa è lunga piedi 26 ed un sesto, e larga piedi 18 e tre quarti, secondo la detta misura di Bologna, e tende con la sua lunghezza per gradi 8 di levante, ed è distante dalla detta linea, tirando la misura in angolo retto da essa linea all'angolo meridionale della stessa casa più prossimo, pertiche due e piedi tre di misura fatta per aria, dove ancora si è piantato un palo di quercia:

E dal detto luogo segnato *B* hanno stabilito che si vada, continuando pure per linea retta, per pertiche ducento sessanta e piedi sei, fino al luogo segnato nella detta pianta o disegno con lettera *C*, ad una collina chiamata il Poggio di Misserino, sopra la quale dal lato occidentale di detta linea è posta una casa posseduta di presente da Stefano e Bartolomeo di Andrea di Misserino, la qual casa è lunga piedi trenta, e larga piedi quindici, e tende con la sua lunghezza per gradi tre di greco dall'angolo orientale e meridionale, della qual casa più prossimo[1] è distante la detta linea pertiche due e piedi tre, misurate per aria, partendosi dalla stessa linea con angolo retto.

E poi hanno determinato che dal detto luogo segnato con la detta lettera *C*, dove ancora si è piantato un palo, si continui la medesima linea retta fino al mezzo del rio della Braia o Zresenda per ispazio di

1 Numerus *sei* deerat supra pag. 219 *a* (R.T.).
2 Legendum *E poi che* (R. T.).

1 Forsan legendum *l'angolo più prossimo è distante da*, etc. Vide supra pag. 219 *b* (R. T.).

pertiche cento trentatre, il qual luogo nella pianta o disegno sta segnato con lettera *D*, ed è distante dal molino al presente posto sulla riva della Samoggia, e posseduto da Giovanni Antonio Corsino, pertiche ciquantacinque, misurate a linea retta e per aria, alla suddetta misura.

Ed indi, partendosi dal detto luogo segnato *D* (nel qual luogo, in ripa però al rio dalla banda che tende verso Garbino, hanno fatto piantare un palo distante dal detto mezzo del rio della Braia pertiche sei), si vada seguendo il corso di detto rio della Braia o Zresenda, sino dove egli sbocca nella Samoggia, entrando fino al mezzo di detta Samoggia, nel luogo segnato nella suddetta pianta o disegno con la lettera *E*, distante dal punto *D* al presente pertiche cinquantanove, misurate per linea retta che tende gradi sette di maestro.

E che di lì partendosi dal detto luogo segnato *E* si segua dietro al corso della Samoggia, continuando sino dove cominciano i confini del Zoleto, comune del contado di Bologna e di Montetortore suddetto, territorio di Modena, nel luogo segnato nel disegno con la lettera *F*: di maniera tale che tutto quello che rimane da man destra, nel cammino suddetto, dal detto punto † sino alla detta lettera *F*, tanto rispetto al territorio, quanto alla giurisdizione, sudditi e case, con ogni ragione d'imporre collette, estimi, o altre tasse reali, personali o miste, e con ogni superiorità di mero e misto impero e di altra giurirdizione, sia e s'intenda della città di Bologna, e si comprenda dentro al comune di Roffeno; e per il contrario tutto quello che nel camminare dal detto punto † alla detta lettera *F*, si lascia da man sinistra, tanto rispetto al territorio, quanto alla giurisdizione, sudditi e case, con ogni ragione d'imporre estimi, collette o altre tasse reali, personali o miste, e con ogni superiorità di mero e misto impero e di altra giurisdizione, sia e s'intenda della città di Modena, e si comprenda dentro al comune di Montetortore: restando dalla linea, tirata, come di sopra, dal punto † al punto *D*, diviso e separato l'un territorio dall'altro, e parimenti servendo per termine divisorio il mezzo del rio della Braia o Zresenda dal detto punto *D* al punto *E*, e facendo lo stesso effetto di separazione e distinzione de' territorî il mezzo della Samoggia dal punto *E* al punto *F*.

E che per maggior prova e chiarezza nei suddetti luoghi segnati † *A*, *B*, *C*, dove da' detti periti sono stati piantati li detti termini o pali di legno, si debbano porre a spese comuni tanti termini di pietra viva, e sul detto rio della Zresenda dalla banda di Bologna, incontro al detto punto segnato *D*, dove similmente è stato piantato il suddetto palo, si ponga un altro termine di pietra viva.

E perchè (dove Montetortore confina con il Zoleto e Savigno, luoghi del contado di Bologna, quali passano la Samoggia, tendendo verso occidente al monte del Termine, così chiamato) li termini, benchè chiari, nondimeno sono di pietra rozza, acciò si conoscano per termini di giurisdizione, hanno convenuto, che in luogo loro vi si pongano termini di pietra viva: li quali tutti suddetti termini di pietra viva doveranno avere le armi di santa Chiesa e della città di Bologna, dalla parte che riguarda il Bolognese, e le armi di Sua Altezza e di Modena, dalla banda che riguarda il Modenese, perchè denotino, che tutti questi sono termini divisorî e de' confini del territorio e giurisdizione di Bologna e di Modena, ed il tutto si faccia a spese comuni.

Che li beni, che de' sudditi di Montetortore, secondo il presente accordo, resteranno su quello del Bolognese, non

sieno gravati più di quello che sono, ovvero saranno gravati gli altri beni dei sudditi di Bologna, e li padroni sudditi di Sua Altezza, e li successori in detti beni, quanto sia per detti beni solamente, godano tutti li privilegi reali, e le immunità quanto ai beni, che godono gli altri di Roffeno; e così ancora hanno convenuto, che si osservi per quelli di Roffeno, che godono beni dentro al comune di Montetortore, e per li loro successori.

Che alla detta casa del Piano di Vaiano verso Montetortore, ed a quella suddetta di Misserino verso il Bolognese, non si possa fabbricare senza licenza respettivamente dei superiori dell'uno e l'altro Stato, acciocchè le distanze conformi la detta linea si conservino nello stato detto di sopra.

Che gli uni e gli altri possono liberamente, e senza licenza o denuncia, estrarre i loro frutti e raccolti da un territorio all'altro de' beni suddetti, talmente che per qualunque grida, proibizioni, o altro che si sia, che s'abbia qui per espresso, mai si possano proibire, differire o impedire in qualsivoglia modo dette estrazioni.

Come anco, che non possano essere astretti a venderli, permutarli, o in altra maniera distrarli, ma sieno in assoluta libertà di tenerli, goderli e disporne in qual persona piacerà a loro. Ed, alienandoli in sudditi del signor Duca, quelli di Montetortore a' quali restano beni su quello di Roffeno, e quelli di Roffeno, a' quali restano bensì su quello di Montetortore, in sudditi del Bolognese, li successori e chi averà causa da loro in perpetuo godano del medesimo privilegio detto di sopra.

E per più quiete de' sudditi dell'uno e l'altro Stato, hanno convenuto, che si intenda e sia con effetto rimessa ogni pena incorsa da qualunque particolare per causa di alienazione de' beni fatta a forastieri contro la forma de' statuti dell'uno e l'altro Stato, tanto contro gli acquirenti, quanto contro gli alienanti, siccome li banditi, condannati, e processati dall'una e l'altra parte per causa di dette confina, o di pretesa turbazione di giurisdizione, sieno e s'intendano rimessi e liberati *gratis* dalli bandi e condannazioni, ed aboliti li processi formati contro di loro.

In fede di che la presente scrittura sarà sottoscritta ed affermata dai sopra detti signori Silvio ed Andrea, e ciascheduno di detti signori ne averà una copia sottoscritta da ambidue, e dalli testimoni infrascritti.

Si dichiara, che le parole, che cominciavano *per tutto,* e fornivano *per l'avvenire,* nell'ultimo capitolo, che comincia *per più quiete,* sono state cassate di consenso delle parti, come poste per errore.

Io Silvio Albergati in virtù dell'autorità datami, come nella mia patente, affermo e prometto quanto di sopra.

Io Andrea Codibò, in virtù dell'autorità datami, come nella mia patente, affermo e prometto quanto di sopra.

Io Vinceslao Cipriani fui presente a quanto di sopra, e vidi sottoscrivere a detti signori.

Io Domenico Albani fui presente a quanto di sopra, e vidi sottoscrivere a detti signori.

Cesare Duca di Modena, ecc.

Litterae patentes ducis Mutinae.

Essendo differenza fra' sudditi di santa Chiesa di Roffeno ed i nostri di Montetortore sopra i confini dell'uno e dell'altro luogo, e desiderando che si terminino amorevolmente, confidati nella integrità e sufficienza del dottor Andrea Codibò, nostro segretario, in virtù di questa nostra, che sarà segnata di nostra mano, e suggellata del nostro sugello, l'eleggiamo e deputiamo, perchè termini, e componga come a lui parrà ragionevole le dette differenze col deputato dell'illustrissimo e

reverendissimo signor cardinale Barberino, a nome di Sua Beatitudine dandogli piena ed assoluta autorità di poter fare quanto di sopra; promettendo noi, in fede di leale prencipe di avere rato e fermo quanto per essi due sarà accordato o deciso sopra detta differenza, nè mai per alcun tempo contravvenire, e di farlo osservare da' sudditi nostri.

Dato in Modena a dì 8 settembre 1613.

Cesare — Locus † Sigilli.

Mapheus cardinalis Barberinus Bononiensis de látere legatus.

Litterae patentes cardinalis legati Bononiensis.

Desiderando noi, conforme alla santa mente di Nostro Signore, significataci per lettere dell'illustrissimo e reverendissimo signor cardinal Borghesi, porre fine alle controversie, che, per occasione de' confini tra la città di Bologna e quelli del comune di Roffeno da una parte, ed il serenissimo signor Duca di Modena ed il comune di Montetortore dall'altra, vertiscono nelle parti di montagna, per tenore delle presenti, col consenso e participazione de' signori senatori del reggimento di detta città, abbiamo deputato ed eletto la persona del signor Silvio Albergati, alla cui fede, prudenza ed integrità possiamo confidare anco cosa maggiore, al quale diamo amplissima facoltà e potestà di ritrovarsi quanto prima in fatto nel luogo della differenza, ed ivi insieme con l'agente, qual sarà mandato dal serenissimo signor Duca di Modena con simile facoltà, terminare, stabilire, decidere e comporre la detta differenza, in quel modo e forma che gli piacerà e parerà per quiete comune di ambidue li Stati, ponendo quei termini e confini che gli parerà, facendone anche scrittura se farà di bisogno, da inserirsi poi nell'instrumento della transazione, promettendo d'avere rato e grato e da approvarsi, siccome *ex nunc* approviamo, tutto ciò, che da detto signor Albergati sarà risoluto, determinato e fatto in tal materia, ed in effetto dandogli tutta l'ampiezza della nostra autorità da Nostro Signore delegataci. *In quorum fidem*, etc.

Datum Bononiae die 3 septembris 1613.

M. cardinale Barberino, legato.
Albertus Bolognettus, vexillifer iustitiae.

Locus † Sigilli.

Registrat. libr. brevium et patentium fol. XXXIV.

Torquatus Monaldinus, cancellarius.

AL NOME DI DIO

A dì 28 settembre 1613 in Bologna.

Concordia circa reliqua capitula.

Essendo nate alcune differenze tra la città di Bologna e quella di Modena, e tra li sudditi dell'uno e l'altro Stato, intorno all' infrascritti capi, ed essendosi trattato lungamente di essi con l'illustrissimo e reverendissimo signor cardinal Giustiniano, legato di Bologna, e con li molto illustri signori assunti del reggimento di Bologna, deputati per tali affari, nè si essendo potuto porvi l'ultima mano innanzi al partire di detto signor cardinale, s'è ripigliato il trattato dall'illustrissimo e reverendissimo signor cardinal Maffeo Barberini, legato *de latere* della detta città, e da' moderni signori assunti del reggimento, e finalmente con l'autorità e prudenza di sua signoria illustrissima e reverendissima si sono concordate nell'infrascritto modo, cioè:

Per il fiume di Panaro

in luogo detto il Passo di sant'Ambrogio.

Circa opera in flumine Panarii et ripas illius.

1. Hanno convenuto, che per le presenti capitolazioni o accordo, non s'intenda derogato all'istromento dell'anno 1474, addì 14 del mese di ottobre, rogato per Bonaventura Paleotto, nè a quello del 1579, addì 12 febbraro, rogato per il già Cornelio Berti e Tommaso Barbieri, nè ad altri istrumenti passati fra le parti,

nè fatta novazione alcuna, ma s'intendano riservati in tutto e per tutto.

2. Che per le presenti capitolazioni sia lecito ai signori Bolognesi al Passo di sant'Ambrogio, a dirittura della strada maestra verso la Torre de' Modenesi, fare ogni sorta di lavoro opportuno per respingere l'acqua del detto fiume di Panaro di mano in mano al suo pristino corso, in conformità però della detta transazione del 1474, con pigliare ivi a detto effetto ghiara, sabbia e sassi, e con l'entrare anche nella detta acqua, e tante volte, quante gli parerà di tempo in tempo, acciò possano dare tal forma al lavoro, che basti all'effetto suddetto, ed a conservare il fiume nel suo alveo vecchio senza offesa però della ripa vecchia del Modenese; ed il signor Duca se ne contenta, e promette di non fare contro lavoro che possa impedire ai signori Bolognesi nel lavoro suddetto, ma solo lavorare per assicuramento della sua ripa ed argini, sì che in un medesimo tempo, e reciprocamente, non s'impedisca il lavoro a' signori Bolognesi, nè si roda, o ponga in pericolo, o sconcerto la detta ripa vecchia de'Modenesi, di modo che fosse poi impossibile, o molto difficile, il mantenerla ove è ora, ed anco sia lecito ai signori Bolognesi nel suddetto luogo valersi per uso publico e privato della ghiara, sassi e sabbia di detto fiume.

Siccome anco si dichiara, che altrove fuori di esso luogo, per tanto quanto dura il confine del Bolognese, su la ripa del Panaro possano li signori Bolognesi, che averanno beni dietro a detto fiume, come in virtù di questi capitoli Sua Altezza gli permette, entrare nel detto fiume, e ivi pigliare acqua, ghiara, sabbia e sassi, e valersene per la riparazione e conservazione di detta ripa, senza però restringere il solito e naturale alveo del fiume, e senza pregiudizio delle ragioni di Sua Altezza, le quali s'intendano riservate in tutto e per tutto.

3. Non possano però li signori Bolognesi mandare nell'alveo di detto fiume l'acqua della Muzza contro la volontà di Sua Altezza, e quanto alle altre acque si osservi la detta transazione del 1474.

Per le acque della Genarella.

4. Per dare felice esito alle acque che entrano nella Genarella, ed altre, affinchè non dieno danno ad alcuna delle parti, si dovrà cominciare il cavamento del Finale in Foscaglia da Panaro, venendo in su sino alli confini della Palata, principiando allo sbocco del Panaro, e venendo in su per quanto tiene il confine del Finale, con levare tutti li dossi fattivi, alberi, viti e berlette, tanto dietro all'alveo ed accanto delle ripe, quanto fuori, dentro però degli argini, e le dirupature, ed atterramenti dell'alveo, e scarpare, e cavare detto alveo, e portare la terra, ed ogni altra cosa che si caverà, fuori dell'arginatura per distanza necessaria alla manutenzione e scaricamento delle ripe, ed in somma levare tutti gli impedimenti, che sono o per l'avvenire saranno in esso condotto, ovvero dentro gli argini, e su gli argini stessi, li quali potessero dare impedimento al felice esito o scolo delle acque, ovvero nuocere al detto condotto, e tutte le predette cose liberamente, e senza impedimento alcuno: e si conviene, che ciò si possa fare da' signori Bolognesi a loro spese, ad ogni loro volontà, e tante volte, quante bisognerà, ed il tutto ad arbitrio di buon uomo, facendolo prima sapere d'un giorno innanzi al governatore del Finale, che sarà *pro tempore:* nel che basti, che dall'uffiziale residente in Sant'Agata ne sia scritto a detto governatore; ed a chi gli presenterà la lettera con la presenza di due testimonii si dia piena fede, riferendolo negli atti di detto

Circa aquas Zenarellae.

uffizial di Sant'Agata, il che fatto, convengono che nè da Sua Altezza, nè da' suoi successori, nè dal governatore del Finale o altri ministri o sudditi di Sua Altezza si possa dare impedimento alcuno nel cavare tante volte quante a' Bolognesi parerà, cioè un anno cavare e l'altro sterpare e nettare con la larghezza che al presente si trova, qual è di piedi ventidue nel pelo dell'acqua, e cavandola tre piedi, resterà piedi venti nel fondo sotto l'acqua, eguagliandola così da Panaro fino a Guazzalocca; e da lì fino al ponte delli tre archi si dovranno similmente fare li cavamenti dalli signori Bolognesi per tre piedi, con la larghezza che si trova, con levare le dirupature che fossero scorse e scorreranno nel cavo, ed ogni altro impedimento, cavandola quanto farà di bisogno, e come di sopra s'è detto: e che li ponti che sono sopra detta Foscaglia, su quello del Finale, si mantengano da' Finalesi, alti e larghi a proporzione del cavo, come sono di presente, di modo che non dieno impedimento al corso dell'acqua. E per effettuare questo con minore difficoltà e men danno de' sudditi di Sua Altezza, per questa prima fiata monsignor illustrissimo legato deputerà persona intelligente con un perito deputato da Sua Altezza che vadano a segnare tutti gli alberi che potessero apportare danno al corso delle acque, ed il governatore del Finale avrà ordine dalla predetta Altezza di fare che li padroni di detti alberi subito li taglino e portino via, con il minor danno di detti argini che sia possibile, e che si faccia grida che per l'avvenire, ne' luoghi ove saranno stati questi, non ve se ne piantino più, e nascendone, si taglino subito.

5. Che li Nonantulani, quali secondo la sentenza del 1561 dovevano cavare la Genarella pertiche trecento sessanta di Bologna, debbano cavarla e nettarla, come si è detto di sopra di Foscaglia, dal ponte di Genarella, fino al ponte della via del Rivale, e l'escavazione e netto sia di piedi tre eguali[1], abbassando il fondo egualmente alla detta misura, permettendogli di slargarla un piede di più di quello che dice la sentenza, solo sino al detto ponte, talchè per le trecento sessanta pertiche, non sia in fondo più di quindici piedi, e nel restante, fino al ponte, tredici; e dove fosse più larga che potesse nuocere, restringerla ad arbitrio de' periti a detto segno: e quando vorranno cavare o sterpare, lo facciano sapere prima all'officiale residente a Sant'Agata *pro tempore*, per un giorno innanzi, nel che basti, che dall'uffiziale residente a Nonantola ne sia scritto all'uffiziale di Sant'Agata, ed al presentante della lettera, con la presenza di due testimoni, si dia piena fede, fattane la relazione, come è detto; e fatta la detta notificazione, nè dall'illustrissimo e reverendissimo signor legato, o vice-legato *pro tempore*, nè da' suoi successori o altri ministri e sudditi di Santa Chiesa, se gli possa fare impedimento alcuno: e dal detto ponte della via del Rivale, fino al ponte delli tre archi, dove non andrà fatto altro arco, ma si lascierà nel termine che si trova, si dovrà cavare da quelli di Sant'Agata alla larghezza che dice detta sentenza, con osservare nel resto il contenuto di essa, cavandola tre piedi, come di sopra.

6. Che nel medesimo tempo si cavi la Muzza, la metà da quelli di Sant'Agata, e l'altra metà da quelli di Nonantola, facendo gettare la terra su le ripe dell'una e l'altra parte a proporzione, in maniera che dette ripe si eguaglino e sempre si mantengano egualmente alte, dando a detta Muzza la debita larghezza che è di piedi quindici in cima, ed in fondo piedi cinque, e profondità di piedi sette dalla sommità della ripa; e che ogni quattro anni si cavi,

1 In edit. Main. legitur *egualiti* (R. T.).

con far mettere la terra, da una banda e l'altra, in ordine d'argine, in maniera che restino eguali di altezza ambidue i lati come di sopra, e che quando li predetti argini non fossero alti abbastanza per ritenere la Muzza dentro al suo letto, sia lecito alle parti alzarli, notificarlo prima alla parte opposta, di tre giorni innanzi nel modo e forma detto di sopra nel capitolo quinto, acciocchè, volendo, li possano alzare egualmente.

7. Che di presente, a spese comuni, si facciano i due ponti di legno che sono sopra la detta Muzza, e che poi i signori Bolognesi mantengano il ponte Galetto e l'altro che va a San Giovanni, lo mantengano que' di Nonantola, restando però, quanto all'uso, comuni.

8. Che dal ponte de' Galetti in su, verso Castel Franco, i signori Bolognesi mantengano cavata ed arginata la Muzza, cioè principiando dal ponte di Arcovato, s'intestino e riempiano li due fossi della strada per lunghezza di pertiche tre, acciò stieno otturati, in maniera che l'acqua della Muzza non vi possa entrare, nè perciò causare rottura; e poi da detto ponte di Arcovato, per ispazio di pertiche centoventinove, da' signori Bolognesi si rivegga il cavo suddetto della Muzza con nettarlo solamente, e da loro parimente s'argini l'istesso cavo per pertiche quarantotto per quanto tiene il prato chiamato de' Galletti, acciò non isparga a danno de' Nonantolani.

9. Che a spese comuni si serrino tutte le bocche, quali vanno dalla Muzza nel canale di Sant'Agata, e si ponga il ponte diritto alla strada, e si lasci spiantato il fosso di detta strada per lunghezza di pertiche tre, e si faccia ed accomodi il cavo per pertiche settantasette, e per altre pertiche trentadue si faccia tutto di nuovo per essere ammonito, e rompendo da qualsivoglia parte ed in qualsivoglia luogo della Muzza si ripari ed accomodi da quella parte dalla banda della quale avesse rotto.

10. Che quanto alla diversione delle acque del molino degli eredi del signor cavalier Tanara, quando quelli di Nonantola saranno d'accordo con detti eredi ed altri particolari interessati legittimamente, la città di Bologna gli dà licenza di poterla fare con l'assistenza de' periti; e che le bocche, quali vengono da Panaro di quello di San Cesario, Spilimberto e Prinazzo ed altri, che se ne servono l'estate, non si aprano prima di san Michele di maggio, e si serrino a san Michele di settembre.

11. Che alle acque de' signori Bolognesi, che ora vengono dal comune di Gaggio e da altri luoghi superiori, sia dato il debito scolo sul Nonantolano, e cominciando dalla parte verso Panaro, si rifaccia il primo ponte, rotto alla misura di piedi due per quadro, rispetto al foro o vacuo, e gli si dia l'esito proporzionato, e s'accomodi il primo ponte del Viazzolo largo piedi tre per ogni verso, e si faccia l'altro ponte sopra il canalino largo piedi due per quadro, sebbene al presente è d'un piede solo, e si faccia un ponte alla via maggiore dalla parte di levante largo piedi due per quadro, e nel luogo detto il Buso del muro, al presente piedi uno e un quarto, si riduca il detto buso alla larghezza di piedi tre per quadro, e si faccia il ponte sopra la strada dell'istessa larghezza di piedi tre, e si faccia il ponte sopra la fossa mozza di larghezza di piedi cinque e un quarto, e di altezza piedi tre, e si faccia un ponte alla dirittura della via di Rubiara, di larghezza di piedi due per quadro. Per lo scolo de' tre fossi superiori che vengono dalla parte di mezzogiorno sul Bolognese, e nel principio della via che va al molino dell'abbazia di Nonantola, detto di Lampergola, alla dirittura del fosso di Levante, si faccia un ponte di piedi due per quadro; al con-

dotto di Miselè s'allarghi il buso, il quale è al presente di mezzo piede per quadro, si riduca alla larghezza di piedi due per quadro, e si faccia il ponte sopra la strada dell' istessa larghezza; *item*, s'accomodi un altro ponticello, che è fra il suddetto ed il Limido, di larghezza di piedi due e un quarto per quadro; che il ponte del Limido s'accomodi dell' istessa larghezza che al presente si trova, e così si mantenga l'imboccatura del Limido, e che di sotto dalli suddetti ponti sia dato il debito e proporzionato scolo sul Nonantolano, la qual proporzione sia regolata dalle misure di detti ponti a spese de' Nonantolani, i quali sono tenuti cavare e mantenere cavati li condotti, principiando alli suddetti luoghi e continuando sul Nonantolano almeno per la lunghezza di pertiche cento, alla misura di Bologna, e che tutti li suddetti ponti sieno fatti di pietra e mantenuti a spese de' Bolognesi.

12. Che il canale che passa sopra la fossa del Bosco di Nonantola, si faccia passare con tromboni serrati, sì che non sparga, a spese de' Nonantolani, ed a loro spese si mantenga nel detto modo.

13. Che li argini della fossa del Sorgo verso settentrione, e quello della fossa del Bosco verso mezzodì appresso il ponte della Zenarella, si regolino, sicchè l'acque non dieno danno nè ad una parte nè all'altra, nè sormontino la strada, il che d'accordo si dichiara che sia in questo modo, cioè: Che detti argini s'abbassino tanto che la loro altezza non ecceda l'altezza dell'area del ponte della Genarella, e che la strada del ponte della Genarella fino alli confini di Ravarino si possa alzare ed accomodare o tutta o parte della maniera che è l'altra dietro la Muzza verso Castel Franco, a spese di chi la vorrà alzare ed accomodare, e con quell'altezza di più, della quale nell'infrascritto capitolo.

14. Che possano li signori Bolognesi alzare la strada dietro la Muzza, o tutta o qualsivoglia parte di quella, purchè non sia più alta della ripa della Muzza, lasciando però comodo il viaggio.

15. Che sia lecito alli sudditi di Sua Altezza passare liberamente, senza impedimento di dazio o altro, per la strada che è dietro la Muzza sul Bolognese verso Sant'Agata, dal ponte della Genarella in fine di detta Muzza fino al ponte de' Galletti inclusivo, e con le armi che saranno permesse ai passeggieri per lo Stato di Bologna, purchè non si fermino per notabile spazio, ma per puro transito, senza uscire di strada.

16. E che li cavamenti s' incomincino dagl'interessati il dì primo dicembre prossimo: ma che però sia lecito ai signori Bolognesi di quindici giorni prima dar principio al cavamento di Foscaglia; ma se la stagione non patisse che li signori Bolognesi potessero fare lavorar prima, come è detto, si debba differire il cavamento della Muzza e Generella a commoda ed opportuna stagione; ed in tutti li casi il termine delli quindici giorni dato ai signori Bolognesi, dopo i quali si dovrà principiare il cavo della Muzza e Genarella, non finisca più tardi del primo di maggio.

Per i confini tra Bologna e Nonantola.

17. Che il cavo della Muzza sia comune e faccia confini, ed il medesimo s'intenda della strada sotto la Muzza, diritta verso settentrione, sino ai confini di Ravarino, e similmente sieno comuni e facciano confine la strada detta dell' Argine dal ponte de' Galletti fino allo stradello di Lampergola, ed esso stradello sino alla casa del signor marchese Ugo Pepoli, ed indi la strada detta dei Confini, la quale si dovrebbe estendere di là dalla casa degli eredi del medico Carandino, ed allungare verso ponente sino a Panaro nella

Circa confines Bononiae et Nonantulae.

stessa dirittura e larghezza che è l'altra, la qual parimente sia comune.

18. Ed acciocchè questi confini più non si confondano, convengono che si debbano porre termini di pietra viva con le armi di Nostro Signore dalla banda di Bologna, e di S. A. dalla banda del Modenese o Nonantolano, nei sottoscritti luoghi, cioè nella strada sotto il ponte della Genarella verso Ravarino, uno, e nella via degli Argini, di là dal Ponte de' Galletti, un altro nello stradello di Lampergola, un altro nel principio della via del confine nel canale, da casa del signor marchese Ugo Pepoli un altro, ed appresso la possessione degli eredi del medico Carandino un altro, e vicino a Panaro, dove s'è detto di allungare la strada, un altro, ovvero anche in altri luoghi, ove fosse giudicato più opportuno, e questo a spese comuni, con allargare anco la strada dove farà bisogno, ne' luoghi dove si porranno i termini, facendogli piazza dalle bande, sicchè ivi possano transitare le carra senza impedimento.

19. E per più quiete de' sudditi dell'uno e l'altro Stato, convengono che i banditi, condannati o processati dall'una e l'altra parte, per causa de' confini ed acque, o di pretesa turbazione di giurisdizione, sieno e s'intendano rimessi e liberati *gratis* dalli bandi e condannazioni, ed aboliti i processi formati contro di loro.

20. E convengono che tutti i lavori ed operazioni, quali di sopra si è pattuito che debbano esser fatti o fatte dall'una e dall'altra parte insieme o da una sola, debbano esser forniti per tutto il mese di giugno prossimo, e prima, se il tempo lo concederà, e chi mancherà, possa e debba essere sforzato dal suo superiore ad istanza dell'altro, e debbano anche essere mantenuti dalla stessa parte, a cui s'è imposto il peso, secondo le convenzioni respettivamente di sopra espresse.

21. E per queste convenzioni non s'intenda derogato all'altre per altri tempi fatte tra Nonantolani ed altri sudditi della legazione di Bologna e tra l'uno e l'altro Stato, se non quanto si contiene nei presenti capitoli.

22. Inoltre dichiariamo che i suddetti capitoli sieno e s'intendano correspettivi, e particolarmente convengono che quando il corso dell'acqua di Foscaglia in Panaro su per quello del Finale, ovvero lo scolo dell'acqua di Gaggio per il Nonantolano, o da' Finalesi o da' Nonantolani in qualsivoglia modo fossero impediti, sicchè non avessero il felice scolo conforme alla convenzione suddetta, in tali casi, ed in ciascheduno di essi, i Bolognesi non sieno tenuti a pigliar le acque del Nonantolano sul suo territorio, nè per la Genarella, nè per altro luogo; e per il contrario, quando da' Bolognesi fosse in qualsivoglia modo impedito lo scolo delle acque del Nonantolano, sicchè non avessero il felice scolo, conforme alle convenzioni suddette, in tal caso i Nonantolani e Finalesi, ed altri della giurisdizione di Modena, non sieno tenuti dar l'adito alle acque di Gaggio o altre superiori che vengono nel Nonantolano, nè da Foscaglia in Panaro, nè alle altre acque de' Bolognesi.

23. E finalmente promettono tutte due le parti osservare quanto di sopra, sotto l'obbligo de' beni dell'uno e l'altro Stato, e così del serenissimo signor Duca, come della camera e comuni di Bologna, promettendo che amendue gli Stati da' loro sudditi, così rispetto alle persone private, come alle comunità ed università, faranno osservare quanto di sopra si contiene in vigore di perpetua ed inviolabile legge, facendosi perciò pubblicare, dall'uno e dall'altro principe e superiori, editti ed ordini penali che leghino tutte le persone,

comuni, collegî e università a loro soggetti all'osservanza delle suddette convenzioni.

M. cardinalis Barberinus, legatus, etc.
Alberto Bolognetti, confaloniere di giustizia.
Andrea Codibò, mandatario del serenissimo di Modena.
Marc-Antonio Bianchetti, assunto.
Federico Guidotti, assunto.
Francesco Cospi, assunto.
Æmilius Bologninus, assumptus.
Gualengo Ghislieri, assunto.
Gio. Battista Sampieri, assunto.

Et quae capitula per me Dominicum Albanum, unum ex notariis infrascriptis, aliis duobus infrascriptis notariis observantibus, ad praesentiam infrascriptorum testium, et in loco, de quo infra, altâ et intelligibili voce lecta fuerunt, coram praedicto ill.^{mo} et rev.^{mo} domino cardinali legato, dictis dominis vexillifero et assumptis, ac domino Andrea Codebovio, ad praesentiam infrascriptorum testium, qui omnes, ut apparuit, illa intellexerunt, prout ad praesentiam infrascriptorum testium dixerunt, asseruerunt, confessi fuerunt, et publice recognoverunt, ac medio iuramento, ut infra, professi fuerunt et recognoverunt praedicta capitula ab eis fuisse benevisa, attente inspecta, et diligenter considerata, ac mature pensata, et recognoverunt subscriptiones in calce illorum appositas fuisse et esse eorum manu scriptas, et respectu subscriptionis ad capitula concordiae communis Roffeni et Montisturturis cantantis sub nomine domini Sylvii Albergati, illius manu, et in effectu omnes subscriptiones omnium dictorum capitulorum fuisse et esse per illos factas, sub quorum nominibus respective cantant; et ita inter eos pro terminatione dictarum controversiarum fuisse concordatum, pactum et conventum; et renunciarunt cuicumque exceptioni erroris, rei non sic gestae; et cuivis aliae quam in contrarium quomodolibet opponere possent, et illa, ac omnia et singula quaecumque in illis conventa et contenta iterum et de novo acceptarunt et approbarunt et emologarunt, adimplereque, attendere, observare et exequi convenerunt, omni meliori et validiori ac efficaciori modo, quo de iure fieri potuit et potest.

Et sic de praedictis.

Quae omnia, etc., poenâ scutorum decem millium, etc., promissione refectionis damnorum, etc., obligationibus bonorum, etc. pacto precarii, etc. renunciatione beneficiorum, etc., iuramentis, etc., et respectu dicti ill.^{mi} et rev.^{mi} domini cardinalis manu pectori appositâ, more illustrissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium, respectu vero dicti perillustris domini Marci Antonii Blanchetti, equitis Galatracae, manu super cruce appositâ, et respectu aliorum, manibus cuiuslibet eorum tactis scripturis, etc.; et praedicta omnia in omnibus et per omnia secundum formam extensionum clausularum instrumentorum editarum Bononiae de anno MDLXXXII.

Tenor vero litterarum ill.^{mi} et rev.^{mi} domini cardinalis Burghesii est infrasciptus, videlicet:

A tergo: *All'Illmo e Rev.^{mo} Signor mio Oss.^{mo} signor cardinal* BARBERINO, *legato di Bologna.*

Intus vero:

Illmo e Rev.^{mo} Signor mio Oss.^{mo}.

È molto tempo che non si tiene avviso alcuno da V. S. illustrissima del negozio de' confini con i Modenesi, non senza desiderio di Nostro Signore d'intendere qualche cosa, come materia che preme assai alla Santità Sua, e qui in tanto, a nome di detti Modenesi, si è fatto ricorso con un memoriale, con esporre che i Bo-

Litterae cardinalis Burghesii ad legatum Bononiae de mente Papae.

lognesi non si possono indurre all'accomodamento de' confini di Montetortore, che è cagione che sieno sospesi tutti gli altri accomodamenti degli altri confini; il che ha porto occasione di significare a V. S. illustrissima che Sua Beatitudine avrebbe gusto particolare che si spedissero e decidessero tutte le differenze che si hanno con i sudditi Modenesi, tanto quella di Montetortore, quanto ogn'altra; e però quand'ella con l'autorità e destrezza sua possa superare le difficoltà che sono rispetto ai confini di Montetortore e venire alla terminazione di tutte queste differenze, Sua Santità loderà sommamente che lo faccia: ma vedendo che non possa riuscirle, la mente di Sua Beatitudine è che almeno si stipulino le capitolazioni sopra le altre differenze concordate, e nelle quali non v'è difficoltà conforme alli stabilimenti altre volte mandati di qua, lasciando in pendenza questa di Montetortore, con continuare però la pratica dell'accomodamento di essa, per la totale quiete di que' popoli, compiacendosi frattanto avvisare in che batta la difficoltà, per la quale non se ne può venire al fine di presente: ed a V. S. Illma bacio con ogni riverenza le mani.

Di Roma alli 21 agosto 1613.

Di V. S. Illma e Rev.^ma^

Umil.^mo^ Servitore
Il cardinal BORGHESI.

Tenor autem senatusconsulti, de quo supra, est de quo infra:

Senatusconsultum Bononiense.

Die sabbati XXVIII septembris MDCXIII. Congregatis illustrissimis dominis reformatoribus status libertatis civitatis Bononiensis num. 29 in aulà superiori residentiae illustrissimi et reverendissimi domini cardinalis Barberini Bononiensis de latere legati apostolici, prospicienti ab occasu supra viridarium palatii maioris, eodem domino legato praesente, ac de ipsius consensu et voluntate, inter eos positum et obtentum fuit infrascriptum partitum, videlicet: Per suffragia omnia affirmativa omnimodam tribuerunt illustrissimo domino Alberto Bolognetto moderno dictatori et vexillifero iustitiae populi et communis Bononiensis, una cum perillustribus dominis Marco Antonio Blanchetto, Friderico Quidotto, Francisco Cospio, Assorgio Volta, Friderico Elephantutio, Emilio Bolognino, Sylvio Albergato, Constantio Ursio, Gualengo Ghisilerio et Ioanne Baptista Samperio, modernis assumptis eiusdem illustrissimi regiminis in materià finium et aquarum, eorumque consenatoribus, vel maiore illorum parte, facultatem et auctoritatem transigendi et concordandi cum perillustri domino Andrea Codebovio, secretario et commissario ad id deputato a serenissimo domino duce Mutinae super finibus territorii huiusce civitatis Bononiensis cum territorio Mutinae eiusdem serenissimi domini ducis, in dictis finibus et super aliis differentiis, praesertim in materià aquarum; et praedicta faciendi, respectu differentiae inter communia Roffeni et Montisturturis, iuxta formam capitulorum sub die XVI mensis septembris praesentis anni cum dicto serenissimo domino duce concordatorum mediantibus dictis domino Sylvio pro parte civitatis Bononiensis et dicto domino Andrea Codebovio pro parte dictae civitatis Mutinae, ac ab illis subscriptorum; respectu vero aliarum differentiarum, sive iuxta formam capitulorum iam visorum et placitorum, mox subscribendorum per praedictos illustrissimum et reverendissimum dominum cardinalem legatum, illustrissimum dominum vexilliferum iustitiae, et maiorem partem dictorum dominorum assumptorum, ac praefatum dominum Andream Codebovium, sive sub alià quavis formà dictis dominis legato, vexillifero et assumptis, vel maiori parti illorum, bene visa; desuperque

instrumenta et documenta quaecumque opportuna et necessaria cum insertione dictorum capitulorum conficiendi, seu confici faciendi, poenali stipulatione, obligatione bonorum camerae et communis Bononiensis, iuramento, et aliis clausulis et cautelis vallatâ, quae eis vel maiori parti illorum videbitur expedire, rogandi per publicum notarium unum, vel plures, ceteraque faciendi necessaria et opportuna: contrariis, etc.; promittentes se ratum et gratum ac firmum habituros quidquid superinde fuerit factum per dictos illustrissimos legatum ac dominos vexilliferum et assumptos, vel maiorem partem eorum, ut supra.

Dominicus Castellanus illustrissimi senatus Bononiensis prosecretarius.

Loco † signi.

Sequitur tenor instrumenti procurae.

Concordia confirmatur a Pontifice.

§ 3. Nos, omnem super praemissis recidivae contentionis ac litigandi occasionem inter civitates, Status, necnon universitates et homines praedictos auferre volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, concordiam praedictam, ac omnia in ea contenta et inde sequuta quaecumque, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et solemnitatum aliàs forsan requisitarum et necessariarum ac quosvis alios, etiam quantumvis substantiales, defectus, si qui in praemissis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, concordiam praedictam ac praesentes litteras perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, quos illae concernunt, perpetuo et inviolabiliter observari debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos (sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate), iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon civitatum et universitatum praedictarum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesenlibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore rermansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDCXIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 20 decembris 1613, pontif. an. IX.

CCXLI.

Mandat subditis episcopatus Cenetensis ne, contra sua et Clementis VIII decreta, aliquid in praeiudicium ecclesiae Cenetensis et auctoritatis ecclesiasticae audeant attentare.

Paulus Papa V,

ad futuram rei memoriam.

Refert Clementis VIII decreta pro conservandis iuribus ecclesiae Cenetensis.

§ 1. Aliàs (postquam felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, ad tuendam, ex pastoralis muneris debito, auctoritatem ecclesiasticam, ac cum civitas Cenetensis, etiam in temporalibus episcopo Cenetensi pleno iure subiecta esset,

prout ad praesens est, et ideo appellationes a sententiis pro tempore in tribunali curiae episcopalis Cenetensis, etiam in causis mere profanis, tam civilibus quam criminalibus, ipso iure ad superiores suos ecclesiasticos devolverentur, et in causis huiusmodi ecclesia Cenetensis in quasi possessione existeret, prout ad praesens existit, ne appellationes huiusmodi ad alios quoscumque, praeterquam ad suos superiores ecclesiasticos, a quoquam temere interponerentur, opportune providere volens, universos et singulos cives, incolas et habitatores civitatis Cenetensis praedicti episcopi Cenetensis non solum spirituali sed etiam temporali iurisdictioni subiectos per suas in huiusmodi formâ Brevis expeditas litteras, sub Dei omnipotentis ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius ac suae indignationis necnon excommunicationis latae sententiae poenis, a quibus nonnisi a se et Sede praedictâ, praeterquam in mortis articulo, quisquam absolvi posset, monuerat, iisdemque universis et singulis districte praecipiendo mandaverat, ne quisquam eorum a quibusvis sententiis in tribunali dictae curiae episcopalis super quibusvis causis, etiam mere profanis, tam civilibus quam criminalibus, eo usque latis, aut deinceps in perpetuum quandocumque ferendis, appellationes ad quoscumque iudices seculares, etiam principes, etiam senatum, rempublicam, seu quoscumque alios, cuiuscumque illi gradus, dignitatis et conditionis forent, etiam ducali, regali vel imperiali dignitate praefulgentes, interponere auderent, vel praesumerent, sed ad suos superiores ecclesiasticos, ad quos cognitio causarum dictarum appellationum pertinet, illas interponere omnino deberent, decreta, leges et ordinationes in contrarium quomodolibet facta, seu tam imposterum facienda, necnon appellationes ad praedictos et alios quoscumque iudices seculares interpositas, seu tunc interponendas, cum omnibus inde sequutis et sequuturis, ac illa et illas nullius roboris et momenti ac minime attendenda esse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate ubique iudicari et diffiniri debere, decernens; et alia disposuerat et ordinaverat),

§ 2. Per nos accepto, quod nonnulli, nedum contra dictarum litterarum tenorem et prohibitionem, sed alia etiam attentare tractabant, seu iam forsan attentaverant, in auctoritatis ecclesiasticae, Sedis Apostolicae et dictae ecclesiae Cenetensis, illarumque iurium praeiudicium; nos, iisdem Clementis praedecessoris vestigiis inhaerentes, omnibus et singulis personis in dictis litteris expressis, aut quomodolibet comprehensis, sub eisdem Dei omnipotentis ac beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostrae indignationis necnon excommunicationis ipso facto incurrendis poenis, a quibus nonnisi a nobis et Sede praedictâ, praeterquam in mortis articulo constitutus, quisquam absolvi posset, mandavimus, ne eorum quisquam, per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, seu aliâs quomodolibet contra praedictarum litterarum tenorem, aut alias, quomodocumque et qualitercumque quidquam facere, vel alio quocumque modo in auctoritatis, ac Sedis Apostolicae, et dictae ecclesiae Cenetensis, illarumque iurium praeiudicium attentare, aut innovare praesumeret; immo, si quid in contrarium tunc forsan attentatum esset, aut imposterum attentaretur, vel innovaretur, illud etiam ex tunc, prout postquam attentatum, seu innovatum fuisset, cum omnibus inde sequutis et sequuturis, de apostolicae plenitudine potestatis, irritavimus Ac sua.

et annullavimus, ac nullius roboris et momenti esse et fore, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decrevimus et declaravimus, et aliàs prout in dicti Clementis praedecessoris sub die XXIII decembris MDC [1] et nostris sub die XXI maii MDCXI desuper in huiusmodi formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Causae ea renovandi.

§ 3. Cum autem, sicut non sine gravi animi nostri molestiâ etiam accepimus, nonnulli contra praedictarum Clementis praedecessoris et nostrarum litterarum prohibitiones, mandata, decreta, et declarationes, et aliàs in grave praeiudicium iurium et auctoritatis ecclesiasticae ac sedis et ecclesiae praedictarum alia attentaverint et innovaverint, nos, qui super universas ecclesias a Domino, nullis nostris meritis, constituti sumus, sollicite laborantes, ne pastoralis officii praetermissi ratio, in districto Dei iudicio, a nobis exigatur, pro incumbentis nobis officii huiusmodi debito (sub eiusdem omnipotentis Dei et Domini nostri nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostrae indignationis necnon excommunicationis ipso facto incurrendis poenis, a quibus nonnisi a nobis et Sede praedictâ, praeterquam in mortis articulo constitutus, quisquam absolvi possit, omnibus et singulis personis in litteris Clementis praedecessoris et nostris praedictis quomodolibet comprehensis, tenore praesentium, iterum districte praecipiendo mandantes, ne eorum quisquam per se, vel alium, seu alios sub quocumque praetextu, aut colore, directe vel indirecte, aut aliàs quomodocumque contra Clementis praedecessoris et nostrarum litterarum huiusmodi apostolicas prohibitiones, mandata, decreta et declarationes, aut earumdem litterarum tenorem, seu aliàs auctoritatem ecclesiasticam, ac Sedis Apostolicae et ecclesiae Cenetensis iura quomodolibet in auctoritatis praedictae et earumdem sedis et ecclesiae Cenetensis iurium praeiudicium quidquam attentare, aut innovare, seu quomodocumque, et qualitercumque facere praesumat), quidquid hactenus, tam post Clementis praedecessoris, quam nostras litteras praedictas, contra eiusdem Clementis et litterarum nostrarum huiusmodi apostolicas prohibitiones, mandata, decreta et declarationes, aut earumdem litterarum tenores, seu aliàs contra auctoritatem ecclesiasticam, et Sedis Apostolicae, et ecclesiae Cenetensis huiusmodi iura attentatum, innovatum, aut quomodolibet factum est, aut imposterum attentabitur, aut innovabitur, aut fiet, directe vel indirecte, illud ac omnia et singula inde sequuta et sequutura, de apostolicae potestatis plenitudine, irrita et inania, ac nullius roboris et momenti esse et fore;

Renoval.

Clausulae.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, pariter decernimus et declaramus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Praesentium facienda publicatio.

§ 5. Volumus autem, et apostolicâ auctoritate decernimus, ut praesentes litterae, seu illarum exempla in Urbe ad valvas basilicae Principis apostolorum, vel in civitate Ferrariae, seu ad valvas dictae ecclesiae Cenetensis affixa, ita omnes ar-

1 Clem. VIII litteras habes in tom. XX, pag. 633; alias Pauli V in tom. XI, pag. 670 (R. T.).

ctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI ianuarii MDCXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 11 ianuarii 1614, pontif. anno IX.

CCXLII.

Regimen et administratio scholarum piarum in almâ Urbe, ad pauperes gratis erudiendos institutarum et ubicumque instituendarum, congregationi clericorum secularium beatae Mariae perpetuo demandatur: ipsaque Congregatio B. Matris Dei de cetero nuncupari decernitur[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter pastoralis officii curas, quae Romani Pontificis animum assidue sollicitum habere debent, illa non mediocris esse dignoscitur, ut christifideles piis moribus et doctrinâ mature imbuantur.

Opus scholarum piarum ad pauperes gratis erudiendos pridem in Urbe institutum

§ 1. Quapropter, ut pium ac maxime laudabile opus pauperes erudiendi et instituendi, in almâ Urbe nostrâ pridem divinâ gratiâ institutum, in dies magis ad Dei gloriam promoveatur, pro nostri muneris debito libenter procuramus, et cum operarii religioso zelo labores suos in agro Domini tam fructuose impendere cupientes se offerunt, apostolicae auctoritatis favore prosequimur ac praesidio communimus, et aliàs disponimus, prout conspicimus salubriter in Domino expedire.

Perpetuo duraturum sperat Pontifex, si alicui Congregationi ecclesiasticarum personarum committatur.

§ 2. Sane cum, sicut accepimus, opus piarum scholarum a nobis in Urbe nostrâ ad pauperes erudiendos et instituendos erectarum uberes fructus ferat, operae pretium esse duximus providere, ut pium ac salubre institutum huiusmodi perpetuo duret: quod facile Deo adiuvante successurum speramus, si dictarum scholarum cura alicui personarum ecclesiasticarum Congregationi, in qua personae idoneae verisimiliter defuturae non sunt, committatur.

Cumque praefecti dictarum scholarum convenerint cum praeposito et clericis Congregationis Beatae Mariae, quod ipsis praefectis deficientibus in dicto opere subintret ipsa Congregatio,

§ 3. Cum vero (sicut dilectorum filiorum praepositi generalis et clericorum secularium Congregationis beatae Mariae, necnon praefecti dictarum scholarum nomine nobis nuper expositum fuit) praepositus generalis et clerici praefati, christianâ charitate ducti, sese onus huiusmodi suscepturos obtulerint, et habito desuper tractatu de consensu venerabilis fratris nostri Benedicti episcopi Praenestini cardinalis Iustiniani nuncupati, earumdem scholarum protectoris, cum eodem praefecto ad infrascriptas conditiones devenerint, videlicet: quod scholarum praefatarum cura, regimen et administratio, praeposito et clericis dictae Congregationis pro tempore existentibus perpetuo incumbat; ipse tamen praefectus vitâ suâ durante in huiusmodi officio praefecti dictarum scholarum, et alii, qui in domo earumdem scholarum ad praesens reperiuntur, etiam vitâ eorum durante, si voluerint, inibi permanere ac regulas, quas nunc habent, observare possint et debeant; illis autem vitâ functis, seu inibi manere recusantibus, in eorum locum non alii, quam qui iuxta regulas dictae Congregationis a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro confirmatas vivere voluerint admitti debeant;

Qualesque scholares pauperes in his scholis gratis erudiantur.

§ 4. Insuper ut tam in dictis scholis piis in Urbe praefatâ erectis, quam in aliis in eâdem Urbe pro tempore erigendis, pauperes duntaxat cum fide parochi de eorum paupertate, nec non filii nobilium, quorum familiae ad inopiam redactae fuerint, cum fide eorum confessariorum, vel

1 Congregationem istam pridem ab episcopo Lucensi Lunae institutam, approbavit Clem. VIII Const. CCCLXX *Ex quo divina* in h. n. edit. est CXVII in tom. X, pag. 227 seq.).

alterius personae fide dignae, admittantur, in iisque gratis, et absque ullo praemio, propter charitatem et Dei amorem erudiri debeant:

Ipse Pontifex dictam Congregationem clericorum Matris Dei de cetero nuncupari decernit, eique regimen et administrationem scholarum piarum ubique erectarum et erigendarum demandat.

§ 5. Quare nos, dictae Congregationis clericos utiles fore operis huiusmodi ministros firmiter in Domino sperantes, ac praepositi et clericorum praefatorum promptam ad praemissa voluntatem plurimum in Domino commendantes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat cunsequendos harum serie absolventes et absolutos fore censentes, nec non dictam Congregationem, illiusque praepositum et clericos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, praeposito, clericis, et Congregationi praedictae (quae de caetero perpetuis futuris temporibus MATRIS DEI nuncupari, ac in illâ eius praepositus et clerici, nunc et pro tempore existentes, sub regulis et constitutionibus eiusdem Congregationis a dicto Clemente praedecessore confirmatis, quibus nec non eiusdem Congregationis privilegiis praeiudicare non intendimus exceptis iis quae praesentibus contrariae sunt, militare debeant) curam, regimen et administrationem dictarum in Urbe erectarum, et aliarum piarum scholarum pro tempore erigendarum, cum supradictis conventionibus, dictis praeposito, clericis, et Congregationi[1], auctoritate et tenore praefatis, perpetuo committimus, et demandamus: ita quod liceat praeposito et clericis praefatis praefatarum scholarum huiusmodi, et aliarum, simul atque erectae fuerint, illarumque bonorum et reddituum quorumcumque, corporalem, realem et actualem possessionem capere et apprehendere, ac de illis in scholarum earumdem beneficium disponere.

Has litteras perpetuo valituras decernit.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia fore et esse, dictisque praeposito et clericis in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Decretum irritans apponit.

§ 7. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariaque omnia removet.

§ 8. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae Congregationis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ, roboratis) statutis ac consuetudinibus (illis praesertim, quibus cavetur expresse, quod clerici dictae Congregationis novas domos, cum obligationibus docendi adolescentes rudimenta grammatices aut litteras humaniores, et cum aliis quibusvis obligationibus, quibus clerici huiusmodi extra ecclesiam inservire teneantur, recipere non possint), privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die

1 Verba haec *dictis praeposito clericis et congregationi* inutiliter repetita esse perspicies (R. T.).

XIV ianuarii MDCXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 14 ianuarii 1614, pontif. an. IX.

CCXLIII.

Quae sint facultates cappellani maioris, et cappellanorum cappellae regis catholici Hispaniarum[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico

Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Piis catholicorum regum votis, per quae divinus cultus augeri et ministrorum ecclesiasticorum praesertim cappellarum regiarum servitio adscriptorum status ad Dei gloriam tranquille ac recte dirigi et gubernari valeat, libenter annuimus, ac privilegiis et indultis communimus, et aliàs disponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Archiepiscopus Compostellanus, perpetuus cappellae regiae cappellanus,

§ 1. Itaque, vestigiis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum inhaerentes, ac supplicationibus maiestatis tuae nomine nobis humiliter porrectis inclinati, eidem maiestati tuae, ut archiepiscopus Compostellanus pro tempore existens (cui, sicut ex institutione eiusdem maiestatis tuae nomine nobis nuper factà[2] accepimus, cura regiae familiae tuae, consanguineorum, affinium tuorum, ac omnium personarum in curià tuà pro negociis confluentium et commorantium, ipsamque curiam sequentium, tamquam cappellae tuae cappellano maiori ex indulto apostolico, aut antiquà et immemorabili consuetudine, incumbit), in quibusvis civitatibus, oppidis et locis in quibus dictam maiestatem tuam, tuamque regiam curiam pro tempore residere contigerit, continue vel ad tempus curam animarum familiae tuae, omniumque et singularum personarum, tam ex tuis regnis et dominiis originem trahentium, quam extraneorum curialium ac dictam curiam sequentium, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis ac praeeminentiae existentium, tam ecclesiasticorum quam secularium, archiepiscopis et episcopis exceptis, exercere[1], earumque rector nuncupari, easque corrigere et visitare, ac in easdem omnimodam iurisdictionem ordinariam, omniaque et singula alia quae archiepiscopi et episcopi ac alii locorum Ordinarii in dioecesibus suis de iure vel consuetudine aut aliàs quomodolibet facere et exercere consueverunt, ac per se, vel alios ministros, suam iurisdictionem ordinariam exercere;

Animarum curam, quoad eos qui regiam curiam sequuntur,

Ordinariamque iurisdictionem exercet.

Ministros officialesque ad id necessarios deputat.

§ 2. Nec non ministros et officiales necessarios ad exercendam apostolicà auctoritate huiusmodi omnimodam iurisdictionem tam curiae palatii, quam uti iudex cappellae huiusmodi et aliorum praedictorum, qui ab eo et eius mandato nominati exerceant eorum officia, et iurisdictionem suam, tam in causis familiarium cappellanorum servientium oratorii cappellae cantorum et ministrorum, etiam laicorum, eiusdem cappellae, quam aliarum personarum quarumcumque nationum tibi servientium, ac personarum regularium, et regiae prolis, in illos tantum qui vere sunt curiales, nec non cappellanorum in ruralibus domibus seu palatiis tuis existentium, nominare; nec non, per se aut ministros suos, confessores regulares, de licentià suorum superiorum, aut seculares pro curà animarum dicti palatii et curiae etiam

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Nisi malis legere *patefactà* (R. T.).

1 Semper omnibus infinitivis sequentibus subintellige *valeat, auctoritatem concedimus*, quae verba leguntur in fine § 5, nam eo usque sensus remanet inabsolutus. Porro perperam edit. Main. heic scribit *exercen.*, nam ratio syntaxis infinitivum requirit et gerundium non admittit (R. T.).

nominare; et cappellanos et clericos servientes tibi et domui regali in dictâ cappellâ et oratorio ad celebrandum missas, et confessiones audiendas, ac verbum Dei praedicandum, examinare seu examinari facere, et eis id faciendi licentiam et facultatem dare; ac etiam praedicatores regulares aut seculares in dictâ curia, vel extra eam, ad praedicandum verbum Dei in cappellâ regia et domo, ubi tu, et curia tua erit, ita ut nullus Ordinarius loci, in quo dicta curia, seu tu, aut domus tua erit, sive eundo sive stando, sive etiam recreationis causâ, praedicationem verbi Dei impedire possit, convocare;

Confessarios approbat et concionatores deputat.

§ 3. Insuper cappellanos, cantores et scholares in dictâ cappella pro tempore existentes, propter iniectionem manuum violentam inter se ipsos, ac etiam in clericos dictae cappellae non existentes, citra tamen membrorum mutilationem aut enormem laesionem, excommunicationis sententiam incurrentes, ab eâdem sententiâ, satisfactione praeviâ et iniunctis iniungendis, absolvere, et cum ipsis super irregularitate, si quam huiusmodi sententiis ligati missas, et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando aut illis se immiscendo contraxerint, dispensare, omnemque inhabilitatis, et infamiae maculam, sive notam, per eos propterea contractam, absolvere: et infantes, et Turcas, et Saracenos, qui in praesentiâ tuâ, ex quavis causâ, pro tempore baptizabuntur, baptizare, ac tibi, et tuis filiis, reliquisque in domo tuâ pro tempore servientibus et residentibus, aliisque dictae curiae curialibus, poenitentiae et eucharistiae ac alia sacramenta, etiam in festo Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, absque alicuius licentiâ ministrare, seu ministrari facere;

Excommunicatos absolvit et dispensat super irregularitate.

Sacramenta etiam in Paschate administrat.

§ 4. Nec non idem cappellanus maior te et omnes curiales, et quoscumque alios curiam sequentes tuam, ab omnibus et singulis delictis, excessibus et criminibus, etiam casibus episcopalibus, iniunctis iniungendis, absolvere et interdicti tempore ecclesiasticae sepulturae tradere, quodque pro se et aliis cappellanis praedictis in quacumque ecclesiâ, etiam Ordinum fratrum Minorum, ad quam te pro tempore declinare contigerit (dummodo in eâ ipsi cappellani et cantores divina officia celebrent et cantent) oblationes, etiamsi de manu tuâ, tuorumque filiorum seu filiarum procedant, prout in dictâ regiâ cappellâ, recipere; nec non quaecumque matrimonia, quae in praesentiâ tuâ contrahentur, solemnizare; ac praedictus cappellanus maior in episcopali dignitate constitutus tantum omnibus et singulis interessentibus missarum solemniis et verbi Dei praedicationi in tuâ praesentiâ, vere poenitentibus et confessis, ducentos dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino, in formâ Ecclesiae consuetâ, relaxare; utque omnium et singulorum christifidelium in curiâ tuâ, ubicumque residebis continue vel ad tempus, pro tempore commorantium, per se, vel alium, seu alios per eum ad id deputandos, a suo, si curiales non fuerint, Ordinario approbatos, confessiones audire, eosque a peccatis absolvere, iniunctis iisdem, pro commissis, poenitentiâ salutari et aliis iniungendis; nec non tam ipse, quam ab eo deputatus presbyter secularis, vel cuiusvis Ordinis de suorum superiorum licentiâ regularis, pariter a suo, si non fuerit curialis, Ordinario approbatus, omnium et singulorum in hospitali curiae tuae existentium confessiones similiter audire, eisque sacramenta ecclesiastica ministrare, et in mortis articulo omnium peccatorum suorum absolutionem, iniunctis pariter iniungendis, impendere, ac parochialem ecclesiam viciniorem palatio, ubi te pro tempore morari contigerit, et, si fuerint duae parochiales ecclesiae aeque vicinae dicto palatio, al-

A casibus Ordinario reservatis absolvit.

Nonnullasque concedit indulgentias.

teram, quam maluerit, eligere, in eâque tam cappellanus maior, quam persona ab eo ad animarum curam deputanda, libere ingredi, et exinde sacramenta praedicta accipere, et sibi subditis ministrare, et ad infirmos curiae tuae deferre, et monitiones matrimoniales suorum subditorum iuxta decreta dicti Concilii publicari facere, eosque matrimonio, sine tamen praeiudicio iurium parochialium, coniungere;

Eucharistiam, et oleum infirmorum in regiâ cappellâ potest reponere.

§ 5. Praeterea, si eidem cappellano maiori videbitur, consideratâ decentiâ et necessitate, sanctissimum Eucharistiae sacramentum et extremae unctionis in cappellâ regiâ, ut ad infirmos et infirmas in dicto palatio existentes commodius deferatur et multis incommodis, quae aliàs nasci possent, obvietur, reponere libere et licite, et absque ullo conscientiae scrupulo, aut censurarum ecclesiasticarum incursu, valeat, licentiam et facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Ipse, cappellani, cantores, etc. non subsunt iurisdictioni Ordinariorum.

§ 6. Ad haec, ut quicumque locorum Dioecesani et alii ordinarii iudices in maiorem et cappellanos, cantores et scholares praedictos, actu inservientes et consueta stipendia percipientes (quos ab illis prorsus et omnino eximimus, ac totaliter liberamus et quoad maiorem Sedi Apostolicae immediate, quoad alios vero cappellanos, cantores et scholares huiusmodi, dicto cappellano maiori subesse decernimus) nullam penitus superioritatem, dominium et iurisdictionem exercere, nec se de illis quomodolibet intromittere valeant, sed praedicti cappellani, cantores et scholares coram ipso cappellano maiori, seu legatis aut delegatis dictae Sedis dumtaxat, teneantur de iustitiâ respondere[1];

Et a quocumque episcopo sacris ordinibus possunt initiari.

§ 7. Insuper, ut cappellani, cantores et scholares servientes praedicti a quocumque maluerint catholico antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, ordines sacros statutis ad id a iure temporibus successive accipere, dictique cappellani, etiam religiosi, missas, horas canonicas et divina officia, etiam te absente, iuxta tamen ritum Romanae Curiae etiam in dictâ cappellâ, et in dictâ cappellâ tantum, tam alii cappellani, quam cantores et scholares dicere, recitare et canere, easdemque horas canonicas, ex causâ tamen, et infra diei terminum, ac privatim, non autem in ipsâ cappellâ, anticipare et postponere, ac in festo sanctissimi Corporis Christi, et per eius octavam, sanctissimum Eucharistiae sacramentum in eâdem cappellâ cum debitis reverentiâ et honore tenere, et in quintâ et sextâ maioris hebdomadae feriis idem sanctissimum Sacramentum in dictâ cappellâ in sacrario sive urnâ reponere, et ad morem patriae monumentum seu tumulum nuncupatum cum luminaribus facere et tenere, nec non coram te missas, etiam antequam elucescat dies, circa tamen diurnam lucem, ac per unam horam post meridiem celebrare;

Aliaque hic expressa facere.

Cappellani possunt beneficia ecclesiastica obtinere et fructus percipere tamquam praesentes.

§ 8. Quodque persona loco archiepiscopi Compostellani cappellani maioris, ut infra, deputanda, nec non triginta ex cappellanis praedictis, non tamen praebendas theologales et poenitentiales obtinentes, fructus, redditus et proventus quorumcumque beneficiorum tuorum ecclesiasticorum, etiamsi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes, vel officia fuerint, cum eâ integritate, distributionibus quotidianis exceptis, percipere possint, cum qua illos perciperent, si in eisdem ecclesiis personaliter residerent, nec ad residendum interim in eisdem teneantur, auctoritate et tenore similibus etiam concedimus.

Curiales possunt in Paschate a quo maluerint

§ 9. Insuper, ut christifideles curiales tui, de licentiâ ipsius cappellani maioris

1 Subintellige *auctoritate et tenore similibus concedimus*, quod legitur ad finem § 8; nam eo usque syntaxis manet suspensa (R. T.).

presbytero sacramenta recipere.

dumtaxat, quemcumque idoneum presbyterum, secularem vel cuiusvis Ordinis regularem, approbatum ab Ordinario si curialis non fuerit, in suum possint eligere confessorem, qui, eorum confessionibus diligenter auditis, eos a peccatis absolvere, et pro commissis poenitentiam salutarem et alia iniungenda iniungere, et sacramenta praedicta, etiam in die festo Resurrectionis Dominicae, ministrare possit, utque capellani, cantores et aliae ecclesiasticae personae deputandae ad informationes faciendas super puritate sanguinis admittendorum in cappellam huiusmodi testes per censuras ecclesiasticas compellere possint iuxta sacrorum canonum dispositionem, auctoritate et tenore praedictis pariter indulgemus.

Absente archiepiscopo Compostellano rex potest eius loco alium deputare, qui iisdem gaudet privilegiis, auctoritate et facultatibus.

§ 10. Atque haec omnia et singula moderno et pro tempore existenti archiepiscopo Compostellano, tamquam dictae capellae cappellano maiori, quamdiu et quoties in dictâ curiâ personaliter resederit, et, eo ab eâdem curiâ absente seu in illâ non residente, personae in presbyteratus ordine constitutae, per te, toties quoties tibi visum fuerit, nominandae, et per suum Ordinarium approbandae, quam nos ex nunc, prout ex tunc postquam per te nominata et a suo Ordinario approbata fuerit, deputamus et approbamus (quae, durante absentiâ dicti archiepiscopi a curiâ praedictâ, in quibusvis civitatibus, oppidis et locis, in quibus te, tuamque curiam regiam pro tempore residere contigerit, omnia[1] et singula alia, quae archiepiscopi et episcopi ac alii locorum Ordinarii in dioecesibus suis de iure vel consuetudine aut aliàs quomodolibet facere et exercere consueverunt, citra tamen exercitium pontificalium, et ordinum ac beneficiorum collationem, exercere libere et licite, quaeque[2] omnibus et singulis gratiis, favoribus, praeeminentiis et indultis, quibus dictus archiepiscopus, dum in tuâ curiâ residet, ratione dicti officii cappellani maioris gaudet, fruitur et utitur, ac gaudere, uti et frui quomodolibet potest, gaudere, uti, frui possit et valeat pariformiter et aeque principaliter), ac tibi personam huiusmodi nominandi et eligendi plenam et omnimodam facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

§ 11. Praesentes quoque litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari vel invalidari nullatenus posse, sed illas validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere; sicque et non aliter per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, etiam palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Exequutores eiusdem.

§ 12. Quocirca venerabilibus fratribus Segobiensi et Abulensi episcopis, ac dilecto filio nostro, et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, quoties pro parte maiestatis tuae, seu alicuius ex cappellanis, vel cantoribus et scholaribus praedictis fuerint requisiti, solemniter[1] publicantes, tibique et illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostrâ, maiestatem tuam, ac cappellanos vel cantores et scholares praedictos, praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes maiestatem

1 Absque ratione edit. Main. *omniaque* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *quodque;* at *quaeque* putamus esse legendum, nam alioquin syntaxis propositionis incidentis inabsoluta manet (R. T.).

1 Subintellige *easdem has litteras* (R. T.).

tuam aut illos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 13. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis causis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, et de duabus dietis in concilio generali editâ[1] (dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur), ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis statutis et consuetudinibus (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, per quoscumque Romanos Pontifices etiam praedecessores nostros, ac nos et dictam Sedem, etiam per viam generalis legis, ac statuti perpetui, ac motu proprio, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam cum quibusvis irritantibus, annullativis, cassativis, revocativis, praeservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut exquisita forma servanda foret, et in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit), illorum ac omnium et singularum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac ad verbum insertis, nec non modos et formas ad id servandas pro individuo servatis habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs[1] in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 14. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique in iudicio et extra illud, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII februarii MDCXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 17 februarii 1614, pontif. an. IX.

CCXIV.

Confirmatio concordiae seu transactionis inter universitates terrarum Citernae et Monterchi, Status Ecclesiastici et magni ducis Hetruriae respective, pro reparandis alluvionibus fluminum Cerfonis et Rivianelli, initae[2].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, christifidelium quorumlibet, praesertim subditorum nostrorum, ac circumvicinorum populorum quieti intendentes, illa, quae pro litium et differentiarum inter ipsos semovendis anfractibus concorditer facta fuisse dicuntur, ne in recidivae contentionis vitium successu temporis prolabantur, sed firma perpetuo et illibata permaneant, apostolicae

[1] Aptius legimus *edita* quam *editis* (R. T.).

[1] Vocem *aliàs* de more nos addimus (R. T.).
[2] Ex Regest. in Secret. Brevium.

confirmationis robore libenter communimus.

Facti series. § 1. Cum itaque, sicut ex insinuatione venerabilis fratris Dominici episcopi Albinganensis, civitatis nostrae Perusinae gubernatoris, accepimus, ortis dudum controversiis et differentiis seu litibus inter dilectos filios universitatem et homines Citernae ex unâ, ac universitatem et homines Monterchi, terrarum seu locorum Status Ecclesiastici et Status dilecti filii nobilis viri Cosimi Medices Etruriae sibi subiectae magni ducis respective, ex alterâ partibus, super clusâ in flumine Cerfonis et territorio Status Ecclesiastici fabricata, aliisque rebus in infrascriptae concordiae instrumento latius expressis, dictus Dominicus episcopus et gubernator, in vim specialis commissionis sibi desuper datae, ac dilectus filius Raphael de Medicis a dicto Cosmo magno duce specialiter deputatus, visis, consideratis, et diligenter recognitis dictorum locorum seu terrarum statu atque confinibus, aliisque desuper necessariis et requisitis circumstantiis, omnibusque et singulis partium praetensionibus ac iuribus exacte discussis et mature hinc inde ventilatis, clusam praedictam demoliendam, ac aliam loco dicti fluminis et eodem territorio Status Ecclesiastici fabricandam, universitatemque et homines dicti loci seu terrae Monterchi in expensis pro huiusmodi clusâ fabricandâ necessariis, ratione utilitatis quam eorum agri inde recipiunt, concurrere debere decreverunt, et super aliis rebus praedictis ad infrascriptam devenerint concordiam, seu transactionem, tenoris qui sequitur, videlicet:

In nomine Domini. Amen.

Tenor concordiae. Noi, Domenico Marini, vescovo di Albenga, governatore di Perugia e della provincia dell'Umbria per la Santità di nostro Signore, e dalla istessa deputato alle infrascritte cose, come per lettere del signor cardinal Borghese, date sotto li 14 di decembre 1613, da registrarsi qui sotto, e Raffaele Medici, senatore e commissario delle milizie del serenissimo Gran Duca di Toscana, deputato da sua Altezza, come per patente da registrarsi parimente qua sotto; volendo, conforme alla mente dell'uno e l'altro prencipe, provvedere, che li vassalli così di sua Santità come di sua Altezza posti ne' confini, e particolarmente quei di Citerna e di Monterchi, confinino bene e pacificamente, e provvedere ai rumori passati e scandali, che potessero tra di loro nascere; essendoci abboccati più volte insieme, veduto il sito del paese, riconosciuti li confini, considerato lo stato in che si ritruova il piano di Monterchi, ed il danno che viene dalle acque di diversi fiumi; considerata parimente e veduta la chiusa del signor Giulio Bufalini da Città di Castello posta nel confine, che traversa tutto il fiume Cerfone, e considerato parimente e veduto il taglio o rottura fatta sopra i beni del signor Fabrizio Monanni da Monterchi, Stato di sua Altezza; e veduta parimente e considerata la rottura ed inondamento fatto e che minaccia di fare il detto fiume Cerfone ne' beni di Antimo in quella parte che è posta nello Stato Ecclesiastico di contro al detto taglio; e finalmente, vedute e considerate tutte quelle cose che si dovevano vedere e considerare, sentite le parti, tanto li deputati dall'una e l'altra comunità di Citerna e Monterchi, quanto l'agente ed avvocato del signor Giulio Bufalini più volte, e mandati sul luogo più volte, a livellare e far altro toccante al loro mestiero, maestro Lorenzo Petrozzi architetto Perugino e maestro Gherardo Mechini architetto di sua Altezza, i quali riferirono quello che si vedrà dalla loro relazione da registrarsi qui sotto di parola in parola: dichiariamo, ordiniamo,

sentenziamo e comandiamo quanto in appresso, cioè:

Che la rottura o taglio, come sopra, fatto ne' beni di esso signor Fabrizio per dare nuovo letto al detto fiume Rivianello, o per qualsivogtia altro suo pensiere ed interesse, si riduca ed assetti dal detto signor Fabrizio in quel modo che sarà ordinato dalli prefati architetti a sue spese, e queste dentro di un mese da incominciarsi dal giorno della stipulazione di questa nostra sentenza, sotto pena di cento scudi da applicarsi la metà alla camera di sua Altezza, e l'altra metà all'istesso effetto di ridurre e rassettare la detta rottura o taglio, come sopra: e, perchè il Cerfone non rompa, come ha minacciato alcune volte di fare, ne' beni della chiesa di sant'Antimo posti nello Stato Ecclesiastico, ordiniamo che il padrone o affittuario di essi beni debba rimediarvi con argini o chiusa in quel modo che gli parerà più espediente, e quando il rimedio da lui applicato non paresse sufficiente alla comunità di Citerna, sia lecito ad essa di accomodarlo a spese proprie, o delli aggiacenti ecclesiastici, in modo tale, che stia bene ed assicuri il pericolo della rottura, valendosi del terreno di essa chiusa con quel minor danno del rettore o affittuario di essa, che sarà possibile:

Che la chiusa ossia steccata fatta, come sopra, nel fiume Cerfone dal signor Giulio Bufalini si distrugga, e se ne faccia un'altra più abbasso nel modo e forma che vien riferito e concordato dalli detti architetti nella detta relazione da registrarsi qui sotto, che da noi in tutto e per tutto si approva, e se ne comanda l'osservanza ed esecuzione; e per la spesa che andrà nel fare la nuova chiusa e distruggere la vecchia debbano concorrerci per la metà li Monterchiesi, per il benefizio che ne sentiranno i loro piani al presente offesi dalle acque, e, non volendo tener conto della spesa, che si farà nel mutare e riformare la detta chiusa, abbiano da pagare fra tre mesi al detto signor Giulio scudi cento per questa volta solamente, il quale abbia da farla, per il restante, tutta a sue spese, e mantenerla, se vorrà che il suo molino macini, con tenere la forma o sia gora profonda e netta, della dovuta larghezza, e la colta rimondata e netta dal fango, ed anco aperta la forma sotto avanti la trecena della larghezza delle bocchette, conforme si dirà nella sottoscritta relazione de' periti; e mancando detti Monterchiesi di pagare nel suddetto tempo li detti scudi cento, ovvero metà di spesa, come si è detto di sopra, sia lecito al detto signor Giulio di fare astringere dal vicario di Anghiari, o di Monterchi, passato detto tempo, il loro camerlengo, precedente una notificazione di otto giorni con ogni opportuno rimedio; ed in evento che il signor Giulio non volesse ricevere li detti cento scudi, caso che li Monterchiesi eleggano di pagare li cento scudi e non la metà della spesa, sia lecito alli medesimi depositarli, con una precedente dichiarazione o intimazione nella tesoreria o di Città di Castello o di Perugia, dove più gli parerà comodo; qual deposito fatto, s'intendano liberati, ed obbligato il detto signor Giulio a quanto si è detto di sopra e si dirà di sotto, tutto a sue spese; e non adempiendo per il tempo infrascritto quanto deve adempiere, se gli debba, con notificarlo prima al commissario di Citerna, distruggere affatto la detta chiusa vecchia e rifare la nuova, nel modo detto di sopra, dalla comunità di Citerna, la quale resti padrona del molino, e ne tiri li frutti, sin tanto che si sarà rinfrancata di quel tanto che averà speso, con valersi delli cento scudi, che si depositeranno dalli Monterchiesi, o della metà della spesa da farsi come di sopra; dichiarando, come dichiariamo, che detto signor Giulio

sia tenuto ed obbligato, in evento che riceva li detti cento scudi, di aver finita la detta nuova steccata in tutto e per tutto alli 15 di agosto del presente anno 1614 al più lungo e levata la vecchia; il che non facendo, si debba astringerlo a farlo dal governatore di Città di Castello, e li Monterchiesi in tal caso ne diano conto alli loro superiori, o a sua Altezza, acciocchè possa la Santità di nostro Signore darci opportuno rimedio, quando si mancasse di farlo da' suoi ministri, e che in nessun modo della steccata vecchia resti vestigio alcuno, che possa dare veruno impedimento nel letto di detto fiume Cerfone.

E perchè nella relazione de' periti si dà autorità e facoltà al detto signor Giulio, o suoi ministri, di potere li quattro mesi dell'anno, cioè, da mezzo maggio fino a mezzo settembre, nel qual tempo ordinariamente sogliono mancar le acque, imporre sopra la chiusa da fabbricarsi dell'altezza e qualità, che si specifica in detta relazione, fascine amovibili, o altre cose simili fermate da sassi parimente amovibili, per poter raccorre tant'acqua, quanta gli basti per macinare, si dichiara, che se ve la terrà in altro tempo, o in modo tale, che venendo piena, non sieno subito levate, sia tenuto a rifare tutti li danni, che per questo effetto, e per causa di detto impedimento, ricevessero li Monterchiesi, da dichiararsi da due periti, da eleggersi uno per parte; che ciò non ostante, dopo una notificazione da farsi dalla corte di Citerna, ad istanza di detti Monterchiesi, a lui, o al mugnaio, o affittuario, o alla casa di detto molino, di giorni tre, caschi in pena detto signor Giulio di scudi venticinque, da applicarsi per un terzo al notificatore, palese o segreto, per un altro terzo alla reverenda camera apostolica, e per il restante al giudice o commissario che ne farà esecuzione, per ogni volta che trasgredirà.

Dichiarando, che tutte le suddette cose convenute e scritte di sopra, come anco le relazioni ed altro da scriversi qui sotto, saranno stipulate con riserva della approvazione così di Sua Santità, come di Sua Altezza serenissima.

Tenor litterarum illustrissimi domini cardinalis Burghesii, de quibus supra fit mentio, est, videlicet, ab extra:

All'illustre e molto reverendo signore come fratello il governatore di Perugia.

Loco † sigilli.

Intus vero: Illustre e molto reverendo signore come fratello.

Dalle ultime dei 12, spedite di qua a V. S. per staffetta, avrà inteso come ella aveva accordato con il senso di N. S. in scrivere al governatore di Città di Castello, che se si potevano sostenere le ragioni della Sede Apostolica con riputazione, e senza venire a rottura, era bene di farlo, massime finchè fosse arrivata la risposta del Gran Duca, e suoi ministri; ora con la presente mi occorre dirle di più, che quell'Altezza ha di già fatto intendere qua per il suo ambasciatore, che non ha saputo cosa alcuna de' motivi de' Monterchiesi, e che ha ordinato, che di là si astengano dall'innovare, e che desidera sommamente, che si termini ogni differenza con quiete ed amorevolezza, deputandosi per tale accommodamento uno per parte; ed in oltre, quando l'innovato fin qui, *etiam* in quello del suo Stato, portasse pregiudizio alcuno al territorio ecclesiastico, vuole che restituisca in pristino, di che il detto ambasciatore ne ha fatto istanza particolare, e supplicatone la Santità Sua, la quale si è compiaciuta condescendere a tale istanza; e però tenendo molta fede nella diligenza di V. S. accompagnata da affezione, che porta al servizio della Sede Apostolica, ha deputato per la parte sua la persona di Lei, ed ha ordinato, che se le scriva;

Litterae de mente Papae.

che, se ella avrà sicura informazione che il fatto patisca dilazione, talmente che non possa dall'innovato succedere per adesso pregiudizio alcuno al territorio della Chiesa, in tal caso s'intenda con li ministri di Sua Altezza, e concerti il tempo e giorno che dovrà essere col deputato dall'altra parte, per conto del quale già si è scritto dall'ambasciatore a Fiorenza, e se ne dovrà di là far provisione subito; e poi vada di persona al luogo, e supplisca a tutto quello sarà necessario ed espediente per il servizio della Santità Sua, e della giurisdizione ecclesiastica: ma quando il negozio non comporti dilazione, e dal tardare di rimediarvi possa essere pericolo di pregiudizio allo Stato Ecclesiastico, e giurisdizione della Sede Apostolica, allora si contenti di pigliarsi incomodo di andar subito al luogo della differenza, e con la desterità e prudenza sua rimediarvi, con arginare nel nostro, vedendo di far capaci quelli ministri del Gran Duca, che stanno sul luogo, e valendosi d'ogni altro modo che potrà migliore, purchè s'assicuri, che non segua un minimo pregiudizio alla suddetta Sede Apostolica. Questo è quanto devo dirle in significazione della santa mente di Sua Beatitudine, ed aspetto a suo tempo essere da lei avvisato del seguito: con che me le offro.

Di Roma li 14 di dicembre 1613.

Di V. S. come fratello il cardinale
BORGHESE.

Tenor vero litterarum patentium serenissimi magni ducis Etruriae, de quibus supra fit mentio, est, videlicet:

Litterae patentes M. D. Etruriae

Don Cosmo Gran Duca di Toscana. Continuando noi nell'antico nostro istituto e desiderio, che infra li sudditi nostri e quelli de' Stati alieni, e particolarmente dello Stato Ecclesiastico, si vicini e confini con amorevolezza, e reciproca, intera e scambievole quiete, e si levi ogni occasione, ancorchè minima, di dispareri, controversie e malagevolezze fra loro, atti in progresso di tempo ad apportar molestie cosi per l'una come per l'altra parte, e volendo Noi mostrare in questo pontificato della Santità di Paolo Papa V, amorevolissimo nostro, ogni effetto di questa nostra volontà verso la Santità Sua, siamo prontamente concorsi nella risoluzione fatta da Sua Beatitudine, che si deputino persone, che vadano sul luogo della differenza, che verte fra la nostra comunità ed uomini di Monterchi da una, ed il signor Giulio Bufalini da Città di Castello o altre persone o luoghi dello Stato Ecclesiastico dall'altra, per causa ed occasione della steccata del molino del detto signor Giulio, ed innondazione del fiume Cerfone, e rottura fatta in detto fiume, e nel fiume di Rivianello, e danni che sono seguiti e seguono in quelle pianure e beni per cagione di detta steccata, molino e fiume: ed essendo per la parte della Santità Sua stato eletto e deputato monsignor Marini vescovo di Albenga, ed al presente governatore di Perugia e dell'Umbria, confidati noi nella diligenza, prudenza, ed integrità di voi cavalier Raffaelle Medici, gentiluomo e senator Fiorentino, commissario delle nostre milizie, vi abbiamo eletto, ed in virtù della presente e patenti lettere vi eleggiamo e deputiamo in commissario e delegato nostro per trasferirvi personalmente sul luogo della differenza (con quelle persone e periti che riputerete a proposito e convenirsi) per abboccarvi tante volte quante farà di bisogno con il detto monsignor Marini per vedere ed intendere, conoscere, riferire, stabilire, decidere e terminare ogni differenza, come meglio parerà a voi che convenga, tanto per via di amorevole composizione, accomodamento ed accordo, quanto per termine e via di buona e netta giustizia.

e per detto effetto, e qualunque delle cose soprascritte, e per ogni altra ancora dipendente, emergente e connessa, ed ancora per ricevere, onorare ed accarezzare e far servire detto prelato per tutti i luoghi delli Stati nostri, ne'quali talvolta sarà espediente che egli personalmente si trasferisca, come desideriamo, vi concediamo e diamo ampiamente tutta la facoltà ed autorità che bisogna e che fosse necessaria ed opportuna in tutte e ciascuna delle cose sopraddette congiuntamente e separatamente, e quanto sarà all'incontro stata data, o che si darà dopo la data delle presenti nostre, dalla Santità di Nostro Signore a detto monsignor Marini per detto effetto; essendo noi per aver rato e grato e fermo, siccome da ora confermiamo, tutto quello che di comune concordia nelle predette cose, ed in qualsivoglia di esse, stabilirete e fermerete per beneficio e quiete dell'una e l'altra parte, e come più parrà convenirsi. E però comandiamo al vicario di Anghiari che vi riceva e riconosca per delegato nostro e commissario, ed anco vi assista in tutto quello che a voi piacerà; e comandiamo parimenti al vicario, cancelliere, officiali, ministri e priori, ed altre persone pubbliche e private di Monterchi, o di qualunque altro luogo del nostro dominio, che ancora loro come tale vi ricevano, vi conoscano ed assistano ed obbediscano per quanto stimano la grazia e temono l'indignazione nostra. In fede di che abbiamo fatte fare le presenti, firmate di nostra mano, ed impresse con il nostro sigillo maggiore, e contrassegnate dall'infrascritto nostro primo segretario di Stato.

Data in Fiorenza a' 16 gennaio 1614 *ab Incarnatione*.

Il Gran Duca di Toscana.

Loco ✝ sigilli.

Per comandamento di Sua Altezza
CURZIO PICCHINA.

Tenor vero relationis peritorum, de qua in dictâ sententiâ fit mentio, est, videlicet:

Illustrissimi signori delegati dalla Santità di Nostro Signore Papa Paolo V, e dal serenissimo don Cosmo Medici Gran Duca di Toscana IV.

Relatio peritorum.

Noi Gherardo Michini, Fiorentino, e Lorenzo Petrozzi, Perugino, architetti, conforme all'ordinee commissione dataci dalle Signorie Vostre Illustrissime ci siamo trasferiti al molino del signor Giulio Bufalini, che sta più vicino alla terra di Monterchi, detto il Perugino, ed abbiamo con ogni accuratezza e diligenza veduto, considerato, misurato e livellato, e fatto quanto è stato necessario ed opportuno per aver buona e perfetta cognizione di quello che si desiderava dalle Signorie Vostre Illustrissime: e riferiamo quanto appresso:

Che il rimoderare l'altezza della steccata che dà l'acqua al detto molino, quale è fabbricato sul fiume Cerfone, attraversandolo da una ripa all'altra con stilloni e travi di legname di castagno e cerro e tavoloni, o[1] in altezza di piedi tre alla misura Perugina, sarebbe cosa difficilissima, atteso che bisognerebbe affondare la gora più di quello che è, ed affondandosi a sufficienza, non vi si potrebbe mantenere per rispetto delle frane e dilamate, che vi cascherebbono dentro dalle ripe, chè pur così nello stato che è ve ne cascano, non ostante la grande altezza di detta steccata. Però a noi parrebbe, che meglio fosse fabbricare una nuova steccata più verso il molino, nello Stato di Sua Santità, in sito sicuro e stabile nella forma che è la steccata vecchia, che sarà quasi della medesima lunghezza, *vel* circa, e distante dalla steccata vecchia piedi trecentosessanta, che sarà appunto

1 Huiusmodi disiunctiva *o* praeter rem esse videtur (R. T.).

passato il sito franoso e dilamoso delle ripe cattive all'incontro dello sciaquatore murato; e questa steccata, da farsi nel detto luogo e sito, sia di altezza di piedi due e mezzo, alla misura Perugina, che alla misura Fiorentina sarà di braccia uno e soldi undici, e da una sponda all'altra del fiume alla testa di detta steccata si fabbrichi da ciascheduno de' lati con muraglia stabile e ferma un pilastro, che dimostri l'altezza della detta steccata, acciò non si possa alterare, trascendere, nè passare l'inverno, e sia la superficie di questa steccata messa in piano con una catena di legname, che colleghi con tutti gli altri pali, talmente che il di sopra sia tutto in piano con la muraglia che si farà dalle bande, perchè si veda, e non abbia ritegno alcuno: e perchè le acque l'estate calano ordinariamente per tutti li fiumi, però ci pare,[1] per tener il molino di detto signor Giulio macinante tutto l'anno, di permettere al detto signore Giulio, che, dalla metà del mese di maggio sino alla metà del mese di settembre,[2] con fascine amovibili e deboli, che possano esser portate via da ogni piena, alzi la steccata, aiutando, se bisognerà, il ritegno dell'acqua; la quale, e con dette fascinate, e con ridurre la profondità e larghezza proporzionata della gora, e con tenere la gora pulita, ed il bottaccio della colta netto dal fango, l'esito dell'acqua del molino, largo quanto sono le bocchette, sarà dett'acqua tanta, quanta è di presente, e bastante e sufficiente al molino, come si è sul luogo fatto vedere alle Signorie Vostre Illustrissime, e come state sono da noi in voce fatte capaci con le dimostrazioni. Ed in quanto alla rottura o taglio del fiume Rivianello, che è ne' beni del signor Fabrizio Monanni, per rimetterlo nel suo stato vecchio, e vi vada con facilità, diciamo, che si deve dargli volta dolce, fortificata di palata (come nella pianta allegata da noi concordemente fatta si dimostra) e riempire la rottura o taglio sopraddetto, che sbocca nel fiume Cerfone (e da noi è stata sottoscritta[1]); e nel far questo taglio, con addolcirlo come di sopra, andrà tagliato delli beni di messer Andrea Monanni: ed in fede abbiamo sottoscritta la presente di nostra propria mano questo dì 24 di gennaio 1614.

Io Gherardo Michini, architetto di S. A. serenissima, per la conferma di detta relazione ho sottoscritto, mano propria, di accordo con Lorenzo Petrozzi, architetto Perugino, questo di 24 sopraddetto.

Io Lorenzo Petrozzi confermo quanto di sopra si contiene, essendo stato condotto da monsignore illustrissimo Marini ad intervenire a quanto di sopra si è detto, come architetto e perito.

Così ho giudicato, pronunciato e sentenziato io Domenico, vescovo di Albenga, commissario e giudice deputato apostolico.

Così ho giudicato, pronunciato e sentenziato io Raffaello Medici, commissario e giudice delegato dell'Altezza di Toscana.

Sequitur legalitas, etc.

§ 3. Nos, omnem super praemissis contentionis et differentiarum ac litigandi materiam inter universitates et homines praedictos auferre volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, concordiam seu transactionem praedictam, ac omnia in eâ contenta, et inde sequuta quaecumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris Confirmatio.

1 Coniunctionem *che*, quae praeter rem abundat, delemus (R. T.).

2 Iterum coniunctionem *che* abolemus (R. T.).

1 Verba haec, quae parenthesi inclusimus, ad aliam parenthesim superiorem referenda sunt (R. T.).

quam facti, et solemnitatum aliàs forsan requisitarum et necessariarum, ac quosvis alios, etiam quantumvis substantiales defectus, si qui in praemissis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 4. Decernentes concordiam seu transactionem huiusmodi ac praesentes litteras validas, firmas et efficaces perpetuo esse et fore, ac ab omnibus, quos illae concernunt, inviolabiliter observari debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon universitatum praedictarum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI februarii MDCXIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 17 februarii 1614, pontif. an. IX.

CCXLV.

Facultas nuncio Poloniae indulgendi ecclesiasticis, ut alterum regi subsidium conferre possint[1].

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili Fratri Laelio episcopo Balneoregiensi apud charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniae et Svetiae regem illustrem nostro et Apostolicae Sedis nuntio

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Aliàs per nos accepto, quod clerus regni Poloniae ad subveniendum gravibus dicti regni necessitatibus, subsidii nomine, aliquam pecuniae summam charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae et Svetiae regi illustri, nostrâ et Apostolicae Sedis accedente licentiâ et consensu, sponte conferre desiderabant, nos per alias nostras in simili formâ Brevis sub die IV maii anni proximi praeteriti expeditas litteras, tibi, ut archiepiscopi, episcopi, abbates et aliae ecclesiasticae personae eidem Sigismundo regi pro dictis necessitatibus regni subsidium, pro unâ vice et summâ quae eis videretur tantum, sponte tamen tribuere, praedicto autem Sigismundo regi, eiusque ministris, quod huiusmodi subsidium, petere et recipere, absque conscientiae scrupulo ac censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu, libere et licite possent, apostolicâ auctoritate indulgendi, ac licentiam concedendi, ipsosque archiepiscopos, episcopos, abbates, ac alias personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus ipsi dictam pecuniae summam absque Sedis Apostolicae licentiâ promisissent aut solvissent, necnon Sigismundum regem et suos ministros praedictos, si illam similiter absque licentiâ praedictâ iam recepissent, ab omnibus et singulis censuris et poenis propterea quomodolibet incursis eâdem auctoritate absolvendi facultatem et auctoritatem concessimus et impartiti sumus: tibique ut ad exactionem praedicti subsidii, per personas ecclesiasticas tantum, et non alias, procedere deberes, Concessionem aliàs factam recenset.

eâdem auctoritate commisimus et mandavimus; voluimus tamen ut pauperes clerici, qui in redditibus non habebant nisi victum necessarium, ad contribuendum minime compellerentur, et aliàs, prout in dictis litteris, quarum tenores[1] presentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[2].

Durantibus vero iisdem regni necessitatibus

§ 2. Cum autem, sicut ex litteris venerabilis fratris Alberti archiepiscopi Gnesnensis nuper cognovimus, archiepiscopi, episcopi, abbates, et aliae personae ecclesiasticae praedictae, in vim licentiae eis ante concessae, summam centum et octuaginta millium florenorum monetae illarum partium, vel circa, dicto Sigismundo regi dederint; durantibus vero adhuc necessitatibus praedictis, dicti regni vires admodum exhaustae sint, et propterea personae ecclesiasticae praedictae, quo dicti regni necessitatibus per amplius consulant, aliam pecuniae summam ad centum mille florenos dictae monetae, vel circa, ascendentem, subsidii nomine, eidem Sigismundo regi, nostrâ et Apostolicae Sedis ad id accedente licentiâ et consensu, sponte conferre desiderent:

Novam Pontifex concedit facultatem.

§ 3. Nos praedicti Sigismundi regis, et dicti Poloniae regni huiusmodi necessitatibus consulere volentes, tibi, ut archiepiscopi, episcopi, abbates, et aliae personae ecclesiasticae praedictae dicto Sigismundo regi pro necessitatibus praedictis subsidium centum millium florenorum huiusmodi, vel circa, pro unâ vice tribuere, praedicto autem Sigismundo regi, eiusque ministris praedictis, ut subsidium huiusmodi petere et recipere, absque conscientiae scrupulo ac censurarum et poenarum praedictarum iuncursu, libere et licite possint, dictâ auctoritate indulgendi, ac licentiam concedendi, ipsosque archiepiscopos, episcopos, abbates, et alias personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus ipsi ultimo dictam pecuniae summam absque dictâ licentiâ obtulerint, promiserint, aut solverint, necnon eumdem Sigismundum regem et suos ministros praedictos, si illam similiter absque eâdem licentiâ iam receperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis propterea quomodolibet incursis eâdem auctoritate absolvendi facultatem et auctoritatem tenore praesentium concedimus et impartimur; tibique, ut ad exactionem ultimo[1] dictae summae centum millium florenorum, vel circa, per personas ecclesiasticas tantum, et non alias, procedere debeas, mandamus. Volumus autem, ut pauperes clerici, qui in redditibus non habent nisi victum necessarium, ad contribuendum minime compellantur.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus[2] non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§ 5. Volumus pariter, quod praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die I martii MDCXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 1 martii 1614, pontif. an. IX.

---

1 Perperam edit. Main. legit *tenore* (R. T.).
2 Quas vide supra pag. 210 (R. T.).

CCXLVI.

Concessiones et decreta super fabricâ novae Ripettae e conspectu ecclesiae S. Hieronymi Illyricorum de Urbe pro bono publico, Urbis ornatu, necnon quiete et securitate mercatorum, aliorumque negotiantium[3].

1 Edit. Main. legit *ultimam* (R. T.).
2 Ibid. legitur *noluimus non obstare* (R. T.).
3 Ex Regest. in Secret. Brev.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Consulentes mercatorum commodo administratores hospitalis pauperum Ripettam fabricare, etc. offerunt, statuto iisdem mercatoribus pretio, etc.

§ 1. Cum, bono publico et ad Urbis ornatum necnon quietem et securitatem mercatorum, aliorumque in loco *Ripetta* vulgo nuncupato negotiantium (qui contra ecclesiam sancti Hieronymi Illyricorum de Urbe praedictâ existit, quorum mercatorum negotiatio adeo aucta est, ut saepe, prae multitudine lignorum in eâ existentium ac loci angustiâ magna pars viae publicae occupetur, quae a portâ Flaminia ad locum *Scrofa* vulgo etiam nuncupatum tendit, et per quam, praeter continuas mercium aliarumque rerum ad usum Urbis advectiones, solent etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ac christianorum principum oratores primo et solemni more in Urbem ingredi), iisdem mercibus et mercatoribus locum mutandum duxerimus; ac dilecti filii Ioannes Vanzantenus et Carolus Madernus, architecti, a nobis super inspectione loci, ad quem transferendi essent, deputati (auditis etiam eisdem mercatoribus in congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super viis deputatorum, ac visis et consideratis multis locis) nobis et eisdem cardinalibus deputatis retulerint aream, seu plateolam, e regione hospitalis sancti Iacobi Incurabilium existentem, ac domibus illorum de Monaldesches, et aliis domunculis, necnon a sinistro latere, et versus dictam Ripettam, quibusdam areis seu sitibus cohaerentem, pro novo loco, seu Ripettâ, ac lignorum exoneratione et venditione, necnon vehiculorum onerariorum commodâ statione, praeviis nonnullis demolitionibus, sufficientem et capacem fore: cumque praemissa quamprimum exequtioni demandari vellemus, ac pro eorum exequtione domunculas et situs huiusmodi emere opus esset, dilecti etiam filii administratores et officiales hospitalis pauperum mendicantium de eâdem Urbe (cui pridem felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster gabellam super eisdem lignis a se impositam concessit) se dicti hospitalis mendicantium nomine omnes et quascumque expensas pro reducendâ ad formam novae Ripettae plateolâ praedictâ, murisque muniendâ, et iuxta mandata eorumdem cardinalium super viis deputatorum ampliandâ, necnon demolitionibus praedictis faciendis, ac demum pro integrâ totius Ripettae fabricâ et perfectione necessarias subituros obtulerint; cum hoc tamen, ut dicta plateola per nos eidem hospitali mendicantium donetur, illique exigendi et exigere faciendi, pro loco praedictis mercatoribus assignando, pro quibuslibet die et nocte iulium unum vice et loco illius, quem ad praesens in dictâ Ripettâ exigunt (ubi mercatores, praeter iulium quem pro unoquoque loco persolvunt, etiam ligna pro igne et excubiis nocturnis contribuere tenentur): praeterea situs et domus seu domunculas praedictas a quibusvis personis, seu ecclesiis, hospitalibus, monasteriis, et aliis locis piis, absque eo quod aliquid augumenti iuxta formam constitutionis piae memoriae Gregorii Papae XIII etiam praedecessoris nostri super iure congrui editae persolvere teneantur, emendi licentia et facultas concedatur;

Approbat Pontifex.

§ 2. Quare nos, oblationem dictorum administratorum et officialium acceptantes, et novam Ripettam huiusmodi, iuxta relationem Ioannis et Caroli praedictorum, quam primum fieri et aptari volentes, necnon plateolae praedictae veriores situs, confines, mensuras, quantitatem, denominationes et vocabula praesentibus pro expressis habentes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, eidem hospitali mendicantium, ac pro eo administratoribus et

officialibus praedictis, plateolam[1] huiusmodi, ac situm e regione dicti hospitalis S. Iacobi ac riparum fluminis Tyberis existentem, usque ad viam publicam, cum omnibus suis annexis et pertinentiis universis, ad commodum tamen et beneficium ipsius hospitalis mendicantium, in subventionem expensarum per eos in fabricâ et perfectione novae Ripettae huiusmodi, non autem aliis usibus, faciendarum, titulo purae liberae et irrevocabilis donationis, quae dicitur fieri inter vivos, tenore praesentium, perpetuo donamus, concedimus, assignamus et applicamus; ipsumque hospitale mendicantium, ac pro eo administratores et officiales praedictos, quoad plateolam et situm huiusmodi, in ius et locum camerae nostrae apostolicae ponimus, substituimus et subrogamus; ac illis plateolae et situs huiusmodi, necnon annexorum et pertinentiarum eorumdem, corporalem, realem et actualem possessionem, vigore praesentium, eorum et dicti hospitalis mendicantium nomine apprehendendi et retinendi, illaque ad praemissorum dumtaxat effectum utendi iisdem modo et formâ quibus ipsa camera apostolica uti posset; necnon iulium unum pro unoquoque loco ac pro die et nocte in totum a mercatoribus praedictis, quibus loca in novâ Ripettâ huiusmodi, iuxta ordinationes desuper per eosdem cardinales super viis deputatos faciendas, alligabuntur, exigendi et exigere faciendi, plenam et amplam facultatem impertimur; ipsumque iulium eidem hospitali mendicantium, ac ad illius beneficium, ad effectum praedictum, motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus, perpetuo et assignamus concedimus.

Dictoque hospitali plateolam, aliaque loca donat.

Vectigal ad hoc a mercatoribus solvendum designat.

§ 3. Volentes et decernentes mercatores praedictos ad omnimodam unius iulii praedicti solutionem teneri et obligatos existere, ac iisdem modo et formâ, quibus ad dimidiae partis unius iulii huiusmodi solutionem cogi et compelli possunt, similiter cogi et compelli posse et debere; ita tamen, ut ipsi et alii negotiantes praedicti ultra iulii praedicti ac gabellae per dictum Sixtum praedecessorem, ut supra, impositae, ad alterius rei contributionem non teneantur, nec pro aliâ re quomodolibet gravati sint, quos omnes ab omnibus et singulis aliis solutionibus et contributionibus, quae per eos quocumque modo et quovis praetextu vel causâ ratione praemissorum fieri solerent, respectu cuiuscumque personae, etiam ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium et locorum piorum, occasione appulsionis et exonerationis lignorum vel aliàs illorum causâ, in plateâ et areâ Ripae veteris, absolvimus et totaliter liberamus.

Eidem hospitali domos utraque ex parte positas vendi mandat absque privilegio iuris congrui.

§ 4. Necnon administratoribus et officialibus praedictis, ut omnes et singulas domos et loca, quae ad effectum praemissum iidem cardinales super viis deputati nunc et pro tempore necessaria iudicaverint, tam ad laevam quam ad dexteram eiusdem plateae consistentia (etiamsi domus, situs et loca praedicta sub proprietate et directo dominio ecclesiarum etiam insignium et patriarchalium, seu monasteriorum, collegiorum, abbatum, hospitalium, confraternitatum, et aliorum locorum ecclesiasticorum, etiam quantumvis privilegiatorum, ac etiam talium quae expressam requirerent mentionem, consistant, seu ad ecclesias, monasteria et loca praedicta libere spectent, sive etiam fideicommissis, donationibus, alienandi prohibitionibus subiecta, seu aliàs quomodolibet affecta et obnoxia existant), cum omnibus decretis, indultis, derogationibus, privilegiis, ac clausulis in constitutione Gregorii praedecessoris huiusmodi, cuius tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, contentis et expressis, etiam absque alicuius augumenti, iuxta formam Constitu-

1 Edit. Main. legit *plateolas* (R. T.).

tionis huiusmodi faciendi, solutione, sed pro pretio tantum, a duobus peritis hinc inde eligendis et deputandis, ac, in eventum discordiae, ab eisdem cardinalibus super viis deputatis, simpliciter aestimando, emere libere et licite valeant, licentiam et facultatem similiter impertimur. Et ad hunc effectum quaecumque fideicommissa, conditiones, testamenta, vincula, obligationes et hypothecas, quibus domus, situs et loca, ut supra emenda, subiecta et obnoxia forsan sunt, penitus tollimus et abolemus, illaque in pretium praedictum transferimus et transfundimus.

Pretium vero in locis Montium investiri pro evictione.

§ 5. Quod quidem pretium volumus similiter et decernimus, ut in locorum Montium camerae nostrae apostolicae non vacabilium, seu bonorum stabilium, emptionem investiatur, quae, pro totali evictione domorum, situum et locorum, ut supra, emendorum, ad dicti hospitalis mendicantium, et postea ad eorum, in quorum favorem domus, situs et loca praedicta quomodolibet affecta, hypotecata, vel aliàs obligata essent, commodum similiter obligata et in specie hypothecata remaneant; necnon (domorum, situum et locorum praedictorum dominis seu personis pretium, ut praefertur, investire recusantibus) illud penes Montem pietatis, seu aliquem mercatorem fide et facultatibus idoneum, ad eorumdem cardinalium deputatorum arbitrium deponatur, ad effectum investiendi, ut praefertur.

In aliis cancellis maiorem solito lignorum quantitatem retineri vetat,

§ 6. Et quia iidem cardinales super viis[1] deputati cum scientiâ et participatione nostrâ decreverunt quod cancelli, tam ad hospitale Sancti Spiritus in Saxiâ de Urbe spectantes, quam alii duo in plateâ Nicosia, et alii tres prope sanctae Luciae de Tinta et sanctae Mariae de Urso respective nuncupatas ecclesias existentes, nullatenus removeantur; nos, indemnitati eorum, quibus loca in novâ Ripettâ huiusmodi assignabuntur, ac etiam ipsius hospitalis mendicantium consulere volentes, volumus similiter et ordinamus, quod deinceps in praedictis cancellis ad habendum seu vendendum ligna sub quovis praetextu, colore, ingenio, causâ, seu occasione, etiam emptionis, seu aliàs quomodolibet, plures mercatores esse et manere non possint, quam ad praesens reperiuntur, iidemque mercatores, et alii praedicti, qui pro tempore erunt, eosdem cancellos lignis *da peso* nuncupatis refertos continuo habere debeant, nec in eis maiorem quantitatem lignorum stanghae seu *fascinaccie* nuncupatorum, quam eam, quae ab eis de licentiâ curiae tenetur, tenere possint.

Lignave alibi vendi.

§ 7. Districtius inhibentes omnibus et singulis mercatoribus et negotiantibus praedictis, necnon aliis cuiuscumque status, gradus et conditionis existentibus personis, sub indignationis nostrae, ac mercimoniorum et lignorum amissionis, et aliis arbitrio nostro poenis per contravenientes incurrendis, ne alios cancellos faciant, seu ligna exonerent, reponant, aut vendant alio in loco, quam novae Ripettae, ut praefertur faciendae, exceptis dumtaxat lignis, quae vehuntur, et venduntur in locis Ripae magnae et Mormoratae vulgo pariter nuncupatis, quae in suo statu remanere debere, nec in praesenti prohibitione comprehendere, intendimus.

Facultates necessarias Congregationi viarum concedit.

§ 8. Et, ut praemissa omnia et singula quamprimum concludantur, eisdem cardinalibus super viis deputatis, ac administratoribus et officialibus, quaecumque pacta, conventiones, capitula, instrumenta, scripturas, decreta et declarationes, quae pro felici progressu et conservatione dictae novae Ripettae necessaria et opportuna, ac praesentibus minime contraria fuerint, ac tam cum dictis administratoribus et officialibus, quam mercatoribus praedictis, et aliâ quavis personâ respi-

1 Edit. Main. legit *super iis* (R. T.).

cientia[1] concludendi et stabiliendi; ipsisque administratoribus et officialibus hospitale mendicantium praedictum, eiusque bona, actiones, iura et redditus in ampliori et strictiori camerae praedictae formâ cum clausulis opportunis obligandi; eisdem cardinalibus deputatis, quoties opus fuerit, quaecumque banna et edicta publicandi et publicari (necnon provisiones et mandata, quae eis in praemissis et circa ea necessaria et opportuna videbuntur) faciendi, plenam, amplam et liberam facultatem, potestatem et auctoritatem, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, concedimus et impartimur; ac ex nunc quaecumque in praemissis et illorum occasione per praedictos cardinales deputatos acta et gesta approbamus et confirmamus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, et quosvis alios etiam quantumvis substantiales et formales defectus, si qui in praemissis quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici vel censeri possint, etiamsi de eis, ad hoc ut sanari possint, specialis et expressa et individua mentio habenda foret, supplemus.

Clausulae.

§ 9. Decernentes similiter praesentes litteras, et in eis contenta, ac per eosdem cardinales deputatos exequutioni demandanda quaecumque, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, quavis ratione, causâ, vel praetextu, etiam in corpore iuris clauso, etiam ex eo, quod mercatores et negotiantes, ac domorum, situum et locorum domini, seu patroni, aut alii quicumque in praemissis interesse habentes vel habere praetendentes, ad praemissa vocati, citati, et auditi non fuerint, nec praemissis consenserint, notari, impugnari, invalidari, seu retractari non[2] posse, sed ea omnia et singula semper et perpetuo valida, firma et efficacia fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 10. Non obstantibus defectibus praedictis, aliisque praemissis, ac quavis donatione, applicatione et concessione plateae veteris Ripettae praedictae, illiusque reddituum et emolumentorum quovis modo, etiam in favorem cuiusvis personae, seu etiam ecclesiarum et locorum piorum, etiam titulo oneroso, et sub quibuscumque verborum formis, ac cum quibusvis decretis et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, necnon quibuslibet aliis privilegiis, indultis et concessionibus et gratiis, etiam dilectis filiis populo Romano, ut supra, quomodolibet factis, necnon quibuscumque fideicommissis, institutionibus, codicillis, dispositionibus, obligationibus, et hypothecis, etiam obligatione camerali, vel aliàs quomodolibet, super eisdem domibus, sitibus et locis, factis et appositis, ac etiam regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, et quavis litis pendentiâ, ac vitio litigiosi contra constitutiones, ac litteris[1] recolendae memoriae Symmachi, Pauli II, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de rebus ecclesiae et camerae non alienandis, necnon constitutione Gregorii praedecessoris praedictâ, ac similis memoriae Pii IV, similiter praedecessoris nostri, de gratiis interesse camerae concernentibus in eâdem camerâ registrandis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac legibus, tàm canonicis quam

1 In edit. Main. legitur *respicien.* (R. T.).
2 Negativa *non* redundat (R. T.).

1 Edit. Main. habet *litteras*, nos legendum putamus *litteris* (R. T.)

imperialibus, necnon decretis etiam consistorialibus et cameralibus, reformationibus, statutis etiam Urbis, illorumque reformationibus, usibus, stylis, etiam palatii nostri apostolici, ac curiae; privilegiis quoque, naturis, consuetudinibus, et litteris apostolicis, etiam saepesaepius, tam a nobis, quam aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, etiam consistorialiter, et aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII martii MDCXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 12 martii 1614, pontif. an. IX.

CCXLVII.

Deputatio nuncii apostolici apud Sabaudiae ducem in iudicem omnium causarum in secundâ instantiâ, durante quinquennio prorogationis, in locis Montanarii, Filetri, Lombardonis et Sancti Benigni, abbatiae nuncupatae Sancti Benigni, Ordinis sancti Benedicti, provinciae Taurinensis [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Porro similem eiusdem Pauli V Constitutionem CXXX habes in tom. XI, pag. 561 (R. T.).

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex commissâ nobis desuper pastoralis officii curâ invigilare debemus, ne christifideles, et praesertim Sedi Apostolicae subiecti, qui in remotis degunt et paupertate premuntur, in prosequendis eorum litibus expensis et incommodis graventur.

Quibus de causis facta iam fuerit deputatio ad quinquennium.

§ 1. Aliàs siquidem nomine dilectorum filiorum universitatum et hominum Sancti Benigni et Montanari, ac Filetri, nec non Lombardonis, et aliorum locorum iurisdictionis monasterii abbatiae nuncupatae Sedi Apostolicae immediate subiecti, eiusdem Sancti Benigni, Ordinis sancti Benedicti, nullius dioecesis, provinciae Taurinensis, nobis exposito, quod dudum felicis recordationis Pius Papa V [1] praedecessor noster dictis universitatibus et hominibus, qui propter eorum paupertatem, magnamque dictorum locorum a Sede Apostolicâ distantiam, causas ad dictam Sedem pro tempore devolutas prosequi nequibant, tunc et pro tempore existentem Sedis praedictae in illis partibus legatum, seu nuncium, iudicem, qui quascumque causas in secundâ instantiâ a quibuscumque sententiis, summam quinquaginta scutorum auri in auro non excedentibus, per ipsius monasterii abbatem, aut ab eo deputatos, pro tempore latis cognoscere, decidere, et fine debito terminare, ac debitae executioni demandare valeret, ad ipsius praedecessoris et dictae Sedis beneplacitum constituerat et deputaverat; et subinde, pro eo quod universitatibus et hominibus praedictis propter eorum paupertatem et distantiam huiusmodi valde difficile erat pro singulis casibus dictam summam quinquaginta scutorum excedentibus ad Sedem eamdem recursum habere, felicis recordationis Clemens Papa VIII, etiam prae-

1 In alia Const. antea citata legitur Pius IV (R. T.).

decessor noster, facultatem cognoscendi quascumque causas in secundâ instantiâ usque ad summam quinquaginta scutorum, nuncio apostolico concessam, ad omnes et quascumque causas in secundâ istantiâ civiles, criminales et mixtas, ac etiam beneficiales et matrimoniales, ac alias quascumque, cuiuscumque qualitatis existentes et ad quamcumque summam ascendentes, pro tempore movendas, ad certum tunc expressum tempus extenderat, ipsumque tempus pluries, et ultimo ad quinquennium prorogaverat:

Et concessa fuerit prorogatio.

§ 2. Nos, supplicationibus dictarum universitatum et hominum nobis humiliter porrectis inclinati, dictum quinquennium ad aliud quinquennium etiam extendimus et prorogavimus, et aliàs, prout in dictorum praedecessorum et nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Quibus adhuc durantibus,

§ 3. Cum autem, sicut universitates et homines praedicti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi eâdem paupertate adhuc premantur, et propterea quinquennium, sic per nos prorogatum, ad aliud tempus nobis benevisum prorogari summopere desiderent; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Iterum prorogatur.

§ 4. Nos igitur, dictas universitates et homines amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quinquennium, sic per nos prorogatum, ad aliud quinquennium a fine dicti quinquennii per nos prorogati computandum, quo durante nunc et pro tempore existens in illis partibus nuncius causas quascumque in secundâ instantiâ civiles, criminales et mixtas, ac etiam beneficiales et matrimoniales, et alias quascumque, cuiuscumque qualitatis existentes, et ad quamcumque summam ascendentes, iuxta litterarum praedictarum tenores, audire, cognoscere decidere et fine debito terminare, ac exequutioni demandare possit et debeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et prorogamus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae in singulis litteris praedictis expressum fuit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI martii MDCXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 26 martii 1614, pontif. an. IX.

CCXLVIII.

Declaratio super reformatione scrutinii in superiorum electionibus Ordinis Eremitarum sancti Augustini[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis nostra sollicitudo nos admonet, ut ea quae Regularium sub sancto religionis iugo Deo militantium felici regimini conducunt, praesertim in superio-

[1] Alia, quae hunc Ordinem concernunt, vide in Const. CVIII, *Admonemur* in tom. XI, pag. 510, et Const. CCIX, *Sedis* ut supra, pagina 191.

rum et officialium, a quibus recta eorum Ordinum administratio maxime pendet, electionibus; observari omnino curemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Electiones prioris generalis et aliorum officialium fiant in capitulis per suffragia secreta et clausa, non aperienda nisi datis omnibus suffragiis.

§ 1. Igitur, ut prioris generalis, aliorumque officialium Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, tam in proximo generali in domo regulari sancti Augustini de Urbe, quam in aliis ubilibet perpetuis futuris temporibus celebrandis capitulis, electiones cum zelo honoris Dei et regularis disciplinae observantiae utilitate et incremento recte[1] in Domino fiant, sublatis iis quae libertatem in ferendis suffragiis tollere aut quomodolibet minuere possent, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus, eiusdem prioris generalis et quorumcumque superiorum et aliorum officialium dicti Ordinis in proximo praedicto generali et aliis quibuscumque capitulis electiones per secreta et clausa suffragia fieri debere, quae aperiri et legi non possint, nisi postquam omnes, qui suffragaturi sunt, suffragia tulerint, ita ut illi qui vota recipient, aut electioni assistent[2], intelligere aut scire non possint in cuius favore quisque suffragatus fuerit: in reliquis vero eiusdem Ordinis constitutiones ab Apostolica[3] Sede approbatas servari debere praecipimus et mandamus, decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 2. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque apud nos et Sedem Apostolicam pro tempore existentibus protectoribus, et praesidentibus in dictis capitulis, et quibusvis aliis superioribus et personis, per nos seu quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis (eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes), illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio huius constitutionis facta Congregationi vocalium sufficienter liget.

§ 3. Volumus autem et decernimus, ut praesentes nostrae in Congregatione vocalium ante electionem eiusdem proximi futuri prioris generalis ad hunc effectum convocandâ publicatae obligent et adstringant perinde ac si singulis personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI maii MDCXIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 16 maii 1614, pontif. an. IX.

CCXLIX.

Declaratio dictae Constitutionis.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Dubiorum propositio.

§ 1. Nuper a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Pastoralis*, etc. *ut supra*. Cum autem (ex eo quod

1 Inepte edit. Main. legit *rectae* (R. T.).
2 Edit Main. habet *assisterent* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *Apostolicae* (R. T.).

1 Hanc Const. edit. Main. ad calcem praec. posuit absque numero; nos eam numerandam censuimus, sed ratione materiae anteponimus seqq. (R. T.).

in constitutionibus dicti Ordinis inter cetera cavetur, quod, in electione prioris generalis huiusmodi, scriba in paucis schedulis scribat plura nomina et cognomina diversa patrum ab electoribus petita, et quod unusquisque ex electoribus petat plura nomina diversorum in diversis schedulis scribi, ex quibus illam tantum mittat in bussulâ, in qua fuerit nomen et cognomen illius patris, quem ipse voluerit in priorem generalem eligere) dubitari contigerit, an per Constitutionem nostram suprascriptam scribae ministerium huiusmodi sublatum fuerit, ita ut nomina diversorum fratrum ab electoribus petita per scribam in diversis schedulis, ut praefertur, scribi amplius non possint; et praeterea, quoniam nobis innotuit electiones priorum provincialium et conventualium aliorumque officialium in capitulis generalibus et provincialibus respective per secreta et clausa suffragia, ut praefertur, hoc est per secretas schedulas ob eorum multitudinem difficile fieri posse:

Declaratio quod praedictae electiones fiant absque scriba.

§ 2. Nos, licet Constitutio nostra praedicta satis aperta sit, ad omnem tamen ambigendi occasionem tollendam, omnesque interpretationes Concilii Tridentini decretis, nostraeque menti, et secretae electioni contrarias penitus arcendas et prohibendas, et ad amputandas quascumque difficultates, quae possent in praedictis electionibus exoriri, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus, scribae ministerium praedictum, tam in electione prioris generalis, quam aliorum quorumcumque superiorum et officialium huiusmodi, adhiberi minime posse, sed electiones praedictas absque eius ministerio, et omnimode secretas, iuxta decreta praedicti Concilii Tridentini esse debere.

Aliorum autem per fabas secretas.

§ 3. Insuper electiones priorum provincialium et conventualium, aliorumque officialium (prioris et procuratoris generalis, ac assistentium in generalibus nec non priorum similiter provincialium et diffinitorum in provincialibus capitulis, electionibus dumtaxat exceptis) per secretas fabas fieri posse decernimus pariter et declaramus.

Clausula sublatâ, etc.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, similiter decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae in litteris nostris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio facienda.

§ 6. Volumus autem, ut praesentes nostrae in capitulo conventuali domus sancti Augustini de Urbe, in quo prior generalis, ac procurator etiam generalis dicti Ordinis, nec non assistentes esse debeant, lectae et publicatae, perinde omnes afficiant, ac si in capitulo generali publicatae et legitime intimatae fuissent;

Fides transumptorum.

§ 7. Utque earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV iulii MDCXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 14 iulii 1614, pontif. an. X.

CCL.

Concessio usus perpetui ecclesiae sancti Pantaleonis de Urbe facta Congrega-

tioni clericorum secularium beatae Mariae[1].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Christifidelium quorumlibet praesertim sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium votis, quae ad promovendam excitandamque eorum et aliorum fidelium devotionem pertinere dignoscuntur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Demandavit curam piarum scholarum Congregationi Matris Dei.

§ 1. Cum itaque nos nuper curam, regimen et administrationem in Urbe erectarum Piarum Scholarum dilectis filiis praeposito et clericis Congregationis Matris Dei nuncupatae apostolicâ auctoritate perpetuo commiserimus et demandaverimus, prout in nostris inde confectis in simili formâ Brevis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[2];

Eidemque modo concedit perpetuum usum ecclesiae sancti Pantaleonis sine praeiudicio illius rectoris.

§ 2. Nos, ut praepositus et clerici ac dictarum scholarum scholares piis eorum exercitiis, suo tempore faciendis, melius et facilius vacare possint, providere volentes, supplicationibus dilecti filii Alexandri Bernardini, dictae Congregationis praepositi generalis, nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati: perpetuum usum ecclesiae parochialis sancti Pantaleonis, quae e regione dictarum Scholarum Piarum in Urbe existit, praeposito et clericis praedictis, sine tamen moderni et pro tempore existentis dictae ecclesiae rectoris ac cuiusquam praeiudicio, et dummodo ad id dilecti filii nostri Odoardi sancti Eustachii diaconi cardinalis Farnesii nuncupati expressus accedat assensus, dictâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et assignamus.

Super his molestari prohibet.

§ 3. Decernentes, praepositum et clericos praedictos desuper a quocumque, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari nullatenus posse.

Contrariisque derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII iunii MDCXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 13[1] iunii 1614, pontif. anno X.

1 Hanc desumimus ex tom. seq. edit. Main. ubi reperitur sub Const. C Greg. XV (R. T).

2 Has litteras Pauli V require supra pag. 243 huius tomi (R. T.).

CCLI.

Publicatio Ritualis Romani, in administratione sacramentorum, aliisque ecclesiasticis functionibus, inviolate servandi.

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolicae Sedi per abundantiam divinae gratiae, nullis suffragantibus meritis, praepositi, nostrae sollicitudinis esse intelligimus, super universam domum Dei ita invigilando intendere, ut opportunis in dies magis rationibus provideatur, quo, sicut admonet Apostolus, *omnia in eâ honeste et secundum ordinem fiant*[2]; praecipue vero quae pertinent ad Ecclesiae Dei sacramentorum administrationem, in qua religiose observari apostolicis traditionibus et sanctorum patrum decretis constitutos ritus et caeremonias pro nostri officii debito curare omnino tenemur.

Pius V breviarium et missale reformavit.

§ 1. Quamobrem felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster, huius nostri, tunc sui, officii memor, ad restituendam sacrorum rituum observationem in sacrosancto missae sacrificio, divinoque officio, et simul ut catholica Ecclesia in fidei unitate, ac sub uno visibili capite

1 In textu legitur 13 iunii, in nota marginali legitur 23 (R. T.).

2 I Ad Corinth. XIV, 40 (R. T.).

beati Petri successore Romano Pontifice congregata, unum psallendi et orandi ordinem, quantum cum Domino poterat, teneret, breviarium primum et deinde missale Romana, multo studio et diligentiâ elaborata, pastorali providentiâ edenda censuit[1].

Clemens VIII pontificale et caeremoniale pro episcopis et praelatis restituta edidit.

§ 2. Cuius vestigia eodem sapientiae spiritu secutus similis memoriae Clemens Papa VIII, etiam praedecessor noster, non solum episcopis et inferioribus Ecclesiae praelatis accurate restitutum pontificale dedit[2], sed etiam complures alias in cathedralibus et inferioribus ecclesiis caeremonias, promulgato caeremoniali, ordinavit[3].

Hic modo pontificale rituale romanum praevia diligenti examinatione edi et servari mandat.

§ 3. His ita constitutis, restabat, ut uno etiam volumine comprehensi sacri et sinceri Ecclesiae Catholicae ritus, qui in sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis qui curam animarum gerunt, Apostolicae Sedis auctoritate prodirent, ad cuius voluminis praescriptum, in tantâ ritualium multitudine, sua illi ministeria, tamquam ad publicam et obsignatam normam, peragerent, unoque ac fideli ductu, inoffenso pede, ambularent cum consensu. Quod sane iampridem agitatum negocium, postea quam generalium conciliorum graece latineque divinâ gratiâ editorum opus morari desivit, sollicite urgere nostri muneris esse existimavimus. Ut autem recte et ordine, ut par erat, res ageretur, nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, pietate, doctrinâ et prudentiâ praestantibus, eam demandavimus, qui cum consilio eruditorum virorum, variis praesertim antiquis et quae circumferuntur ritualibus consultis, eoque in primis, quod vir singulari pietatis zelo et doctrinâ bonae memoriae Iulius Antonius S. R. E. cardinalis S. Severinae nuncupatus longo studio multâque industriâ et labore plenissimum composuerat, rebusque omnibus mature consideratis, demum divinâ adspirante clementiâ, quantâ oportuit brevitate, rituale confecerunt, in quo cum receptos et approbatos Catholicae Ecclesiae ritus suo ordine digestos conspexerimus, illud sub nomine ***Ritualis Romani*** merito edendum publico Ecclesiae Dei bono iudicavimus.

Praelatos et alios ut in sacris functionibus eo utantur hortatur.

§ 4. Quapropter hortamur in Domino venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios eorum vicarios, nec non abbates, parochos universos, ubique locorum existentes, et alios ad quos spectat, ut in posterum tamquam Ecclesiae Romanae filii eiusdem Ecclesiae omnium matris et magistrae auctoritate constituto rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quae Catholica Ecclesia et ab eâ probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XX iunii[1] MDCXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 20 iunii 1614, pontif. an. X.

CCLII.

Monetur episcopus Cenetensis[2], ne quid ab ullo, in suae ecclesiae et Sedis Apostolicae praeiudicium, attentari patiatur, aut consensum praestet[3].

1 Const Pii V habetur in tom. VII, pag. 839 (R. T.).

2 Vide eiusdem Clem. VIII Const. CXXIII in tom. X, pag. 246 (R. T.).

3 Et hoc fecit in sua Const. CCXXIV, quam habes in tom. X, pag. 597 (R. T.).

1 Edit. Main. legit *iulii* in textu; sed in marg. habet *iunii* sicut edit. Cherub. (R. T.).

2 Vide de hac re Const. CCXLVII, Clem. VIII in tom. X, pag. 663; item eiusdem Const. CCCXIII in tom. XI, pag. 5, et Pauli V Const. CLXXII in tom. XI, pag. 670; et sup., pag. 240 h. vol. (R. T.).

3 Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili fratri Leonardo episcopo Cenetensi

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Clemens VIII sub excommunicationis poena cavit, quominus a subditis ecclesiae Cenetensis appellationes ad quamcumque laicam potestatem interponerentur.

§ 1. Aliàs, cum civitas Cenetensis etiam in temporalibus tibi et pro tempore existenti episcopo Cenetensi pleno iure subiecta esset, prout ad praesens est, et ideo appellationes a sententiis pro tempore in tribunali curiae episcopalis Cenetensis latis, etiam in causis mere profanis, tam civilibus quam criminalibus, ipso iure ad superiores suos ecclesiasticos devolverentur, et in causis huiusmodi ecclesia Cenetensis in quasi possessione existeret, prout ad praesens existit, felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, providere volens ne appellationes huiusmodi ad alios quoscumque, praeterquam ad suos superiores ecclesiasticos, a quoquam temere interponerentur, universos et singulos cives, incolas et habitatores civitatis Cenetensis, tuae et dicti episcopi Cenetensis pro tempore existentis non solum spirituali sed etiam temporali iurisdictioni subiectos, per suas in huiusmodi formâ Brevis expeditas litteras sub Dei omnipotentis, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, ac suae indignationis, necnon excommunicationis latae sententiae poenis, a quibus nonnisi a se et Sede praedictâ, praeterquam in mortis articulo, quisquam absolvi posset, monuit, eisdemque universis et singulis districte praecipiendo mandavit, ne quisquam eorum a quibusvis sententiis in tribunali dictae curiae episcopalis super quibusvis causis, etiam mere profanis, tam civilibus quam criminalibus, eo usque latis, aut deinceps ex tunc in perpetuum quandocumque ferendis, appellationes ad quoscumque iudices seculares, etiam principes et senatum, rempublicam, seu quoscumque alios, cuiuscumque illi gradus, dignitatis et conditionis forent, etiam ducali, regali, vel imperiali dignitate praefulgentes, interponere auderent seu praesumerent; sed ad suos superiores ecclesiasticos, ad quos cognitio causarum dictarum appellationum pertinet, illas interponere omnino deberent; annullans etiam de plenitudine potestatis, ac irrita declarans, quaecumque decreta, leges et ordinationes in contrarium quomodolibet facta, seu imposterum facienda; necnon appellationes ad praedictos et alios quoscumque iudices seculares interpositas, seu tunc interponendas, cum omnibus inde sequutis et sequuturis, nullius[1] roboris et momenti, ac minime attendendas[2] esse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales (sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere decernens, et alia disponens et ordinans.

Paulus quoque V quidquam contra iura illius ecclesiae attentari sub eadem poena prohibuit.

§ 2. Et subinde, per nos accepto quod nonnulli nedum contra dictarum litterarum tenorem et prohibitionem, sed alia etiam attentare tractabant, seu iam forsan attentaverant, in auctoritatis ecclesiasticae et Sedis Apostolicae ac dictae ecclesiae Cenetensis illarumque iurium praeiudicium; nos, iisdem Clementis praedecessoris vestigiis inhaerentes, omnibus et singulis personis in dictis litteris expressis, aut quomodolibet comprehensis, sub eisdem Dei omnipotentis, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostrae indignationis, necnon excommunicationis ipso facto incurrendis poenis, a quibus nonnisi a nobis, et Sede praedictâ, praeterquam in mortis articulo constitutus, quisquam absolvi posset, mandavimus, ne eorum quisquam per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, seu aliàs quo-

1 Edit. Main. legit *nulliusque* (R. T.).
2 Ibid. legitur *attendenda* (R. T.).

modolibet contra praedictarum litterarum tenorem, aut aliàs quomodocumque, et qualitercumque, quidquam facere, vel alio quocumque modo in auctoritatis ecclesiasticae, ac Sedis Apostolicae, et dictae ecclesiae Cenetensis, illarumque iurium praeiudicium attentare, aut innovare praesumeret: immo, si quid in contrarium tunc forsan attentatum esset, aut imposterum attentaretur, vel innovaretur, illud etiam ex tunc, prout postquam attentatum seu innovatum fuisset, cum omnibus inde sequutis et sequuturis, de apostolicae plenitudine potestatis, irritavimus et annullavimus, ac nullius roboris et momenti esse et fore, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decrevimus et declaravimus.

Et ea, quae fecerant attentata, irritavit.

§ 3. Ac demum, cum ad notitiam nostram pervenisset, quod nonnulli contra praedictarum Clementis praedecessoris, et nostrarum litterarum prohibitiones, mandata, decreta, et declarationes, et aliàs in grave praeiudicium iurium, et auctoritatis ecclesiasticae, ac Sedis et ecclesiae praedictarum alia attentaverant et innovaverant: nos, sub eiusdem omnipotentis Dei et Domini nostri Iesu Christi, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostrae indignationis, necnon excommunicationis ipso facto incurrendis poenis, a quibus nonnisi a nobis, et Sede praedictà, praeterquam in mortis articulo constitutus, quisquam absolvi posset, omnibus et singulis personis in litteris Clementis praedecessoris, et nostris praedictis quomodolibet comprehensis, iterum districte praecipiendo mandantes, ne eorum quisquam per se, vel alium, seu alios sub quocumque praetextu, aut colore, directe vel indirecte, aut aliàs quomodocumque contra Clementis praedecessoris, et nostrarum litterarum huiusmodi apostolicas prohibitiones, mandata, decreta et declarationes, aut earumdem litterarum tenorem, seu aliàs auctoritatem ecclesiasticam, ac Sedis Apostolicae, et ecclesiae Cenetensis iura quomodolibet in auctoritatis praedictae, et earumdem Sedis et ecclesiae Cenetensis iurium praeiudicium quidquam attentare, aut innovare, seu quomodocumque et qualitercumque facere praesumeret, quidquid eatenus tam post Clementis praedecessoris, quam nostras litteras praedictas contra eiusdem Clementis, et litterarum nostrarum huiusmodi apostolicas prohibitiones, mandata, decreta et declarationes, aut earumdem litterarum tenorem, seu aliàs contra auctoritatem ecclesiasticam, et Sedis Apostolicae et ecclesiae Cenetensis huiusmodi iura, attentatum, innovatum, aut quomodolibet factum erat, aut imposterum attentaretur, seu innovaretur, aut fieret, directe vel indirecte, illud, ac omnia et singula inde sequuta et sequutura, de apostolicae potestatis plenitudine irrita et inania, ac nullius roboris et momenti esse et fore: sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales (sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, pariter decrevimus et declaravimus, et aliàs, prout in dicti Clementis praedecessoris sub die XXIII decembris MDC[1] et nostris sub XXI mai MDCXI[2] ac XI diebus ianuarii praesentis anni desuper etiam in huiusmodi formâ Brevis expeditis litteris[3], quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

1 Vide loc. cit. in notâ ad rubricam (R. T.).
2 Vide sup. in notâ ad rubricam (R. T.).
3 Aliae hae litterae leguntur supra, pag. 240 huius tomi (R. T.).

Monet episcopum, ne huiusmodi attentatis sub iisdem poenis praestet assensum.

§ 4. Nunc autem, licet te officii tui memorem in praemissis, et circa ea futurum non diffidimus, tamen, ut muneris nostri debito per amplius satisfaciamus; tibi, sub eiusdem omnipotentis Dei et Domini nostri Iesu Christi iusti iudicis, qui retributurus est uniquique iuxta opera sua, ac beatorum Petri et Pauli, et nostrae indignationis, necnon excommunicationis ipso facto incurrendis poenis, a quibus nonnisi a nobis et Sede praedictâ, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possis, districte praecipiendo mandamus, ne attentationi seu innovationi per quoscumque, quovis quaesito colore, ingenio, vel praetextu, et ex quacumque causâ contra eiusdem Clementis et litterarum nostrarum huiusmodi apostolicas prohibitiones, mandata, decreta et declarationes, aut earumdem litterarum tenorem, seu aliàs contra auctoritatem ecclesiasticam, ac Sedis Apostolicae, et ecclesiae Cenetensis huiusmodi iura, directe vel indirecte, facta vel facienda, tacite vel expresse, ullo modo, ullâve formâ consentias, seu consensum quomodolibet praestes; nos enim ex nunc irritos decernimus et inanes quoscumque consensus et actus desuper per te quomodolibet praestitos et factos, ac irritum similiter et inane quidquid per te contra praedictarum et praesentium litterarum tenores fieri contigerit et attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XXI iunii MDCXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 21 iunii 1614, pontif. an. x.

CCLIII.

Vicariis generali et foraneo, auditoribus, aliisque officialibus episcopi Cenetensis praecipitur, ne aliquid in ecclesiae Cenetensis, Sedis Apostolicae, et ecclesiasticae auctoritatis praeiudicium innovent, minusque ab aliis innovari consentiant, seu permittant[1].

Dilectis filiis vicariis generali et foraneo, auditoribusque, et aliis quibuscumque officialibus, quovis nomine nuncupentur, venerabilis fratris nunc et pro tempore existentis episcopi ecclesiae Cenetensis

Paulus Papa V.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Civitas Cenetensis in spiritualibus et temporalibus episcopo subiecta.

§ 1. Cum civitas Cenetensis pro tempore existenti episcopo Cenetensi etiam in temporalibus pleno iure subiecta sit, et proinde tam a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro, quam a nobis, per diversas in simili formâ Brevis desuper expeditas litteras, quibuscumque personis, quavis auctoritate suffultis, etiam sub excommunicationis latae sententiae poenâ, a qua nonnisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, et expresse prohibitum fuerit, ne appellationes a sententiis, in tribunali curiae episcopalis Cenetensis in quibusvis causis etiam mere prophanis pro tempore latis, ad iudices seculares quoscumque, etiam principes, senatum, et rempublicam, aut alios, quam superiores ecclesiasticos, interponerent, minusque quidquam quovis modo in auctoritatis ecclesiasticae, et Sedis Apostolicae, ac ecclesiae Cenetensis praeiudicium quomodolibet attentare aut innovare praesumerent, irritanti decreto desuper apposito, prout in dictis litteris plenius continetur.

Praeceptum, de quo in rubrica.

§ 2. Nihilominus, iustis de causis animum nostrum moventibus, vobis omnibus et vestrum cuilibet, sub omnipotentis Dei, et Domini nostri Iesu Christi iusti iudicis, qui retributurus est unicuique secundum opera sua ac beatorum Petri et Pauli

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

apostolorum, et nostrae indignationis, necnon excommunicationis ipso facto incurrendis poenis, a quibus nonnisi a nobis et Sede Apostolicâ, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possitis, districte praecipiendo mandamus, ne vos, vel vestrum quispiam, quovis quaesito colore, ingenio, vel praetextu, aut ex quacumque causâ, contra eiusdem Clementis, et nostrarum litterarum huiusmodi apostolicas prohibitiones, mandata, decreta et declarationes, aut earumdem litterarum tenorem, vel aliàs quomodolibet contra auctoritatem ecclesiasticam, ac Sedis Apostolicae, et ecclesiae Cenetensis huiusmodi iura, directe vel indirecte, tacite vel expresse, per se vel alium, attentare, innovare, facere et committere, seu attentanti, innovanti aut committenti consentire audeatis, vel praesumatis: irritum nihilominus decernentes et inane quidquid per vos et vestrum quemlibet, ut praefertur, innovari seu fieri contra praedictarum ac praesentium litterarum tenorem attentari contigerit.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII iunii MDCXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 27 iunii 1614, pontif. an. X.

CCLIV.

Unio provinciarum de Peraiba, Itamaraca et Rio grande, provinciae de Pernambuco in Indiis occidentalibus[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In supereminenti militantis Ecclesiae speculâ, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes ad universa Orbis loca potissimum omnipotentis Dei misericordiâ per catholicos reges et principes fidei catholicae praedicationi patefacta aciem nostrae meditationis intendimus, et ut in locis huiusmodi plantetur, et plantata confirmetur Christi religio, eorumque incolae et habitatores propriorum pastorum assistentiâ et regimine suffulti proficiant semper in fide et operibus christianis, opem et operam libenter impendimus efficacem; prout eorumdem regum exposcit devotio, nosque, locorum et rerum circumstantiis mature pensatis, ad fidei orthodoxae conservationem et propagationem, animarumque salutem et profectum prospicimus in Domino salubriter expedire.

Paulus provinciam de Pernambuco ab ecclesia S. Salvatoris separans in vicariam erexerat.

§ 1. Aliàs siquidem, postquam in partibus Indiarum occidentalium cathedralis ecclesia Sancti Salvatoris apostolicâ auctoritate erecta, et illi[1], pro parte dioecesis et cleri ac populi, provincia de Pernambuco, vulgo nuncupata, concessa et assignata fuerat, pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici nobis exposito, quod pro tempore existens episcopus Sancti Salvatoris, ob dictae provinciae de Pernambuco distantiam, marisque incommodam ac difficilem et dispendiosam navigationem, piratarumque illic discurrentium periculum, curae, regimini et administrationi sui gregis in dictâ provinciâ consistentis non sine illius salutis dispendio intendere nequibat, hincque incolae et habitatores dictae provinciae nec fidei doctrinâ, nec pie vivendi praeceptis instrui, nec, si quid deliquerant, corrigi ab episcopo suo poterant; et propterea, si dicta provincia de Pernambuco a praedictâ ecclesiâ Sancti Salvatoris separaretur et dismembraretur, illaque sic separata et dismembrata in vicariam seu administratio-

1 Confer analogas Constitutiones supra relatas pag. 9 et 21 huius tom. (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *illae* (R. T.).

nem spiritualem provinciae de Pernambuco nuncupandam pro uno vicario seu administratore in spiritualibus provinciae de Pernambuco nuncupando, qui inibi omnimodam spiritualem et ecclesiasticam ac ordinariam et quasi episcopalem iurisdictionem, tam in foro interiori quam exteriori, haberet et exerceret, erigeretur et institueretur, ex hoc provincia de Pernambuco huiusmodi felicioribus proficeret incrementis, illiusque cleri et populi praedictorum saluti, et dictae fidei profectui et exaltationi, divinique cultus incremento, ac tot incommodis et animarum periculis opportune consuleretur: nos, dicti Philippi regis supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac gloriosissimae eius genitricis Mariae, totiusque curiae caelestis honorem, et ipsius fidei catholicae exaltationem, dictam provinciam de Pernambuco cum illius territorio, oppidis, villis, locis, nec non clero et populo, et personis, ac monasteriis, ecclesiis, collegiis et piis locis, ac beneficiis ecclesiasticis, secularibus ac quorumvis ordinum regularibus, ab ecclesiâ Sancti Salvatoris et dioecesi praedictis perpetuo separavimus, et dismembravimus; et ab omni iurisdictione subiectione et superioritate, correctione, visitatione et potestate pro tempore existentis episcopi sancti Salvatoris, eiusque vicariorum et officialium, ac a solutione iurium quorumcumque eidem episcopo et dilectis filiis capitulo dictae ecclesiae sancti Salvatoris per clerum, populum et personas provinciae de Pernambuco huiusmodi ratione subiectionis, iurisdictionis, superioritatis, aut visitationis, etiam dioecesis (ita quod ex tunc de cetero praedictus episcopus Sancti Salvatoris aliquam iurisdictionem spiritualem, praeterquam in his quae sunt ordinis, in oppida, terminos, territoria, villas et loca, nec non beneficia sub separatione et dismembratione huiusmodi comprehensa exercere, nec eadem beneficia, quae antea ad ipsius collationem, provisionem, institutionem, vel quamlibet aliam dispositionem pertinebant, conferre, seu de illis etiam providere, aut aliàs disponere, vel fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta per eum in provinciâ de Pernambuco, illiusque terminis, territoriis, oppidis, villis et locis praedictis, ratione visitationis aut legis dioecesis, percipere nullatenus posset), apostolicâ auctoritate perpetuo exemimus et totaliter liberavimus; ipsamque provinciam de Pernambuco sic dismembratam et separatam in vicariam seu administrationem spiritualem provinciae de Pernambuco nuncupandam pro uno presbytero, seculari vel cuiusvis Ordinis regulari vicario, seu administratore in spiritualibus provinciae de Pernambuco nuncupando, in theologiâ seu decretis graduato, vel aliàs praevio examine, seu iudicio deputatorum senatus mensae regiae conscientiae et Ordinum militarium, in quo quamplures viri tam seculares quam regulares litterarum scientiâ et virtute insignes reperiuntur, habili et idoneo ad alios docendum approbato, ac per ipsum Philippum et pro tempore existentem Portugalliae et Algarbiorum regem perpetuis futuris temporibus, etiam ad tempus sibi benevisum, deputando et constituendo, qui deputationis et constitutionis[1] huiusmodi vigore, absque aliâ Romani Pontificis vel episcopi Sancti Salvatoris pro tempore existentium, aut cuiusvis alterius confirmatione, approbatione, licentiâ, vel consensu, curam, regimen et administrationem provinciae de Pernambuco, et cleri ac populi tam christiani quam gentilis, nec non oppidorum, terrarum et locorum in illius districtu, limitibus, terminis et locis praedictis con-

1 Perperam edit. Main. legit *deputationes et constitutiones* (R. T.).

sistentium habere, et inibi praedictos ad orthodoxae fidei cultum convertere procurare, et conversos in eâdem fide instruere et confirmare, eisque baptismi gratiam, et confirmationis sacramentum impendere, et tam illis sic conversis, quam aliis omnibus fidelibus in provinciâ de Pernambuco, ac illius oppidis, terris, villis, locis, territoriis, limitibus, et tam praedictis pro tempore degentibus, quam ad ea declinantibus, sacramenta ecclesiastica, et alia[1] spiritualia munera, non tamen ea, quae sunt ordinis, ut praefertur, ministrare et administrari etiam facere et procurare, ac quaecumque beneficia ecclesiastica sub separatione et dismembratione huiusmodi comprehensa, et quae antea ad ipsius episcopi Sancti Salvatoris collationem, provisionem, institutionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinebant, conferre, et de illis disponere, ac in eis instituere, calices, campanas, vestimenta, corporalia et alia paramenta et ornamenta consecrare et benedicere, ecclesias, coemeteria et loca ecclesiastica, sanguinis et seminis effusione sive aliàs quomodolibet polluta vel profanata, aquâ per se ipsum benedictâ reconciliare, ipsasque ecclesias et loca sub provinciâ de Pernambuco praedictâ comprehensa et illorum personas visitare, ac in illorum statum, regimen, statuta, consuetudines, vitam, mores, ritus, delicta et disciplinam, tam in capite quam in membris, inquirere, necnon evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum decretis et institutis inhaerendo, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, punitione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognovisset, reformare, mutare, corrigere, punire et etiam de novo condere, nec non beneficiales, matrimonialesque et quascumque alias causas ecclesiasticas et civiles, et ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, motas et inchoatas, ac interim movendas, cum earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis audire, decidere et fine debito terminare, prout iuris fuisset, seu causas ipsas alii, vel aliis, modo et formâ praedictis cum simili vel limitatâ potestate pariter audiendas, decidendas et terminandas delegare; ac denique plenam et meram et omnimodam spiritualem et ecclesiasticam ac ordinariam iurisdictionem tam in foro interiori quam exteriori habere, ac eam et omnia alia et singula, quae pro tempore existens episcopus Sancti Salvatoris in illis partibus eatenus habere, gerere et exercere debuerat, potuerat et convenerat, similiter et pariformiter nullâ prorsus differentiâ (exceptis tamen iis, quae, ut dictum est, sunt ordinis), prout divini cultus augmento, ac ipsorum cleri et populi animarum saluti expedire cognovisset, gerere, exercere, facere et exequi cum omnibus et singulis aliis privilegiis, facultatibus, exemptionibus, libertatibus, iurisdictionibus, praeeminentiis, favoribus, gratiis et indultis, qui in de Ormuz et Mozambique et Cofala, nec non Maluco[1], aliisque provinciis et locis erectae administrationes, et illarum pro tempore deputati administratores similiter ordinariam, ut praefertur, iurisdictionem inibi habentes, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt, dictâ auctoritate similiter perpetuo ereximus et instituimus, et aliàs, prout in aliis nostris desuper in simili formâ Brevis sub die XII augusti MDCXI expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[2].

§ 2. Cum autem, sicut dicti Philippi regis nomine nobis denuo expositum fuit, postmodum ad eiusdem Philippi regis notitiam devenerit, quod provinciae capita- Iisdem concurrentibus causis etiam quoad provincias de Peraiba, Itamaraca, Riogrande et Maranbam.

1 Edit. Main. legit *aliis* (R. T.).

1 Supra legebatur *Maluca* (R. T.).

2 Quas vide pref. pag. 9 huius tom. (R. T.).

neae, vulgo nuncupatae de Peraiba, Itamaraca, et Riogrande, et Maranham, dictae ecclesiae Sancti Salvatoris etiam pro parte dioecesis et cleri ac populi assignatae, longiori itinere, quam dicta provincia de Pernambuco, ab eâdem ecclesiâ Sancti Salvatoris distent, et propterea pro tempore existens episcopus Sancti Salvatoris, ob distantiam huiusmodi, marisque incommodam ac difficilem et dispendiosam navigationem, piratarumque illic discurrentium periculum, curae, regimini et administrationi sui gregis in dictis provinciis existentis, prout eius pastorali officio incumbit, sine illius salutis dispendio intendere nequeat, hincque incolae et habitatores dictarum provinciarum nec fidei doctrinâ, nec pie vivendi praeceptis instrui, nec, si quid deliquerint, corrigi ab episcopo suo possint, et propterea si dictae provinciae de Peraiba, Itamaraca et Riogrande a praedictâ ecclesiâ Sancti Salvatoris etiam separarentur et dismembrarentur, illaeque sic separatae et dismembratae dictae provinciae de Pernambuco ab illius vicario seu administratore gubernandae unirentur et adiungerentur, ex hoc dictae provinciae de Peraiba, Itamaraca et Riogrande, et de Maranham felicioribus proficerent incrementis, illarumque cleri et populi saluti, et dictae fidei profectui ac exaltationi, divinique cultus incremento, ac tot incommodis animarumque periculis opportune consuleretur:

Philippus rex eas ab eâdem ecclesiâ seiungi et provinciae de Pernambuco petit uniri.

§ 3. Quare idem Philippus rex nobis humiliter supplicari fecit, quatenus easdem provincias de Peraiba, Itamaraca et Riogrande, et de Maranham, ab ecclesiâ et dioecesi Sancti Salvatoris huiusmodi perpetuo separare et dismembrare, illasque dictae provinciae de Pernambuco ab eiusdem vicario seu administratore in spiritualibus regendas et administrandas unire et adiungere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex separat, ac respective unit.

§ 4. Nos igitur, qui fidei cultum et incrementum, ac locorum quorumlibet salutarem directionem cum animarum christifidelium salute et spirituali consolatione intentis desideramus affectibus, quascumque alias dismembrationes aliarum provinciarum et locorum ab ecclesiâ et dioecesi praedictis hactenus apostolicâ auctoritate factas praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac gloriosissimae eius genitricis Mariae, totiusque curiae caelestis honorem, ac ipsius fidei catholicae exaltationem, dictas provincias capitanias vulgo nuncupatas de Peraiba, Itamaraca et Riogrande, et de Maranham, cum illarum territoriis, oppidis, villis, locis, nec non clero et populo, ac personis, monasteriis, ecclesiis, collegiis, et piis locis, nec non beneficiis ecclesiasticis, secularibus et quorumvis ordinum regularibus, ab ecclesiâ Sancti Salvatoris et dioecesi praedictis perpetuo separamus et dismembramus, ac ab omni iurisdictione, subiectione, superioritate, correctione, visitatione et potestate pro tempore existentis episcopi Sancti Salvatoris, eiusque vicariorum et officialium, nec non etiam a solutione quorumcumque iurium eidem episcopo et dilectis filiis capitulo dictae ecclesiae sancti Salvatoris per clerum, populum et personas provinciarum de Peraiba, Itamaraca, et Riogrande, et de Maranham huiusmodi ratione subiectionis, iurisdictionis, superioritatis aut visitationis, et dioecesis (ita quod de cetero praedictus episcopus Sancti Salvatoris aliquam iurisdictionem spiritualem, praeterquam in his, quae sunt ordinis, ac demptis inferius expressis, in oppida, terminos, territoria, villas, et loca, ac clerum, populum, personas, monasteria, ecclesias, et loca pia, necnon beneficia sub separatione et dismembratione huiusmodi comprehensa exercere, nec eadem bene-

ficia, quae antea ad ipsius collationem, provisionem, institutionem, vel quamlibet aliam dispositionem pertinebant, conferre, seu de illis etiam providere, aut aliàs disponere, vel fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta per eum in provinciis de Peraiba, Itamaraca et Riogrande, et de Maranham, illarumque terminis, oppidis, territoriis, villis et locis praedictis ratione visitationis, aut legis dioecesis, percipere nullatenus possit) dictâ auctoritate perpetuo eximimus et totaliter liberamus, ipsasque provincias de Peraiba, Itamaraca, et Riogrande, et de Maranhan sic dismembratas et separatas dictae provinciae de Pernambuco per eiusdem provinciae de Pernambuco vicarium seu administratorem in spiritualibus ad instar dictae provinciae de Pernambuco in omnibus et per omnia, ac iuxta facultates dicto vicario, seu administratori per nos, ut supra, concessas, regendas et gubernandas, auctoritate et tenore praedictis unimus et adiungimus:

Vicario opportunas concedit facultates.

§ 5. Ita ut vicarius, seu administrator huiusmodi, etiam curam, regimen et administrationem provinciarum de Peraiba, Itamaraca et Riogrande huiusmodi, ac cleri et populi tam christiani quam gentilis, necnon oppidorum, terrarum et locorum in illarum districtu, limitibus, terminis et locis praedictis consistentium habere, et inibi praedicari facere, gentilesque praedictos ad orthodoxae fidei cultum convertere procurare, conversosque in eâdem fide instruere et confirmare, eisque baptismi gratiam, et confirmationis sacramentum impendere, ac tam illis sic conversis, quam aliis omnibus fidelibus, in provinciis de Peraiba, Itamaraca et Riogrande, ac illarum oppidis, terris, villis, locis, territoriis, limitibus, nunc et pro tempore degentibus, et ad ea declinantibus, sacramenta ecclesiastica, et alia spiritualia munera, non tamen ea, quae sunt ordinis, ministrare et administrari etiam facere et procurare, ac quaecumque beneficia ecclesiastica sub separatione et dismembratione huiusmodi comprehensa, et quae antea ad ipsius episcopi Sancti Salvatoris collationem, provisionem, institutionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinebant, conferre, et de illis disponere, ac in eis instituere, calices quoque, campanas, vestimenta, corporalia et alia paramenta et ornamenta consecrare et benedicere, ecclesias, coemeteria et loca ecclesiastica, sanguinis aut seminis effusione sive aliàs quomodolibet polluta et profanata, aquâ per se ipsum benedictâ reconciliare, ipsasque ecclesias, et loca sub provinciis de Peraiba, Itamaraca et Riogrande et de Maranham praedictis comprehensa, et illorum personas visitare, ac in illorum statum, regimen, statuta, consuetudines, vitam, ritus, mores, delicta et disciplinam, tam in capite quam in membris, inquirere, evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum decretis et institutis inhaerendo, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, punitione, revocatione et ex integro editione indigere cognoverit, reformare, mutare, corrigere, punire, et de novo condere, necnon beneficiales, matrimoniales, et quascumque alias causas ecclesiasticas et civiles, ac ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, motas et inchoatas, ac interim movendas, cum omnibus earum incidentibus, dependentibus emergentibus, annexis et connexis, audire, decidere et fine debito terminare, prout iuris fuerit, seu causas ipas alii vel aliis idoneis, modo et formâ praedictis, cum simili vel limitatâ potestate pariter audiendas, decidendas et terminandas delegare, ac denique plenam, meram et omnimodam spiritualem et ecclesiasticam ac ordinariam iurisdictionem, tam in foro interiori quam exteriori, habere,

et eam, ac alia omnia et singula, quae pro tempore existens episcopus Sancti Salvatoris in illis partibus hactenus habere, gerere et exercere debuit, potuit et consuevit, similiter et pariformiter, nullâque prorsus differentiâ, exceptis tamen iis, quae, ut dictum est, sunt ordinis, prout divini cultus augmento, ac ipsorum cleri et populi animarum saluti expedire cognoverit, gerere, exercere, facere et exequi libere et licite valeat.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras nullo unquam tempore ex quavis causâ, etiam quod praedictus episcopus Sancti Salvatoris aut quomodolibet interesse habentes ad hoc vocati minime fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut in ius vel controversiam vocari, nec contra illas restitutionem in integrum, reductionem ad terminos iuris, aut quodvis aliud gratiae vel iuris remedium impetrari posse, nec causas, propter quas praemissa concessa fuerunt, minime verificari, nec ob id viribus carere, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, etiam eis in toto vel in parte derogantibus vel obviantibus, etiam a nobis et dictâ Sede quomodolibet pro tempore emanatis, nullatenus comprehendi, sed semper validas et ab illis prorsus exceptas, et quoties illae emanabunt, aut sub eis quovis modo comprehendi viderentur, toties in pristinum, et eum, in quo antequam illae emanarent erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse et censeri, et omni tempore suos plenarios et integros effectus sortiri; sicque per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis et in provincialibus ac synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae ecclesiae Sancti Salvatoris (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ac fundatione, erectione et institutione, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem ecclesiae Sancti Salvatoris, illiusque praesuli pro tempore existenti, necnon capitulo, et aliis personis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque ac aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter, vel aliàs quomodolibet, concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus[1], etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa et individua[2] ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Incolae huiusmodi provinciarum in iis, quae sunt ordinis episcopalis, ad episcopum S. Salvatoris recurrere debent.

§ 8. Volumus autem ac statuimus et ordinamus, quod clerus, populus, aliique incolae et habitatores dictarum provinciarum de Parnambuco, Pernambuco, Peraiba, Itamaraca, et Riogrande, in his quae sunt ordinis, ad praedictum episcopum

1 Supple de more solito *et singulis* (R. T.).

2 Supple: *mentio habenda esset, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum*, etc. (R. T.).

Sancti Salvatoris pro tempore existentem, habitis tamen a suo vicario seu administratore ad id litteris dimissorialibus, recurrere teneantur;

Vicarius autem in provincià de Peraiba residere;

§ 9. Quodque dictarum provinciarum pro tempore deputatus vicarius seu administrator, ut commodius curae et regimini cleri et populi earumdem provinciarum intendere valeat, de cetero in provincià de Peraiba, quae sicut accepimus, in medio dictarum provinciarum sita est, residere debeat, et ratione suae personae dumtaxat visitationi, correctioni, superioritati et iurisdictioni praedicti episcopi Sancti Salvatoris pro tempore existentis subsit, et a sententiis definitivis tantum, seu vim definitivarum habentibus, et quarum gravamen per appellationem a definitivà reparari nequeat, per ipsum vicarium seu administratorem aut eorum officiales pro tempore latis appellationes ad eumdem episcopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem interponi, ipsarumque appellationum causas per eum cognosci, decidi et fine debito, prout iuris fuerit, terminari possint.

Et in iis quae hic recensentur a praedicto episcopo dependere.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iulii MDCXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 5 iulii 1614, pont. an. x.

CCLV.

Dismembratio nonnullorum reddituum ex collegiis Maurorum regni Valentiae, qui Officio Inquisitionis eiusdem regni adscribuntur.

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Mauris regni Valentiae ad fidem christianam conversis, qui pecunias nonnullas singulis annis officio S. Inquisitionis contribuebant,

§ 1. Nomine charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis nuper expositum fuit, quod praeteritis temporibus, qui ex Mauris noviter ad fidem conversis originem ducebant, et in regno Valentiae commorabantur, ex conventione inter ipsos et Officium inquisitionis haereticae pravitatis in dicto regno institutum inità, certam pecuniarum summam, ad bis mille et quingenta scuta monetae illarum partium ascendentem, Officio inquisitionis, illiusque officialibus, et ministris quotannis contribuere solebant:

Ab eodem regno expulsis:

§ 2. Non ita pridem vero de mandato dicti Philippi regis illi omnes, qui ex Mauris noviter ad fidem conversis huiusmodi originem ducebant, et praedictum regnum incolebant, ex ipso regno expulsi fuerunt, quo factum est, ut Officium praedictum dicto annuo redditu destitutum onera sibi incumbentia supportare, ac officiales et ministros praedictos sustentare nequeat;

Philippus duorum collegiorum, quae pro iis erecta fuerant, redditus in summa 2500 scutorum, officio eidem uniri petit.

§ 3. Si vero a duobus collegiis, quae in civitate Valentià, unum scilicet pro pueris, et alterum pro puellis ex Mauris ad fidem noviter conversis praedictis descendentibus educandis et in fide catholicà erudiendis erecta fuerunt, et quae futuris temporibus propter expulsionem huiusmodi verisimiliter alumnis destituentur, tot redditus, quot ad valorem annuum bis mille et quingentorum scutorum similium ascendant, separarentur et dismembrarentur, illaque sic separata et dismembrata dicto Officio applicarentur et appropriarentur, exinde Officium praedictum onera supportare et officiales et ministros huiusmodi sustentare valeret. Nobis propterea dicti Philippi regis nomine fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicà dignaremur.

Unit Paulus.

§ 4. Nos igitur, Officium, ac officiales et ministros praedictos, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et eam, ac alia omnia et singula, quae pro tempore existens episcopus Sancti Salvatoris in illis partibus hactenus habere, gerere et exercere debuit, potuit et consuevit, similiter et pariformiter, nullâque prorsus differentiâ, exceptis tamen iis, quae, ut dictum est, sunt ordinis, prout divini cultus augmento, ac ipsorum cleri et populi animarum saluti expedire cognoverit, gerere, exercere, facere et exequi libere et licite valeat.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras nullo unquam tempore ex quavis causâ, etiam quod praedictus episcopus Sancti Salvatoris aut quomodolibet interesse habentes ad hoc vocati minime fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut in ius vel controversiam vocari, nec contra illas restitutionem in integrum, reductionem ad terminos iuris, aut quodvis aliud gratiae vel iuris remedium impetrari posse, nec causas, propter quas praemissa concessa fuerunt, minime verificari, nec ob id viribus carere, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, etiam eis in toto vel in parte derogantibus vel obviantibus, etiam a nobis et dictâ Sede quomodolibet pro tempore emanatis, nullatenus comprehendi, sed semper validas et ab illis prorsus exceptas, et quoties illae emanabunt, aut sub eis quovis modo comprehendi viderentur, toties in pristinum, et eum, in quo antequam illae emanarent erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse et censeri, et omni tempore suos plenarios et integros effectus sortiri; sicque per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis et in provincialibus ac synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae ecclesiae Sancti Salvatoris (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ac fundatione, erectione et institutione, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem ecclesiae Sancti Salvatoris, illiusque praesuli pro tempore existenti, necnon capitulo, et aliis personis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque ac aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter, vel aliàs quomodolibet, concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus[1], etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa et individua[2] ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Incolae huiusmodi provinciarum in iis, quae sunt ordinis episcopalis, ad episcopum S. Salvatoris recurrere debent.

§ 8. Volumus autem ac statuimus et ordinamus, quod clerus, populus, aliique incolae et habitatores dictarum provinciarum de Parnambuco, Pernambuco, Peraiba, Itamaraca, et Riogrande, in his quae sunt ordinis, ad praedictum episcopum

1 Supple de more solito *et singulis* (R. T.).

2 Supple: *mentio habenda esset, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum*, etc. (R. T.).

Sancti Salvatoris pro tempore existentem, habitis tamen a suo vicario seu administratore ad id litteris dimissorialibus, recurrere teneantur;

Vicarius autem in provincià de Peraiba residere;

§ 9. Quodque dictarum provinciarum pro tempore deputatus vicarius seu administrator, ut commodius curae et regimini cleri et populi earumdem provinciarum intendere valeat, de cetero in provincià de Peraiba, quae sicut accepimus, in medio dictarum provinciarum sita est, residere debeat, et ratione suae personae dumtaxat visitationi, correctioni, superioritati et iurisdictioni praedicti episcopi Sancti Salvatōris pro tempore existentis subsit, et a sententiis definitivis tantum, seu vim definitivarum habentibus, et quarum gravamen per appellationem a definitivà reparari nequeat, per ipsum vicarium seu administratorem aut eorum officiales pro tempore latis appellationes ad eumdem episcopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem interponi, ipsarumque appellationum causas per eum cognosci, decidi et fine debito, prout iuris fuerit, terminari possint.

Et in iis quae hic recensentur a praedicto episcopo dependere.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iulii MDCXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 5 iulii 1614, pont. an. x.

CCLV.

Dismembratio nonnullorum redditum ex collegiis Maurorum regni Valentiae, qui Officio Inquisitionis eiusdem regni adscribuntur.

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Mauris regni Valentiae ad fidem christianam conversis, qui pecunias nonnullas singulis annis officio S. Inquisitionis contribuebant,

§ 1. Nomine charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis nuper expositum fuit, quod praeteritis temporibus, qui ex Mauris noviter ad fidem conversis originem ducebant, et in regno Valentiae commorabantur, ex conventione inter ipsos et Officium inquisitionis haereticae pravitatis in dicto regno institutum inità, certam pecuniarum summam, ad bis mille et quingenta scuta monetae illarum partium ascendentem, Officio inquisitionis, illiusque officialibus, et ministris quotannis contribuere solebant:

Ab eodem regno expulsis:

§ 2. Non ita pridem vero de mandato dicti Philippi regis illi omnes, qui ex Mauris noviter ad fidem conversis huiusmodi originem ducebant, et praedictum regnum incolebant, ex ipso regno expulsi fuerunt, quo factum est, ut Officium praedictum dicto annuo redditu destitutum onera sibi incumbentia supportare, ac officiales et ministros praedictos sustentare nequeat;

Philippus duorum collegiorum, quae pro iis erecta fuerant, redditus in summa 2500 scutorum, officio eidem uniri petit.

§ 3. Si vero a duobus collegiis, quae in civitate Valentià, unum scilicet pro pueris, et alterum pro puellis ex Mauris ad fidem noviter conversis praedictis descendentibus educandis et in fide catholicà erudiendis erecta fuerunt, et quae futuris temporibus propter expulsionem huiusmodi verisimiliter alumnis destituentur, tot redditus, quot ad valorem annuum bis mille et quingentorum scutorum similium ascendant, separarentur et dismembrarentur, illaque sic separata et dismembrata dicto Officio applicarentur et appropriarentur, exinde Officium praedictum onera supportare et officiales et ministros huiusmodi sustentare valeret. Nobis propterea dicti Philippi regis nomine fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicà dignaremur.

Unit Paulus.

§ 4. Nos igitur, Officium, ac officiales et ministros praedictos, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, a collegiis praedictis tot redditus, quot ad valorem annuum bis mille et quingentorum scutorum dictae monetae ascendant[1], ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum separamus et dismembramus, illaque sic separata et dismembrata, loco contributionis, ut praefertur, fieri solitae, dicto Officio pro supportandis illius oneribus, necnon officialium et ministrorum huiusmodi sustentatione, similiter ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum applicamus.

Obstantia tollit. § 5. Non obstantibus regulâ nostrâ de unionibus committendis ad partes, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, aliisque apostolicis, nec non in universalibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictorum collegiorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem collegiis, illorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII octobris MDCXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 8 octobris 1614, pontif. an. X.

1 Perperam edit. Main. legit *ascendebant* (R.T.).

CCLVI.

Facultas nuncio in partibus inferioris Germaniae visitandi civitatem et dioecesim Maguntinam[1].

Venerabili fratri Antonio episcopo Vigiliensi, nostro et Apostolicae Sedis in partibus inferioris Germaniae nuncio,

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cupientes ad animarum salutem, divinumque cultum promovendum, civitatem et dioecesim Maguntinam auctoritate nostrâ apostolicâ visitari, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, tibi, de cuius integritate, prudentiâ, doctrinâ, et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut quam primum fieri poterit, te ad civitatem et dioecesim Maguntinam conferas, ac tamquam noster et Apostolicae Sedis delegatus, tam metropolitanam, quam collegiatas, et alias quascumque ecclesias, ac monasteria, tam virorum quam mulierum, quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum, etiam quocumque immunitatis et exemptionis privilegio suffulta, ac nobis et Apostolicae Sedi mediate vel immediate subiecta, in civitate et dioecesi praedictâ existentia, earumque capitula, conventus, universitates, et collegia, eorumque superiores et personas etiam similiter exemptas, dictaeque Sedi immediate subiectas, quoties tibi videbitur, auctoritate nostrâ visites; Episcopus Vigiliensis deputatur visitator apostolicus dioecesis Maguntinae.

§ 2. Ac in illorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitam, ritus, mores et disciplinam, tam coniunctim quam divisim, ac tam in capite quam in membris, diligenter inquiras, nec non, evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum, et generalium conciliorum decretis, ac sacro- Cum facultatibus hic expressis.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

rum patrum traditionibus atque institutis inhaerendo, et prout occasio rerumque qualitas exegerit, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, revocatione et renovatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoveris, reformes, mutes, corrigas, ac etiam de novo condas, condita sacris canonibus non repugnantia confirmes, abusus quoscumque tollas, regulas, institutiones, et ecclesiasticam disciplinam, ac in primis divinum cultum, ubicumque exciderint, modis congruis restituas et reintegres, concilii Tridentini decreta, ubi nondum introducta sunt, proponas, et custodiri praecipias, ipsasque personas, tam seculares quam regulares, etiam exemptas et subiectas, ut praefertur, ad debitum et honestum vitae modum ac ad statum sacris canonibus et concilio Tridentino praedictis conformem revoces, ac quidquid statueris et ordinaveris observari facias, inobedientes et contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione postpositâ, ac quibusvis subterfugiis, reclamationibus, protestationibus, atque recursibus prorsus cessantibus et remotis, iuxta concilii Tridentini decreta, compescas, cogas et compellas: nos enim tibi praemissa et quaecumque alia circa visitationem huiusmodi necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, plenam et absolutam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Graviora negocia ad Sedem Apostolicam referenda.

§ 3. Si quae autem graviora in huiusmodi visitatione repereris, volumus, ut ea, nec non informationes omnes in huiusmodi visitatione sumendas, sub tuo sigillo clausas, ad nos quamprimum diligenter transmittas, ut id, quod in illis statuendum sit, maturâ consultatione adhibitâ, decernamus.

Obedientia visitatori praestanda.

§ 4. Mandantes propterea omnibus et singulis ecclesiarum et monasteriorum et locorum regularium huiusmodi superioribus, quocumque nomine nuncupatis, et personis quibuscumque, ceterisque, ad quos spectat, ut tibi in praemissis omnibus et singulis prompte pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Aliae facultates extraordinariae.

§ 5. Insuper, ut uberior salutis animarum fructus proveniat, tibi, ut quascumque personas civitatis et dioecesis praedictarum, pauperes dumtaxat et catholicas, quae propriis manibus victum quaerunt, quae tertio et quarto consanguinitatis seu affinitatis gradibus coniunctae, seu se attinentes, matrimonia invicem, sive scienter sive ignoranter, contraxerint, etiam si carnali copulâ consummaverint, si abs te veniam humiliter petierint, ab incestus reatu, et excessibus huiusmodi, ac excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis et temporalibus per eos propter praemissa incursis, impositâ cuique eorum propter incestum huiusmodi, arbitrio tuo, poenitentiâ salutari, in utroque foro absolvere, et cum illis, ut, impedimentis tertii et quarti consanguinitatis seu affinitatis graduum huiusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonia inter se publice, servatâ formâ dicti Concilii, de novo contrahere, et in faciem ecclesiae solemnizare, et in eo, seu in contracto aliàs rite matrimonio, quoad vixerint, remanere libere et licite valeant, dummodo mulieres propter hoc raptae non fuerint, dispensare: distantiam vero tertii gradus huiusmodi, respectu quarti, eis non obstare declarare,

prolesque, exinde susceptas et suscipiendas, legitimas decernere atque nunciare, ac etiam iis, qui per haereticos illarum partium, et aliis similiter, qui ante legitimam aetatem de beneficiis ecclesiasticis nulliter et de facto provisi fuerint, beneficia ipsa illis, dummodo tamen haeresi non adhaeserint, ac aliàs idonei et in aetate legitimâ constituti existant, de novo, dictâ auctoritate, conferre, et de illis etiam providere, illisque quoscumque fructus, redditus, et proventus, iura, obventiones, et emolumenta, ac etiam distributiones per eos ex eis indebite perceptas, gratiose remittere et condonare; praeterea cum quibusvis clericis, et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus civitatis et dioecesis praedictarum super irregularitatibus ex[1] delictis occultis per eos, praeterquam ex homicidio voluntario, contractis, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, ita quod nondum promoti omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, si aliàs idonei reperti fuerint, nec aliud illis canonicum obstet impedimentum, et servatis servandis, suscipere, et tam ipsi quam alii in susceptis tamen rite ordinibus huiusmodi, etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, se invicem compatientia, recipere, et illa, ac per eos aliàs canonice obtenta, quoad vixerint, retinere libere et licite valeant, pariter dispensare possis et valeas, auctoritate et tenore praedictis facultatem impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum locorum regularium, ac Cisterciensis et Praemonstratensis nec non Cluniacensis etiam Congregationis Busfeldrensis, et aliorum Ordinum, quorum illa extiterint (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, etiam *mare magnum* nuncupatis, et litteris apostolicis, illis, eorumque capitulis, conventibus, superioribus, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XVII octobris MDCXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 17 octobris 1614, pontif. an. X.

[1] Edit. Main. legit *et* R. T.

CCLVII.

Confirmatio concordiae inter regem catholicum et clerum regnorum Castellae et Legionis super solutione subsidii ducentorum et quinquaginta millium ducatorum eidem regi praestandi[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pro nostro munere in his partes nostras libenter interponimus, quae ad concor-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

diam et pacem inter catholicos reges et ecclesiasticas personas super exactionibus apostolicâ auctoritate faciendis pertinere dignoscuntur.

Capitula ecclesiarum Castellae et Legionis concordiam cum Philippo III rege ineunt super solutione primae decimae eidem a Sede Apostolica concessae;

§ 1. [1] Nuper siquidem (sicut nobis exponi fecerunt charissimus in Christo filius noster Philippus III Hispaniarum rex catholicus, ac dilecti filii singularum Toletanae, Hispalensis, Compostellanae, Granatensis, Burgensis, Legionensis, Palentinae, Ovetensis, Cordubensis, Abulensis, Astoricensis, Pacensis, Vallisoletanae, Carthaginensis, Calaguritanae, Calceatensis, Civitatensis, Gadicensis, Conchensis, Zamorensis, Cauriensis, Pampilonensis, Guadixensis, Giennensis, Lucensis, Mindoniensis, Malacitanae, Auriensis, Oxomensis, Oriolensis, Placentinae, Segobiensis, Salamantinensis, Seguntinae, Tudensis et Carianensis ecclesiarum capitula, quae universum clerum regnorum Castellae et Legionis repraesentant) considerantes dictus Philippus rex et capitula praedicta gratiam et concessionem primae decimae quarumlibet dictarum ecclesiarum et parochialium in omnibus Hispaniarum regnis et insulis illis[2] adiacentibus, per dudum felicis recordationis Pium Papam V, praedecessorem nostrum, clarae memoriae Philippo II Hispaniarum regi catholico, eiusdem Philippi III regis genitori, ad quinquennium concessam, et postea pluries a recolendae memoriae Gregorio XIII et deinde a Sixto V et postmodum a Gregorio XIV ac denique a Clemente VIII praedecessoribus nostris etiam pluries et ultimâ vice ad aliud quinquennium (a tempore in[3] infrascriptae concordiae instrumento, ut asseritur, expresso inchoatum) prorogatam et extensam[4], prout in singulis eorumdem praedecessorum desuper expeditis litteris plenius continetur[1], si eisdem modo et forma, quibus concessa est, exequutioni demandaretur, id non sine eiusdem cleri incommodo exequi posset; cupientesque praemissis eâ, qua potest, ratione occurri, quo facilius illa, ad quae tenentur, ab ipsis adimpleri valeant, ipsaeque personae ecclesiasticae onus illis eam ob causam incumbens supportare facilius possint, ad infrascriptam concordiam per earum procuratores ad hoc specialiter deputatos insimul devenerunt, videlicet:

Concordiae tenor.

§ 2. In primis, quod praedictus status ecclesiasticus coronae Castellae et Legionis darent et solverent dicto Philippo regi, seu personae ab eo deputatae, ducentos et quinquaginta mille ducatos, qui ascendunt ad numerum nonaginta trium computorum[2] et septingentorum[3] quinquaginta millium morapetinorum[4], pro iis[5] quae ad huiusmodi effectum dicto regi debentur et ad eum spectant ratione dictorum regnorum Castellae et Legionis (non comprehensis in dictis ducentis et quinquaginta millibus ducatis regnis Aragoniae, Cathaloniae et Valentiae, ac insulis illis adiacentibus, ita ut dictus Philippus rex ab illis possit exigere, prout sibi visum foret ex prorogatione huiusmodi provenientiae exceptâ ecclesiâ Oriolensi, cuius dispositio et pars ingreditur et computatur unâ cum statu ecclesiastico coronae Castellae); qui quidem ducenti et quinquaginta mille ducati persolvi deberent ut infra, videlicet:

1 Confer quamsimillimam eiusdem Pauli V Const. CXLIII in tom. praec. pag. 590 (R. T.).

2 Edit. Main. legit *illi* (R. T.).

3 Praep. *in* nos addimus ex loco parallelo (R. T.).

4 Male edit. Main. legit *prorogatum et extensum* (R. T.).

1 Quas omnes non puto esse in *Bullario* (R. T.).

2 Vide adnot. in tom. praec. pag. 591 *b* (R. T.).

3 Erronee in loco parall. tom. et pag. praecit. legitur *septuagintorum* (R. T.).

4 Subintellige *quolibet anno*, *durantibus quinque annis prorogationis*, prout legitur in loco cit. pag. 591 *b* et ex infra dicendis elucescit (R. T.).

5 Perperam edit. Main. hic legit *propriis* (R. T.).

quoad fructus anni MDCXII in duabus solutionibus aequalibus, pro unâ in fine mensis iunii, et alterâ medietatibus in fine mensis novembris subsequentis anni MDCXIII; quo vero ad fructus dicti anni MDCXIII in eisdem duabus solutionibus subsequentis anni MDCXIV, et sic successive in tribus annis remanentibus, usque ad complementum dicti quinquennii praedictae prorogationis; quos dabunt et solvent suis sumptibus in capitulis singularum dioecesum, iuxta et secundum repartitionem infrascriptam inter se factam a praedicto statu ecclesiastico, duas partes in monetâ aureâ, sive argenteâ, aliam vero tertiam partem in monetâ de Vellon nuncupatâ, absque eo quod in futurum trahatur in consequentiam: Et quod[1] id repartiatur, et particulariter exigatur in qualibet dioecesi ex redditibus decimalibus et primitiis, quia super illis et non aliis redditibus ecclesiasticis sunt distribuendi et exigendi in unoquoque dictorum quinque annorum praedicti ducenti et quinquaginta mille ducati: et ex tunc remanebant obligati, prout obligabant sua capitula generaliter, et se obligarent et obbligari[2] deberent specialiter, pro toto dicto novo[3] quinquennio ad illarum solutionem annis singulis iuxta divisionem infrascriptam, videlicet: Capitulum ecclesiae Toletanae pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, solveret summam quatuordecim millionum, trecentorum ac decem et septem millium, nec non noningentorum et vigintiquatuor morapetinorum; reliquis vero duobus annis quindennii huiusmodi solveret summam quatuordecim millionum, et quingentorum millium, ac noningentorum et triginta morapetinorum: Capitulum ecclesiae Hispalensis, tribus prioribus annis, novem millionum, quadringentorum et octuaginta octo millium, et quingentorum ac quinquaginta morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, novem millionum, nonigentorum nonaginta millium, et trecentorum trigintaocto morapetinorum: Capitulum ecclesiae Salamantinae duorum millionum, et quadringentorum ac sexaginta unius millium, et duodecim morapetinorum: Capitulum ecclesiae Zamorensis, pro se et suâ dioecesi[1], tribus prioribus annis, duorum millionum, et trecentorum ac viginti novem millium, et noningentorum ac duodecim morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, duorum millionum, ducentorum octuaginta novem millium, ac ducentorum quinquaginta septem morapetinorum: Capitulum ecclesiae Seguntinae, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, duorum millionum, noningentorum et quatuordecim millium, ac centum et viginti novem morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii, duorum millionum, octingentorum et quinquaginta trium millium, ac centum et quadraginta septem morapetinorum: Capitulum ecclesiae Conchensis, trium millionum, et noningentorum quadraginta duorum millium, et quingentorum ac octuaginta unius morapetinorum, quolibet anno dictorum quinque annorum: Capitulum ecclesiae Carthaginensis, tribus prioribus annis, unius millionis, quadringentorum et quinquaginta duorum millium, ac sexcentorum et quinquaginta duorum morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, unius millionis, quingentorum et quinquaginta quatuor millium, et ducentorum quadraginta septem morapetinorum: Capitulum ecclesiae Oriolensis,

1 Comma istud dependet ab eodem regimine ac initium § 2: *In primis, quod*, etc. nunc autem additur: *Et quod*, etc. (R. T.).

2 In loco parallelo cit. legitur *obligare* (R. T.).

3 Nescio quomodo in loco parallelo dictum fuit *octavo* pro *novo* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *dioecesis* (R. T.).

quadringentorum et quadraginta millium, et trecentorum ac nonaginta septem morapetinorum, quolibet anno dictorum quinque annorum: Capitulum ecclesiae Cordubensis, trium millionum, trecentorum[1] ac triginta duorum millium, ac centum et octuaginta quinque morapetinorum, quolibet anno dictorum quinque annorum: Capitulum ecclesiae Pacensis, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, unius millionis, et sexcentorum et nonaginta unius millium, et ducentorum ac viginti[2] unius morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquenii huiusmodi, unius millionis, sexcentorum novem millium, noningentorum et decem morapetinorum: Capitulum ecclesiae Cauriensis, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, unius millionis, et septingentorum millium, ac octingentorum et quinquaginta unius morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, unius millionis, quingentorum nonaginta novem millium, et ducentorum ac quatuordecim morapetinorum: Capitulum ecclesiae Placentinae, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, et ducentorum ac quadraginta novem millium, et septingentorum ac viginti unius morapetinorum, quolibet anno dictorum quinque annorum: Capitulum ecclesiae Giennensis, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, unius millionis, et noningentorum ac unius millium, et quingentorum, ac viginti morapetinorum, reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, duorum millionum, octuaginta quatuor millium, quadringentorum et sexaginta octo morapetinorum: Capitulum ecclesiae Compostellanae, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, duorum millionum et trecentorum, ac septuaginta novem millium, et ducentorum ac octuaginta novem morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii, duorum millionum, quingentorum et unius millium, ac ducentorum quinquaginta octo morapetinorum: Capitulum ecclesiae Burgensis, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, sex millionum, et octuaginta duorum millium, ac septingentorum et unius morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquenii huiusmodi, quinque millionum, octingentorum et viginti duorum millium, ac quingentorum et sex morapetinorum: Capitulum ecclesiae Legionensis, tribus prioribus annis, duorum millionum, et sexcentorum ac viginti sex millium, et septingentorum ac viginti quatuor morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii, duorum millionum, quingentorum et octuaginta sex millium, ac sexaginta novem morapetinorum: Capitulum ecclesiae Ovetensis, unius millionis, et duodecim millium, ac octingentorum et viginti sex morapetinorum, quolibet anno dictorum quinque annorum: Capitula ecclesiarum Calaguritanae et Calceatensis, pro se et suis dioecesibus, tribus prioribus annis, duorum millionum, quingentorum et sex millium, ac quingentorum et viginti septem morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, duorum millionum, et sexcentorum ac octo millium, centum et septuaginta quatuor morapetinorum: Capitulum ecclesiae Astoricensis, pro se suâque dioecesi, unius millionis, et ducentorum ac triginta millium, et sexaginta octo morapetinorum, quolibet anno dictorum quinque annorum: Capitulum ecclesiae Segobiensis, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, duorum millionum, et septingentorum ac octuaginta novem millium, et trecentorum ac quinquaginta septem morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, duorum millionum, sexcentorum sexaginta septem millium, et trecentorum

1 Supra in loco parallelo pag. 592 *b* deest *trecentorum* (R. T.).

2 In loco parallelo legitur *triginta* (R. T.).

nonaginta unius morapetinorum: Capitulum ecclesiae Abulensis[1], pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, trium millionum, et nonaginta duorum millium, ac septingentorum et unius morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, trium millionum, et quinquaginta duorum millium, ac quadraginta sex morapetinorum: Capitulum ecclesiae Oxomensis, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, duorum millionum, et septingentorum ac triginta duorum millium, et ducentorum ac tredecim morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, duorum millionum, quadringentorum et viginti septem millium, et ducentorum ac nonaginta novem morapetinorum: Capitulum ecclesiae Auriensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, et nonaginta quatuor millium, ac centum et decem et octo morapetinorum, quolibet anno dicti quinquennii: Capitulum ecclesiae Lucensis, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, trecentorum et decem millium, ac quadringentorum et quadraginta morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii, trecentorum octodecim millium, ac quingentorum et septuaginta duorum morapetinorum: Capitulum ecclesiae Mindoniensis, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, ducentorum et octuaginta quinque millium, ac sexcentorum et octo morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, ducentorum nonaginta trium millium, et septingentorum ac quadraginta morapetinorum: Capitulum ecclesiae Tudensis, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, quadringentorum triginta sex[2] millium, et quingentorum ac septuaginta octo morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, quadringentorum quinquaginta quinque millium et noningetorum et quinque morapetinorum: Capitulum ecclesiae Palentinae, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, trium millionum, et septingentorum ac triginta sex millium, et centum et sexdecim morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, trium millionum, sexcentorum et quinquaginta millium, ac sexcentorum nonaginta et unius morapetinorum: Capitulum ecclesiae Vallisoletanae, pro se et sua dioecesi, tribus prioribus annis, unius millionis, et sexcentorum ac septuaginta millium, et quingentorum quadraginta morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, unius millionis, et sexcentorum et tredecim millium, quadringentorum et nonaginta trium morapetinorum: Capitulum ecclesiae Civitatensis[1], pro se et sua dioecesi, tribus prioribus annis, septingentorum et quinquaginta quatuor millium, ac noningentorum et unius morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, septingentorum quatuordecim millium, et ducentorum ac quadraginta sex morapetinorum: Capitulum ecclesiae Gadicensis pro se et suâ dioecesi, sexcentorum et quinquaginta novem millium, ac quingentorum et quinquaginta novem morapetinorum, quolibet anno dictorum quinque annorum: Capitulum ecclesiae[2] Granatensis, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, unius millionis, et centum ac triginta sex millium, et noningentorum et octuaginta octo morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, unius millionis, ducentorum et quinquaginta octo millium, ac noningentorum et quinquaginta

1 Ecclesia haec in Const. iam cit. tomi XI omissa fuit (R. T.).

2 In loco parallelo legitur *triginta quinque* (R. T.).

1 Haec ecclesia in aliâ Constitutione relata non fuerat (R. T.).

2 In alia Const. legitur *ecclesiarum*, et summa valde maior notatur (R. T.).

septem morapetinorum: Capitulum ecclesiae Malacitanae[3], pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, unius millionis, et sexaginta quinque millium, ac trecentorum et octuaginta septem morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, unius millionis, centum et octuaginta septem millium, ac trecentorum et quinquaginta sex morapetinorum: Capitulum ecclesiae Guadixensis, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, trecentorum et duorum millium, ac trecentorum et viginti morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, ducentorum nonaginta quatuor millium, ac centum et octuaginta octo morapetinorum: Capitulum ecclesiae Almeriensis, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, trecentorum et triginta octo millium, ac noningentorum et quadraginta octo morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, trecentorum viginti sex millium, et septingentorum ac quinquaginta et unius morapetinorum: Capitulum ecclesiae Pampilonensis, tribus prioribus annis, unius millionis, centum et decem ac novem millium, ac octingentorum et quinquaginta novem morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, unius millionis, et ducentorum sexaginta duorum millium, ac centum et quinquaginta quinque morapetinorum: Capitulum ecclesiae Canariensis, pro se et suâ dioecesi, tribus prioribus annis, quadringentorum quadraginta septem millium, et noningentorum ac quadraginta trium morapetinorum; reliquis vero duobus annis quinquennii huiusmodi, quadringentorum octuaginta octo millium, ac sexcentorum et duorum morapetinorum: Abbatia *dell'Alfaro*, octuaginta novem millium, ac quingentorum et octuaginta septem morapetinorum, quolibet anno dictorum quinque annorum: Abbatia de Agreda, centum et quinquaginta sex millium, septingentorum et octuaginta morapetinorum, quolibet anno dictorum quinque annorum: Vicaria de Altadeliste[1], centum et septuaginta novem millium, et centum septuaginta septem morapetinorum, quolibet anno dictorum quinque annorum: Vicaria de Huesca[2], centum et triginta trium millium, octingentorum quadraginta unius morapetinorum, quolibet anno dictorum quinque annorum: Abbatia de Vaza[3], centum et quinquaginta octo millium, centum et viginti unius morapetinorum, quolibet anno dicti quinquennii: Milites militiae sancti Iacobi, duorum millionum, et noningentorum ac undecim millium, sexcentorum et triginta quatuor morapetinorum, quolibet anno dictorum quinque annorum: Milites militiae de Calatrava, duorum millionum, et centum ac octuaginta trium millium, et septingentorum ac vigintiquatuor morapetinorum, quolibet anno dictorum quinque annorum: Milites militiae de Alcantara, unius millionis, noningentorum et trium millium, ac septingentorum et septuaginta morapetinorum, quolibet anno dicti quinquennii: Qui quidem ducenti quinquaginta mille ducati ascendunt ad nonaginta tres milliones, et septingentos ac quinquaginta mille morapetinos: Insuper, quod aliquis de comprehensis in praedictâ concessione et prorogatione, cuiusvis dignitatis, praeeminentiae, ordinis et religionis existat, non eximetur[4] a solutione ratae illum tangentis dictorum ducentorum et quinquaginta mille ducatorum quolibet anno, dictis quinque annis durantibus; et quod, si nos, aut dictus Philippus rex

1 Haec et seqq. ecclesiae Guadixensis et Almeriensis non memorantur in aliâ Const. (R. T.).

1 In loco parallelo legitur *Albadeliste* (R. T.).

2 Haec in aliâ Const. non est memorata (R. T.).

3 Haec etiam ibi deest (R. T.).

4 Aptius in loco parallelo legitur *eximatur* (R. T.).

eximeret aliquem ex dictis personis, vel militiis, ordinibus, aut quavis aliâ dignitate fulgentibus sic comprehensis in dictâ concessione et prorogatione, idem Philippus rex fieri mandet desuper iustam refectionem, recipiendo ab ipsis ecclesiis ad suum computum, defalcando ex dictis ducentis et quinquaginta mille ducatis ratam tales personas vel milites tangentem: Rursus, quod[1] quaelibet personae, cuiuscumque qualitatis et dignitatis existant, quae percipiunt et percipient pensiones, comprehendi debeant, ad effectum contribuendi ad instar aliorum reddituum decimalium, in divisione huiusmodi ducentorum et quinquaginta millium ducatorum, non obstante quacumque clausulâ, exemptione, praerogativâ, aut donatione et obligatione, etiam in formâ camerae in sui favorem factis; quodque decimae et tertiae, quas idem Philippus rex habet et quocumque modo possidet, vel aliàs vendidit, aut oppignoravit, cum evictione et immunitate, ac declaratione quod sint et esse debeant liberae a divisione et subsidio et qualibet aliâ impositione apostolicâ, remanere debeant liberae et salvae a repartitione[2] dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum, absque eo quod hac de causâ vel aliquâ aliâ, nisi ex contentis in praesenti concordiâ, aliquid minuatur ex summâ ducentorum quinquaginta millium ducatorum huiusmodi; reliquae vero tertiae, decimae, et aliae primitiae, per quascumque ecclesias, collegia, universitates, monasteria et quascumque personas possessae et perceptae, quocumque titulo, iure, consuetudine, seu privilegio fuerint, remaneant comprehensae[3], et contribuere debeant in dictâ divisione ducentorum et quinquagintâ millium ducatorum huiusmodi: Insuperque[1] dictus Philippus rex recipere debeat et recipiat ad computum omne id quod tanget et fuerit iuste distributum mensis archiepiscopalibus et episcopalibus dictorum regnorum Castellae et Legionis, eâdem[2] sede vacante, intuitu dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum; quodque dictus Philippus rex debeat mandare dari quascumque cedulas et mandata solita et necessaria ad effectum ut brachium seculare det et praestet favorem et auxilium ad exequutionem et exactionem dictae divisionis praedictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum et expensarum desuper faciendarum, et ut negotia praesentem concordiam tangentia non ducantur aut trahantur ad audientias regias per vim, neque in illis se intromittant: Praeterea, ut pro parte dictorum Philippi regis et status ecclesiastici praedictorum regnorum, supplicetur nobis, quod concederemus Breve, quo confirmaremus et approbaremus dictam concordiam, quam teneantur adimplere omnes ecclesiae dictorum regnorum, tam illae quarum procuratores ibi aderant, quae maiorem partem constituunt, quam illae, quae procuratorem non habebant: sicque non se subscripserunt: Rursus, quod iudices commissarii apostolici exequutores generales dictae concesssionis et prorogationis dent et dare debeant provisiones et subdelegationes iudicum, et reliqua omnia necessaria ad exactionem dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum et expensarum; quodque omnia debita, quae debentur capitulo, vel dignitati, aut canonico, exigi possint a iudicibus subdelegatis,

1 Semper continuat idem regimen, sicut ab initio § 2 (R. T.).

2 Hinc confirmatur quod etiam in loco parallelo legendum erat *repartitione* pro *reparatione* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *comprehensa* (R. T.).

1 Aptius in loco cit. legitur *Insuper quod* (R. T.).

2 Vel vox *eâdem* redundat, vel legendum *earum* (R. T.).

si tamen tale debitum sit de fructibus, vel redditibus, super quibus est impositum et oneratum praedictum excusatum; et subdelegati sint de capitulis, dignitatibus et canonicis et non alii, ut moris est; et quoties ad dictos commissarios subdelegatos fuerit appellatum per viam gravaminis, quo aliquis se laesum praetendat ex dictâ divisione et repartitione, si iudex desuper aliquid ordinaverit, nihilominus interim non suspendet solutionem, neque impediet subdelegatis exequutionem exactionis, et super omnibus iustitiam administrent, et aliàs, prout in publico desuper a dilecto filio Ioanne de Talavera scriba regio et publico notario sub die XVII iulii MDCXIII confecto instrumento plenius dicitur contineri.

Partes eam petunt confirmari.

§ 3. Cum autem tam Philippus rex, quam capitula et status ecclesiasticus regnorum Castellae et Legionis huiusmodi cupiant, concordiam praedictam, pro illius maiori validitate, apostolicae confirmationis robore communiri; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat pontifex.

§ 4. Nos, qui honestis regis et capitulorum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, eumdem Philippum regem, ac singulares personas capitulorum huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, nec non concordiae et instrumenti praedictorum veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam huiusmodi et inde sequuta quaecumque (etiamsi ad exactionem pecuniarum in eâdem concordiâ contentarum etiam ante huiusmodi nostram confirmationem, in totum vel in partem, sit processum) auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; eaque (ac tam quoad capitula, quae nullo modo praedictis concordiae et distributioni interfuerunt nec illis consenserunt, etiamsi sanctae Romanae Ecclesiae cardinales fuerint ecclesias et alia beneficia possidentes, nec non decimas, primitias et alios fructus in dictâ concordiâ expressos exigentes) valida et efficacia esse, et per eos omnes inviolabiliter observari debere, illosque ad illorum omnium observationem et solutionem, omnibus viis ac iuris et facti remediis cogi et compelli posse et debere decernimus; absolventes etiam, si opus fuerit, tam ipsum Philippum regem, quam quoscumque eius ministros, nec non quascumque ecclesiasticas tam seculares, quam regulares personas a quibusvis censuris et poenis, si quas propter praemissa quomodolibet incurrerint, etiamsi in irregularitatem aliquam inciderint, ac missas et alia divina officia interim, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, super qua irregularitate huiusmodi, sic per eos forsan quomodolibet incursâ, harum serie dispensamus, nec propterea fructus ecclesiarum et beneficiorum obtentorum suos non fecisse dici aut censeri posse declaramus, ac ab eis omnem inhabilitatis maculam, sive notam, si quam propter praemissa quomodolibet incurrerint, abolemus, eosque in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum in omnibus et per omnia restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, ac restitutos, repositos et plenarie reintegratos per praesentes nunciamus.

Et in ea etiam monasteria et pia loca comprehendi declarat.

§ 5. Ceterum ad obviandum litibus et controversiis, quae inter personas ecclesiasticas oriri possent, harum serie declaramus, ad contributionem solutionum huiusmodi concordiae vigore faciendarum, monasteria et alia loca pia, quocumque respectu, etiam eorumdem bonorum, quae vulgo dicuntur *della Branza et Crianza*, quae videlicet pro usu et victu personarum eorumdem monasteriorum et piorum locorum inserviunt, teneri et obligatos fore declaramus.

Clausulae.

§ 6. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam sacri palatii apostolici auditores, etiam eiusdem S. R. E. cardinales, ubique iudicari et definiri debere, et irritum ac inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutores designati.

§ 7. Et nihilominus venerabili fratri moderno, et dilectis filiis nostro et Apostolicae Sedis apud dictum Philippum regem nunc et pro tempore existenti nuncio, et commissario generali cruciatae in regnis praedictis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ' ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Philippi regis et singularum personarum praedictarum fuerint requisiti, ad exequutionem eorum omnium, quae in dictâ concordiâ continentur, procedant, et per eos, ad quos spectat, eamdem observari curent et faciant: nec non eisdem nuncio et commissario generali iniungimus, quod, ' [1] ubi et quoties super repartitione et aliis in dictâ concordiâ contentis aliquas differentias exortas fuisse compererint, illas absque retardatione solutionis, iuxta repartitionem iam factam et faciendam, iudicio eorum, aequabili componant compositione et terminent, iustitiam partibus ministrando; nos enim tam praemissa peragendi, quam quidquid super praemissis statuerint, omni et quacumque appellatione remotâ, exequutioni debitae demandandi, nec non contradictores quoslibet et rebelles per opportuna iuris et facti remedia, ac demum per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendi, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, auxilium brachii secularis invocandi, plenam et liberam facultatem concedimus.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, legibus etiam municipalibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; nec non

1 Verba, quae inter duo '. conspicis, inutiliter repetita leguntur in edit. Main. (R. T.).

omnibus illis, quae in dictâ concessione primae decimae huiusmodi expressum est non obstare; seu si aliquibus communiter, vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Cardinales a solutione exempti.

§ 9. Ceterum eosdem S. R. E. cardinales tantum, quibus pensiones annuae super fructibus ecclesiarum cathedralium, aut metropolitanarum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum reservatae, seu ipsi fructus, vel eorum pars loco pensionum reservati reperiuntur, a praemissâ contributione, quoad ipsas pensiones et reservationes fructuum, volumus exemptos esse;

Transumptis danda fides.

§ 10. Quodque praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXXI octobris MDCXIV, pontificatus nostri anno X [1].

Dat. die 31 octobris 1614, pontif. an. X.

CCLVIII.

Renovatio constitutionis Clementis Papae VIII circa officium duorum assistentium prioris generalis Ordinis Eremitarum sancti Augustini, unâ cum earum declarationibus [2].

1 Eodem anno ac die Paulus Pontifex aliam eiusdem generis concordiam inter Philippum III et clerum Castellae et Legionis super altero subsidio quadringentorum et viginti millium ducatorum ratam habuit; Constitutionem autem omisimus, expressam quippe iisdem verbis, etc.

2 De hoc Ordine habes etiam hic supra Constitut. CCXLVIII *Pastoralis* pag. 263

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Provisionis nostrae debet provenire subsidio, ut ius suum unicuique conservetur. Proinde nos tenorem quarumdam litterarum in formâ Brevis felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, super deputatione ac officio duorum assistentium prioris generalis Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini pro tempore existentium, confectarum in secretariâ nostrâ, tunc ipsius Clementis praedecessoris, repertum, ex minutâ originali de verbo ad verbum transcribi et praesentibus annotari fecimus, pro eo quod huiusmodi tenore dilecti filii Ioannes Vincentius Spinula Genuensis ac Alphonsus Nunio de Andalucia (dicti Ordinis professores et dilecti etiam filii Nicolai a Sancto Angelo eiusdem Ordinis prioris generalis assistentes) se indigere nobis significari fecerunt. Qui quidem tenor talis est, videlicet:

Prior generalis et assistentes Clementis litteras petunt innovari.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Clementis VIII constitutio.

§ 1. De prospero Regularium Ordinum et personarum statu et regimine, pro nostri pastoralis officii debito, sollicite cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quae recta et felix, quam quaerimus, gubernandi ratio inducatur.

Exordium dictae Constitutionis Clementis VIII.

§ 2. Cum itaque sacras Religiosorum domos in Ecclesiâ Dei a sanctis patribus pie, sancteque institutas, quae unius superioris gubernio subsunt, maiores in viâ mandatorum Domini progressus facturas confidamus, quando eidem superiori viri aliqui religionis zelo, morum exemplo, rerumque experientiâ praestantes, ad gubernii onus sustinendum, consiliarii adiungantur et adiutores assistant: Nos, qui Religiones ipsas nostris temporibus, restitutâ in his pristinae regularis disciplinae normâ et observantiâ, pietate, charitate,

zelo, sanctitate, aliisque regularibus virtutibus fulgere maxime cupimus, id attente considerantes, et Ordinem sancti Augustini fratrum Eremitarum nuncupatum, quem in visceribus gerimus charitatis, paterne respicientes, ipsius superiori levamentum[1] fore ad eius Ordinis (qui benedicente Domino, quasi foecundus ager uberes fructus emittens, per universi christiani orbis partes copiose diffusus est) curam gerendam et regiminis pondus sustinendum, Ordini vero commodum et utilitatem non modicam, aliquorum assistentium, praestantium scilicet Religiosorum, operam allaturam iudicavimus.

Institutio duorum assistentium prioris generalis.

§ 3. His igitur et aliis rationalibus de causis, quas mature ac diligenter perscrutati sumus, adducti, hac nostrâ, quam perpetuo valere volumus, constitutione decernimus, ut in ipso Ordine sancti Augustini duo ex eiusdem Ordinis patribus, prioris generalis assistentes nuncupandi, in perpetuum constitui et deputari debeant, qui assistentes (hac primâ vice dumtaxat exceptâ, qua nos ipsi illos, ut infra, deputare volumus) in capitulo generali eiusdem Ordinis deputentur (eorum vero alter citramontanus, alter ultramontanus, sed uterque in sacrâ theologia magister ac sacerdos, et in quadragesimo saltem suae aetatis anno constitutus, vitaeque innocentiâ, rerum usu, ac doctrinâ maxime commendatus esse debeat), quorum consilio prior generalis, ut facilius et accuratius universa Ordinis negocia, quae ad suum pertinent officium, expedire possit, assidue uti debeat, ipsique assistentes in decernendis Ordinis negociis perpetuo eidem assistant, illumque, quocumque ierit, comitentur et associent, et generalis ipse absque eorum consilio nihil decernere valeat.

Eorum electio ad quem spectet.

§ 4. Ipsorum assistentium officium ad sexennium tantum duret, quo finito alii duo similes in capitulo generali huiusmodi, ut praedicitur, eligi debeant. Sed, si intra sexennium assistentes praedicti, aut alter eorum, decesserint, vel ipsorum officium per dimissionem vel amissionem aut aliâs quomodocumque vacare contigerit, tunc aliorum assistentium, qui usque ad tunc futurum generale capitulum durent, in deficientium locum subrogatio et electio ad Romanum Pontificem, Sedemque Apostolicam spectet et reservata existat[1].

§ 5. Assistentes huiusmodi eorum officio durante Sedi Apostolicae immediate subiecti sint.

Sedi Apostolicae immediate sint subiecti.

§ 6. Si vero interim crimen aliquod, quod absit, commiserint, propter quod eorum officio de iure privandi sint, tunc processus informativus contra illos a priore generali, de licentiâ tamen cardinalis protectoris ipsius Ordinis, fieri, et ad Romanum Pontificem pro tempore existentem, Sedemque praedictam transmitti debeat, ad quos eius causae cognitio et definitio pertineat. Exacto vero assistentis officio, priori generali immediate subiecti remaneant.

De crimine quomodo inquirantur.

§ 7. Hi praeterea assistentes in omnibus praedicti Ordinis negociis votum habeant consultivum. Priorque generalis pro illorum expeditione bis in hebdomadâ ipsis assistentibus negocia huiusmodi communicare, eorumque consilium super illis requirere debeat. In quibusdam tamen gravioribus casibus (veluti in vicarii generalis nominatione, provincialium privatione, aut legum, statutorum et decretorum, quae ad universum Ordinem spectent, promulgatione, in commissariis generalibus alicubi instituendis, visitatoribus provinciarum deputandis, poenâ triremium et carceris ultra annum, aut exilii ultra biennium irrogandâ, aut vocis activae et passivae privatione, aliisque similibus) si assistentes praedicti fuerint concordes, et

Quam auctoritatem habeant.

1 Edit. Main. habet *levamento* (R. T.).

1 Edit. Main. habet *existant* (R. T.).

in voto contrario praedicti generalis, tunc, sine retardatione exequutionis voti ipsius prioris generalis, eius rei cognitio ad Sedem Apostolicam devolvatur; si vero contingat vota esse diversa, tunc ea sententiâ praeferatur, quae a generali magis probabitur.

Et quam praecedentiam.

§ 8. Ceterum iidem assistentes pro tempore, dum eo munere funguntur, in quibuscumque locis et actibus eiusdem Ordinis, locum habeant immediate, praesente priore generali, ante omnes alios priores provinciales, et etiam procuratorem generalem Ordinis; absente vero priore generali, locum post ipsum generalem procuratorem, sed ante omnes alios habere debeant: finito vero officio, habeant locum immediate post assistentes pro tempore existentes.

Quale stipendium.

§ 9. Utque pro eius muneris qualitate congrue sustentari possint, eisdem assistentibus, dum in officio fuerint, congrua ad eorum substentationem stipendia, ex communibus provinciarum et domorum eiusdem Ordinis redditibus, per cardinalem protectorem et priorem generalem praedicti Ordinis decernenda et stabilienda, assignari debeant, et per eos exigi, et in eorum usus et utilitatem converti possint.

Electio assistentium pro hac prima vice.

§ 10. Hac igitur primâ vice dilectos filios Iacobum de Cortona, et Petrum Manriquez eiusdem Ordinis professores, et in sacrâ theologiâ magistros, in praedicti prioris generalis assistentes, Iacobum nimirum nationis citramontanae, et Petrum ultramontanae, pro primo sexennio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, constituimus et deputamus.

Praeceptum observandi supradicta:

§ 11. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis, et privationis vocis activae et passivae, aliisque arbitrii nostri poenis, moderno, et pro tempore existenti dicti Ordinis priori generali, ac universis et singulis aliis superioribus et religiosis, ut praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque observent, et ab omnibus, ad quos spectat, observari curent et faciant, nec a quoquam molestari patiantur, tam praedictos a nobis electos, quam pro tempore futuros assistentes huiusmodi, sed illos eorum officio fungi, ac omnibus et singulis praemissis pacifice frui et gaudere permittant et faciant.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, dictique Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini, priori generali, et aliis superioribus et personis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die v iulii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Constitutio innovatur.

§ 13. Ceterum, ut earumdem litterarum tenor sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, apostolicâ auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamdemque vim, et eumdem vigorem dictus tenor in omnibus et per omnia habeat, quem haberent litterae originales praedictae, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocumque et ubicumque, in iudicio sive alibi, fuerit exhibitus vel ostensus, ac illi pariter stetur, sicut eisdem litteris originalibus staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nullum ius cuiquam de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII novembris MDCXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 27 novembris 1614, pontif. anno X.

Sub eâdem die innovatio alterius constitutionis Clementis VIII circa idem obiectum.

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Provisionis nostrae debet provenire subsidio, ut ius suum unicuique conservetur. Proinde nos, tenorem quarumdam litterarum in formâ Brevis felicis recordationis Clementis Papae VIII, praedecessoris nostri, super deputatione ac officio duorum assistentium prioris generalis Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini pro tempore existentium confectarum, in secretariâ nostrâ, tunc ipsius Clementis praedecessoris, repertum, ex minutâ originali de verbo ad verbum transcribi, et praesentibus annotari fecimus, pro eo quod huiusmodi tenore dilecti filii Ioannes Vincentius Spinula Genuensis ac Alphonsus Nunio de Andalucia (dicti Ordinis professores, et dilecti filii Nicolai a sancto Angelo eiusdem Ordinis prioris generalis assistentes) se indigere nobis significari fecerunt, qui quidem tenor talis est, videlicet:

Prioris generalis et assistentium preces.

Clementis VIII litterae.

Clemens Papa VIII,

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

§ 14. Quae a nobis aliàs provide statuta et ordinata sunt, firmiter perpetuo observari cupientes, ea, cum opus est, confirmamus et innovamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum itaque aliàs pro feliciori regimine Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini decreverimus ut in ipso Ordine S. Augustini duo ex eiusdem Ordinis patribus in prioris generalis assistentes nuncupandi in perpetuum constitui et deputari deberent, qui, etc. *Omittitur residuum relationis quia ipsa Bulla est quae legitur in Const. praeced.* § 1, *et seqq.*

Refertur praecedens Constitutio.

§ 15. Cum autem capitulum generale praedicti Ordinis Eremitarum S. Augustini in proxime futuro festo Pentecostes Romae Deo favente celebrandum sit, nos praemissa omnia iuxta ordinationem nostram huiusmodi, tam in praedicto capitulo quam deinceps in perpetuum, observanda esse censentes, litterarumque praedictarum tenorem, ac si ad verbum insereretur, praesentibus pro expresso habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac merâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictas litteras, ac omnia in illis contenta, de novo, quatenus opus sit, perpetuo confirmamus, approbamus et innovamus, ac iuxta illarum seriem et tenorem in praedicto futuro et aliis capitulis generalibus praedictos duos assistentes, alterum ex citramontanâ, et alterum ex ultramontanâ natione, eligi et deputari, aliaque praemissa in omnibus et per omnia observari et exequutioni demandari statuimus et ordinamus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae praesidenti, ac definitoribus, et fratribus vocalibus eiusdem capituli generalis, ceterisque ad quos spectat, et in futurum spectabit, ut praemissa omnia observent et observari curent et faciant.

Cuius omnimoda exequutio praecipitur.

§ 16. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis praedicti (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ac omnibus illis, quae in praedictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Quibuscumque non obstantibus.

Datum Anconae, sub annulo Piscatoris, die XXVII aprilis MDXCVIII, pontificatus nostri anno VII.

§ 17. Ceterum, ut earumdem litterarum tenor sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, apostolicâ auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamdemque vim, et eumdem vigorem dictus tenor in omnibus et per omnia habeat, quem haberent litterae originales

Paulus praedictas Clementis litteras renovat.

praedictae, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocumque et ubicumque, in iudicio sive alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, ac illi pariter stetur, sicut eisdem litteris originalibus staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nullum ius cuiquam de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII novembris MDCXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 27 novembris 1614, pontif. anno X.

Opportunum duxi hic subinserere, quae circa praedictam priorem Clementis VIII constitutionem cardinalis Ordinis protector, consulto eodem Pontifice, declaravit.

Antonius tituli sancti Stephani sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Saulius nuncupatus, ac totius Ordinis Eremitarum sancti Augustini protector, dilectis nobis in Christo patribus, magistro Andreae Fivizanio priori generali, procuratori totius Ordinis, provincialibus, definitoribus, prioribus quelocalibus, ac ceteris omnibus eiusdem Ordinis fratribus, salutem, etc.

Cardinalis Saulius protector Ordinis refert praecedentem Clementis VIII Constitutionem.

§ 18. Cum aliàs, mensibus proxime elapsis, Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa VIII, pro bono regimine ac faciliori totius Ordinis Eremitarum sancti Augustini gubernio, per Breve apostolicum duos viros probos ac experientià praestantes, dilectos patres videlicet magistrum Iacobum Cortonensem Italum, et magistrum Petrum Manriquez Hispanum, reverendo patri priori generali adiunxerit, et in assistentes deputaverit, quorum consilio et voto prior ipse generalis universa Ordinis negocia, quae ad suum pertinent officium, accuratius expedire posset et valeret, cum auctoritate, stipendio, et praeeminentià, quadam, de quibus in dicto Brevi sub annulo Piscatoris confecto die V iulii MDXCIII, latius continetur, ad quod, etc.;

Et etiam nonnulla dubia super exorta.

§ 19. Cum sit etiam, quod, eo publicato, circa nonnulla in dicto Brevi contenta, quae non modicam perturbationem in toto Ordine generari posse videbantur, dubitari contigerit, quae tum ipsi perspeximus, tum ab aliis admoniti fuimus;

Deinde consulto prius Pontifice declarat primum dubium circa praecedentiam assistentium praedictorum.

§ 20. Et propterea ad tollendas omnes dubitationes, mentesque, ac animos nonnullorum sedandos, praefatum Sanctissimum Dominum Nostrum consulendum duximus, ut voluntatem suam nobis in omnibus patefaceret. Qui specialiter in infrascriptis nobis vivae vocis oraculo mentem suam declaravit et expressit, numquam suae intentionis fuisse nec esse, quoad praecedentiam dictorum assistentium, qui de praesenti sunt et imposterum erunt, finito eorum officio post sexennium, velle in aliquo praeiudicare priori generali ipsius officio functo vel dimisso vel absoluto ab eo, nec generali procuratori totius Ordinis, dum fuerit in actu suae procurationis, minusque provincialibus actu existentibus in suà provincià, nec definitoribus in definitorio ipso actu permanentibus, nec etiam prioribus localibus conventuum generalium in suo conventu actus priorales exercentibus; sed illam clausulam ibi: *Finito autem officio*, etc., quoad locum quem habituri sunt inter fratres dicti assistentes, ita intelligendam esse, ut post sexennium, finito eorum officio, praefati assistentes praecedere debeant omnes et quoscumque fratres, cuiuscumque sint gradus, ordinis, dignitatis, honoris et conditionis, exceptis supradictis priori generali ab eius officio absoluto, procuratore totius Ordinis suum officium actu exercente, provincialibus in suà provincià cum effectu existentibus, definitoribus actu in ipso definitorio permanentibus, ac prioribus localibus conventuum generalium priorales actus in suo

conventu pertractantibus: qui omnes in occurrenti casu dictos assistentes, eorum officio finito, praecedere debeant, et non aliter: in ceteris omnibus dicto Brevi in suo robore inviolabiliter permanente.

Et secundum circa eorum stipendium.

§ 21. Quo vero ad stipendia praefatis assistentibus pro eorum congruâ substentatione ex communibus totius Ordinis redditibus assignanda, et in ipsorum usus convertenda, idem Sanctissimus Dominus Noster declaravit, suae intentionis pariter fuisse et esse, ne detur locus proprietati, et ad huiusmodi suspicionem penitus tollendam, per eosdem assistentes eâ lege et hac conditione dicta stipendia exigi posse, ac in suos usus, utilitatemque dicto sexennio durante converti, dummodo eorum officio finito in capitulo generali de habitis et receptis, expensisque per eos factis, fidelem computum reddant, cum reliquorum satisfactione et effectuali consignatione eorum, quae supererunt, quaeve non expensa vel male erogata apparebunt, ad quae omnia peragenda voluit eosdem omnino teneri et obligatos esse.

Et huiusmodi praecipit servari declarationes.

§ 22. Hanc igitur Sanctissimi Domini Nostri voluntatem, declarationem, intentionem, ac mentis ipsius attestationem, ne de cetero super his dubitari contingat, vobis omnibus notum fieri cupientes, has nostras patentes litteras manu nostrâ signatas, et sigillo parvo munitas, vobis exarandas, scribendasque curavimus. Vobis omnibus auctoritate nostri officii, immo verius Sanctissimi Domini Nostri vivae vocis oraculo nobis facto, districtius praecipiendo, ut praedicta omnia observetis, ac inviolabiliter a ceteris omnibus observari mandetis, atque curetis. Valete in Domino.

Datum Romae in palatio nostrae solitae residentiae, V idus novembris, anno Domini MDXCIII.

Decretum capituli generalis Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Recineti anno Domini MDCII, *praesidente illustrissimo ac reverendissimo D. D. Octavio S. R. E. cardinali Bandino celebrati, circa officium duorum assistentium.*

Capitulum generale circa officium assistentium decrevit, ut hic.

§ 23. Ne dignitatis memoria post officii functionem sordescat, visis litteris illustrissimi ac reverendissimi domini D. Antonii cardinalis Saulii Ordinis nostri protectoris ad illustrissimum ac reverendissimum dominum D. Octavium cardinalem Bandinum sub XXIII aprilis huius anni, declaratur, quod tam reverendissimus pater totius Ordinis vicarius generalis apostolicus, quam reverendi patres assistentes, post abdicationem officiorum, ius habeant ferendi suffragium in comitiis generalibus, et loco post electos potiantur. Quod perpetuis temporibus servandum decernitur. Nova autem patrum assistentium electio ad definitorium generale pertineat.

CCLIX.

Clero seculari civitatis Mexicanae totiusque regni novae Hispaniae in Indiis ubique competit praecedentia super clerum regularem, etiam in propriis ecclesiis, et conventibus quorumcumque regularium[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Mexicano
Paulus Papa V.
Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

In regno Mexicano Regulares praecedentiam sibi arrogant super clerum secularem.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii decanus, capitulum et canonici ecclesiae Mexicanae, quod in civitate Mexicanâ in novo[2] Hispaniae regno in Indiis, nonnulli monachi et alii regulares etiam Ordinum mendicantium praetendunt clerum secularem in publicis processionibus praecedere.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.
2 Potius legendum *novae* (R. T.).

Decretum, de quo in rubricà.

§ 2. Nos, pro nostri pastoralis officii debito, utriusque cleri secularis et regularis quieti consulere, et omnium controversiarum occasionem inter eos, quantum cum Domino possumus, removere cupientes, supplicationibus decani, capituli et canonicorum praedictorum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super sacris ritibus et caeremoniis deputatorum consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut in civitate Mexicanà et toto regno novae Hispaniae in Indiis, regulares tam monachos quam fratres quorumcumque Ordinum, etiam mendicantium, in processionibus et aliis publicis actibus non debere clerum secularem praecedere, neque cum eis mixtim incedere, sed clerum secularem praedictum in omnibus locis, etiam in propriis ecclesiis et conventibus monachorum et fratrum, aliorumque regularium quorumcumque, praeferendum esse et praecedere debere; etiamsi aliquando ex secularium indulgentià, aut humanitate, seu alià forsan de causà, secus factum fuerit; et quamcumque contrariam consuetudinem tamquam abusum corrigendam esse, et ubique locorum in partibus praedictis observari debere, prout generaliter in universali Ecclesià iuxta dispositionem libri caeremonialis servatur, et specialiter servari mandatum fuit a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro in regnis Castellae et Legionis [1];

Clausulae.

§ 3. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatà eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate nostrà decernas et declares;

Archiepiscopo Mexicano eiusdem decreti exequutio demandatur.

§ 4. Ac contradictores quoslibet et rebelles, necnon decreto et declarationi per te vigore praesentium faciendis non parentes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis fuerint, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposità, cogas et compellas, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; super quo tibi plenam, liberam et amplam facultatem, eàdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Obstantibus derogatur.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unà, et in concilio generali editâ de duabus, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticà constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique

[1] In sua Const. CCCVI quam habes in tom. X, pag. 879 (R. T.).

habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I decembris MDCXIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 1, decembris 1614, pontif. an. X.

CCLX.

Confirmatio decreti concilii Constantiensis contra asserentes licere inferre manus tyramnis[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a materià ipsà desumptum.

Cura dominici gregis, per abundantiam divinae gratiae humilitati nostrae commissa, impigre nos semper, et his praecipue calamitosis temporibus, invigilare cogit, ut pastorali sollicitudine diabolicae versutiae conatus destruantur, et ii maxime, quibus, sub ipso boni seu liciti operis titulo, incautos fallit, vel eos, qui sunt intrinsecus lupi rapaces, ovium vestimentis praetexit, salutemque principum, unde publica tranquillitas pendet, in discrimen vocare molitur. Adversus quam rerum perniciem, etsi ecclesiasticis decretis satis provisum est, tamen quoniam temporum conditio et rei gravitas postulant, nostraque in catholicos principes paterna charitas requirit, ut, quorum salutem sinceris desideramus affectibus, et a Domino incessanter exposcimus, eorum securitati, quantum in Domino possumus, consulamus, amplius providendum duximus.

Concilii Constantiensis decretum contra manus iniicientes in tyramnos refert.

§ 1. Itaque, ut eorum nefarium et execrandum scelus, qui impias manus principum personis admovere, aut contra eorum salutem quomodolibet attentare diabolicà praesumptione non verentur, ab Ecclesià catholicà, quantum ex alto conceditur, ablegetur, et omnis aditus fraudibus et vesanis erroribus praecludatur; concilii Constantiensis declarationem, decretum ac definitionem circa doctrinam de nece tyramni editam tenoris huiusmodi: « Praecipuà sollicitudine volens haec sacrosancta synodus ad extirpationem errorum et haeresum in diversis mundi partibus invalescentium providere, sicut tenetur et ad hoc collecta est, nuper accepit, quod nonnullae assertiones erroneae in fide et bonis moribus, ac multipliciter scandalosae, totiusque reipublicae statum et ordinem subvertere molientes, dogmatizatae sunt, inter quas haec assertio delata est: *Quilibet tyramnus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias et subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocumque praestito iuramento seu confoederatione factis cum eo, non expectatà sententià, vel mandato iudicis cuiuscumque.* Adversus hunc errorem satagens haec sancta synodus insurgere, et ipsum funditus tollere, praehabità deliberatione maturà, declarat, decernit et definit, huiusmodi doctrinam erroneam esse in fide et in moribus, ipsamque tamquam haereticam, scandalosam, et ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria vias dantem, reprobat et condemnat. Declarat insuper decernit et definit, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt haeretici, et tamquam tales iuxta canonicas sanctiones puniendi »,

Atque confirmat.

§ 2. Nos, maturà deliberatione praehabità, hac nostrà perpetuà constitutione, apostolicà auctoritate innovamus, et, quatenus opus sit, approbamus et confirmamus. Si quis autem diabolico ausu contrarium attentare praesumpserit, eo ipso anathemate innodatus existat.

Praesentium publicatio Romae facta singulos arctat.

§ 3. Volumus autem, ut haec nostra constitutio ad valvas basilicae Principis apostolorum, et in acie campi Florae Urbis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

affixa, ita omnes afficiat, ac si unicuique personaliter intimata fuisset.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV ianuarii MDCXV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 24 ianuarii 1615, pontif. anno X.

CCLXI.

Prohibitio de pecuniis Montium Pietatis Status Ecclesiastici ad alium quam ab eorum erectione destinatum usum, absque Sedis Apostolicae licentiâ, quoquo modo disponendi [1].

Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Onerosa pastoralis officii cura, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissa postulat, ut bonorum quorumcumque, miserabilium personarum subventioni destinatorum, conservationi consulamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Causa huius prohibitionis. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, pecuniae Montium Pietatis nuncupatorum Status nostri Ecclesiastici, ad usus pauperum mutuo dandae, in alios usus avertantur, et in dies minuantur;

Prohibitio pecunias Montium Pietatis, in alium quam ab eorum erectione destinatum usum convertendi. § 2. Nos, huic malo opportuno remedio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, universis et singulis Montium Pietatis huiusmodi praesidentibus, protectoribus, defensoribus, administratoribus, deputatis et officialibus quibuscumque, necnon communitatibus, universitatibus, et earum etiam officialibus, quarumcumque civitatum, terrarum, et locorum Status nostri Ecclesiastici, quacumque dignitate fulgentibus, etiamsi episcopi, archiepiscopi, patriarchae, aut S. R. E. cardinales, etiam de latere legati existant, ne de pecuniis ad dictos Montes quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac tam pro sorte principali a principio illis assignatis, quam pro dictae sortis augmento postea acquisitis, in alios quam pauperum usus, iuxta modum et formam in erectione dictorum Montium praescriptam, absque nostrâ et Sedis Apostolicae licentiâ, sub quovis praetextu, vel quaesito colore, et cum obligatione intra quodcumque breve tempus restituendi, disponere praesumant, tenore praesentium prohibemus.

§ 3. Quod si quis contra hanc nostram prohibitionem venire praesumpserit, cardinales quidem, patriarchae, archiepiscopi, episcopi, suspensionis, aliae vero inferiores personae excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua nonnisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint. Contravenientium poenae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Derogatio contrariorum.

§ 5. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis copia in loco publico Montium Pietatis huiusmodi, quod ab omnibus legi possit, continuo affixa remaneat. Fides transumptorum.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die V februarii MDCXV, anno X.

Dat. die 5 februarii 1615, pontif. an. X.

CCLXII.

Quae servare debeant clerici regulares Congregationis sancti Pauli Decollati in admittendis novitiis ad habitum et professionem religionis [1].

1 Huiusmodi Montium institutiones licitas probavit Leo X in Constitut. XII *Inter* (in. h. n. edit. est XI in tom. V, pag. 621). Et eorum administrationis rationem Ordinariis locorum reddendam esse censuit Concilium Tridentinum sess. XXV, cap. IX. De Monte autem in Urbe constituto attende Gregorii XIII Constit. CLXXII *Inter*, tom. VIII, pag. 491.

1 Congregationem istam omnium primus approbavit Clem. VII in Constitut. XLV *Vota*, tom. VI,

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Sixtus V formam recipiendi novitios ad religionem praescripsit.

§ 1. Alias felicis recordationis Sixtus Papa V, praedecessor noster, modum et formam admittendi novitios ad habitum et professionem regularem praescribens, et antea desuper editam suam Constitutionem moderans, inter alia concessit, ut in qualibet provinciâ saltem duo, vel, si commode fieri posset, tria, aut plura monasteria seu domus regulares deputarentur, quarum seu quorum superiores, infra annum saltem, ad inquisitionem super novitiis faciendam, et ad ipsos religiosos iuxta formam eius prioris Constitutionis recipiendos, et alia in eâdem Constitutione contenta peragenda insimul congregarentur, prout in eiusdem Sixti praedecessoris sub plumbo desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

Cuius Pontificis mentis satisfieri videtur ex inquisitione, quam ista Clericorum Congregatio facit secundum suum institutum, auctoritate apostolicâ confirmatum.

§ 2. Cum autem (sicut dilecti filii praepositus generalis, et clerici regulares Congregationis clericorum regularium sancti Pauli Decollati nobis nuper exponi fecerunt) ipsi novitios ad habitum et professionem praedictos, iuxta litterarum praedictarum tenorem, nonnisi magno cum incommodo, propter nimiam eorum domorum regularium a se invicem distantiam, recipere non[2] possint, in regularibus vero eorum institutis apostolicâ auctoritate confirmatis caveatur expresse, ne novitii in Congregatione praedictâ ad habitum et professionem absque consensu et voto dicti praepositi generalis et quatuor assistentium recipi possint, indeque piae dicti Sixti praedecessoris circa praemissa constitutioni[1] satis prospectum esse videatur;

Ipsa ergo Congregatio Pontifici supplicat pro opportuna provisione.

§ 3. Nobis propterea praepositus et clerici praedicti humiliter supplicari fecerunt, quatenus sibi in praemissis, ut infra, indulgere, aliàsque desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Qui eidem Congregationi indulget, ut novitios de voto praepositi generalis et quatuor assistentium ad habitum et religionem admittat, servatâ in reliquis formâ dictae Bullae Sixti V.

§ 4. Nos igitur, praepositum et clericos praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis regularium praepositorum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in praedictâ Congregatione novitii ad habitum et professionem regulares eiusdem Congregationis, cum consensu et voto illius praepositi generalis et quatuor assistentium praedictorum, servatâ in reliquis praedictarum litterarum formâ, recipi et admitti libere et licite ac valide possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus litteris praedictis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis)

pag. 160. Deinde confirmavit Paulus III Constit. v *Dudum*, eodem tomo, pag. 190. Quam iurisdictionem et facultates habeant conservatores dictae Congregationis vide Constit. x Iulii III *Ad hoc*, eodem tomo, pag. 427. Quo vero ad receptionem et educationem novitiorum, attende etiam Constit. CXII Sixti V *Cum de omnibus*, tom. VIII, pag. 951, et Constitut. v Greg. XIV *Circumspecta* tom. IX, pag. 392, nec non Constit CCLXVIII Clem. VIII *In suprema* (in h. n. edit. est CCLXXIX in tom. X pag. 768).

1 Vide locum cit. in notâ ad rubricam (R. T.).

2 Particula *non* praeter rem est (R. T.).

1 Forsan legendum *intentioni* vel paulo ante lege *praedicti* loco *piae dicti* (R. T.).

statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI februarii MDCXV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 21 februarii 1615, pontif. an. x.

CCLXIII.

Institutio studii generalis in collegio, per Theodorum episcopum Paderbonensem et sacri imperii principem ad catholicae fidei ac bonarum artium profectum in civitate Paderbonensi erecto, sub regimine Societatis Iesu, cum privilegiorum et gratiarum elargitione.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Ex studiorum universitatibus quae bona proficiscantur.

In supereminenti Apostolicae Sedis speculà, meritis licet imparibus, disponente Domino constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes, quantum ex litterarum studiis catholica fides augeatur, divini nominis cultus protendatur, veritas agnoscatur, ac iustitia colatur, ad ea, per quae litterarum studia huiusmodi ubilibet excitentur, et humiles personae eis incumbere desiderantes id efficere possint, libenter intendimus, et in iis nostrae sollicitudinis partes propensius impertimur, prout pia ecclesiasticorum praelatorum vota exposcunt, nosque, locorum qualitate pensatà, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Theodorus episcopus Paderbonensis collegium Societatis Iesu Paderbonae erigit, redditibusque competentibus dotat.

§ 1. Sane, nomine venerabilis fratris Theodori episcopi Paderbonensis, sacri romani imperii principis, nobis nuper expositum fuit, quod ipse a viginti annis, vel circa, ut adolescentes suae civitatis Paderbonensis in bonis litteris, moribus et sincerà pietate instituerentur, et populus sibi commissus per frequentiam sacramentorum poenitentiae et eucharistiae, necnon concionum, lectionum et sacrificiorum in spiritualibus promoveretur, in eàdem civitate unum collegium Societatis Iesu, in quo humaniores litterae docerentur, per tunc existentem praepositum generalem dictae Societatis, in vim privilegiorum sibi ab Apostolicà Sede concessorum, erigi et institui curavit, illudque opportuno aedificio construi fecit et competentibus redditibus annuis dotavit.

Et in dicto collegio universitatem studii generalis theologiae, philosophiae, etc. institui petit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Theodorus episcopus provide consideret tam in suo quam vicinis episcopatibus magnam penuriam parochorum, qui litteras sciant, ut populum erudire, et se se haereticis, eorumque falsis et erroneis opinionibus opponere, ac etiam eorum, qui cum dignitate clero seculari, civitatibus, oppidis et locis, ac etiam abbatiis et monasteriis praefici possint, existere, et academias catholicas quinque aut sex dierum itinere distare; e contra vere propinqua esse gymnasia haereticorum, in quibus omnia studia ad haereses et falsa dogmata propaganda diriguntur, ac sapientià huius seculi gubernantur, et ad ea meliora saepe ingenia cum magno spiritualium et temporalium rerum damno proficiscuntur; et in totà veteri Saxonià nullam adesse academiam catholicam: et propterea, ut religionem catholicam, quae in locis sibi subiectis et vicinis episcopatibus viget, conservet, et, ubi collapsa est, hac potissimà ratione restituat, ac suos subditos et vicinos quam plurimos ad litterarum studia et navandi bonis litteris operam excitet, universitatem[1] studii generalis, in qua duae facultates theologia et philosophia, cum scholis linguae latinae, graecae et hebraeae, sub curà tamen, regimine et administratione dictae Societatis praepositi generalis et clerico-

[1] Perperam edit. Main. legit *universitatum* (R. T.).

rum eius, seu personae a dicto praeposito generali deputandae, doceantur, seu legantur, sufficientibus redditibus per eum dotandam, ac competenti habitatione, aliisque rebus necessariis ei providendum, per nos erigi et institui summopere desideret: nobis idcirco humiliter supplicari fecit, quatenus, subditorum suorum saluti et commodo consulendo, in dictâ civitate, ac aedibus ipsius collegii, universitatem, in qua Societatis praedictae religiosi theologiam, philosophiam, et ingenuas artes praedictas publice profiterentur, et iuvenes quoscumque docerent, apostolicâ auctoritate perpetuo erigere et instituere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Instituit Paulus.

§ 3. Nos igitur, Theodorum episcopum a quibusvis, etc., censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex nunc, prout postquam dictus Theodorus episcopus sufficientes redditus ad infrascripta de suo attribuerit et de rebus necessariis providerit, in civitate praedictâ, ac aedibus dicti collegii, ubi nunc scholae sunt, seu forsan in ampliorem formam construentur, universitatem studii generalis, in qua religiosi dictae Societatis theologiam nec non philosophiam, tam scholasticam, quam positivam, naturalem ac moralem, linguas latinam, graecam, et hebraeam, aliasque ingenuas artes praedictas publice profiteantur, ac iuvenes quoscumque doceant, ad instar aliarum universitatum studiorum generalium, tam in transalpinis provinciis et regnis, quam aliàs ubilibet erectarum, apostolicâ auctoritate praedictâ, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus, sine tamen alicuius praeiudicio.

Regiminique Societatis Iesu supponit.

§ 4. Ipsamque universitatem et studium generale, sic erectum et institutum, curae, regimini et administrationi dictae Societatis, et illius praepositi generalis, seu ab eo deputandi, qui totius universitatis rector existat, praedictâ auctoritate, etiam perpetuo supponimus et submittimus.

Privilegiisque et gratiis studiorum huiusmodi dictum collegium eiusque personas exornat.

§ 5. Ac eidem universitati, illiusque rectori, magistris, scholasticis, aliisque praedictis universis et singulis, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus, et praeeminentiis, huiusmodi universitatibus, illarumque pro tempore existentibus rectoribus, magistris, lectoribus, doctoribus, praeceptoribus, scholasticis, procuratoribus, bidellis, nunciis, officialibus, ministris, et aliis personis, in genere vel in specie, tam praedictâ, quam imperiali, regiâ, aut ducali auctoritatibus, et aliàs pro tempore quomodolibet, concessis, non solum ad eorum instar, sed pariformiter ac aeque principaliter, in omnibus et per omnia, uti, potiri et gaudere:

Rectori illius facultatem promovendi ad gradus concedit.

§ 6. Et insuper rectori eiusdem universitatis et collegii pro tempore existenti, ut illos, quos in ipsâ erectâ universitate, vel etiam alibi in aliâ quavis catholicâ per debitum tempus studuisse ac scientiâ[1] et moribus idoneos esse repererit, in praedictis facultatibus artium et theologiae, ad baccalaureatus, etiam formati, licentiaturae, laureae, ac doctoratus, nec non magisterii gradus (servatâ in omnibus formâ decretorum Viennensis et Tridentini conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, et aliàs iuxta universitatum aliorum studiorum generalium consuetudines et erectae universitatis statuta) promovere, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibere.

Promotis autem privilegia et facultates in aliis huiusmodi studiis promotis competentes elargitur.

§ 7. Utque ad dictos gradus sic per illum promoti, postea publice et privatim, etiam in omnibus aliis universitatibus studiorum generalium, facultates praedictas interpretari, et alios docere, et de eis

1 Erronee, ut puto, edit. Main. legit *scientiae* (R. T.).

disputare, gradui seu gradibus huiusmodi convenientes actus exercere, ac omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in praedictis seu aliis universitatibus, et alibi iuxta illarum constitutiones et mores, ad gradus praedictos promoti de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt in futurum, in omnibus et per omnia perinde ac si gradus ipsos in universitatibus huiusmodi iuxta illarum mores et consuetudines rite suscepissent, uti, potiri et gaudere:

Praeposito generali Societatis Iesu statuta pro dicti collegii regimine condendi, officialesque et ministros deputandi tribuit auctoritatem.

§ 8. Nec non pro tempore existenti dictae Societatis praeposito generali, ut per se, vel dicti collegii et erectae universitatis rectorem, aut alium, seu alios, pro salubri et felici dictae universitatis directione, ac rectoris, magistrorum, procuratorum, bidellorum, nunciorum, ac aliorum ministrorum, et officialium muneribus et functionibus, modoque et formà docendi, et aliàs sua officia exercendi, et scholasticorum manutentione, quaecumque statuta et ordinationes licita et honesta, ac sacris canonibus et concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis non contraria, edere et promulgare, eaque pro temporum, rerum et personarum qualitate mutare, corrigere et reformare, seu illa cassare et abrogare, ac alia de novo edere et super illorum observatione poenas eius arbitrio imponere: dictaeque universitatis doctores, magistros, lectores, scholasticos, procuratores, bidellos, aliosque ministros et officiales eligere et amovere, seu electiones factas confirmare libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo concedimus et indulgemus.

Bona, et iura ab ipso Theodoro episcopo dicto collegio concedenda, eidem perpetuo applicat.

§ 9. Nec non domum, bona et iura a dicto Theodoro episcopo, ut praefertur, collegio et illius universitati per praesentes erectae praedictis concessa et donata, ac etiam concedenda et donanda, auctoritate et tenore similibus, itidem perpetuo applicamus et appropriamus.

Clausulas huius Constitutionis praeservativas apponit.

§ 10. Praesentes vero nostras litteras de nullitatis vitio notari, seu impugnari, infringi, limitari, seu in ius vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque iuris et facti vel iustitiae aut gratiae remedium intentari, impetrari vel concedi nullatenus unquam posse; sed illas semper et perpetuo, adversus quascumque impugnationes et exceptiones, validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere;

Ita et non aliter iudicari mandat.

§ 11. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, iudicari, etc., attentari, decernimus.

Contrariisque derogat.

§ 12. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II aprilis MDCXV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 2 aprilis 1615, pontif. an. X.

CCLXIV.

Lodovico regi christianissimo conceditur ad sui vitam indultum nominandi ad ecclesias et monasteria Britanniae et provinciae Provinciae[1].

Charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum regi christianissimo Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Nonnulli Pontifices regibus Galliae ius nominandi ad ecclesias et monasteria ducatus Britanniae

Cum nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri aliquibus Francorum regibus christianissimis, ob eorum praeclara in Apostolicam Sedem merita, ius

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et provinciae Provinciae ad eorumdem regum vitam concessere.

nominandi personas idoneas ad cathedrales et metropolitanas ecclesias ac monasteria in ducatu Britanniae et provincià Provinciae, quorum ipsi reges domini in temporalibus existunt, pro tempore vacantia ad cuiuslibet dictorum regum vitam tantum reservaverint, concesserint ac indulserint, prout in diversis eorumdem praedecessorum, ac nominatim felicis recordationis Sixti V sub die decimâquinta novembris MDLXXXVI, et Clementis VIII sub datâ die vigesimâtertiâ iunii MDXCVII[1], expeditis litteris plenius continetur:

Paulus idem ius Ludovico regi concedit.

§ 2. Nos, qui maiestatem tuam, ob eius singularem pietatem, religionis zelum, ac in nos et Apostolicam Sedem observantiam, aliaque praeclara merita, specialibus favoribus et gratiis libenter prosequimur, singularum litterarum praedictarum tenores ac datas, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes; motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex merà deliberatione ac certà scientià nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, maiestati tuae, quoad vixerit, ius nominandi nobis et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus nostris personas probatas boni nominis, ac secundum sacrorum canonum dispositionem idoneas, ad quascumque cathedrales et metropolitanas ecclesias ac monasteria quorumcumque Ordinum, de quibus consistorialiter disponi consuevit, in ducatu Britanniae et provincià Provinciae praedictis consistentia, quoties illa quibusvis modis et ex quorumcumque personis, non tamen per obitum, apud Sedem camdem vacare contigerit, per nos et successores praedictos ad nominationem huiusmodi ecclesiis et monasteriis praedictis praeficiendas, tenore praesentium reservamus, concedimus et assignamus.

Clausulas pro concessionis huiusmodi firmitate apponit.

§ 3. Decernentes ius nominandi huiusmodi ad ecclesias et monasteria praedicta tibi quoad vixeris competere debere, neque sub quacumque quantumvis speciali derogatione comprehendi, vel ei quovis modo et ex quacumque causà derogari, et si ei derogari contingat, minime suffragari posse; et nihilominus quascumque ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi provisiones, commendas et alias de eis dispositiones, etiam cum iuris nominandi huiusmodi derogatione, contra earumdem praesentium tenorem etiam per nos et successores praedictos ac dictam Sedem eamdem, absque tuis nominationibus, etiam motu, scientià, et potestatis plenitudine similibus, quoquo modo pro tempore faciendas, et desuper conficiendas litteras, ac inde sequuta quaecumque, nulla et invalida, nulliusque roboris et momenti fore et esse; teque ad docendum de litteris praedictis, seu illas ostendendum, et in eis contenta quaecumque iustificandum minime teneri, sed iisdem praesentibus tantum uti posse, illisque tam in iudicio, quam extra illud stari debere; sicque, et non aliàs, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, et causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatà eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere: ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus quibusvis generalibus vel specialibus ecclesiarum et monasteriorum praedictorum reservationibus seu affectionibus apostolicis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem eamdem quo-

1 Const. Pauli V et Clem. VIII huiusmodi in *Bullario* non leguntur (R. T.).

modolibet factis, seu pro tempore faciendis, nec non cancellariae apostolicae regulis editis et edendis, ac quibusvis aliis apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, illorumque Ordinum, nec non ducatus et provinciae praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam quasvis clausulas et reservationes in se continentibus, per eosdem praedecessores, ac nos, et Sedem eamdem ecclesiis et monasteriis, illorumque capitulis, conventibus et Ordinibus, ac ducatui et provinciae praedictis, eorumque communitatibus et personis, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praemissorum, harum serie, specialiter et expresse, motu, scientiâ, et potestatis plenitudine paribus, derogamus, et ad plenum derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nominationes infra sex menses a die vacationis fieri mandat.

§ 5. Volumus autem, quod infra sex menses, a die vacationis ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi computandos, personas idoneas nobis et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus, pro collatione, provisione seu commendâ obtinendâ nominare omnino tenearis, ac ad monasteria huiusmodi in titulum concedi solita clerici seculares, vel alterius quam monasterii, ad quod eos per te nominari contigerit, Ordinis regulares nominandi, habitum per fratres seu monachos illius monasterii gestari solitum suscipere, ac professionem per eosdem fratres seu monachos emitti consuetam expresse emittere teneantur; alioquin, dictis sex mensibus elapsis, de ecclesiis seu monasteriis, ut praefertur, vacantibus per nos, seu pro tempore existentem Romanum Pontificem, libere disponi possit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx aprilis MDCXV, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 30 aprilis 1615, pontif. an. x.

CCLXV.

Confirmatio litterarum magni magistri et quorumdam capitulorum in consilio dicti magni magistri factorum pro fratribus militibus Linguae Provinciae hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Personarum omnium sub militari habitu et regularibus institutis Altissimo famulantium, praesertim qui se se fidei catholicae, etiam cum vitae periculo, defensores profitentur, felici directioni libenter intendentes, illa, quae propterea inter eos sancita et ordinata sunt, ut ab omnibus inviolabiliter observentur, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae firmitatis munimine roboramus, prout conspicimus salubriter in Domino expedire.

Fratres Linguae Provinciae nonnulla statuunt pro [illegible] prioratuum sancti E[illegible] et Tolosani.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres Linguae Provinciae, hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, quod ipsi pro feliciori prioratuum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sancti Ægidii et Tholosani[1], Linguae et hospitalis praedictorum, statu ac regimine et gubernio, et aliàs certis rationabilibus de causis animos eorum moventibus, omnia et singula in infrascriptis patentibus litteris contenta, maturâ praehabitâ deliberatione, fecerunt, statuerunt et decreverunt, quae subinde a dilectis etiam filiis Alophio de Wignacourt magno magistro et concilio ordinario eiusdem hospitalis approbata et confirmata fuerunt, prout plenius continetur in patentibus desuper confectis litteris, tenoris subsequentis:

Quae litteris hic relatis confirmata fuerunt a M. magistro.

§ 2. Frater Alophius de Wignacourt Dei gratiâ sacrae domus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani magister humilis, pauperumque Iesu Christi custos: et nos baiulivi, priores, commendatarii et fratres concilium ordinarium in Domino celebrantes,

Universis et singulis praesentes nostras litteras visuris, lecturis et audituris, salutem in Domino et prosperos ad vota successus.

Ad ea studiose, atque libenter intendimus, aciemque mentis nostrae dirigimus, quae de fratrum consensu pro beneficio ipsorum et publicâ ordinis nostri utilitate, venerandaeque Linguae Provinciae commodo et decore, facta et concordata esse dignoscuntur, ut illibata et firma permaneant, nostri muniminis adiicimus firmitatem. Sane per procuratores nostrae venerandae Linguae Provinciae ex parte locumtenentis venerandi magni commendatarii, commendatariorum et fratrum eiusdem venerandae Linguae hic Melitae in conventu nostro ad Dei et religionis nostrae obsequia residentiam[2], nobis in venerando consilio praesentata et porrecta fuerunt quaedam capitula, pacta et declarationes circa duos prioratus sancti Ægidii et Tholosae, occasione separationis et erectionis quarumdam commendarum dictorum prioratuum, ac super aliis, in eisdem capitulis expressis, per praefatam Linguam, nemine discrepante, concordata et firmata, debitâ cum reverentiâ et instantiâ postulando, ea omnia a nobis confirmari, approbari et ratificari: quorum capitulorum tenor fuit, et est qui sequitur, videlicet:

Addì XXIII di dicembre MDCXIV.

Fu tenuta la veneranda Lingua di Provenza, con licenza di monsignore illustrissimo fra Alofio de Wignacourt, nostro degnissimo gran maestro, presidente in quella il molt'illustre signore fra Ercules di Ventimiglia Revest, luogotenente di gran commendatore, nella quale si propose che, dovendosi considerare il beneficio pubblico ed il reggimento e buon governo dello Stato delli venerandi priorati de' santi Gili e Tolosa della detta veneranda Lingua, per degni rispetti moventi l'animo loro, dopo lunga discussione, si giudicò essere necessario che si riformino essi loro stati nel modo seguente, cioè: Che la commenda di san Tommaso Trincataglie e la commenda di Beaulieu, tutte due camere priorali, sieno smembrate dal detto priorato di san Gili, e sieno fatte due commende smutibili di cabimento, o miglioramento, o di grazia magistrale, secondo occorrerà il caso, e si debbano conferire a chi per suo torno sarà capace; che si debbano erigere in una commenda lì due membri, cioè quello vocato la Favigliana, dipendente dalla commenda suddetta di Trincataglie, posseduto al presente dal signor commendatore Giovanni Francesco Puget, e l'altro membro vocato Portarnaut, dipendente dalla stessa commenda di Trincataglie, qual commenda sia *in capite* smutibile in favore de' Fiarnaldi, per essere confe-

1 Paulo infra legitur *Tholosae* (R. T.).

2 Legendum videtur *residentium* vel *residentes* nempe procuratores (R. T.).

rita, secondo lo stile della nostra religione, a suo torno a chi sarà capace; però che detta erezione si debba intendere dopo la vacanza in qualsivoglia modo di detti membri, e senza pregiudizio alcuno di quelli che al presente li possiedono, li quali possano permutarli con grazie, o camere magistrali, o trasferirli nel modo che gli tornerà commodo, e disponerli sempre nel medesimo modo, che possono fare al presente, non pretendendo detta Lingua di pregiudicarli in questo accordo in cosa alcuna, anzi favorirli, ed insomma che restino come se non si fosse trattato accordo; e però che[1] detta unione ed erezione in commenda si debba intendere fatta, ed avere il suo effetto, dopo la vacanza di quello, a chi sarà conferito detto membro nel modo suddetto, e non altrimenti: E perchè il più principale di detti due membri erigendi in una commenda smutibile sono l'uno il suddetto chiamato la Favigliana e l'altro Portarnaut, s'intenda che tutte le volte che vacherà in qualunque modo la Favigliana,[2] non si debba aspettare la vacanza del membro minore suddetto Portarnaut, ma si debba procedere alla smutizione di detto capo di membro, come capo della commenda nuovamente eretta, e conferirsi al solito a chi sarà capace, per suo torno; e vacando dopo il suddetto membro minore di Portarnaut, *ipso iure et ipso facto* s'intenda incorporato al suo capo senz'altra provisione, in modo tale che sia e s'intenda unito con detto suo capo a favore di chi sarà stato già provvisto di detto capo della detta commenda nuovamente eretta: intendendo però, che, se frattanto che non vacasse nel modo suddetto la Favigliana, capo di detta commenda, vacasse in qualsivoglia modo il membro minore suddetto di Portarnaut, in tal caso s'intenda e si debba intendere che la detta venerabile Lingua ritenga senz'altro titolo, e goda, usufrutti [1], ed amministri detto minor membro vacato in utilità di essa Lingua, infino che venga il caso della vacanza del capo maggiore del suddetto membro della Favigliana, e possa avere effetto essa erezione di nuova commenda nel modo suddetto: Che venendo a vacare in qualunque modo i due membri, l'uno chiamato Bellagarda, dipendente dalla commenda di san Gili, l'altro vocato Barbentana, dipendente dalla stessa commenda, subito seguita detta vacanza di qualsivoglia di detti due membri, *ipso facto* s'intenda, e si debbano intendere uniti ed incorporati con la commenda nominata Ciroles, dipendente dal detto priorato di san Gili, senza altra nuova provisione; intendendo la detta Lingua che li possessori presenti di detti due membri Barbentana e Bellagarda abbiano e godano della stessa autorità e facoltà, come quelli della Favigliana e Portanaut: Che la casa con le sue appartenenze e tutti quei mobili che in essa si trovano della detta commenda di S. Tommaso Trincataglie, la quale è dentro la città di Arles, sia incorporata e debba essere e s'intenda unita ed annessa col detto priorato di san Gili per commodità del priore e sua utilità: e però, perchè detta commenda di san Tommaso Trincataglie si smembra dal detto priorato, come di sopra, e data in beneficio delli signori della Lingua, quello che la conseguirà per qualsivoglia titolo, debba essere obbligato a fare, o fare avere in essa commenda una casa a suo arbitrio, dentro la città suddetta d'Arles, e si conterà per rata al suo miglioramento, altrimenti li miglioramenti suoi s'intendano invalidi[2]: Che essendo cosa ragionevole che il priore suddetto di san Gili, essendo smembrato

1 Hic et sup. lin. 2 ed. Main. legit *perocchè* (R.T).
2 Ed. Main. huc iterum adiicit coniun. *che* (R.T).

1 Ed. Main. habet *e godo, usufrutta* (R. T.).
2 Prout reperimus, ita edimus (R. T.).

detto priorato per beneficio pubblico e per utilità e commodo delli signori Fiamaldi[1], sia in alcun modo ricompensato[2]; per questo si risolse che quello il quale sarà canonicamente promosso e provisto per la nostra religione, secondo li nostri statuti e costumi, in detto priorato di san Gili, possa, in ricompensa delle commende che gli si smembrano, ritenere insieme col detto priorato, avere e godere, oltre camere o grazie magistrali che ne avesse, tutte altre commende *de gratiâ prioris* di miglioramento o cabimento, membri e pensioni, o qualsivoglia altri beni di detta religione; intendendo però che tutti li beni con li quali entrerà in detto priorato, s'intendano non esser mai incorporati ed annessi al capo di detto priorato, con questo, che, morendo detto priore, tutto quello che avrà portato, tanto commende, membri, pensioni, come qualsivoglia altri beni, al priorato, ritorni ogni cosa alla detta venerabile Lingua ed a chi toccherà per suo torno: Che vacando alcuna commenda la quale esso priore, secondo detti nostri statuti, potesse dare per grazia sua priorale, in tal caso, ricompensandolo, possa quella ritenere in sua utilità, ed insieme goderla col priorato e tutti altri beni che avesse, come di sopra: E perchè per Brevi apostolici, per l'anzianità, e iusquesiti concessi tanto all'illustrissimo signor principe di Vandôme, gran priore di Tolosa, quanto alla felice memoria del signor cavalier di Guisa sopra li frutti di detto priorato di san Gili, sua serenità obbliga a loro soli, e non al molt'illustre gran commendatore Vaqueras, dover essi pagare la pensione costituita all'illustrissimo signor cardinal di Gioiosa di scudi romani 1750 sopra li frutti del priorato di Tolosa, vita sua durante, per sgravare esso priorato di Tolosa; per questo si risolse dalla detta veneranda Lingua, che quello che sarà priore di san Gili provvisto dal nostro convento, conforme li nostri statuti, dopo detti signori di Vandôme e Vaqueras, dopo che avrà entrato in rendita reale *et in perceptione fructuum* di detto priorato, sia obbligato e debba in ogni modo, senza contraddizione, opposizione o difensione alcuna, pagare, a suo luogo e tempo, a detto illustrissimo signor cardinale, o a persona legittima per lui, o al prior di Tolosa che sarà allora, domandandogliela, eziandio che il detto signor cardinale o legittima persona per lui non gliela domandasse, nel qual caso esso prior di Tolosa, che sarà, subentrerà, e si intenda subentrato in luogo, nelle istesse azioni e ragioni dell'illustrissimo signor Gioiosa suddetto; per contra, chi sarà priore di san Gili, e mentre pagherà detta pensione, possa godere e fruttare la suddetta commenda di san Tommaso di Trincataglie, smembrata *ut supra*, e subito che sarà detta pensione estinta in qualsivoglia modo, *eo ipso* s'intenda vacata detta commenda di san Tommaso di Trincataglie, e si debba smutire in Lingua, e provedersi nel modo che i nostri statuti ordinano, come commenda smutibile, e nel modo suddetto. Per maggior osservanza del suddetto, quello che ha da avere esso priorato di san Gili dopo detto illustrissimo, ed il signor di Vaqueras, debba innanti la smutizione di detto priorato obbligarsi in forma sufficiente per atto di cancelleria e con giuramento di osservare *bonâ fide* e da cavaliero tutto il prenarrato, pagare detta pensione nel modo suddetto *realiter et cum effectu*, senza opposizione alcuna, e questo per l'indennità ed interesse tanto del comun tesoro che sarà; altrimenti fosse obbligato a tutti i danni, spese ed interessi di quello che la pagherà, delle quali si debba stare al solo detto e giuramento del pagante essa

1 Supra legebatur *Fiarnaldi* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *sieno ... ricompensati* (R. T.).

pensione; e fatta detta obbligazione, allora si proceda alla smutizione del detto priorato di san Gili, altrimenti ogni smutizione, provisione o collazione che si facesse, fosse di nessun valore. Tutto questo però, quanto si è concordato di sopra ed appuntato, intende essa venerabile Lingua, che sempre debba essere e s'intenda senza pregiudizio alcuno dell'anzianità, e iusquesiti, che hanno in detto priorato di san Gili, ragioni ed azioni l'illustrissimo signor principe di Vandôme, ed il signor gran commendatore frà Giovanni di Vassadel Vaqueras, come anco senza pregiudizio alcuno dell'autorità, facoltà e preminenze del presente signor gran priore di san Gili, frà Pietro di Sparviers Lussan; alle quali loro autorità e preminenze detta venerabile Lingua non intende pregiudicare in cosa alcuna, anzi in ogni capo de' suddetti ed in tutto insieme s'intendano preservati sempre, nè per causa alcuna, nè in qualsivoglia modo, *directe* o *indirecte, tacite vel expresse*, pregiudicati; nè pregiudizio alcuno, quanto è nel medesimo modo le ragioni, preminenze ed autorità magistrali, ed ancora del nostro comun tesoro[1]; anzi quelle sempre s'intendano preservate, siccome mai fosse fatta questa concordia. E tutto il contenuto nella presente concordia, dopo essere stato letto e pubblicato nella detta venerabile Lingua, quello ha confermato, accordato e concluso, *nemine discrepante*, essendo le galere nel porto. *Extrait du livre de la vénérable Langue de Provence, fait par main de autruy, et signé pour moi secrétaire d'icelle, soubsigné Fr. M. de Périer. Les procureurs de la surditte vénérable Langue, soubsigné Fr. François de Puget, Fr. François de la Crothe la Ménardie.*

1 Scilicet: *e senza pregiudizio alcuno per ciò che spetta alle ragioni, etc., ed anche senza pregiudizio del nostro comun tesoro* (R. T.)

Quare nos attendentes praeinserta omnia et singula de communi consensu omnium fratrum dictae venerabilis Linguae, pro beneficio et utilitate Ordinis nostri dictorumque prioratuum, confecta esse, supplicationibus praelibatorum inclinati, omnibus melioribus viâ, modo, iure et formâ, quibus melius et validius facere possumus et debemus, invicem maturo et deliberato consilio, de nostrâ certâ scientiâ (adhaerentes privilegiis apostolicis, quibus nobis et conventui nostro data est ampla et libera facultas providendi, uniendi et dismembrandi, et aliàs de illis disponendi cum mero et mixto imperio), capitula, pacta, declarationes, separationes et uniones praescripta, eisdem modis et formis in eis contentis, iuxta illorum continentiam et tenorem, harum serie laudamus, approbamus et confirmamus, praesentisque scripti patrocinio communimus: supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan in eisdem intervenerint: praecipientes omnibus et singulis domus nostrae fratribus, quacumque auctoritate, dignitate, officioque fungentibus, praesentibus et futuris, in virtute sanctae obedientiae, ne contra praesentes nostras confirmationis et approbationis litteras aliquatenus facere vel venire praesumant, sed eas studeant inviolabiliter observare. In cuius rei testimonium bulla nostra communis plumbea praesentibus est appensa.

Datum Melitae in conventu nostro die XV mensis ianuarii MDCXIV ab Incarnatione.

El Lugarteniente del gran cançeller
Fray Don ANTONIO DE SAAVEDRA.

Registrata in Cancelleria.

Frater IOANNES OTHO BOSIUS
Viceeancellarius.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, fratres praedicti Linguae Provinciae huiusmodi litteras praedictas, Confirmari petunt a Pontifice.

ac in illis contenta praedicta, pro firmiori eorum validitate et subsistentiâ, apostolicae confirmationis robore communiri plurimum desiderent, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Paulus. § 4. Nos igitur, fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras patentes praedictas, omniaque et singula in eis contenta (sine tamen ullo praeiudicio dictos prioratus nunc obtinentium, et ad illos ius quomodolibet habentium, nec non venerabilis fratris nostri Francisci episcopi Portuensis cardinalis de Gioiosa nuncupati et cuiuscumque alterius personae), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, et quosvis alios, etiam quantumvis substantiales, defectus, si qui in praemissis, aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 5. Decernentes praesentes litteras omniaque et singula in illis contenta valida, firma et efficacia fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et ab omnibus Linguae praedictae fratribus perpetuo et inviolabiliter observari debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non hospitalis et Linguae praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII maii MDCXV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 22 maii 1615, pontif. an. X.

CCLXVI.

Constitutio contra ecclesiasticos locantes bona haereticis in dominio archiducis Austriae [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii, quam omnibus ecclesiis impendere tenemur, sollicitudo a nobis postulat, ut quae fidei catholicae non mediocri detrimento sunt, quaeque ecclesiis, earumque bonis et iuribus grave damnum afferunt, et [2] quantum nobis ex alto conceditur, ut ab Ecclesiâ Dei ablegentur, provideamus.

Ecclesiastici sua bona haereticis locabant. § 1. Cum itaque, sicut non sine animi nostri molestiâ accepimus, nonnulli episcopi et ecclesiarum praesules ac praelati, aliaeque personae ecclesiasticae in provinciis dilecto filio nobili viro Ferdinando archiduci Austriae subiectis existentes, suarum ecclesiarum et aliorum

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.
2 Particula *et* redundare videtur (R. T.).

per eos obtentorum beneficiorum bona personis nobilibus haereticis locent et oppignorent, non sine gravi detrimento fidei catholicae, salutis animarum et ecclesiarum;

Prohibet Paulus.

§ 2. Nos, pro incumbentis nobis officii debito praemissis occurrere volentes, felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri vestigiis inhaerentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, omnibus et singulis archiepiscopis, episcopis, ecclesiarum praesulibus, aliisque praelatis et quibusvis personis ecclesiasticis praedictis, ne de cetero perpetuis futuris temporibus castra, pagos, villas, decimas, agros et alia cuiuscumque generis bona, fructus et proventus ecclesiasticos, venditionis, locationis, gubernationis, aut pignoris, seu alio quocumque alienationis latissime sumpto vocabulo, aut alio quocumque titulo, seu nomine, neque ad breve, neque ad longum tempus, haereticis et personis de fide catholicâ male sentientibus vendant, alienent, locent, oppignorent et concedant, sub indignationis nostrae et aliis poenis et censuris in sacris canonibus, conciliorum decretis et constitutionibus apostolicis contentis eo ipso incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Factas, faciendasque huiusmodi locationes irritat.

§ 3. Decernentes nihilominus quascumque venditiones, alienationes, locationes, concessiones, oppignorationes et alia contra praesentium tenorem facta, et si quae[1] pro tempore fieri contigerit, quod non credimus, nulla, irrita et inania fore, nulliusque roboris vel momenti existere, nec ullis quovis modo suffragari posse.

Clausulas apponit.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nuncium apostolicum commissarium executorem deputat.

§ 5. Quocirca venerabili fratri episcopo Alexandrino, necnon aliis pro tempore existentibus nostris et Sedis Apostolicae apud dictum Ferdinandum archiducem nunciis, per praesentes committimus et mandamus, ut nostram huiusmodi prohibitionem archiepiscopis, episcopis, et praelatis praedictis, et aliis quibus opus esse duxerint, denuncient, et eos, ne talia committant, quando et quoties opus fuerit, admoneant.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium transumptis credi iubet.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dicti moderni et pro tempore existentis nuncii huiusmodi munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iunii MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 5 iunii 1615, pontif. an. XI.

CCLXVII.

Cassatio et annullatio decretorum, legum et ordinationum in praeiudicium ecclesiae et patriarchae Aquileiensis factorum super datiis et cognitione causarum in castris sancti Danielis et sancti Victi Aquileiensis et Concordiensis respective dioecesum.

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Facti series.

§ 1. Cum, sicut ad nostram notitiam, non sine animi nostri dolore, pervenit,

1 Potius legendum *si qua* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

complura ordinata seu constituta, aut decreta vel praecepta, seu aliàs attentata et innovata fuerint, praesertim super datiis et super iurisdictione in omnibus causis, maxime criminalibus, ac gubernio, et administratione, in praeiudicium auctoritatis ecclesiasticae, et venerabilis fratris patriarchae Aquileiensis nunc et pro tempore existentis, et iurium illi competentium in sancti Danielis, et seu sancti Viti oppidis vel castris Aquileiensis et Concordiensis respective dioecesum et ecclesiae Aquileiensis, et omnimodae temporalis iurisdictionis, tam in civilibus quam in criminalibus, ita, quod de eis, et in eis nullus princeps, senatus, aut respublica se ingerere potest, sed omnimoda iurisdictio, cum mero et mixto imperio, necnon omne et totale dominium, administratio, gubernatio et omne imperium, etiam vigore transactionum desuper initarum, libere spectat ad praedictum patriarcham:

Irritatio, de qua in rubrica.

§ 2. Propterea nos, qui super universam Ecclesiam a Deo, nullis nostris meritis, constituti, omnium ecclesiarum iura conservare tenemur, pro incumbentis nobis officii huiusmodi debito (ordinationum, constitutionum, decretorum, praeceptorum, commissionum, causarum ac sententiarum, praesertim criminalium, et commissariorum deputationum ad procedendum in illis, seu aliàs attentatorum et innovatorum huiusmodi tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes), ordinationes, leges, constitutiones, praecepta, decreta et commissiones causarum ac sententiarum, praesertim criminalium, ac commissariorum deputationes ad procedendum, seu formandum processus contra delinquentes, seu aliàs attentata, innovata, et facta quaecumque, praesertim super causis criminalibus et formationibus processuum super delictis et excessibus in praedicto oppido sancti Danielis seu sancti Viti commissis, et super datiis, aut aliàs super iurisdictione et gubernio huiusmodi, tam in genere quam in specie, per quoscumque iudices, aut magistratus seculares, principes, senatum, rempublicam, seu quoscumque alios, cuiuscumque gradus et conditionis fuerint, etiam ducali, regali, vel imperiali dignitate praefulgentes, et quae deinceps per eos, et eorum quemlibet in auctoritatis ecclesiasticae et dictae ecclesiae Aquileiensis, illarumque iurium praeiudicium ordinari, constitui, praecipi et decerni, seu aliàs attentari, innovari, aut fieri contigerit, praesertim super causis criminalibus, et formatione processuum super delictis et excessibus, aut super datiis, et aliàs super iurisdictione, administratione et gubernio praedictis, tam in genere pariter quam in specie, ex nunc, prout postquam ordinata, statuta, decreta, vel praecepta, seu aliàs attentata, innovata, et facta fuerint, cum omnibus inde sequutis et sequuturis, de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, irritamus, cassamus et annullamus, ac nullius roboris et momenti esse et fore decernimus et declaramus.

Prohibitio utendi legibus, quae abrogantur praesenti constitutione.

§ 3. Necnon omnibus et singulis dictorum oppidorum, seu castrorum habitatoribus et incolis, ac aliis quibuscumque, sub Dei omnipotentis, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, et nostrae indignationis, necnon excommunicationis latae sententiae poenis, a quibus nonnisi a nobis et Sede Apostolicâ, praeterquam in mortis articulo, quisquam absolvi possit, inhibemus, ne ordinationibus, legibus constitutionibus, decretis et praeceptis, commissionibus, sententiis, deputationibus commissariorum in causis et delictis et excessibus praedictis, seu aliàs attentatis et innovatis, ut praefertur, super praemissis, per quoscumque, quavis auctoritate, ut supra, suffultos, etiam per senatum, rempublicam factis, in iudicio vel ex-

tra, tam in genere pariter quam in specie, uti, seu illis se iuvare, neque[1] quicumque iudices et commissarii, seu a quocumque praedictorum deputati, ad procedendum in causis praedictis, seu processuum formatione super delictis et excessibus huiusmodi se immiscere et ingerere ullatenus, directe vel indirecte, audeant vel praesumant.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 6. Aut si praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Praesentium facienda publicatio.

§ 7. Volumus autem et apostolicâ auctoritate decernimus, ut praesentes litterae, seu illarum exempla in Urbe ad valvas basilicae Principis apostolorum, vel in civitate Ferrariae, seu ad valvas alicuius ecclesiae secularis vel regularis dicti oppidi sancti Viti affixa, ita omnes arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI iunii MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 6 iunii 1615, pontif. an. XI.

CCXLIX.

Indultum archiepiscopo civitatis Regum concilii provincialis celebrationem ad annos duodecim differendi[2].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam

Exordium.

Onerosa pastoralis officii cura, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissa postulat, ut interdum ea, quae per Romanos Pontifices praedecessores nostros provide ac mature statuta et ordinata sunt, novis supervenientibus causis, immutemus, prout, temporum et rerum qualitatibus debite pensatis, conspicimus salubriter expedire.

Causae dilationis concedendae.

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte venerabilis fratris moderni archiepiscopi civitatis Regum in Indiis occidentalibus nobis nuper expositum fuit, in suâ dioecesi concilia provincialia singulis septenniisi uxta praescriptum litterarum felicis recordationis Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri desuper editarum celebrari soleant, ad praesens vero non ita urgeat necessitas, ut concilia praedicta tam frequenter convocanda sint; quin immo episcopi exinde asperis terrae marisque itineribus defatigantur, in grave suarum ecclesiarum praeiudicium, quae suis destitutae pastoribus, absque proprii pastoris curâ remanent: nobis propterea modernus archiepiscopus praedictus humiliter supplicari fecit, ut super praemissis de solitâ Sedis Apostolicae benignitate providere dignaremur.

Concessio de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur, moderni archiepiscopi et episcoporum praedictorum commoditatibus, et eorum ecclesiarum utilitati, quantum cum Domino possumus, consulere, dictumque modernum archiepiscopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum consilio, ut modernus et pro tempore existens archiepiscopus

[1] Scilicet *et ne* (R. T.).
[2] Ex regest. in Secret. Brev.

civitatis Regum in posterum perpetuis futuris temporibus concilii provincialis celebrationem ad duodecim annos differre, nisi aliter per Sedem Apostolicam ordinatum fuerit (arbitrio tamen eiusdem archiepiscopi reservato, illud frequentius, prout necessitas postulaverit, celebrandi), possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus Gregorii praedecessoris huiusmodi litteris, ac apostolicis, necnon in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV iunii MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 25 iunii 1615, pontif. an. XI.

CCLXIX.

Statuitur regulares exercentes curam animarum in dioecesi Mexicanâ approbandos ad id esse ab archiepiscopo.

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Sacri apostolatus ministerio, meritis licet insufficientibus, divinâ providentiâ praepositi, ad ea vigilantiae nostrae partes praecipue intendimus, per quae christifidelium animarum salus, et divini Numinis cultus, tum ex rectâ sacramentorum administratione, tum providâ et maturâ idoneorum parochialium ecclesiarum rectorum institutione, felicioribus in dies augeantur incrementis.

Regulares in dioecesi Mexicana curam animarum sine approbatione et examine Ordinarii sibi sumebant.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, personae regulares ad curam animarum personarum secularium exercendam in civitate et dioecesi Mexicanâ in partibus Indiarum Occidentalium absque examine et approbatione pro tempore existentis archiepiscopi Mexicani sub praetextu privilegiorum eorum ordinibus concessorum, et aliàs, exercere posse praetendant, et de facto exerceant, non sine salutis earumdem personarum detrimento, et animarum christifidelium discrimine:

Paulus declarat eos teneri approbationem huiusmodi obtinere.

§ 2. Nos, praemissis, quantum nobis ex alto conceditur, opportune providere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum consilio, quod regulares personae, cuiuscumque Ordinis et instituti existant, et Mendicantium, et quantumvis exempti, et Apostolicae Sedis immediate subiecti, curam animarum personarum secularium exercere minime possint, nisi praevio examine a pro tempore existente archiepiscopo Mexicano ad id approbatae fuerint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo decernimus et declaramus.

Clausulas appenit.

§ 3. Decernentes etiam, praesentes litteras, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus et singulis, quos tamen illae concernunt et concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari debere; irritum quoque et inane decernimus quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praesentis decreti exequutionem archiepiscopo demandat.

§ 4. Quocirca venerabili fratri moderno et pro tempore existenti archiepiscopo Mexicano per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicans, illas ab omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, observari faciat: contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et facti remedia, eius arbitrio, omni et quacumque appellatione remotâ, compescat. Nos enim dicto archiepiscopo praemissa et quaecumque alia circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et exequendi, auctoritate et tenore praedictis, facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumvis Ordinum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, necnon mari magno, et aliis indultis, et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 7 octobris 1615, pontif. an. XI.

CCLXX.

Simile decretum de regularibus ab eodem archiepiscopo approbandis ad secularium confessiones audiendas[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Universalis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, a Domino praepositi, ex officii nostri debito providere debemus, ut christifidelium animarum cura per idoneos rectores administretur, et episcoporum sacra auctoritas, qui in partem sollicitudinis ad eamdem Ecclesiam regendam sunt vocati, illaesa conservetur.

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

Causae decreti.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnullae personae regulares civitatis et dioecesis Mexicanae in partibus Indiarum Occidentalium ad curam animarum personarum secularium destinatae recusent examini se subiicere archiepiscopi Mexicani pro confessionibus audiendis, eo sub praetextu quod ab aliis archiepiscopis Mexicanis ad effectum praedictum aliàs, praevio examine, approbati fuerint;

Decretum.

§ 2. Nos, attendentes praemissa contra canonicas sanctiones, et constitutionem felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri, in damnum animarum, et archiepiscopalis iurisdictionis attentari: propterea iis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum consilio, quod regulares personae, cuiuscumque Ordinis et instituti existant, etiam Mendicantium, et quantumvis exempti, et Apostolicae Sedi immediate subiecti, ad sacras personarum secularium confessiones audiendas semel a tunc existente archiepiscopo Mexicano approbatae, successu temporis iterum ab archiepiscopo successore, iuxta praedictam Pii V praedecessoris constitutionem desuper editam, examinari, et minus idoneae repertae reprobari possint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo decernimus et declaramus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes etiam praesentes litteras, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Archiepiscopus huiusce decreti exequutor.

§ 4. Quocirca venerabili fratri moderno et pro tempore existenti archiepiscopo Mexicano per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel

alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicans, illas ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, observari faciat, cum facultate eisdem regularibus, ne cuiusque personae secularis confessiones absque suo examine et approbatione audiant, sub excommunicationis vel aliâ sibi benevisâ censurâ et poenâ ecclesiasticâ, praecipiendi, et transgressores et inobedientes per alia opportuna iuris et facti remedia, eius arbitrio, omni et quacumque appellatione remotâ, compescendi.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumvis Ordinum (etiam iuramento roboratis) statutis et consuetudinibus, ac mari magno nuncupato, necnon aliis privilegiis, indultis, et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x octobris MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 10 octobris 1615, pontif. an. XI.

CCLXXI.

Mandat collectori apostolico Portugalliae, ut, iuxta formam a S. Concilio Tridentino praescriptam, in omnibus et singulis monasteriis monialium eiusdem regni eum tantum numerum ab archiepiscopis et episcopis denuo praefigi, ac imposterum conservari curet, qui ex redditibus propriis eorumdem monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis congrue possit sustentari, abusus propinarum tollat, et constitutionem Pii V super prohibitione egressus monialium e monasteriis observari curet[1].

Venerabili fratri Octavio episcopo Forosemproniensi, spoliorum et iurium camerae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum collectori generali,

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Onerosa postoralis sollicitudinis cura nobis, meritis licet imparibus insufficientibus, per abundantiam divinae gratiae commissa postulat, ut ad ea sedulo intendamus, per quae sanctimonialium, quae, relictis mundi illecebris, divini Numinis obsequiis sese manciparunt, prospero, felicique regimini et directioni consulitur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire, et pia catholicorum regum vota exposcunt.

Mandatum, de quo in rubrica. § 1. Supplicationibus itaque charissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, iuxta normam a sacro Concilio Tridentino praescriptam, in omnibus et singulis monialium monasteriis regni Pontugalliae eum tantum numerum ab archiepiscopis et episcopis denuo praefigi, ac imposterum conservari cures, qui ex redditibus propriis eorumdem monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis congrue sustentari, et iuxta dictorum monasteriorum capacitatem, necnon cellarum quantitatem, commode ibi commorari possit (ita tamen, quod in his, quae regularibus subiecta sunt, iidem regulares superiores numeri praefixioni assistant), et supra numerum

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

huiusmodi nulla deinceps ad habitum regularem admittatur, absque expressâ licentiâ Sedis Apostolicae: iisdemque archiepiscopis et episcopis auctoritate nostrâ praecipias et mandes, ut curent, quod puellae quae intra numerum praefixum, ordinarias, quae vero de licentiâ Sedis praedictae supra numerum habitum regularem in dictis monasteriis suscipient, duplicatas eleemosynas dotales persolvant: huiusmodi autem eleemosynae non apud monialium consanguineos vel affines relinquantur, sed, antequam praedictae puellae habitum regularem suscipiant, deponantur actualiter vel apud mercatorem, vel penes alteram personam fide et facultatibus idoneam, ad effectum, ut statim emissâ professione in emptionem bonorum stabilium, aut annuorum reddituum, pro ipsis monasteriis convertantur. Insuper eâdem auctoritate tollas abusus propinarum in ingressu monasterii superioribus, sicut asseritur, solvi solitarum, illasque de cetero quoquo modo persolvi gravissimarum poenarum et censurarum comminatione prohibeas; licitum tamen esse decernas puellae eâ die, qua ad habitum regularem admittetur, elargiri aliquid esculenti vel poculenti modici valoris, et pro eiusdem diei victu dumtaxat. Praeterea constitutionem felicis recordationis Pii Papae V, praedecessoris nostri, ac decretum eiusdem Concilii Tridentini super prohibitione egressus monialium e monasteriis omnino observari facias. Super quibus omnibus et singulis, dictâ auctoritate, tenore praesentium, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Obstantium derogatio.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictorum monasteriorum et Ordinum, quorum fuerint (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis), statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die X octobris MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 10 octobris 1615, pontif. an. XI.

CCLXXII.

Erectio cappellae in basilicâ sanctae Mariae Maioris de Urbe et ad illam translatio sacrae Imaginis gloriosissimae Virginis Mariae, cum prioratus cappellaniarum et clericatuum, ac iurispatronatus institutione, annuorumque reddituum assignatione et cardinalis protectoris iurisdictione[1].

Paulus Episcopus
servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Beatae Virginis aliqua ex pluribus merita et laudes recenset.

Immensae bonitatis Creator omnium Deus, cuius admirabili providentiâ cuncta reguntur, cum ita dilexisset mundum, ut pro illius redemptione daturus esset Filium Unigenitum, ad tam magnum et ineffabile implendum mysterium ex omni creaturâ Mariam Virginem purissimam atque sanctissimam de regiâ stirpe praeelegit. Hinc, Spiritus Sancti virtute ei, sicut pluvia quae de rore coeli in vellus descendit, obumbrante, fecit Unigeniti sui

[1] In hac eâdem basilica, et e conspectu huius cappellae, olim aedificata fuit altera cappella praesepii Domini nostri Iesu Christi cum non absimili iurispatronatus, protectionis, iurisdictionisque, ac beneficiorum institutione a Sixto V in sua Const. LXXXIX *Gloriosae*, tom. VIII, pag. [illegible]

Genitricem, unâque cum uberrimâ foecunditate florem virginitatis illibatum perpetuo conservavit, cuius virtutem et pulchritudinem sol et luna mirantur, natura obstupescit, infernus quoque contremiscit. Ipsa enim tot figuris, tot prophetarum visionibus, ac vaticiniis antea praemonstrata, et a sanctis Patribus diu expectata, tandem veniens fortis, ac scuto virtutum et gratiarum omnium ornata, salutiferâ foecunditate suâ liberavit nos a captivitate, ac, serpentis capite contrito, sole amicta, lunam habens sub pedibus, victrix et triumphatrix, duodecim coronâ stellarum coronari, ac, super choros angelorum exaltata, Regina coeli et terrae appellari promeruit.

Eamque in suis operibus adiutricem semper habuisse, et sacratissimam illius imaginem in basilica sanctae Mariae Maioris de Urbe asservatam praecipue coluisse testatur; in illiusque propterea honorem, novam in dicta basilicâ a fundamentis cappellam erigere, et dictam imaginem ad eam transferre deliberavit.

§ 1. Igitur, dum praecelsa meritorum insignia, quibus ipsa Virgo Dei Genitrix gloriosa, sedibus praelata sydereis, quasi stella matutina refulget, nos piâ considerationis indagine perscrutamur, dum etiam intra pectoris arcana revolvimus, quod ipse uti Mater misericordiae pro christiano populo sedulo exoratrix et pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit, quodque eamdem sacratissimam Virginem in omnium rerum difficultatibus, ac operibus nostris semper invenimus adiutricem, ac innumera, quae largitor Altissimus nobis contulit beneficia, piis illius precibus credimus accepisse; dignum, quin potius debitum arbitramur, ut sicuti Redemptor noster et Deus ipsam sacratissimam Virginem sublimavit in coelis, ita eam nos, quantum possumus, honoremus in terris. Atque ut religionem, quam semper erga ipsam Dei Genitricem animo inclusam tulimus, externi quoque cultus insigni testimonio aperiremus, cum alias eiusdem sacratissimae Virginis nomine et miraculorum splendore illustres ecclesias semper in honore habuimus, tum in primis erga celeberrimam eius in almâ Urbe basilicam sanctae Mariae Maioris appellatam, et illius sacratissimam imaginem, quae inibi venerabiliter asservatur, praecipuâ quadam et piâ devotione affecti sumus. Etenim imaginem hanc christifidelium religione semper claruisse, pluraque et insignia ex eâ miracula prodiisse antiqua monumenta testantur; ipsius vero basilicae fundamenta ab eâdem Virgine praeclaro Nivis miraculo designata fuisse, vetus traditio docet. Plurimis item privilegiis et gratiarum, tam spiritualium quam temporalium, titulis et praerogativis ipsa basilica, ipsaque imago a beato Gregorio Magno, et aliis summis Pontificibus praedecessoribus nostris, decorata reperitur, ac frequens ad eam non modo Romani populi, sed exterarum nationum devotus concursus accedit. Itaque, ubi primum ad apostolatus apicem evecti fuimus, singulari erga eamdem gloriosissimam Virginem et illius sacratissimam imaginem praedictam devotione et divinâ quadam inspiratione permoti, in illius honorem insignem cappellam a fundamentis extruere et ornare, ac eamdem imaginem, quae in medio dictae basilicae navi prope dextrum cornu altaris maioris in ligneo ciborio marmoreis columnis elato colebatur, ad cappellam novam praedictam transferre, et supra altare eiusdem cappellae propterea erigendum honorificentius collocare deliberavimus. Ipsamque deliberationem ex animo amplectentes et omni studio prosequentes,

Cappellae insignem locum et ambitum elegit.

§ 2. In primis locum opportunum pro cappellâ huiusmodi aedificandâ, scilicet in navi dexterâ eiusdem basilicae, ubi antiqua illius sacristia existebat, e conspectu alterius insignis cappellae ad praesepe Domini per felicis recordationis Sixtum Papam V praedecessorem nostrum a fundamentis erectae, et omnem illius ambitum circumstantem usque in vias publicas elegimus; ac antiquam sacristiam praedictam demoliri, et loco illius aliam in extremâ

pene basilicâ sinistrorsum, structurâ, aedificio, ornatuque magnificentissimam et commodissimam, magnâ nostrâ impensâ fieri curavimus; iactisque cappellae altissimis fundamentis, validissimisque et firmissimis muris, illius ambitum universum complectentibus, fabricatis, cappellam novam praedictam ad sui formam ereximus, ipsamque extrinsecus sublime testudine plumbi laminis tegi, ac crustis, tyburtinorumque lapidum tegmentis ad maiorem illius roboris firmitatem undique valla, intus vero sectis marmoribus, ac versicoloribus lapidibus et columnis pretiosis de longiquis partibus advectis, egregiis quoque statuis marmoreis et picturis a primariis seculi nostri scultoribus pictoribusque delineatis atque confectis, magnificentissime ornari, nostrâ itidem et quidem maximâ impensâ etiam curavimus.

In cuius praecipuâ parte altare mirifice exculptum gemmisque preciosioribus exornatum in ipsius beatae Virginis honorem erexit.

§ 3. In praecipuâ vero parte ipsius cappellae novae altare in honorem ipsius beatae Mariae Virginis quatuor ex iaspide columnis auratâ iuncturâ contextis, ac statuis aeneis superstantibus exculptum ereximus: medium autem, qui praedictis columnis intercipitur, parietem, ubi locum sacrae imagini designavimus, caeruleis lapidis lazuli crustis inteximus, ibique locum instar fenestrae aeneis angelorum figuris auro micantibus circumspectum, ac preciosis gemmis undique exornatum pro eiusdem sacrae imaginis dignâ sede excidi ac aptari mandavimus.

Ad cappellae limina, ex una parte sacellum sancti Caroli et ex alterâ sanctae Franciscae magnifice construxit.

§ 4. Duo praeterea minora altaria, sive sacella, eodem modo picturis et ornamentis magnifice exculta, ad ipsius cappellae novae limina ab utrâque parte, unum videlicet sub S. Caroli Borromaei, alterum vero sub beatae Franciscae, quorum nomina in catalogo Sanctorum a nobis descripta sunt, invocationibus, instituimus, supra quae quatuor mansiones ad usum et formam chori reliquimus, et in unâ, quae est supra altare ipsius S. Franciscae, organum iussu nostro collocatum est.

In eodem cappellae loco unum monumentum Clementi VIII posuit, alterum vero sibi ad sepulturam reservavit.

§ 5. Ad dictae vero cappellae novae latera, duo itidem monumenta magnifice exstruximus, quorum alterum ab unâ parte piae memoriae Clementi Papae VIII etiam praedecessori nostro, cum praecipuis ab eo in suo pontificatus gestis e marmore expressis, erectum, et alterum e regione memores viae universae carnis ad nostram sepulturam reservatum exstruximus.

In vestibulo sanguine sibi coniunctis sepulcrum collocavit.

§ 6. Item aliud sepulchrum in vestibulo dictae cappellae novae, pro sanguine nobis coniunctis et de parentelâ nostra pro tempore existentibus sepeliendis, fieri fecimus.

Sacristiam ad cappellae usum, pluresque ad maiorem commoditatem mansiones aedificavit.

§ 7. Sacristiam quoque eidem cappellae novae annexam ad illius usum, nec non plures mansiones ad maiorem commoditatem adiunximus.

Ad ipsam postea cappellam dictam Virginis imaginem transtulit.

§ 8. Et deinde cappellam praedictam, postquam eiusdem beatissimae Virginis ope adiuti illam plurium annorum pontificatus nostri curriculo, omni[1] adhibitâ diligentiâ, nullis parcentes expensis absolvimus atque perfecimus et ad ipsius Dei omnipotentis et eiusdem gloriosissimae Virginis laudem et honorem, ac erga eam fidelis populi devotionem augendam, solemni ritu consecrari et dedicari, ac sexto kalendas februarii eiusdem pontificatus nostri anno octavo sanctam imaginem praedictam, omnium S. R. E. cardinalium coetu et praelatorum Romanae curiae, capitulique dictae basilicae et fere totius Romani cleri interventu, ac fidelium utriusque sexus multitudine adstante, ac etiam nobis ipsis in cappellâ novâ praedictâ, in unâ ex quatuor ad chori usum destinatis mansionibus, sacris caeremoniis praesentibus, pioque affectu cuncta adspicientibus, debitâ cum reverentiâ et religione diligenter e loco, ubi prius asservabatur, amoveri et solemni processione extra ipsam basilicam per vias et loca

1 Edit. Main. legit *omnia* (R. T.).

publica designata omnibus ostendendam, hymnis et laudibus decantatis clero universo psallente circumferri, moxque in eamdem basilicam reportatam ad eamdem cappellam novam transferri, et supra altare in loco, seu tabernaculo, ut praefertur, in muro alte exciso et ad id decenter aptato, inibi sub diligenti custodiâ, clausuraque religiosissime servandam, collocari etiam mandavimus.

Pro cuius maiori veneratione sacra ibidem et divina officia iugiter celebrari decernit.

§ 9. Quoniam vero maxime convenire censuimus, ut in hac cappellâ novâ ipsa beatissima Virgo et illius imago praedicta non solum in marmoribus[1] lapidibus, figuris, picturisque, imaginibus et ornamentis praedictis, sed etiam et multo magis in missae sacrificio, verâque et actuali Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi filii sui oblatione, divinisque officiis iugiter honoretur, divinusque cultus, non temporalibus modo, sed spiritualibus quoque ornamentis et rebus augeatur, in eâdem cappellâ novâ unum prioratum pro uno priore, et duodecim cappellanias pro duodecim cappellanis perpetuis, ex quibus unus sacrista et alius camerarius etiam sint, necnon quatuor clericatus pro quatuor clericis amovibilibus, ereximus et instituimus, ac eidem cappellae novae diversa secularia et forsan regularia beneficia ecclesiastica univimus, illorumque fructus, redditus et proventus, ac emolumenta in dotem assignavimus, et infra, (*Aliqua ideo hic enunciata praetermitto, quia aliter ut sequitur statuta fuerunt*).

Propterea unum prioratum, duodecim cappellanias et quatuor clericatus in eâ instituit, et ex illis sacristam et camerarium eligi ac priorem secum digniorem habere, eosque omnes per se ipsos deservire, et aliud beneficium alibi obtinere non posse decernit.

§ 10. Et nihilominus praemissa, ut infra, in melius declarantes, corrigentes, mutantes, ac illis addentes, et desuper de novo disponentes, in dictâ cappellâ a nobis apud basilicam praedictam, ut praefertur, extructâ, unum prioratum perpetuum, qui inibi dignitas existat, pro uno presbytero sacerdote seculari, etiam alienigenâ, priore perpetuo nuncupando, et duodecim perpetuas cappellanias pro duodecim clericis secularibus, etiam alienigenis, in presbyteratus ordine, vel saltem in eâ aetate constitutis, ut infra annum ad dictum ordinem promoveri possint et debeant, futuris inibi perpetuis cappellanis (ex quibus etiam unus sacrista sit ad nutum patroni pro tempore existentis infrascripti amovibilis, et alius camerarius a priore et cappellanis praedictis anno quolibet eligatur), et quatuor clericatus pro quatuor clericis pariter secularibus, et etiam alienigenis, ac amovibilibus (quorum siquidem cappellanorum, sacristae, camerarii, et clericorum dictus prior caput existat, ac in rebus, negotiis et actibus, tam publicis quam privatis, per eos tractandis et faciendis, primum et digniorem locum habeat, ibidemque praesit, ac tam ipse, quam praedicti cappellani, sacrista, camerarius, et clerici dictae cappellae, per se ipsos, prout inferius dicetur et descriptum erit, deserviant, nec aliud beneficium ecclesiasticum, personalem residentiam requirens, in dictâ basilicâ vel alibi obtineant) apostolicâ auctoritate perpetuo erigimus et instituimus.

Pro dote prioratus, cappellaniarum, ac officiorum sacristae et camerarii, et clericatuum, bona applicat redditus archipresbyteratus, canonicatuum et beneficiorum ecclesiae sancti Laurentii in Lucinâ suppressorum.

§ 11. Ipsique cappellae, pro eorumdem prioratus ac duodecim cappellaniarum, et quatuor clericatuum, et sacristae, camerariique officiorum praedictorum dote, ac illos, illas, et illa pro tempore obtinentium substentatione, onerumque eis incumbentium supportatione, eorumdem archipresbyteratus, ac sex canonicatuum, totidemque praebendarum, ac trium beneficiatorum[1], necnon cappellaniae sub invocatione sanctorum Philippi et Iacobi in dictâ ecclesiâ sancti Laurentii consistentium, et per nos, ut praefertur, suppressorum et extinctorum ac dictae cappellae unitorum, praedia, casalia, ac alia bona stabilia et iura quomodolibet nuncupata, ubilibet existentia, illorumque fructus, redditus, proventus, obventiones, et emo-

1 Forsan legendum *marmoreis* (R. T.).

1 Vel lege *beneficiorum* aut *beneficiatuum* (R. T.).

lumenta universa, eidem cappellae, ut praefertur, aliàs applicata (ita quod liceat eisdem priori, cappellanis, et clericis huiusmodi, per se, vel alium, seu alios, eorum et dictae cappellae, eorumque mensae seu massae communis nominibus, illorum omnium et singulorum realem, actualem et corporalem possessionem, et seu quasi, propriâ auctoritate, absque spolii et attentatorum vitio, et cuiuscumque iudicis decreto vel ministerio, libere apprehendere et perpetuo retinere, illaque regere et administrare, locare et dislocare, ac omnes et singulas pecuniarum, rerum et bonorum summas, qualitates et quantitates, nec nón fructus, redditus, proventus, obventiones et emolumenta percipere, exigere et levare, ac de exactis et receptis quietare, ad infra dicendos et destinatos usus convertere, nostrà, et pro tempore existentis Romani Pontificis, Dioecesani loci, vel almae Urbis vicarii, seu dictae basilicae archipresbyteri, aut cuiusvis alterius licentià minime requisità), auctoritate et tenore praedictis, perpetuo damus et concedimus, assignamus, applicamus et appropriamus.

Cappellae vero pro illius fabrica et sacristia, cantoribus, aliisque necessitatibus, reliqua beneficia unita et unienda applicat. Et hanc dotem cappellae esse separatam a mensa communi praedictorum prioris, cappellanorum, sacristae, camerarii et clericorum decernit.

§ 12. Rursus eidem cappellae, et illius fabricae, et sacristiae (quas dotem et mensam propriam et particularem, ac ab illâ priori, cappellanis, sacristae, camerario, et clericis praedictis, ut praefertur, assignatâ prorsus distinctam et separatam habere volumus et declaramus) pro cappellae et illius fabricae et sacristiae huiusmodi propriâ et particulari dote et mensâ, ac illarum reparatione, restauratione et manutentione, salariorumque cantorum, et scoparii, ut infra, ab eodem patrono ad eius nutum deputandorum, praestatione, ac vini, olei, cerarum et luminum, aliarumque impensarum, et onerum, eisdem cappellae, fabricae et sacristiae nunc et pro tempore incumbentium, supportatione, omnia et singula alia beneficia ecclesiastica, secularia et quorumvis Ordinum regularia, quomodolibet qualificata, quaecumque, quotcumque et qualiacumque, eidem cappellae a nobis (ultra archipresbyteratum, canonicatus, praebendas, beneficiatus, et cappellaniam in dictâ ecclesiâ sancti Laurentii consistentia praedicta, quae priori, cappellanis, et clericis praedictis, ut supra, reservata esse volumus) hactenus quomodolibet unita, ac in posterum a nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus, seu nostrâ vel eorum auctoritate, unienda, ex nunc, prout ex tunc quando unita fuerint, ac illorum omnia et singula praedia, tam rustica quam urbana, casalia, domos, proprietates, terras, possessiones, census, livellos, canones, loca montium, et quaecumque alia bona stabilia, quomodolibet nuncupata, et ubilibet existentia, cum omnibus iuribus, actionibus, grangiis, membris, pertinentiis, fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus et emolumentis universis, ceterisque rebus et bonis, mobilibus et immobilibus, ac semoventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, pretii et valoris etiam annui existentibus, et ubique locorum consistentibus, eorumque proprietate et dominio, ac omnia et singula, tam in rebus quam in redditibus, pecuniis, iuribus et actionibus, hactenus a nobis quomodolibet data, donata, concessa, assignata et applicata, quam etiam in posterum a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus praedictis etiam quomodolibet danda, donanda et concedenda, assignanda et applicanda, similiter ex nunc, prout ex tunc quando data, donata, concessa, assignata et applicata fuerint,

Donata hactenus et donanda, ac oblationes et largitiones factas post translationis sanctae imaginis et facienda doti cappellae applicat.

§ 13. Nec non (cum infrascriptâ tamen declaratione) etiam oblationes, et quaecumque a quibusvis imagini et illius cappellae praedictae, a dictâ die sacrae eiusdem imaginis translationis, data, donata

seu relicta, dandaque, donanda et seu relinquenda in futurum,

Patrono cappellae accipiendi possessionem propria auctoritate bonorum cappellae, ut supra, unitorum facultatem concedit.

§ 14. (Ita quod liceat nunc et pro tempore existenti eiusdem cappellae patrono infrascripto, per se, vel alium, seu alios, toties quoties sibi videbitur deputandos et removendos, dictae cappellae, illiusque fabricae et sacristiae, earumque mensae capitularis huiusmodi nominibus, omnium et singulorum, sicut praefertur, unitorum, assignatorum, applicatorum, datorum, oblatorum, donatorum, cessorum, concessorum, et relictorum, ac uniendorum, assignandorum, applicandorum, dandorum, offerendorum, donandorum, cedendorum, concedendorum et relinquendorum, postquam unita, assignata, applicata, data, oblata, donata, cessa, concessa et relicta fuerint, realem, actualem et corporalem possessionem, et seu quasi, propriâ auctoritate, absque spolii et attentatorum vitio et cuiuscumque iudicis decreto vel ministerio, libere et licite apprehendere, et perpetuo retinere, illaque regere et administrare, locare, dislocare,

Ex redditibus dotis cappellae sunt per patronum faciendae impensae pro vino, oleo, cera et salariis cantorum et scoparii, residuum vero patroni arbitrio in utilitatem cappellae erit convertendum.

§ 15. Ac omnes et singulas pecuniarum, rerum et bonorum summas, qualitates et quantitates, nec non fructus, redditus, proventus, obventiones et emolumenta percipere, exigere et levare, ac de exactis et receptis quietare, ac ex illis in primis vini, olei, cerae, aliasque impensas necessarias, nec non cantorum et scoparii salaria persolvere, seu persolvi facere, et reliquum in eiusdem cappellae, ac illius fabricae et sacristiae usum et utilitatem, prout sibi videbitur et placebit, et eius mero arbitrio, convertere, nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis, Dioecesani loci, vel almae Urbis vicarii, seu dictae basilicae archipresbyteri, aut cuiusvis alterius licentiâ minime requisitâ) auctoritate et tenore praedictis perpetuo damus, concedimus, assignamus, applicamus et appropriamus.

Servitium incumbens priori, sacristae, camerario et cappellanis, ac clericis in cappella.

§ 16. Ut autem tam prior, cappellani, sacrista, camerarius, clerici, quam alii dictae cappellae ministri quicumque, certo sciant, quae et qualia sint eorum servitium, munia, onera et instituta, et in illis a quoquam quovis praetextu minime impediantur, seu ab illis distrahantur, motu, scientiâ et potestate similibus declaramus, statuimus et ordinamus, quod prior et cappellani praedicti, omnibus diebus dominicis, ac etiam omnibus ipsis[1] beatae Mariae Virginis festivitatibus, singuli singulas missas, et intra quamlibet hebdomadam singuli alias duas missas per se ipsos, non autem per alium, seu alios sacerdotes, celebrare, ac in solemnitatibus, in quibus capitulum et canonici dictae basilicae in dictâ cappellâ horas canonicas, et alia divina officia, ut infra, celebrabunt, cottâ superinduti, missis et horis canonicis, aliisque divinis officiis, tam diurnis quam nocturnis, in scanno et loco per cardinalem protectorem infrascriptum designando, personaliter interesse teneantur;

Prior et cappellani faciunt collegium, habentque insignia collegialia et habitum aliorum cappellanorum.

§ 17. Ac tam prior quam cappellani praedicti insimul unum collegium cum arcâ, massâ, et sigillo communibus, aliisque collegialibus insignibus, ad instar aliorum similium collegiorum, tam in praedictâ, quam in aliis quibuscumque dictae Urbis basilicis et ecclesiis institutorum, constituant, inibique habitum, per alios cappellanos deferri solitum, deferre possint.

Sacrista deputatur a patrono ad eius nutum pro cura suppellectilium, de quibus inventarium facere, cautionem praestare et rationem reddere tenetur.

§ 18. Ex duodecim autem cappellanis huiusmodi unus a pro tempore existente patrono deputetur sacrista, qui ad eiusdem patroni nutum amovibilis existat, et curam celebrationis missarum, necnon custodiam sacrae suppellectilis, ornamentorumque, et paramentorum ad cappellae praedictae usum pro tempore pertinentium, vasorum tam auri et argenti, quam aliarum rerum et universae suppellectilis, sibi sub inventario consignandorum habeat,

1 Forsan legendum *ipsius* (R. T.).

aliaque sacristae huiusmodi officium concernentia gerat, et exerceat; rationem et computum paramentorum et suppellectilis huiusmodi, et aliorum eius curae commissorum, dictae cappellae patrono singulis sex mensibus, et quoties ab eo fuerit requisitus, fideliter reddat; et de ratione huiusmodi reddendâ et reliquum consignando se obliget; cautionemque idoneam, si eidem patrono placuerit, etiam praestet; paramenta, ornamenta, vasa, vel alias quasvis res et bona cappellae et sacristiae huiusmodi, quibusvis personis, capitulis, ecclesiis, monasteriis, aut aliis locis, iuxta formam aliarum litterarum desuper a nobis emanatarum, et sub in eis contentis poenis, accommodare non praesumat;

Sacristae prohibetur, ne ornamenta, paramenta, vasa et bona cappellae possit commodare,

Quorum inventarium conficere debet.

§ 19. Item de paramentis, ornamentis, vasis, totâque suppellectili et rebus omnibus sacristiae, eius curae commissis, inventarium duplicatum, ab eodem sacrista subscriptum, conficiat, quorum unum penes patronum, et alterum penes eum remaneat, quod etiam singulis quibusque sex mensibus revideatur, et renovetur.

Camerarius eligendus a priore et cappellanis de gremio ipsorum, cuius officium duret per annum.

§ 20. Item singulis annis ab eisdem priore et cappellanis antedictis, in plenâ eorum congregatione, unus de numero eorumdem duodecim cappellanorum camerarius per secreta suffragia eligatur, qui duret per annum tantum,

Quae illius munia sint.

§ 21. Et cum officio sacristiae incompatibilis sit, ac ipsorum prioris et cappellanorum, et eorum massae communis procurator existat, fructusque, redditus et proventus ac pecuniarum quantitates omnes eorumdem prioris et cappellanorum massae communis exigere et recuperare, ac tam priori quam unicuique cappellano et clerico praedictis portionem singulis obvenientem statuto tempore solvere, nec pecunias receptas penes se retinere, sed eas in banco, ad id ab ipsis priore et cappellanis eligendo, statim consignare, claramque et distinctam rationem officii sui, ac totius administrationis, nec non recepti et impensi per eum in plenâ congregatione praedictâ, seu coram ab eâdem congregatione deputatis, singulis sex mensibus, ac etiam quoties eisdem priori et cappellanis videbitur, reddere, sicque se in manibus prioris efficaciter obligare debeat,

Camerarius tenetur per se ipsum administrare, praeterquam in casu infirmitatis, vel alterius legitimae causae, et tunc persona substituenda sit de illorum gremio, et per priorem et cappellanos approbanda.

§ 22. Nec alium loco sui substituere possit, nisi de licentiâ prioris et cappellanorum praedictorum in casu infirmitatis, vel absentiae necessariae, seu aliàs licite: quo casu persona sic substituenda sit de numero eorumdem cappellanorum, et a priore ac cappellanis praedictis approbari debeat, et in manibus prioris de bene et fideliter administrando et rationem reddendo, ac reliquum consignando, iurare et se obligare, ac, si eidem congregationi videbitur, tam ipse camerarius, quam ab eo sic substituendus, cautionem dare teneatur. Nec ipsi liceat ipsas pecunias cuiquam mutuo dare, aut in proprios usus convertere: aliàs, ultra restitutionem debitam, etiam poenâ, arbitrio congregationis praedictae infligendâ, puniatur.

Scoparius deputari debet per patronum ad eius nutum amovibilis, cum salario centum scutorum monetae quolibet anno ex redditibus mensae cappellae.

§ 23. Praeterea unum laicum, qui pavimentum, statuas, columnas, lampades, candelabra, et alia ornamenta dictae cappellae, et sacristiae, ipsamque cappellam, et sacristiam, illarumque aedes, et mansiones tergat, verrat[1], ac desquillias, pulverem et alias sordes auferat et eiiciat, scoparium nuncupandum, ad eiusdem patroni nutum amovibilem, ab eodem patrono, toties quoties opus fuerit ac eidem patrono videbitur et placuerit, deputari, ac illi pro eius salario centum scuta monetae de pecuniis propriae dotis et mensae dictae cappellae, illiusque fabricae et sacristiae, ut praefertur, assignatae, quolibet mense proportionabiliter, et pro ratâ persolvi.

Scoparius et quatuor clericis faciendae quoti-

§ 24. Et tam ipsi, quam singulis quatuor clericis praedictis, quolibet anno

1 Edit. Main. legit *vertat* (R. T.)

Det. anno vestes talares panni violacei ex redditibus mensae cappellae.

vestem talarem panni violacei, de eiusdem dotis et mensae cappellae pecuniis, fieri mandamus.

Festa celebranda in cappella et litaniae beatae Mariae Virginis ibi certis diebus decantandae.

§ 25. Insuper ad divinum cultum et piorum devotionem in eâdem cappellâ, quantum possumus, augendum, singulis sabbati diebus, ac beatae Mariae festivitatibus, illarumque vigiliis, ac in festivitate translationis primodictae imaginis (quam ultimâ die dominica mensis ianuarii euiuslibet anni, in eâdem cappellâ celebrari iussimus), singulis quibusque annis, perpetuis futuris temporibus, litanias cum antiphonâ pro tempore currenti eiusdem beatae Mariae Virginis, cum organo, armoniâ et cantu figurato, alternis choris decantandas, iterato instituimus et ordinamus.

Pro salario cantorum ad nutum patroni eligendorum applicantur scuta trecenta annua distribuenda ex redditibus mensae cappellae.

§ 26. Ac pro cantorum, et aliorum ministrorum, ad arbitrium patroni pro tempore existentis eligendorum, ad eius nutum amovibilium, salario, annua trecenta scuta, iuxta providam dicti patroni pro tempore existentis circumscriptionem et ordinationem cantoribus et ministris praedictis distribuenda et eroganda, de pecuniis propriae dotis et mensae ipsius cappellae, fabricae et sacristiae solvenda, assignamus.

Prior et cappellani tenentur interesse litaniis post vesperas decantandis.

§ 27. Quibus litaniis prior et singuli cappellani, cum eorum cottis, semper, saltem alternatim, in loco, modoque et ordine per Scipionem cardinalem protectorem antedictum praescribendis, debeant interesse. Verum quia cappellani, Toletani nuncupati, ad primodictam imaginem et illius altare instituti, ex eorum institutionis huiusmodi praescripto, seu aliàs, litanias ipsius beatae Virginis singulis sabbathi et forsan aliis diebus etiam recitare tenentur, ne ipsorum concursu litaniae a nobis, ut praefertur, institutae quoquomodo impediantur, statuimus et ordinamus, quod cappellani Toletani praedicti de mane statim post missarum solemnia iniunctas eis litanias huiusmodi recitare debeant, prout hactenus consueverunt, litaniae vero a nobis institutae post vesperas decantentur. Nos enim dicti cardinalis de Toleto et quamvis aliam dispositionem, quatenus opus sit, quoad haec sufficienter commutamus.

Clerici a patrono ad eius nutum deputantur, et ipsi priori, et cappellanis, et sacristae in divinis deservire tenentur.

§ 28. Clerici autem praedicti, qui honestae et bonae indolis a pro tempore existente patrono dictae cappellae ac ad eius nutum amovibiles deputentur, priori, cappellanis[1], et sacristae in divinis inservire, ac obsequia et onera ipsis pro tempore imposita praestare teneantur.

Ex massa dentur quolibet anno scuta trecenta priori, et scuta centum singulis cappellanis, nec non scuta quinquaginta sacristae, et alia quinquaginta camerario, et alia sexaginta cuilibet ex clericis.

§ 29. Porro ex fructibus, redditibus et proventibus dictae cappelle pro eorumdem prioris, cappellanorum, et clericorum dote et sustentatione, ut praefertur, assignatis, scilicet ex massâ ecclesiae suppressae praedictae tantum annis singulis prior trecenta, singuli vero cappellani centum, et qui fuerit sacrista, vel camerarius, alia quinquaginta pro quolibet, singuli vero clerici sexaginta scuta monetae habeant atque percipiant; et clericis singulis mensibus praecise, priori vero et cappellanis, etiam menstruatim, si pecuniae promptae fuerint, sin autem in terminis inter eos statuendis, illa persolvantur.

Et si aliquid supererit dividatur pro virili inter priorem et cappellanos ac clericos pro unâ alia vero medietas applicatur mensae cappellae.

§ 30. Et quidquid ex eorum dote et mensâ singulis annis, solutis summis praedictis, supererit, in fine anni in duas aequales portiones dividatur, quarum una inter ipsos priorem, cappellanos et clericos pro virili distribuatur, et altera doti et mensae propriae ipsius cappellae, ac illius fabricae et sacristiae, ad patroni praedicti omnimodam et liberam dispositionem, augeatur et consignetur.

Prior, cappellani et clerici, continuo in Urbe resideant et obsequia iniuncta praestent. Sacrista vero ac duo saltem ex quatuor clericis

§ 31. Ac tam prior, quam cappellani et clerici praedicti ad vere et personaliter, continuoque in Urbe residendum, ac debita servitia et obsequia praestandum; sacrista vero, cum duobus saltem ex qua-

1 Edit. Main. habet *cappellani* (R. T.).

habitent in mansionibus cappellae.

tuor clericis praedictis, ad continuo in mansionibus dictae cappellae habitandum, interdictâ omnino priori, cappellanis, et clericis huiusmodi ab Urbe absentiâ, ac sacristae et clericis praedictis extra mansionem dictae cappellae pernoctatione, sub amissionis fructuum aliisque poenis per cardinalem protectorem in statutorum editione irrogandis et declarandis, obligati existant.

Officia cappellae non possint resignari nec permutari, nec gravari pensionibus.

§ 32. Nec liceat alicui ex priore, cappellanis, camerario, sacrista[1], seu aliis dictae cappellae ministris, prioratum, cappellanias, seu officia et munia eorum in favorem alicuius resignare, vel permutare; neque pensionibus gravare, aut illarum reservationi consentire possint; tamen, si velint, illos, illas, et illa pure et simpliciter tantum dimittere, ad effectum alios per patronum praesentandi, eligendi et deputandi.

Exemptio prioris et cappellanorum et clericorum a functionibus et servitiis ac etiam processionibus basilicae.

§ 33. Insuper, ut prior, cappellani et clerici praedicti ab aliis servitiis liberi promptius dictae cappellae illiusque obsequio et cultui, cui eos piâ devotione addictos atque adscriptos esse desideramus, incumbere valeant, eosdem priorem cappellanos et clericos, ab omnibus et singulis obsequiis et servitiis basilicae sanctae Mariae Maioris, eiusque chori, capitulique et cleri, ac ab interventu et interessentiâ in missâ, horis canonicis et divinis officiis, etiam illis, quae aliàs dictis priori et cappellanis iniunximus, ac a processionibus, aliisque servitiis et oneribus, ad quae forte alii dignitates habentes, necnon cappellani et clerici eiusdem basilicae tenentur, omnino eximimus et liberamus: et nihilominus tam ipsi, quam sacrista et clerici praedicti, ipsam basilicam et cappellam huiusmodi, quocumque tempore libere, sine aliquâ capituli et canonicorum praedictorum licentiâ, pro servitio eiusdem cappellae adire et ingredi possint.

1 Edit. Main. legit *sacristae* (R. T.).

Capitulum et canonici obligantur ad celebrationem divinorum in cappellâ in festivitatibus beatae Mariae, ac sancti Franciscae et sancti Caroli.

§ 34. Capitulum autem et canonicos praedictos in festivitatibus beatissimae Virginis, ad vesperas, ac missas in eius honorem, ac etiam similes missas in honorem sanctae Franciscae et sancti Caroli praedictorum in eorum festivis diebus, cum prioris et cappellanorum cappellae praedictae assistentiâ, celebrandas obligamus, et obligatos esse decernimus et declaramus: in quibus festivitatibus sacrista dictae cappellae planetas, tunicellas, ac pluvialia tantum, et ad celebrationem necessaria, cum quibus celebrare teneantur, ad sacristiam basilicae praedictae transmittet, ut ab eâ postea capitulum et canonici processionaliter procedendo pro solemni officio perficiendo ad cappellam praedictam perveniant.

Canonici ad celebrandum in tribus altaribus dictae cappellae benigne recipiantur.

§ 35. Canonicis autem ad altare beatissimae Mariae Virginis, seu alia altaria dictae cappellae, missas privatas celebrare volentibus (in eorum tamen canonicali et capitulari sacristiâ planetis et aliis sacris vestibus ex eorum sacristiâ indutis), humaniter admissis et receptis, omnis commoditas celebrandi et sanctum missae sacrificium perficiendi a sacristâ concedatur. Ita tamen ut prior et cappellani dictae cappellae nequaquam in eorum servitio impediantur.

Custodia sacrae imaginis datur capitulo et canonicis, qui deputare debent canonicos qui claves tabernaculi retineant, et illud quando erit opus aperiant.

§ 36. Quo vero ad primodictae sacrae imaginis custodiam, declaramus atque decernimus, quod (non obstantibus quibuscumque nostris, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ordinationibus, etiam per modum concordiae et conventionum, seu aliàs quomodolibet editis, et supra recensitis) perpetuis futuris temporibus primodictae imaginis custodia capitulo et[1] canonicis praedictae basilicae, ubi cappella a nobis fundata et primodicta sacra imago de praesenti reposita existit, spectet et spectare debeat, quorum cura et sollicitudo erit deputare

1 Coniun. *et* addimus (R. T.).

locum, et singulares canonicos, ubi, et apud quos claves loci, seu tabernaculi, in quo primodictam imago reposita est, asservari, et canonicos qui primodictam imaginem aperire et claudere debeant.

Tabernaculum sacrae imaginis non erit aperiendum nisi ex decreto capituli, vel de mandato protectoris, vel ex instantia patroni, et pro apertione assignatur locus transitus.

§ 37. Inhibentes tabernaculum huiusmodi pro primodictâ imagine populo seu aliis christifidelibus monstrandâ et exhibendâ aperiri, nisi ex ipsius capituli decreto, vel de protectoris mandato, sive etiam instantiâ patroni; tuncque canonici, ab ipso capitulo ad aperiendum et claudendum deputati, per ostium a latere dictae cappellae versus occasum solis, intra basilicam constructum, introeuntes, ac per scalam cochlidis ascendentes, et per deambulationes inibi relictas, et a cellis seu cameris distinctas, recto tramite, absque eo quod per ipsas cellas seu cameras, tam in eundo quam in redeundo, transeant, procedentes ad conclave primodictae imaginis pro eâ aperiendâ et claudendâ, eant et remeent.

Prohibetur ne apertio tabernaculi, sive accessus ad conclave fiat de nocte, nec per alium transitum, quam supra assignatum.

§ 38. Volentes ostium praedictum, de die ab illius parte anteriori versus basilicam semper posse a cononicis deputatis aperiri, vespere autem descendente, et de nocte, quando aliae eiusdem basilicae fores clauduntur, a parte interiori versus eiusdem cappellae sacristiam, a sacrista cappellae, admoto etiam vecte seu palo ferreo, claudi debere, ostii praedicti apertione, et ad sacrae imaginis conclave accessione, praeterquam ex capituli decreto, seu protectoris mandato, seu ad instantiam patroni, ut supra, noctis tempore penitus interdictâ. Quod si quis ex canonicis, seu alius ad hoc deputatus, vel sine licentiâ capituli, seu cum licentiâ capituli aliunde ad dictum conclave aperiendum ausu temerario accedere et pervenire tentaverit, poenam excommunicationis ipso facto, a qua nonnisi a nobis, et Romano Pontifice successore nostro absolvi valeat, incurrat.

Cura ornandi sacram imaginem coronis et aliis preciosis, datur sacristae cappellae una cum canonicis ita tamen, ut circa illius ornatum nihil innovetur absque protectoris licentiâ.

§ 39. Sollicitudinem autem, curamque primodictam imaginem coronis, torquibus, gemmis et preciosis margaritis ornandi, et eamdem imaginem conservandi, sacristae cappellae unâ cum canonicis praedictis demandamus, ita tamen, ut circa illius ornatum et conservationem nihil a praedictis, sine consensu protectoris pro tempore existentis, innovetur. Et si inter canonicos et sacristam praedictos aliqua circa praemissum ornatum et conservationem controversia vel dissensio oriatur, semper idem cardinalis protector consulatur, a quo extraiudicialiter, et omni et quacumque appellatione et recursu remotis, omnis controversia et dissensio huiusmodi decidatur et terminetur.

De lampadibus et candelis accensis in cappella tenendis.

§ 40. Praeterea statuimus et ordinamus, quod lampades septem, quinque scilicet ante primodictam imaginem, et reliquae duae singulae ante singula altaria sanctae Franciscae et sancti Caroli huiusmodi, ubi de praesenti reperiuntur, diu noctuque perpetuo accensae permaneant, ac in honorem et venerationem primodictae imaginis, ultra dictas lampades, duae siquidem cerae albae singulae librarum quatuor semper et perpetuo de die ante altare in illius angulis super altis candelabris ad eum usum confectis, in vigiliis vero ac festivitatibus eiusdem beatae Virginis cum octo diebus sequentibus, dum primodicta imagò aperta ad populi conspectum permanebit, sex aliae candelae similes de die etiam perpetuo accensae in altari et super inibi existentibus candelabris retineantur; omnisque impensa propterea necessaria ex propriâ dote et mensâ ipsis cappellae, fabricae et sacristiae, ut praefertur, assignatâ subministretur.

Reliquiae non sunt portandae extra cappellam.

§ 41. Reliquias quoque eorumdem sanctorum Caroli et Franciscae in altaribus praedictorum sanctorum, et alias quascumque in dictâ cappellâ, illiusque altaribus et sacristiâ, nunc et pro tempore

existentes, ab eâ amoveri, seu extrahi, et alibi asportari (etiam in die, quo capitulum, seu canonici alias dictae basilicae reliquias populo exhibebunt) omnino prohibemus; sed tunc in altaribus dictae cappellae, ut inibi a christifidelibus venerentur, in suis capsulis publice exponi mandamus.

Legata facta sacrae imagini ante translationem, et pallia hactenus data, relinquuntur capitulo cum onere tamen commodandi pallia pro ornandâ cappellâ.

§ 42. Insuper ad omnem differentiam et quaestionis materiam, quae inter capitulum et canonicos praedictos ex unâ, ac priorem et cappellanos, aliosque ministros dictae cappellae, illiusque patronum pro tempore[1] exoriri posset, tollendam, capitulo et canonicis praedictis, tam legatum bonae memoriae cardinalis Elciurii, quam alia omnia legata, primodictae imagini hactenus, ante translationem primodictae imaginis praedictam, facta, et etiam cultrices et seu pallia a camerâ nostrâ quotannis primodictae imagini dari et offerri solita, tam hactenus data et oblata, quam danda et offerenda in futurum, dimittimus et relaxamus. Ita tamen quod capitulum et canonici praedicti cultrices et pallia praedicta pro usu et ornamento dictae cappellae, toties quoties occasio tulerit et fuerint requisiti, accommodare et tradere teneantur.

Oblationes et aliae largitiones, de cetero faciendae sacrae imagini, ad quem spectent.

§ 43. Oblationes autem, quas manualiter a quibusvis pro tempore in maiori altari ipsius cappellae, seu altero ex duobus altaribus S. Caroli et S. Franciscae in dictâ cappellâ existentibus, seu in manibus sacristae, aut alterius dictae cappellae ministri, seu primodictae imagini, vel cappellae, aut altaribus praedictis fieri contigerit, sive sint in torquibus, iocalibus, margaritis, aureis et gemmatis coronis, sive etiam paramentis, aut preciosis vestibus, vel in aureis seu argenteis votis, cuiuscumque generis et valoris, semper et sine aliquâ distinctione sint et esse debeant ipsius cappellae et altarium praedictorum, ac in eiusdem cappellae, suaeque fabricae, sacristiae, ac mensae utilitatem omnino converti debeant. Illae vero, quae mediante testamento, legato, donatione, seu aliâ dispositione, primodictae imagini, vel cappellae aut altaribus in eâ existentibus praedictis relinquentur, si ad suppellectilem ecclesiasticam spectare dignoscentur (ut sunt cruces, candelabra, vasa argentea, aurea, custodiae pro reliquiis, vestes, aut alia eiusdem generis res et bona), eidem cappellae, et illius altaribus, fabricae, ac sacristiae cedere et applicari volumus; si vero huiusmodi relicta, seu aliàs donata et primodictae imagini, vel cappellae, aut altaribus praedictis pro tempore dedicata, vel dedicanda, domus, casalia praedia, aut alia stabilia, seu etiam pecuniae sint, ad basilicam ipsam, illiusque capitulum spectent, ac spectare declaramus et ordinamus; hoc tamen ita statuimus et declaramus, nisi ex legitimis et iustis coniecturis, aut aliàs, constaret, piam disponentis devotionem esse, etiam stabilia et pecunias, de quibus supra, ipsi primodictae imagini, eiusque cappellae et altaribus praedictis relinquere et ordinare; ita ut in primodictae imaginis et cappellae, dictorumque altarium commodum et honorem converti deberent; tunc enim piam offerentis mentem et voluntatem in primis et ante omnia servari volumus et mandamus. Cerae vero, quae in anniversariis et funeralibus supererunt, pro duabus[1] capitulo et cappellanis, pro reliquâ vero tertiis partibus priori, cappellanis et clericis supradictis distribuantur, prout eas distribui iubemus. Ipsa autem anniversaria et funeralia, quando fieri continget, non intra cappellam praedictam, sed extra eam in dictâ basilicâ, in loco patrono infrascripto beneviso, fieri et celebrari volumus et mandamus.

1 Desunt verba *ex alterâ partibus* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *duabus* (R. T.).

Priori, cappellanis et clericis, eorumque collegio communicantur omnia privilegia similibus personis et collegiis competentia.

§ 44. Rursus priori, cappellanis et clericis praedictis, illorumque collegio, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, praeeminentiis, praerogativis, favoribus, facultatibus, indultis et aliis gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alii dignitates, cappellanias et alia beneficia in dictâ basilica S. Mariae Maioris et aliis eiusdem Urbis basilicis et ecclesiis pro tempore obtinentes, earumque collegia, de iure vel consuetudine, aut ex privilegio, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque et principaliter et pariformiter, in omnibus et per omnia, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate et tenore praedictis indulgemus.

Eximuntur cappella, prior, cappellani, clerici et alii ministri, eorumque bona, a iurisdictione, correctione et visitatione Urbis vicarii, basilicae praedictae archipresbyteri, et quorumcumque aliorum iudicum.

§ 45. Praeterea eamdem cappellam, illiusque fabricam et sacristiam, nec non priorem, cappellanos, sacristam, camerarium, clericos et alios ministros et personas eiusdem cappellae pro tempore existentes, ipsumque collegium, ac praedicta, ceteraque omnia et quaecumque illius et eorum bona mobilia et immobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis, in dictis Urbe et locis et extra, ac aliàs ubicumque locorum consistentia, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate nunc et pro tempore existentis Urbis vicarii et archipresbyteri dictae basilicae S. Mariae Maioris, eiusque vicarii et capituli, et cuiusvis Ordinarii loci, aliorumque quorumcumque iudicum et officialium, in ipsâ Urbe vel aliàs ubilibet constitutorum, perpetuo eximimus et liberamus.

Datur patrono facultas nominandi cardinalem protectorem ad eius libitum, et ipse protector cappellae constituitur iudex privative quoad omnes alios.

§ 46. Ac praedictum Scipionem cardinalem illius vitâ durante, et eo vitâ functo antiquiorem eiusdem S. R. E. cardinalem ex nostrâ ac Francisci et Marci Antonii praedictorum familiâ et parentelâ, vel in eius defectum alium cardinalem acceptare volentem, quem etiam ex nunc requirimus et hortamur, pro tempore existenti patrono cappellae praedictae benevisum, ac ad ipsius patroni libitum et arbitrium, toties quoties opus fuerit, nominandum et eligendum, eiusdem cappellae, illiusque fabricae et sacristiae, nec non prioris, cappellanorum, clericorum, ministrorum, personarum, rerum, bonorum et iurium (privative quoad archipresbyterum praedictum et Urbis vicarium et etiam omnes alios quoscumque Romanae Curiae et Urbis praedictarum et alios quosvis iudices quocumque nomine vocatos et quacumque praeeminentiâ, etiam cardinalatus, ac etiam legati de latere et alio quocumque honore, dignitate, praeeminentiâ et auctoritate pollentes) protectorem, ac defensorem, nec non iudicem irrevocabilem perpetuo constituimus et deputamus. Ac vicario Urbis, nec non archipresbytero et illius vicario, ac praedictis et aliis quibusvis, etiam cuiuscumque gradus, conditionis et praeeminentiae existentibus, personis, et Urbis ac Romanae curiae praedictarum et aliorum locorum iudicibus, ne se in cappellam, illiusque fabricam, ac sacristiam, ac priorem, cappellanos, clericos, ministros, aut alias eiusdem cappellae personas, ac res, bona et iura quaecumque, seu in litium et differentiarum desuper, aut illorum occasione pro tempore suscitatarum, seu ortarum cognitionem, etiam ratione cuiuscumque amicabilis compositionis vel concordiae, aut aliàs quomodocumque, ingerere seu decretum suum vel auctoritatem interponere praesumant, districtius inhibemus.

Cardinalis de familia praefertur quoad protectionem cuicumque cardinali extraneo prius nominato.

§ 47. Praeterea volumus et declaramus, quod licet, nullo de nostrâ et Francisci ac Marci Antonii praedictorum parentelâ huiusmodi existente in cardinalatus honore constituto, alius ad id, ut praefertur,

electus et nominatus cardinalis munus protectoris huiusmodi subire et exercere incepisset, nihilominus, si postmodum contigerit aliquem ex nostrâ familiâ et parentelâ praedictâ ad cardinalatus honorem assumi, is in eiusdem muneris functione seu protectoris gradu praeferri debeat, et electio, nominatio, constitutio et deputatio de cuiusvis alterius personâ in protectorem huiusmodi factae, eo ipso cessare et expirare censeantur.

Facultas condendi statuta protectori conceditur.

§ 48. Nec non eidem Scipioni cardinali moderno et pro tempore existenti eiusdem cappellae protectori quascumque opportunas et necessarias constitutiones et ordinationes, statuta et decreta, iuxta prudentiam eidem a Deo collatam, pro primodictae imaginis veneratione, eiusque cultus conservatione et augumento, ac tam circa tempora servitiorum praestandorum, ipsorumque prioris, cappellanorum, clericorum et aliorum ministrorum felicem directionem, ac onerum eis incumbentium supportationem, quam mulctas, punctuationes et poenas contra negligentes et servitia debita omittentes, illarumque applicationem, ac super aliis omnibus, quae in praemissis omnibus et singulis, ac praemissorum causâ et occasione necessaria esse iudicabit, condendi, componendi, edendi, atque promulgandi, et postquam semel edita et promulgata fuerint, quoad Scipionem, aut alios pro tempore existentes cardinales protectores patronos, ex se, quo vero ad alios cardinales protectores non patronos, de patroni consensu, semel edita et promulgata, prout in Domino, ac toties quoties eis expedire videbitur, in parte, seu etiam in toto, mutandi et corrigendi, ac alia de novo edendi et promulgandi, quae semper et perpetuo auctoritate nostrâ, ex nunc, prout ex tunc et e contra, valere et servari volumus, decernimus et mandamus.

Omnes lites protectori summario committuntur, et appellatione remota, cum facultate ab aliis iudicibus avocandi et reassumendi causas, inhibendi, etc.

§ 49. Nec non differentias, lites et controversias inter quascumque personas, tam prioris quam cappellanorum et ministrorum huiusmodi, ac aliarum personarum eiusdem cappellae servitio vel ministerio addictarum, et earumdem consortes, seu inter ipsos et quosvis alios occasione personarum et bonorum dictae cappellae pro tempore exortas, summarie, simpliciter de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, omni et quacumque contradictione, interpellatione, appellatione et recursu, in integrum restitutione, ac morâ remotis (etiam privative quoad archipresbyterum dictae basilicae et illius vicarium, ac etiam curiae causarum camerae apostolicae et palatii apostolici auditores, ac eiusdem camerae clericos et thesaurarium generalem, ac eiusdem Urbis gubernatorem, camerarium et vicecancellarium, nec non nostrum et pro tempore existentem in ipsâ Urbe in spiritualibus vicarium generalem, atque omnes alios curiae et Urbis praedictarum, et aliorum locorum quorumcumque ordinarios et delegatos iudices nunc et pro tempore existentes), cognoscendi, decidendi, definiendi, terminandi et exequendi, litesque et causas huiusmodi alibi introductas, motas seu pendentes, avocandi, reassumendi, ac quos, quibus et quoties opus fuerit, citandi, ac sub censuris ecclesiasticis et poenis pecuniariis, eius arbitrio imponendis et moderandis, inhibendi, poenasque et censuras huiusmodi incurrisse declarandi, ac, servata formâ Concilii Tridentini, aggravandi, reaggravandi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; ac denique eamdem prorsus iurisdictionem, superioritatem et potestatem in cappellam praedictam, illiusque fabricam, sacristiam, altaria, et bona quaecumque ac universas et singulas personas praedictas, in omnibus et per omnia, quam pro tempore existentes dictae basilicae S. Mariae Maioris archipresbyter,

eiusque vicarius in dictam basilicam, illiusque altaria, capitulum, canonicos, beneficiatos et clericos, vel ministros, de iure vel consuetudine, ac privilegio, vel aliàs quomodolibet, exercere potest et debet, sive in futurum poterit et debebit (etiam quoad ea universa et singula, quae expressionem et concessionem requirerent magis specialem, et quae in et super generali huiusmodi concessione non comprehenduntur, seu non comprehendi dici possunt) libere exercendi, plenam, liberamque damus et concedimus facultatem.

Facultas cardinalis protectoris disponendi de cameris et mansionibus cappellae adiacentibus.

§ 50. Ac eidem Scipioni cardinali, et pro tempore existenti praedictae cappellae protectori et defensori, omnes quascumque et singulas stantias, mansiones et habitationes eidem cappellae nostrae adiacentes, seu contiguas et annexas, quas intus et ad ambitum vel muros illius existentes, fabricari fecimus (ad hoc, ut de illis nunc et quandocumque, ad eiusdem Scipionis cardinalis, et pro tempore existentis protectoris, vel familiarium et domesticorum et sibi servientium, seu aliarum personarum usum et commoditatem ac servitium et aliàs ad beneplacitum et arbitrium suum, libere et licite, absque aliquà recognitione vel pensione seu solutione illarum ratione etiam praedictae cappellae, vel priori et cappellanis, aliisque ministris illius, seu basilicae huiusmodi, aut cuivis alii faciendà, disponere possit), liberumque earumdem stantiarum, mansionum et habitationum usum, commoditatem et servitium (ita tamen quod in illis, tam in toto quam in parte, nullus praeter Scipionem cardinalem, et pro tempore existentem protectorem et defensorem huiusmodi, quovis praetextu, occasione, vel causâ, seu ullo unquam tempore se ingerere possit) perpetuo reservamus, concedimus et assignamus.

Iuris patronatus cappellae concessio et forma succedendi in illo.

§ 51. Insuper circa iuris patronatus et praesentandi, nominandique, eligendi et deputandi, antedicti reservationem, et seu prioratus, ac cappellaniarum et clericatuum huiusmodi, aliorumque praedictorum dispositionem, de novo statuentes vel statuendum censentes, praedicto Scipioni cardinali praedictum ius patronatus cappellae praedictae, ac, ut supra et infra, praesentandi, eligendique et deputandi, praedictamque dispositionem, quoad vixerit, faciendi, nec non eidem Scipioni cardinali, tamquam patrono et protectori, vitâ sibi comite, tam prioratus, quam omnium et singularum cappellaniarum huiusmodi, tam eâ primâ vice ab ipsâ eorum primaevâ erectione et institutione apud Sedem praedictam vacantium, quam de cetero quibusvis modis et ex quorumcumque, etiam nostrorum et Romani Pontificis pro tempore existentis, seu cuiusvis cardinalis etiam viventis familiarium continuorum commensalium, seu dictae curiae officialium, aut aliàs quomodolibet reservationem inducentibus personis, seu per liberas, vel ex causâ permutationis, resignationis, iurium cessiones, etiam accessorias vel simplices, de illis in dictâ curiâ, vel extra eam, etiam in nostris vel Romani Pontificis pro tempore existentis manibus, etiam in dictâ curiâ vel extra eam quomodolibet factas et admissas, aut assequutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, seu illa pro tempore obtinentium decessum, vel quamvis aliam dimissionem, amissionem, privationem, religionis ingressum, matrimonii contractum, ad cathedralium ecclesiarum, vel monasteriorum, etiam consistorialium, seu quamcumque aliam promotionem, aut aliàs quomodolibet, et qualitercumque, etiam apud Sedem praedictam et in dictâ curiâ, simul vel successive, toties quoties vacaturorum, plenam et liberam collationem et provisionem ac omnimodam aliam dispositionem et institutionem personarum in eisdem prioratu et cappellaniis nec non

sacristae, clericorum et scoparii deputationem per ipsum Scipionem cardinalem, vel alium, seu alios, quem, vel quos ad id duxerit deputandum, vel deputandos, quando et quoties, etiamsi eumdem Scipionem cardinalem ab ipsâ curiâ, etiam pro suâ voluntate, ubilibet, etiam ultra montes, abesse contigerit, faciendas concedimus et reservamus.

Conceditur cardinali Burghesio facultas conferendi, ut supra, et in possessionem immittendi provisos.

§ 52. Nec non eidem Scipioni cardinali huiusmodi prioratum et cappellanias, ut praefertur, vacantes et vacaturas conferendi, et de eis providendi ac disponendi, nec non de prioratu et cappellaniis praedictis sic pro tempore et quandocumque provisos, vel institutos, in eorumdem prioratus, ac cappellaniarum, ac eorum singulorum possessionem veram, realem et actualem, etiam eo ipso (absque aliquâ alterius iudicis, vel personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, vel aliàs qualificatae ministerio seu interventu, aut praesentiâ, seu licentiâ aliquâ), propriâ auctoritate immittendi, ponendi, inducendi et manutenendi, quos, sic in possessionem immissos et inductos, in priorem ac cappellanos huiusmodi, et in fratres eiusdem cappellae, illius prior et ceteri cappellani respective recipere, ac ad omnia iura et tractatus eiusdem cappellae admittere teneantur, plenam et integram, liberam et omnimodam facultatem et auctoritatem et potestatem attribuimus, sibique desuper indulgemus. Post obitum vero praedicti Scipionis cardinalis, praedictum ius patronatus dictae cappellae et praesentandi personas idoneas, etiam alienigenas, ad prioratum, omnesque et singulas cappellanias huiusmodi, quotiescumque illum et illas, et illorum aliquos, ut praefertur, seu aliàs quomodocumque, vacare contigerit, ac sacristam, dictosque clericos, et scoparium ad nutum deputandi et removendi, ac protectorem eligendi et nominandi, dicto Marco Antonio Burghesio, principi Sulmonis, nostro ex praedicto Ioanne Baptista secundum carnem nepoti, eiusque natis et descendentibus masculis per lineam masculinam legitimis et naturalibus ex legitimo matrimonio natis et procreatis

Ordo primogeniturae in successione iurispatronatus cappellae.

§ 53. (Ita tamen, quod praesentatio, electio, nominatio et deputatio respective solum fieri debeat a primogenito, et ipsius primogeniti primogenito usque in infinitum, hoc modo videlicet: si dictus Marcus Antonius plures filios masculos habuerit, praesentatio, electio, nominatio et deputatio respective pertineant ad natu maiorem tantum, qui, si etiam plures susceperit filios masculos, natu maior eorum tantum praesentet et respective deputet, nominet et eligat; et sic ius praesentandi et respective deputandi, eligendi et nominandi huiusmodi; semper transeat de primogenito in primogenitum usque in infinitum: et deficiente vel non existente lineâ masculorum ex masculis a dicto primogenito descendentibus, tunc praesentatio et respective deputatio, nominatio et electio, modo et formâ praemissis, ad secundogenitum, si superstes fuerit, sin minus ad natu maiorem masculum similiter usque in infinitum; et deficiente lineâ masculorum ex masculis descendente a secundogenito, iuspatronatus praesentandi, deputandi, eligendi et nominandi huiusmodi transeat ad tertiogenitum, praedicto ordine servato, et sic successive de unâ lineâ ad aliam ad omnes descendentes masculos a dicto Marco Antonio: non existentibus vero filiis vel aliis masculis ex dicto Marco Antonio, eiusque posteris masculis descendentibus, vel illis quandocumque in perpetuum deficientibus, ius patronatus, et praesentandi et respective deputandi, eligendi et nominandi huiusmodi, ad filiam foeminam dicti Marcii Antonii, vel ultimi masculi legitimi ab ipso Marco Antonio descendentis, legitimam et naturalem ac natu maiorem; et

postmodum ad eius filios et descendentes masculos legitimos et naturales in perpetuum, ordine primogeniturae, ut supra dictum est de descendentibus masculis, servato, spectet et pertineat: si vero contigerit, lineam masculinam ex foeminis ex dicto Marco Antonio desendentibus penitus extingui, vel non extare, tunc et eo casu foeminae ex filiabus vel aliis descendentibus foeminis ex dicto Marco Antonio descendentes, ordine primogeniturae, ut de masculis dictum est, semper servato, ad dictum ius patronatus, et praesentandi, et respective deputandi, eligendi et nominandi succedant: deficiente vero in totum lineâ tam masculinâ quam foeminâ ex dicto Marco Antonio descendente, vel illâ non existente, ius patronatus et praesentandi, ac respective deputandi, eligendi et nominandi huiusmodi, transeat ad praedictum Franciscum, eiusque filios et descendentes masculos, de primogenito in primogenitum, ac eis deficientibus ad foeminas, ut supra dictum est de descendentibus dicti Marci Antonii: et tandem, ex ipso Francisco descendentibus masculis et foeminis deficientibus vel non existentibus, ad praedictum Curtium Burghesium nostrum secundum carnem huiusmodi consanguineum, et post eum eius primogenitum, et aliàs, modo praemisso, de primogenito in primogenitum, prout de dicto Marco Antonio supra dictum est, etiam quoad foeminas exinde descendentes in infinitum: deficientibus autem omnibus et singulis masculis et foeminis descendentibus a Marco Antonio et Francisco ac Curtio praedictis, tunc succedat in ius patronatus, et praesentandi ac respective deputandi, eligendi et nominandi huiusmodi, qui nobis fuerit in lineâ masculinâ, et eâ deficiente in foemininâ sanguine proximior, servato semper in omnibus casibus supradictis ordine primogeniturae, transeundo scilicet de primogenito ad primogenitum, et praeferendo lineam primogeniti lineae secundogeniti, et masculos ex masculis descendentes natis ex foeminis, ac masculos ex foeminis ipsis foeminis, atque aliàs in omnibus et per omnia, prout in lineâ filiorum descendentium a dicto Marco Antonio ordinatum est: ita quod ius patronatus et praesentandi ac respective deputandi, eligendi et nominandi huiusmodi, ad unum solum successorem in solidum, et post illum ad alium semper deveniat, absque eo quod inter plures successores dividi possit;

Patronus praesentat coram protectore vel priore, et quando patronus erit in dignitate ecclesiastica constitutus poterit conferre.

§ 54. Institutiones aut collationes et provisiones personarum, ut praefertur, a patrono pro tempore praesentatarum, videlicet quoad prioratum per cardinalem protectorem et seu etiam ipsum priorem, prout ipsi patrono magis placuerit, fieri debeant, si vero pro tempore existens patronus prioratus et cappellaniarum huiusmodi in dignitate ecclesiasticâ constitutus esset, tunc ipse patronus in huiusmodi dignitate constitutus non teneatur praesentare, sed prioratum ac cappellanias ac eorum singulas, quomodocumque et quandocumque vacantes, ut praefertur, pleno iure ac eisdem modo et formâ, auctoritate quibus dicto Scipioni cardinali reservavimus et concessimus, absque alicuius praesentatione conferre, et de illis etiam providere ac disponere, et provisos in possessionem immittere, inducere, ponere et difendere, libere et licite possit), motu et ex certâ scientiâ, et potestatis plenitudine similibus itidem perpetuo reservamus, concedimus et assignamus.

Nova reformatio iurispatronatus ad abundantiorem cauthelam.

§ 55. Praeterea, pro potiori Scipionis cardinalis, Marci Antonii, aliorumque ad ius[1] patronatus, nec non praesentandi, et respective deputandi, eligendi et nominandi, aliorumque praedictorum reservationem et concessionem per nos factam quomodolibet vocatorum, cautelâ et se-

1 Videretur legendum *iuris* (R. T.).

curitate, et sine aliarum donationum et gratiarum quarumcumque illis, tam in praemissis quam aliàs quandocumque et quomodocumque factarum aliquo praeiudicio, quas praesentibus pro expressis et ad verbum insertis haberi, ac quas in omnibus iis, quae praesenti nostrae dispositioni contraria non sunt, semper salvas, validas et firmas esse et remanere, et si quid in aliquâ, seu aliquibus ipsarum deficeret, per aliam, seu alias suppleri, et iuvari posse et debere, volumus atque decernimus, dictam cappellam cum altaribus, statuis, picturis, sacristiâ, mansionibus, aedificiis illi annexis, commoditatibus, omnique illius structurâ et ornatu, ac impensâ et impensis, etiam notabilissimis, cuiuscumque summae extiterint, seu extent, tam hucusque quomodolibet factis, quam imposterum faciendis, necnon dotibus, proventibus, introitibus, redditibus, iuribus et emolumentis, ac universâ suppellectili, iocalibus et rebus, tam hactenus quomodolibet datis, donatis, unitis et assignatis, applicatis et concessis, quam imposterum a nobis dandis, donandis, uniendis, assignandis, applicandis et concedendis, necnon melioramentis et augmentis, etiam tam hactenus factis, quam faciendis quibuscumque, illorumque pretium, valorem et aestimationem, ac omnes et singulas pecuniarum summas, qualitates et quantitates, a nobis, seu de mandato nostro, hactenus erogatas, et erogandas in futurum quascumque, etiam notabiles et notabilissimas;

Donatio omnium expensarum factarum et faciendarum, ac cessio iurium camerae super illis competentium.

§ 56. Item omnia et singula, ac quaecumque iura et actiones camerae nostrae apostolicae super praemissis omnibus et singulis quibuscumque, seu praemissorum causâ et occasione, ex quovis iure, causâ et occasione, capite vel praetextu, ingenio vel quaesito colore, etiam in corpore iuris clausis, ac tam deductis quam deducendis, cogitatisque et incogitatis, et quae deduci et excogitari quomodolibet possent, et de quibus in praesentibus mentionem fieri oportet specialem, aut aliàs quomodolibet, quomodocumque et qualitercumque competentia et competentes, ac competitura et competituras, ac quae competere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, dictis Scipioni cardinali, ac Marco Antonio, et aliis, ut supra, ad iuspatronatus, et praesentandi, ac respective deputandi, eligendi et nominandi quomodolibet vocatis quibuscumque, modo et formâ ac ordine supradictis, qui hic ad verbum pro repetitis habeantur et censeantur, perpetuo ac donatione liberâ et irrevocabili, quae fit et fieri dicitur inter vivos, perpetuo valiturâ donamus, damus, cedimus, concedimus et elargimur, ac eos omnes et singulos in nostrum et successorum nostrorum Romanorum Pontificum, ac Sedis et camerae apostolicae ius, locum, privilegiumque universum quoad praedicta ponimus, substituimus et subrogamus in verbo Romani Pontificis, motu, scientiâ, et potestate similibus: attestantes, atque asserentes, hanc, tam ab initio ipsius cappellae fundationis et constructionis, quam antea et postea, ac semper fuisse et esse nostram mentem, intentionem et indubitatam voluntatem, ut omnia et quaecumque in dictae cappellae et novae sacristiae dictae basilicae fundatione ac constructione et ornatu de nostris pecuniis exponenda, ac etiam aliunde applicanda, cederent, ac cedere deberent in acquisitionem, et reservationem iurispatronatus, ac praesentandi, et deputandi, nec non eligendi et nominandi, pro Scipione cardinale, ac Marco Antonio, aliisque in praedicto ordine vocatis; ita ut eisdem ex verâ et reali fundatione et constructione, ac perpetuâ dotatione ius patronatus, et praesentandi ac deputandi, eligendi et nominandi, perpetuo acquisitum foret et esse deberet.

Decernitur ius patronatus esse praesentandi ex vera et reali fundatione, constructione et donatione nobilium, et illustrium, ac principum et ad instar regum.

§ 57. Decernentes ius patronatus et praesentandi, deputandique et eligendi, et nominandi huiusmodi, laicorum nobilium, et illustrium, ac principum, ac in omnibus, et per omnia ad instar regum vere existere, ac Scipioni cardinali, Marco Antonio, et aliis futuris patronis praedictis, non ex privilegio, sed ex veris primaevâ, reali, actuali, plenâ, integrâ et omnimodâ fundatione et perpetuâ dotatione, ac etiam ratione aedificationis, ac totalis et integrae a primis fundamentis, originalisque et perpetuae constructionis, tam cappellae quam sacristiae praedictarum, competere et ad illos pertinere, et propterea vere ius patronatus, praesentandi, deputandi, eligendi, et nominandi laicorum, seu laicale nobilium et illustrium ac principum, et adinstar regum esse decernimus, declaramus atque pronunciamus;

Iuspatronatus non cadere sub quacumque revocatione et derogatione, nec illi etiam ratione vacationis apud Sedem, permutationis, devolutionis litis, nec ex quacumque alia causa posse derogari, etiam de consensu patronorum.

§ 58. Illudque veram et propriam ac non fictam naturam iuris patronatus, praesentandi, deputandi et nominandi laicalis, ac talem substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem et roboris firmitatem, vimque et effectum habere et obtinere, ac Scipioni cardinali, Marco Antonio, et aliis futuris patronis praedictis, et eorum cuilibet, perpetuo suffragari debere in omnibus et per omnia, absque ullâ prorsus differentiâ, ac, ut tale, sub quacumque derogatione, etiam cum quibusvis praegnantissimis et efficacissimis verbis, clausulis, ac etiam irritantibus, et aliis fortioribus decretis, etiam cum clausulâ *quorum tenores*, in quacumque dispositione, etiam per viam constitutionis, legis, regulae cancellariae apostolicae, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices, etiam motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, pro tempore, etiam in crastinum ad summi apostolatus apicem quorumcumque Romanorum Pontificum successorum nostrorum, aut aliàs quomodocumque, factis, concessis et emanatis, nullatenus comprehendi, nec illi ullo umquam tempore, etiam ratione cuiusvis litis pendentiae, vel vacationis prioratus, et cappellaniarum huiusmodi apud Sedem praedictam, etiam ex causâ permutationis, vel devolutionis, seu alio quocumque praetextu, et ex quacumque causâ quantumvis urgenti et legitimâ, per nos, seu quoscumque alios Romanos Pontifices successores nostros pro tempore existentes, vel Sedem praedictam, aut illius etiam de latere legatos, etiam motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus, seu cuiusvis intuitu, contemplatione, per quascumque litteras apostolicas, etiam in formâ Brevis, et quascumque etiam derogatoriarum derogatorias, ac fortiores et insolitas clausulas, nec non irritantia et alia contraria decreta quaecumque, etiam toto et integro praesentium tenore inserto, ac de patronorum seu cuiusvis alterius consensu, aut aliàs quomodolibet, derogari posse vel debere aut derogatum censeri;

Uniones et applicationes factae mensae prioris et cappellanorum non possint alteri ecclesiae, vel loco applicari, aut aliter disponi, contrariis non obstantibus quibuscumque.

§ 59. Minusque archipresbyteratum, canonicatus, et praebendas, cappellanias, et beneficia in ecclesiâ sancti Laurentii, ut praefertur, suppressa et extincta, ac dictae cappellae ut supra constructae, in eâque prioratui et cappellaniis a nobis erectis, unita et applicata, seu eorum alicui, vacatione, ut praefertur aut[1] aliàs quomodolibet, occurrente, cuiquam conferri, nec aliter de illis (etiam in favorem quarumvis personarum, vel etiam ecclesiarum, hospitalium, cappellarum, locorum piorum, aut in alios quosvis, etiam magis pios et privilegiatos usus, et quavis etiam urgente et urgentissimâ causâ, etiam de illâ tunc obtinendâ, ac prioris, et cappellanorum praedictorum, et seu etiam patronorum, aut praepositi, religiosorum, et totius congregationis praedictorum, aut aliorum quorumvis consensu etiam formaliter ha-

1 Edit. Main. legit *ut* (R. T.).

bito, et etiam praesentium factâ mentione, et ad verbum insertione, et derogatione) quomodocumque et qualitercumque disponi posse neque debere: ac omnes et quascumque collationes, provisiones, commendas, praesentationes, institutiones, vel alias dispositiones, tam de archipresbyteratu, canonicatibus, praebendis, cappellaniâ, et beneficiis praedictis, ut supra suppressis et extinctis, quam de prioratu, et duodecim cappellaniis, etiam ut supra a nobis erectis et institutis, seu eorum aliqua, contra harum praesentium nostrarum litterarum formam, tenorem et dispositionem, sub quibusvis verborum expressionibus, et quomodolibet pro tempore faciendas, processusque desuper habitos, ac omnes et quascumque collationes, provisiones, commendas, praesentationes, institutiones, vel alias dispositiones de prioratu et cappellaniis praedictis, ut praefertur, vel aliâs quovis modo, etiam apud Sedem eandem pro tempore vacantibus, quibusvis personis, et etiam communitatibus, collegiis, locis piis, cappellis, et aliàs quam ad praesentationem patronorum praedictorum, sub quibusvis verborum expressionibus pro tempore factas, seu faciendas, processusque desuper habitos, seu habendos, ac inde pro tempore sequenda quaecumque, nulla et invalida, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, ac pro nullis et infectis haberi et censeri, nec ius, aut coloratum titulum possidendi cuiquam tribuere, vel per illa acquiri posse, suppressionem, extinctionem, ac unionem et applicationem praedictas, et respective collationem, provisiones et alias dispositiones per Scipionem cardinalem, ac protectorem, seu priorem respective ut supra; necnon praesentationes per patronos praedictos respective pro tempore factas, subsequutasque institutiones, validas et efficaces fore et esse, suosque effectus sortiri, ipsisque provisis, praesentatis et institutis, tale ius in re vel ad rem acquiri, quale acquiritur praesentatis et institutis ad beneficia de vero et reali iure patronatus laicorum nobilium et illustrium, ratione primaevae et integrae institutionis, ac perpetuae dotationis ex bonis mere laicalibus et patrimonialibus dumtaxat existentia: necnon archipresbyteratum, canonicatus, et praebendas, cappellaniam, et beneficia praedicta, ut praefertur, suppressa, extincta, ac unita, et applicata, necnon respective, ut praefertur, erectos et institutos prioratum et cappellanias, sacristiam, et clericatus huiusmodi, sub quibuscumque contrariis, vel similibus, seu dissimilibus, specialibus vel generalibus, reservationibus, unionibus, annexionibus, incorporationibus, suppressionibus, extinctionibus, dissolutionibus, dismembrationibus, applicationibus, etiam perpetuis vel temporalibus, expectativis, et aliis etiam praeventivis gratiis, ac uniendi et applicandi, necnon conferendi, providendi, et aliis facultatibus, concessionibus, litteris, mandatis, etiam de providendo, ac indultis et dispositionibus quibuscumque, illorum et illarum revalidatationibus, quibusvis personis, etiam praedictae S. R. E. cardinalibus, etiam de latere legatis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis suspensivis, restrictivis, ac etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis irritantibus, etiam vim contractus inducentibus, aut fortioribus et arctioribus decretis, atque aliâs quomodolibet, nunc et pro tempore concessis, necnon quibusvis clausulis et decretis quantumvis amplissimis et praegnantissimis, etiam cum clausulâ quorum tenores, editis et edendis, nullatenus comprehensa esse aut fore, minimeque comprehendi posse aut debere, sed semper ab illis excepta et exclusa esse, et censeri debere.

§ 60. Ac omnia et singula praemissa, necnon iam confectas litteras ac prae- Clausula quod non possit dari de obreptione.

Subreptione, vel intentionis defectu exceptio.

sentes nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu (etiam ex eo, quod causae, propter quas praemissa facta sunt, coram Urbis vicario, aut archipresbytero dictae basilicae sanctae Mariae Maioris, nunc et pro tempore existenti, vel eius vicario huiusmodi, aut quocumque locorum, ubi bona praedicta sita sunt, Ordinario, etiam tamquam Sedis praedictae delegato, aut alibi, et coram quibusvis, examinatae, verificatae, et ab eis approbatae, necnon cardinales titulares sancti Laurentii in Lucina, et archipresbyter basilicae sanctae Mariae Maioris, qui fuerunt, et nunc sunt, capitulumque, et canonici eiusdem basilicae sanctae Mariae Maioris, necnon prior, et cappellani praedicti, ac praepositus, religiosi, congregatioque presbyterorum, nec non archipresbyteratum, canonicatus, praebendas, cappellaniam, et beneficia praedicta obtinentes, ac guardiani et confratres archiconfraternitatis confalonis, et confraternitatum beatae Mariae de Aracoeli, et sancti Alberti, ac ceteri supradicti, et alii quicumque in praemissis quomodolibet ius seu interesse habentes, vel habere praetendentes, ad id vocati et auditi non fuerint, nec desuper suum consensum praestiterint, seu ex quavis aliâ causâ, vel quocumque praetextu, quaesito colore vel ingenio) notari, impugnari, invalidari, retractari, et ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari, aut adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excepta, et quoties illa emanabunt, toties in pristinum, et eum, in quo antea erant, statum restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac etiam de novo sub posteriori datâ per Scipionem cardinalem et protectorem, ac patronos futuros praedictos, quandocumque eligendâ, concessa, validaque et efficacia fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac perpetuo suffragari; praemissaque omnia et singula, ac super illis confectas litteras praedictas, ac easdem praesentes, et in illis contenta quaecumque (etiamsi in illis, sive eorum aliquo, de Sedis et camerae nostrae apostolicae, nec non cardinalium titularium sancti Laurentii in Lucina, et archipresbyteri basilicae sanctae Mariae Maioris, ac capituli et canonicorum, cappellanorum et clericorum eiusdem basilicae, priorisque, et cappellanorum praedictorum, necnon dictos archipresbyteratum, canonicatus, et praebendas, cappellaniam, et beneficia suppressa praedicta obtinentium, ac praepositi, religiosorum et congregationis, necnon archiconfraternitatis et confraternitatum, aliorumque praedictorum, et aliorum quorumvis, etiam speciali notâ dignorum, et quantumvis privilegiatorum et qualificatorum, etiam necessario exprimendorum, damno, interesse, ac praeiudicio, et etiam quantumvis enormi et enormissimâ laesione ageretur, seu sequeretur, aut ipsum interesse, damnum, praeiudicium, ipsaque laesio esset servata, et ad illa aut eorum aliqua praedicti et alii quicumque interesse habentes, seu habere praetendentes, auditi, citati vel vocati non fuissent; minusque suppressio, extinctio, dismembratio, unio, applicatio, approbatio[1], donationes, concessiones, pecuniarum solutiones, aliaque praedicta, ac praesentes, iuxta Pii Papae IV praedecessoris nostri de registrandis gratiis editam constitutionem, infra terminum in eâ praefixum, seu umquam in eâdem camerâ, vel alibi admissa, neque etiam iuxta iuris et quarumcumque pontificalium constitu-

1 Edit. Main. legit *suppressionem ... approbationem* (R. T.).

tionum, ac etiam statutorum Urbis, et illorum reformationum formam insinuata, notificata, et etiam in eiusdem camerae libris, seu apud acta publica, vel alibi admissa et registrata non existant; aut ex quibusvis nullitatibus; aut dictae constitutioni[1], seu nostrae regulae de non tollendo iure quaesito, et quibusvis aliis nostris, vel praedecessorum nostrorum constitutionibus, legibus, statutis, reformationibus, decretis et consuetudinibus, etiam de directo et penitus contrariis, seu aliis quibusvis obstaculis, impedimentis, etiam praeiudicialibus quibuscumque, nullatenus, seu minus sufficienter derogatum sit; et quod in illis certae formae, certaeque solemnitates, etiam ex formâ ipsarum litterarum, ad donationum, concessionum, aliorumque praemissorum validitatem[2], aut aliàs de necessitate servandae et quomodolibet requisitae, servatae non sint) nihilominus semper et perpetuo valere, ac firmitatem et robur obtinere, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere, volumus et declaramus. Nos enim praedictos et alios quoscumque etiam quantumvis substantiales atque formales et de necessitate exprimendos defectus, si qui in illis aut eorum aliquo vel circa illa quomodolibet intervenissent, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus supplemus, eosdemque defectus sanamus, tollimus et abrogamus. Et nihilominus, pro potiori ipsorum Scipionis cardinalis, et Marci Antonii, aliorumque vocatorum, ac prioris, sacristae et cappellanorum praedictorum cautelà, perinde ac si numquam praecedentes litterae nostrae, quoad haec, a nobis emanassent, de novo de per se, ac aeque principaliter, iuxta praesentium formam, continentiam et tenorem, omnia et singula supradicta facimus, statuimus, decernimus, declaramus, concedimus, damus, donamus, elargimur, ac ut supra volumus, disponimus et ordinamus. Decernentes in omnibus, et singulis praemissis utile per inutile non vitiari, sed omnia rata, valida et firma omnino per se, sine aliquâ dependentiâ seu correspondentiâ, existere debere.

Decernitur praesentes litteras non esse in camera praesentandas, nec registrandas, nec ullibi esse in aliquo verificandas et iustificandas, nec illis nocere contrariam probationem.

§ 61. Nec non dictum Scipionem cardinalem, ac Marcum Antonium, et alios vocatos praedictos, seu quosvis alios, ad praedictas litteras, minusque praesentes, et in illis, ac praesentibus narrata et contenta quaecumque, in camerâ nostrâ apostolicâ praesentandum, et in eius libris admitti et registrari faciendum, etiam iuxta dictam Pii IV praedecessoris de registrandis, minusque illas, vel illa in toto, vel in aliquà illorum parte, in iudicio vel extra, quavis causâ et occasione exhibendum, probandum, iustificandum seu verificandum ullo tempore teneri, aut ad id cogi vel compelli ullatenus[1] posse seu debere: et etiam si eaedemmet litterae non exhiberentur, et numquam apparerent, nec apparere possent, nihilominus illa pro verificatis haberi debere, praesentesque etiam absque aliarum litterarum, et scripturarum praedictarum exhibitione, et illarum, praesentiumque, ac in eis contentorum, etiam sine ullà prorsus probatione, verificatione et iustificatione, nihilominus ad omnia et singula legitime et sufficienter in iudicio et extra probandum, verificandum et iustificandum, omnino sufficere, nec alterius probationis adminiculum requiri, immo quamcumque contrariam probationem illis minime obesse, ac omnia et singula praemissa perpetuo valida, firma et efficacia fore et esse; ac[2] donationem et concessionem, aliaque praedicta, vim validi et efficacis, ac initi et iurati contractus inter nos et Sedem, cameramque praedictas ex unâ, et dictum Scipionem cardinalem, ac Marcum Antonium.

1 Edit. Main. legit *constitutionis* (R. T.).
2 Verbum *validitatem* nos addimus (R. T.).

1 Legendum foret *nullo .. nullatenus* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *ad* (R. T.)

aliosque vocatos praedictos ex alterâ partibus, etiam titulo oneroso, habere et obtinere; ipsisque Scipioni cardinali, et Marco Antonio, aliisque vocatis praedictis plenissime in omnibus et per omnia suffragari; illosque praemissorum effectu pacifice frui, et gaudere debere; nosque, et Sedem, cameramque praedictas, tam ad eorumdem praemissorum plenariam observationem, quam ad ipsius Scipionis cardinalis, Marci Antonii, et aliorum vocatorum praedictorum in pacificâ eorum possessione et usu manutentionem perpetuo teneri, ac de omni et quacumque evictione obligatos esse et fore decernimus et declaramus, prout in verbo Romani Pontificis promittimus, ac nos et cameram apostolicam, illiusque bona quaecumque nominatim et in specie pro eorumdem praemissorum observatione, etiam in casu cuiuscumque evictionis dictorum iurium, tam de facto, quam de iure, ac quovis casu, etiam inopinato et inexcogitabili in ampliori formâ camerae apostolicae in ipsorum Scipionis cardinalis, Marci Antonii, et aliorum vocatorum praedictorum favorem, obligamus et hypothecamus.

Clausula sublatâ, etc.

§ 62. Sicque nostrae mentis, intentionis, et incommutabilis voluntatis fuisse et esse attestamur, et ita in omnibus et singulis praemissis ab omnibus censeri, ac per praedictos cardinales Urbis vicarios, ac dictae basilicae sanctae Mariae Maioris archipresbyteros, ac sanctae Romanae Ecclesiae camerarios, necnon thesaurarios, clericos praesidentes camerae nostrae praedictae, et quoscumque iudices ordinarios et extraordinarios, commissarios, necnon curiae causarum eiusdem camerae et palatii nostri apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et nuncios (sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, irritumque et inane quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, pariter decernimus, statuimus et mandamus.

Derogationes constitutionum, et aliorum contrariorum quorumcumque.

§ 63. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, ac quibusvis aliis nostris litteris et dispositionibus, necnon similis memoriae Symmachi, ac Callisti, Gregorii IX et XIII, Ioannis XXI, Clementis VII, Innocentii VI et VII, Pauli II, III et IV, Iulii etiam III, Pii similiter IV et V, ac Sixti pariter V, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae et camerae praedictae non alienandis, et male alienatis recuperandis, ac dictâ Pii IV etiam praedecessoris de registrandis, necnon de iure quaesito non tollendo, et de non concedendis gratiis ad instar, et de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac de exprimendo vero valore, aliisque nostris et cancellariae nostrae apostolicae regulis, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac Bonifacii Papae VIII de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo quis vigore praesentium ultra tres dietas ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictarum basilicae S. Mariae Maioris, et ecclesiae S. Laurentii, et aliarum ecclesiarum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, pro tempore existentibus dictae basilicae archipresbytero, capitulo, canonicis, beneficiatis, clericis et cappellanis, necnon presbytero cardinali sub cuius titulo dicta ecclesia sancti Laurentii existit, necnon camerario, thesaurario, auditoribus, clericis, aliisque magistratibus, officialibus et iudicibus praedi-

ctis, ac etiam dilectis filiis populo romano contra forenses et alienigenas, necnon archiconfraternitati, confraternitatibus, praeposito, religiosis, congregationi presbyterorum, illorumque superioribus, necnon cappellae, aliisque praedictis omnibus et singulis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu pari et consistoriabiliter, etiam in fundatione et primaevà institutione, seu aliàs quomodolibet, concessis, approbatis et innovatis; etiamsi in eis caveatur, quod cappellaniae, prioratus, et alia beneficia praedictae Urbis, nullis nisi civibus Romanis, aut civium Romanorum originariorum filiis, et forsan aliis certo inibi expresso modo qualificatis conferri possint, aut aliàs de illis, etiam per Sedem praedictam pro tempore factae provisiones et aliae dispositiones nullae sint: quibus, omnibusque aliis, quae praesentibus quomodolibet obesse possent, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi etiam veriores, totosque et integros etiam praesentibus pro expressis insertis ac de verbo ad verbum registratis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praesentium, et validitatis omnium et singulorum praemissorum, hac vice dumtaxat harum serie, motu, scientià et potestatis plenitudine paribus, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 64. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, roboris, adiectionis, supplementi, sanationum, abrogationum, declarationum, correctionis, mutationis, addictionis, dispositionis, erectionis, institutionis, concessionum, assignationum, applicationum, appropriationum, declarationum, statutorum, ordinationum, mandatorum, commutationis, exemptionum, liberationum, decretorum, inhibitionum, dimissionis, relaxationis, iussionis, indultorum, requisitionis, constitutionis, deputationis, reservationum, donationis, cessionis, elargitionum, positionis, substitutionis, subrogationis, pronunciationis, sublationis, promissionis, attestationis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXV, V kalendas novembris, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 28 octobris 1615, pontif. anno XI.

CCLXXIII.

Institutio confraternitatis utriusque sexus christifidelium in almâ Urbe, sub invocatione sanctorum Benedicti et Scholasticae de Nursia, cum indulgentiarum elargitione et quotannis unum ex capitali poenâ damnatis liberandi facultate.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Pastoris aeterni, qui pro gregis salute in arà crucis immolari voluit, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pia christifidelium vota, quae ad divini cultus augmentum et ipsorum fidelium salutem spectant, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, eosdemque fideles ad religiosa opera exercenda, indulgentiis et peccatorum remissionibus invitamus, ut per operum huiusmodi exercitium ad aeternae beatitudinis gaudia pervenire mereantur. P. ad m. m.

aliosque vocatos praedictos ex alterâ partibus, etiam titulo oneroso, habere et obtinere; ipsisque Scipioni cardinali, et Marco Antonio, aliisque vocatis praedictis plenissime in omnibus et per omnia suffragari; illosque praemissorum effectu pacifice frui, et gaudere debere; nosque, et Sedem, cameramque praedictas, tam ad eorumdem praemissorum plenariam observationem, quam ad ipsius Scipionis cardinalis, Marci Antonii, et aliorum vocatorum praedictorum in pacificâ eorum possessione et usu manutentionem perpetuo teneri, ac de omni et quacumque evictione obligatos esse et fore decernimus et declaramus, prout in verbo Romani Pontificis promittimus, ac nos et cameram apostolicam, illiusque bona quaecumque nominatim et in specie pro eorumdem praemissorum observatione, etiam in casu cuiuscumque evictionis dictorum iurium, tam de facto, quam de iure, ac quovis casu, etiam inopinato et inexcogitabili in ampliori formâ camerae apostolicae in ipsorum Scipionis cardinalis, Marci Antonii, et aliorum vocatorum praedictorum favorem, obligamus et hypothecamus.

Clausula sublatâ, etc.

§ 62. Sicque nostrae mentis, intentionis, et incommutabilis voluntatis fuisse et esse attestamur, et ita in omnibus et singulis praemissis ab omnibus censeri, ac per praedictos cardinales Urbis vicarios, ac dictae basilicae sanctae Mariae Maioris archipresbyteros, ac sanctae Romanae Ecclesiae camerarios, necnon thesaurarios, clericos praesidentes camerae nostrae praedictae, et quoscumque iudices ordinarios et extraordinarios, commissarios, necnon curiae causarum eiusdem camerae et palatii nostri apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et nuncios (sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, irritumque et inane quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, pariter decernimus, statuimus et mandamus.

Derogationes constitutionum, et aliorum contrariorum quorumcumque.

§ 63. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, ac quibusvis aliis nostris litteris et dispositionibus, necnon similis memoriae Symmachi, ac Callisti, Gregorii IX et XIII, Ioannis XXI, Clementis VII, Innocentii VI et VII, Pauli II, III et IV, Iulii etiam III, Pii similiter IV et V, ac Sixti pariter V, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae et camerae praedictae non alienandis, et male alienatis recuperandis, ac dictâ Pii IV etiam praedecessoris de registrandis, necnon de iure quaesito non tollendo, et de non concedendis gratiis ad instar, et de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac de exprimendo vero valore, aliisque nostris et cancellariae nostrae apostolicae regulis, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac Bonifacii Papae VIII de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo quis vigore praesentium ultra tres dietas ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictarum basilicae S. Mariae Maioris, et ecclesiae S. Laurentii, et aliarum ecclesiarum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, pro tempore existentibus dictae basilicae archipresbytero, capitulo, canonicis, beneficiatis, clericis et cappellanis, necnon presbytero cardinali sub cuius titulo dicta ecclesia sancti Laurentii existit, necnon camerario, thesaurario, auditoribus, clericis, aliisque magistratibus, officialibus et iudicibus praedi-

ctis, ac etiam dilectis filiis populo romano contra forenses et alienigenas, necnon archiconfraternitati, confraternitatibus, praeposito, religiosis, congregationi presbyterorum, illorumque superioribus, necnon cappellae, aliisque praedictis omnibus et singulis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu pari et consistoriabiliter, etiam in fundatione et primaevâ institutione, seu aliàs quomodolibet, concessis, approbatis et innovatis; etiamsi in eis caveatur, quod cappellaniae, prioratus, et alia beneficia praedictae Urbis, nullis nisi civibus Romanis, aut civium Romanorum originariorum filiis, et forsan aliis certo inibi expresso modo qualificatis conferri possint, aut aliàs de illis, etiam per Sedem praedictam pro tempore factae provisiones et aliae dispositiones nullae sint: quibus, omnibusque aliis, quae praesentibus quomodolibet obesse possent, etam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi etiam veriores, totosque et integros etiam praesentibus pro expressis insertis ac de verbo ad verbum registratis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praesentium, et validitatis omnium et singulorum praemissorum, hac vice dumtaxat harum serie, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 64. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, roboris, adiectionis, supplementi, sanationum, abrogationum, declarationum, correctionis, mutationis, addictionis, dispositionis, erectionis, institutionis, concessionum, assignationum, applicationum, appropriationum, declarationum, statutorum, ordinationum, mandatorum, commutationis, exemptionum, liberationum, decretorum, inhibitionum, dimissionis, relaxationis, iussionis, indultorum, requisitionis, constitutionis, deputationis, reservationum, donationis, cessionis, elargitionum, positionis, substitutionis, subrogationis, pronunciationis, sublationis, promissionis, attestationis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXV, V kalendas novembris, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 28 octobris 1615, pontif. anno XI.

CCLXXIII.

Institutio confraternitatis utriusque sexus christifidelium in almâ Urbe, sub invocatione sanctorum Benedicti et Scholasticae de Nursia, cum indulgentiarum elargitione et quotannis unum ex capitali poenâ damnatis liberandi facultate.

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Pastoris aeterni, qui pro gregis salute in arâ crucis immolari voluit, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pia christifidelium vota, quae ad divini cultus augmentum et ipsorum fidelium salutem spectant, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, eosdemque fideles ad religiosa opera exercenda, indulgentiis et peccatorum remissionibus invitamus, ut per operum huiusmodi exercitium ad aeternae beatitudinis gaudia pervenire mereantur. P. ... m.

Laertius Cherubinus et alii Pontifici supplicant pro erectione confraternitatis sanctorum Benedicti et Scholasticae in Urbe.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii Laertius Cherubinus I. U. D. in Romanâ curiâ advocatus, ac Benedictus Passerinus etiam I. U. D., nec non Sebastianus Massaronus, Olympius Cistarellus et Franciscus etiam Passerinus, nobis nuper exponi fecerunt, ipsi et alii, qui a terrâ nostrâ Nursiae et locis adiacentibus Spoletanae dioecesis originem ducunt, peculiari devotione ducti erga sanctum Benedictum clarissimum Nursiae lumen et decus, et ut saluti suae magis consulant, aliosque christifideles ad eiusdem devotionis studium accendant, in ecclesiâ sancti Eustachii de eâdem Urbe unam utriusque sexus christifidelium confraternitatem, sub invocatione eiusdem sancti Benedicti et sanctae Scholasticae, ad Dei gloriam, animarumque suarum salutem, per nos erigi summopere desiderent:

Quam Pontifex erigit.

§ 2. Nos, piis dictorum Laertii, ac Benedicti, Sebastiani, Olympii et Francisci, ac aliorum praedictorum desideriis huiusmodi annuere, animarumque saluti paternâ charitate prospicere cupientes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, in praedictâ ecclesiâ sancti Eustachii unam utriusque sexus christifidelium confraternitatem, quae non sit pro hominibus unius specialis artis, sub invocatione praedictâ, sine alicuius praeiudicio, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Confratribus dat facultatem processionaliter incedendi, divina officia in suo oratorio recitandi, ac licita statuta pro confraternitatis regimine condendi.

§ 3. Nec non confratribus dictae confraternitatis pro tempore existentibus, ut processionaliter incedere, divina officia in suo oratorio recitare, et pro ipsius confraternitatis negociis se congregare, ac quaecumque statuta, capitula, ordinationes et decreta, pro salubri eorum et dictae confraternitatis regimine et directione necessaria et opportuna (licita tamen et honesta, sacrisque canonibus, et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis non contraria, per dilectum filium nostrum in almâ Urbe vicarium in spiritualibus generalem examinanda et approbanda) facere et edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur, praeviâ simili examinatione et approbatione, mutare et alterare, corrigere et in melius reformare,

Et quaecumque ab eadem bona confraternitate quoquomodo acquisita regendi, et in illius pios usus convertendi.

§ 4. Ac insuper omnia et singula legata, relicta, res et bona quomodolibet qualificata, mobilia et immobilia, per quoscumque christifideles dictae confraternitati per viam testamenti, donationis, aut aliàs quomodolibet pro tempore elargita et relicta, recipere, illaque per eorum officiales et deputatos regere, gubernare et administrare, ac in ipsius confraternitatis et eius piorum operum usus convertere, ita tamen ut de receptis et administratis per eos eidem vicario, iuxta decreta Concilii Tridentini, rationem reddere teneantur[1];

Indultum etiam quotannis unum capitaliter condemnari liberandi concedit.

§ 5. Praeterea singulis annis unum reum quem petierint, et a dilecto filio moderno et pro tempore existente dictae Urbis gubernatore obtinuerint, capitali poenâ (praeterquam ob crimen haeresis, laesae maiestatis, falsificationis monetae, aut litterarum apostolicarum, assassinii aut sacrilegii, necnon homicidii deliberati, aut extractionis frumentorum, vel aliarum frugum et rerum, contra apostolicas constitutiones, extra Statum Ecclesiae) damnatum liberare, dummodo tamen pacem ab offensis, vel eorum haeredibus habuerit, libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus. Mandantes propterea eidem nunc et pro tempore existenti dictae Urbis gubernatori, ut singulis annis in perpetuum dictis confratribus unum ex capitali poenâ damnatis liberum dimittat et concedat, ipsumque per eosdem confratres pro tempore liberatum ab omni poenâ capitali eo ipso absolutum, eumque ad patriam, famam, gradus, honores et bona quaecumque

[1] Hoc habes in cap. IX, sess. XXII de reform.

(praeterquam fisco incorporata) plenarie restitutum et reintegratum, nec illum super praeteritis delictis et excessibus ulterius molestari vel perturbari posse, decernimus et declaramus.

Indulgentias infrascriptas elargitur, videlicet: confraternitatem ingredientibus, die primâ ingressus, plenariam,

§ 6. Postremo, ut dicta confraternitas maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui dictam confraternitatem in posterum ingredientur, die primâ eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam;

Ac in articulo mortis, etiam plenariam;

§ 7. Necnon tam ipsis, quam pro tempore describendis in dictâ confraternitate confratribus et consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem vere contriti nomen Iesu, ore si potuerint, sin autem corde, devote invocaverint, etiam plenariam;

Et pariter visitantibus illius ecclesiam vel oratorium, in diebus festis sancti Benedicti et Scholasticae;

§ 8. Ac eisdem nunc et pro tempore existentibus confratribus et consororibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui praedictae confraternitatis ecclesiam vel cappellam seu oratorium in die festo eorumdem sanctorum Benedicti et Scholasticae, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Indulgentiam annorum septem, et totidem quadragenarum eisdem confratribus, quaedam pia opera facientibus

§ 9. Insuper dictis confratribus et consororibus etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui praedictam ecclesiam vel cappellam seu oratorium in Nativitatis, ac secundo Paschatis Resurrectionis D. N. Iesu Christi, necnon Nativitatis et Assumptionis beatae Mariae Virginis festis diebus, a primis similiter vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi, ut praefertur, oraverint, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas;

Indulgentiam quoque sexaginta dierum pia quaedam opera exercentibus.

§ 10. Quoties vero missis et aliis divinis officiis in dictâ ecclesiâ vel cappellâ seu oratorio pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis, vel privatis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, necnon etiam, qui corpora defunctorum tam confratrum et consororum dictae confraternitatis, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentiâ vicarii praedicti faciendas, sanctissimumque eucharistiae sacramentum, tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut aliàs ubicumque et quomodocumque pro tempore deferretur[1], comitati fuerint, aut si impediti, campanae ad id signo dato, semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem et salutationem praedictas pro animabus defunctorum confratrum et consororum dictae confraternitatis recitaverint, aut peccatorem aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei et ea quae ad salutem sunt docuerint, aut quodcumque pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ ecclesiae consuetâ relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Indulgentia non concessionem revocat si

§ 11. Volumus autem quod si praedicta confraternitas alicui archiconfraternitati

1 Legendum *defertur* aut *deferetur* (R. T.).

Haec confraternitas alteri archiconfraternitati uniatur, vel aliàs instituatur.

aggregetur, vel aliâ quavis ratione uniatur, seu etiam quomodolibet instituatur, praesentes, et quaevis aliae litterae apostolicae, illis nullatenus quoad indulgentias et remissiones praefatas suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX novembris MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 9 novembris 1615, an. pontif. XI.

CCLXXIV.

Quod de cetero perpetuis futuris temporibus quatuor adolescentes nationis Ruthenae, ex iis videlicet qui ad unitatem sanctae matris Ecclesiae redierunt, in collegio Graeco de Urbe recipi et admitti valeant[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem eos, qui, pravis schismatum erroribus relictis, ad sanctae matris Ecclesiae Catholicae Romanae unitatem et communionem redierunt, specialibus favoribus et gratiis prosequi, ut illi in eiusdem Ecclesiae fide et obedientiâ eo constantius perseverent, quo cumulatioribus beneficiis se affectos esse perspexerint.

Statuit quatuor adolescentes Ruthenos semper in collegio Graeco recipi.

§ 1. Quapropter, ut natio Ruthena seu Russa fide catholicâ ac sanâ et ortodoxâ doctrinâ melius et commodius imbuatur, providere volentes, supplicationibus etiam venerabilis fratris Iosephi archiepiscopi Kioviensis et Haliciensis totius nationis praedictae metropolitae nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus quatuor dictae nationis, ex iis scilicet qui ad praedictam unitatem redierunt, adolescentes in collegio Graeco de Urbe praedictam ob causam recipi et admitti, ibique ad instar aliorum dicti collegii alumnorum ali et teneri, ac, in discedentium loca, alii eiusdem nationis substitui debeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Praecipit cardinali protectori, aliisque collegii ministris, ut huiusmodi alumnos admittant.

§ 2. Iniungentes propterea venerabili fratri nostro Benedicto episcopo Sabinensi cardinali Iustiniano nuncupato, et pro tempore existenti dicti collegii protectori, eiusdem vero collegii rectori, ceterisque ad quos spectat, in virtute sanctae obedientiae, ac sub arbitrii nostri poenis mandantes, ut quatuor adolescentes huiusmodi in dictum collegium iuxta tenorem praesentium admitti faciant et respective admittant, illisque, ac in discedentium loca usque ad praedictum numerum ex dictâ natione pro tempore substituendis, faveant et assistant, ac instar aliorum alumnorum sine aliquâ prorsus differentiâ tractent.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti collegii (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II decembris MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 2 decembris 1615, pontif. an. XI.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

CCLXXV.

Declaratio circa ritus et caeremonias ab episcopis et clero Ruthenis observandas[1].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Solet circumspecta Romani Pontificis providentia, si qua[2] aliquando super litteris ab apostolicâ Sede emanatis dubia oriantur, suae declarationis oraculo tollere, et aliàs providere, prout temporum et personarum qualitatibus debite pensatis, conspicit salubriter in Domino expedire.

Tempore Clementis VIII facta est Ruthenorum unio cum S. R. E.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster bonae memoriae Michaelem archiepiscopum et metropolitam Kioviensem et Haliciensem, ac totius Russiae, et cum eo plerosque eius comprovinciales episcopos, ac alios tunc expressos unà cum omni eorum clero et populo nationis Ruthenae, seu Russiae, quae cum Romanâ Ecclesiâ non communicabat, sed Graecorum schisma sequebatur, intra gremium Ecclesiae Catholicae et unitatem S. R. E. uti membra sua in Christo sub certis modo et formâ recepit, univit, adiunxit, annexuit et incorporavit, prout in dicti Clementis praedecessoris sub plumbo desuper sub datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDXCV, decimo kalendas ianuarii, pontificatus sui anno IV, expeditis litteris[3] plenius continetur.

Nonnulli putabant, Clementem Papam Ruthenum ritum extinxisse.

§ 2. Cum autem, sicut venerabilis fratris Iosephi archiepiscopi moderni Kioviensis et Haliciensis nomine nobis nuper expositum fuit, non desint, qui veritatis ignari, aut ab aliis in errorem adducti, sibi persuadeant Romanam Ecclesiam per unionem praemissam eorum ritus et caeremonias in divinis officiis et sacramentorum administratione tollere et extinguere voluisse, unde scandalum multorum provenire dignoscitur;

Paulus declarat proprii ritus observantiam fuisse concessam.

§ 3. Quapropter nos, ex pastoralis officii debito, inimico homini bono semini superseminandi zizaniam occasionem auferre et errores huiusmodi ex mentibus hominum evellere ac scandalis occurrere volentes, necnon litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus dicti Iosephi archiepiscopi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes sacros ritus et caeremonias, quibus Rutheni episcopi et clerus iuxta Ss. Patrum Graecorum instituta in divinis officiis et sacrosancto missae sacrificio, ceterorumque sacramentorum administratione, aliisve sacris functionibus utuntur, dummodo veritati et doctrinae fidei catholicae non adversentur, et communionem cum Romanâ Ecclesiâ non excludant, per unionem praemissam tollere aut extinguere Ecclesiae Romanae intentionem, mentem et voluntatem non fuisse nec esse, neque id dici vel censeri potuisse nec posse; quinimmo dictos ritus eisdem Ruthenis episcopis et clero ex apostolicâ benignitate permissos, concessos et indultos esse, sicut ex litteris praedictis et Concilio Florentino apparet, et ex instituto collegii Graecorum Urbis nostrae, necnon aliorum, qui[1] de ritu huiusmodi servando, sicut accepimus, iuramentum praestant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die X decembris MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 10 decembris 1615 pontif. an. XI.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *si quae* (R. T.).

3 Quae leguntur in *Bull.* tom. X, pag. 239 (R. T.)

1 Vocem *qui* addendam censuimus (R. T.).

CCLXXVI.

Statutum super susceptione muneris consecrationis pro episcopis Ruthenis[1].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supremo apostolatus solio divinâ dispositione, meritis licet imparibus, praesidentes, ad ea libenter intendimus, per quae ecclesiarum praesulum, praesertim in partibus remotis agentium, commoditati, et conscientiae securitati opportune consulitur.

Nonnulli episcopi Rutheni munus consecrationis acceperant adsistentibus episcopis latinis.

§ 1. Sane venerabilis fratris Iosephi archiepiscopi Kioviensis et Haliciensis totius nationis Ruthenae, seu Russae, metropolitae, nomine nobis nuper expositum fuit, quod nonnulli, de quorum personis cathedralibus ecclesiis in partibus Russiae hactenus provisum fuit, licet iuxta ritum graecum post unionem eiusdem nationis cum Ecclesiâ Romanâ ab Apostolicâ Sede permissum vivant, tamen ob magnam ecclesiarum huiusmodi distantiam munus consecrationis in defectum episcoporum eiusdem ritus, assistentibus episcopis ritus latini, gratiam tamen et communionem Apostolicae Sedis habentibus, et aliàs canonice[2] susceperunt.

Quod fieri posse dubitabant aliqui.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, id inconsultâ Sede Apostolicâ fieri posse quidam dubitent, nobis propterea dictus Iosephus archiepiscopus humiliter supplicare fecit, ut desuper providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex declarat Ruthenos episcopos consecrari posse cum adsistentia episcoporum latinorum et viceversa.

§ 3. Nos igitur, pro nostri pastoralis officii debito omnem circa praemissa dubitandi causam tollere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus promotis ad cathedrales ecclesias in dictis partibus existentibus et ritu graeco a Sede Apostolicâ permisso in unione praedictâ viventibus, consecrationis munus assistentibus duobus vel tribus episcopis ritus latini, gratiam tamen et communionem Sedis praedictae habentibus, et e contra, promotis ad cathedrales ecclesias ibidem existentes, qui ritu latino vivunt, assistentibus duobus vel tribus episcopis ritus graeci, in unione tamen praedicta viventibus, et gratiam et communionem eiusdem Sedis habentibus, munus consecrationis impendi et ab illis suscipi, dummodo aliàs canonice impendatur, libere et licite posse, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die x decembris MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 10 decembris 1615, pontif. an. XI.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *canonicae* (R. T.).

CCLXXVII.

Confirmatio et declaratio constitutionis Sixti V super poenis et confiscationibus, quae fiunt in Statu Ecclesiastico, illarumque solutione Camerae Apostolicae debitâ, et formâ de cetero perpetuo servandâ[1].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In supremâ beati Petri Sede (meritis licet imparibus) a Domino constituti, muneris nostri esse cernimus, ut, inter pastorales curas, populorum nostrae et S. R. E. ditioni in temporalibus subiectorum recto regimini nostram sollicitudinem impendamus, ac etiam provideamus, ut iuribus camerae nostrae apostolicae consulatur, ne ex iis, qui irrepere solent abusus, ipsa

1 Haec Sixti V Constitutio habetur in eius Constit. CXLIV *Ad Romanum*, tom. IX, pag. 73; Eiusque confirmatio a Clemente VIII promulgata legitur in Const. X *Inter ceteras* (in h. nostra edit., Const. XII, tom. IX, pag. 508).

camera apostolica aliquod patiatur detrimentum, et quae propterea sedulâ meditatione a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris salubriter constituta et ordinata fuisse comperimus, quo inviolabilius observentur, confirmemus et innovemus, nostraeque auctoritatis munimine roboremus, aliaque disponamus, quae in Domino conspicimus salubriter expedire.

Sixtus V edidit Bullam de qua in rubrica.

§ 1. Aliàs siquidem, accepto per felicis recordationis Sixtum Papam V praedecessorem nostrum, quod, etc. (*Omittitur tenor huius Bullae, quia eam habes supra loco cit. in notâ ad rubricam*).

Clemens VIII illam confirmavit.

§ 2. Quae quidem constitutio postmodum per recolendae memoriae Clementem Papam VIII etiam praedecessorem nostrum, per suam motusproprii cedulam sub die XXII mensis aprilis anni Domini MDXCII publicatam et affixam, confirmata fuit.

Hic Pontifex illius observantiam distincte praecipit.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, successu temporis, ut humana fert conditio, constitutiones et motusproprius huiusmodi, culpâ etiam eorum qui in eodem Statu nostro temporalem iurisdictionem exercent, per eosdem ac forsan graviores abusus eludantur, poenaeque, mulctae et confiscationes dictae camerae debitae similiter intervertantur, et alia incommoda, forsan etiam cum delictorum impunitate, enascantur; nos, his malis opportuna remedia adhibere, eaque de medio tollere, ac dictae camerae nostrae indemnitati consulere cupientes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque deliberatione nostris, constitutionem praedictam, omniaque et singula in eâ contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus, approbamus et innovamus, eamque inviolabilis firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari perpetuis futuris temporibus debere constituimus et ordinamus; et nihilominus dilectis filiis nostris et Apostolicae Sedis in provinciis eiusdem Status nostri de latere legatis, tenore praesentium, iniungimus, eorumque vicelegatis, praesidibus, rectoribus, gubernatoribus, locatenentibus, praetoribus, vicariis, notariis, cancellariis et scribis, aliisque officialibus, omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore spectabit, praecipimus et mandamus, ut eamdem constitutionem inviolabiliter et ad unguem, sub poenis in eâ contentis et aliis infrascriptis, observent, exequantur et adimpleant.

Officialesque teneri declarat in ingressu officii cum iuramento promittere observantiam Bullae Sixti V et istius Constitutionis, et absque consensu thesaurariorum supplicationes, etc. non recipere nec signare.

§ 4. Praeterea motu, scientiâ, deliberatione et auctoritate paribus decernimus et ordinamus, quod vicelegati, praesides, rectores, notarii, cancellarii, ceterique officiales praedicti, nunc et pro tempore existentes, cum primum se ad eorum officia exercenda contulerint, teneantur expresse iurare, et iuramento desuper praestando declarare, se Sixti praedecessoris, ac praesentem constitutionem nostram in omnibus et per omnia sub poenis in eâ et nostrâ respective contentis et expressis inviolabiliter et ad unguem observaturos, nec illis sub quovis praetextu, quaesito colore, causâ, vel ingenio contraventuros; quodque nec ipsi, minusque pro tempore existentes nostri et dictae Sedis legati, nullo praetextu, titulo, iure, causâ et formâ, supplicationes huiusmodi ipsis vel eorum alicui pro tempore porrigendas, dandas, vel dimittendas, taxare et subscribere, compositionesque facere, decretaque quovis modo gratiam, seu remissionem poenae, seu delicti, directe vel indirecte, concernentia interponere, easque et illas registrare et in acta referre, processusque, tam per viam supplicationum decretorum huiusmodi, quam gratiae compositionis, seu transactionis, vel remissionis, et similium, cassare et abolere non possint, neque valeant, nisi prius thesaurarii, aut iurium, ac proventuum dictae camerae conductores, vel poenarum depositarii et

seu eorum substituti, iuxta dispositionem, tenorem et formam instrumentorum cameralium cum eis celebratorum, expresse supplicationibus, decretis, gratiis, compositionibus, transactionibus et aliarum poenarum remissionibus, abolitionibus et similibus decretis desuper faciendis consenserint, illorumque consensum, ante aliquam aliam subscriptionem, in calce dictarum supplicationum et seu decretorum, vel abolitionum, aut etiam ad partes etiam propriâ eorum manu subscriptum praestiterint.

Aliterque receptas et signatas gratias et supplicationes irritas declarat.

§ 5. Alioquin compositiones, decreta, abolitiones, registrationes, cassationes et alia quaecumque contra praesentium nostrarum, dictorumque instrumentorum cameralium et capitulorum in eis appositorum formam, continentiam et tenorem desuper facienda et demandanda, nulla et irrita, nulliusque roboris et momenti sint et esse censeantur, prout ex nunc illa motu, scientiâ et potestate paribus cassamus, revocamus et annullamus, viribusque et effectu evacuamus, ac delinquentibus et condemnatis, et aliis quibuscumque in processibus, aliisque actis desuper pro tempore faciendis, vocatis et comprehensis, et seu aliàs interesse quomodolibet habentibus, nullatenus decernimus prodesse; quinimmo contra eos pro poenis incursis, et seu in sententiis contra ipsos latis ac promulgatis et in progressu temporis ferendis et promulgandis contentis, procedi possit et valeat, non secus ac si compositiones, abolitiones, decreta, supplicationes et alia praedicta minime emanassent et seu facta fuissent.

Officialibus contravenientibus poenas infligit.

§ 8. Et nihilominus vicelegati, praesides, rectores, notarii, cancellarii, ceterique officiales omnes, qui secus fecerint, indignationis nostrae, et pro tempore existentis Romani Pontificis, privationis officiorum, ac mille ducatorum auri, ac alias etiam graviores, arbitrio nostro et eiusdem Romani Pontificis, poenas incurrisse et incidisse intelligantur, et ad illorum solutionem cogi omnino possint ac debeant.

Compendia harum Constitutionum vulgari sermone conscripta affigi iubet et publicari, et in locis residentiarum affixa retineri.

§ 7. Ceterum, ut praesentes perpetuis futuris temporibus observentur, neve aliquis earum ignorantiam praetendere, allegare, aut se excusare possit, volumus, decernimus et mandamus, quod earumdem praesentium transumpta[1], et, ut melius intelligantur, ipsarum compendia, sive summaria, vulgari sermone conscripta et annotata, in singulis civitatibus, terris, oppidis, castellis, villis et burgis Status nostri praedicti affigantur et publicentur, ac tam praesentium, quam summarii transumpta in cancellariis criminalibus, et in locis residentiae gubernatorum et officialium affixa perpetuo, sub poenâ scutorum ducentorum dictae camerae applicandorum, conserventur.

In deputationibus legatorum earumdem constitutionem observantiam iniungi iubet.

§ 8. In novorum autem legatorum praedictorum, a nobis et successoribus nostris pro tempore eligendorum et deputandorum, deputationibus, ac litteris desuper in quacumque formâ quandocumque expediendis, apponi et exprimi omnino debere volumus et mandamus, quod legati praedicti eamdem Sixti praedecessoris, necnon praesentem nostram huiusmodi constitutionem observare, adimplere et exequutioni demandare omnino teneantur et debeant; aliàs quaecumque, per eos contra illius tenorem facienda, gerenda et mandanda, nulla et invalida sint eo ipso, prout ex nunc nulla esse itidem decernimus.

Officiales de contentis in dicta Bulla Sixti V syndicari mandat.

§ 9. In discessu vero, seu syndicatu dictorum vicelegatorum, gubernatorum, praetorum, et aliorum officialium, quomodolibet pro tempore pariter deputandorum et eligendorum, cetera omnia per dictum Sixtum praedecessorem, ut supra, ordinata, a fisci procuratoribus, seu depo-

1 Edit. Main. legit *transumptis*, erronee ut patet, nisi aliquid desit (R. T.).

sitariis, ac substitutis, et locorum syndicis, sub quingentorum aureorum ducatorum, ut praefertur applicandorum, et aliis poenis praedictis, observari et exequutioni similiter demandari debeant.

Et ita, ac non aliter iudicari decernit.

§ 10. Et ita in praemissis omnibus et singulis, et quolibet eorum, per legatos, vicelegatos, praesides, gubernatores, et locatenentes, praetores, vicarios, et alios officiales antedictos, omnes et singulos, nunc et pro tempore existentes, et quemlibet eorum, necnon omnes alios iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria omnia removet.

§ 11. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Sixtus praedecessor in suis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi praecipit.

§ 12. Volumus insuper, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 18 decembris 1615, pontif. an. XI.

CCLXXVIII.

Decernitur monasteria congregationis monachorum Caelestinorum, Ordinis sancti Benedicti, observatâ redditUum quantitate, per abbates, aut priores gubernari, in eisque, et non in aliis illorum membris familiam constitui [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad sacram beati Petri Sedem, meritis licet imparibus, divinâ providentiâ vocati, circa statum congregationum ad divini cultus augmentum et religionis propagationem pie institutarum, sollicitis studiis intendentes, illa libenter statuimus et decernimus, per quae congregationes ipsae maiora, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, suscipere valeant incrementa.

Designantur hic monasteria quae per abbates gubernari debeant.

§ 1. Hinc est, quod nos, felici, prosperoque monachorum Ordinis sancti Benedicti Congregationis Caelestinorum statui et salubri directioni, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere volentes, maturâ deliberatione desuper habitâ, supplicationibus etiam nomine totius Congregationis praedictae nobis humiliter porrectis inclinati, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione statuimus et ordinamus, quod omnia praedictae Congregationis monasteria, quorum redditus et proventus ad congruam duodecim monachorum, computatis tam professis quam oblatis et famulis, ex quibus saltem sex sacerdotes esse debeant, sustentationem sufficiunt, ab uno ex praedictis monachis, spectatae tamen virtutis et disciplinae, sub titulo abbatis;

Quae vero a prioribus.

§ 2. Alia vero monasteria, ex quorum redditibus sex duntaxat, computatis omnibus ut supra, congrue ali et manuteneri possunt, per priores canonice eligendos iuxta dictae Congregationis instituta gubernentur, excepto tamen monasterio Sancti Spiritus de Maiella, quod primum omnium monasteriorum dictae Congregationis fuisse asseritur, et idcirco ab abbate gubernari posse volumus, etiamsi

[1] Istam Congregationem instituit Caelestinus V in sua Const. I *Et si cunctos*, tom. IV, pag. 116.

praedictum monachorum numerum non habeat, dummodo non minus quam decem monachi, ut supra, in eo alantur.

Et qui priores in locum abbatum decedentium succedant.

§ 3. Priores autem, abbatibus decedentibus, monasteriis maioribus, per gradum, prout eorum virtutum merita et administrationis ratio postulare videbuntur, canonice similiter, ut praedicitur, praeficiantur.

Abbatum et priorum privilegia declarantur.

§ 4. Omnesque abbates et priores supradicti gaudeant omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, et praeeminentiis, quibus gaudent alii abbates et priores eiusdem Congregationis, quocumque iure, sine tamen praeiudicio iurium abbatis generalis, et aliorum, qui abbatis generalis munere functi fuerunt, eis iuxta dictae Congregationis statuta competentium, et ita quod propter praemissa monasteriorum status in aliquo non alteretur.

Alia monasteria minora in capitulo unienda, in eisque familiam non retinendam.

§ 5. Alia vero monasteria, seu domus, et membra eiusdem Congregationis, praedictis monasteriis maioribus unita et annexa sint, et esse censeantur, iuxta distributionem in proxime futuro capitulo diffinitoriali faciendam. Et in ipsis minoribus monasteriis, seu domibus, ac membris sic unitis, nulla in posterum constituatur familia; sed in illo seu illâ unus dumtaxat monachus sacerdos quadraginta annorum maior, ac probatae vitae, cum uno converso seu oblato collocetur, qui sint et censeantur ex familiâ monasterii, cui domus, seu membrum illud unitum et annexum fuerit, ac in eâ ecclesiâ celebrent, et bonorum ac reddituum curam respective habeant.

Clausulae.

§ 6. Si vero forte contigerit, ut aliquod seu aliqua ex minoribus monasteriis praedictis vel domibus ad formam monasterii maioris redigantur, competenterque dotentur, ita ut duodecim in eo monachi, vel saltem sex ali possint, ut praemittitur, tunc, cum capituli generalis consensu et protectoris licentiâ, restituantur sub abbatis vel prioris titulo respective gubernanda.

Si qua ampliari contigerit monasteria, abbatis, vel prioris regimini restituenda.

§ 7. Decernentes praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, nullo umquam tempore de nullitatis vitio notari, seu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi vel retractari, seu invalidari, aut in ius vel controversiam vocari nullatenus posse, sed ab omnibus, quos concernunt et concernent quomodolibet in futurum, observari debere;

Decretum irritans.

§. 8. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos ac commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et Congregationis praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud sanctam Mariam

Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX ianuarii MDCXVI, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 29 ianuarii 1616, pontif. anno XI.

CCLXXIX.

Institutio Congregationis monachorum Ordinis Cisterciensis in regnis Aragoniae, Valentiae, Maioricarum, et principatu Cathaloniae, et regno Navarrae, sub perpetuâ tamen obedientiâ abbatis et capituli generalis Cistercii[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pastoralis officii cura nobis, meritis licet imparibus, ex alto commissa, qua singulis ecclesiis, monasteriis, et regularibus locis adstringimur, nos admonet et inducit, ut circa statum monasteriorum, et locorum regularium praedictorum, ac praesertim eorum, in quibus ex aliquo defectu regularem observantiam deformatam esse percipimus, salubriter dirigendum operosis studiis iugiter intendamus; et ad ea, per quae meliori eorum directioni et reformationi, personarumque ibi divinis obsequiis et beneplacitis dicatarum saluti et quieti consulitur, nostrae vigilantiae partes, cum id praesertim per catholicos reges desiderari cognoscimus, propensius impertimur, prout salubriter in Domino conspicimus expedire.

Capitulum generale, apud Cistercium celebratum, unam Congregationem monasteriorum et locorum Ordinis Cisterciensis in regnis Aragoniae, Valentiae, Maioricarum et principatu Cathaloniae existentium per vicarium generalem, visitatores et diffinitores regendam instituit.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, multa monachorum Cisterciensis Ordinis monasteria in regnis Aragoniae, Valentiae, Maioricarum, ac principatu Cathaloniae consistentia, tum propter locorum distantiam, tum etiam propter aliorum dicti Ordinis negociorum pondus, raro a suo abbate generali personaliter visitentur; idque non mediocre praedictis monasteriis (in quibus propterea regularis minuitur observantia, neque sicuti decet ab ipsorum religiosis divinus cultus exercetur) detrimentum contrahere[1] manifestum sit: et haec dilecti filii abbas generalis et capitulum generale Cisterciense de anno Domini MDCXIII apud Cistercium Chabillonensis dioecesis celebratum provide animadvertentes, cupientesque felix et prosperum monasteriorum regnorum et principatus praedictorum regimen et gubernium, in iisque disciplinae regularis observantiam, ac divini cultus augmentum, ubi deciderint, salubri ratione restitui (visis prius in capitulo generali actis communicationum et deliberationum, quas dilecti pariter filii abbates et priores dictorum monasteriorum super huiusmodi negocio in civitate Caesaraugustanâ coram venerabili fratre archiepiscopo Caesaraugustano congregati sub die XXVII ianuarii et aliis forsan sequentibus diebus februarii mensium eiusdem anni inter se habuerant), unam omnium monasteriorum et aliorum regularium locorum dicti Ordinis in regnis et principatu praedictis Congregationem, ab uno vicario generali, diffinitoribus et visitatoribus, qui patres regiminis vocari deberent, regendam et gubernandam, modis et formis sequentibus instituendam censuerint et decreverint;

Auctoritas tamen abbatis et capituli generalis et quatuor primorum abbatum Ordinis integra remaneat.

§ 2. Ita videlicet, quod, Congregationis huiusmodi erectione non obstante, auctoritas, superioritas, et iurisdictio abbatis et capituli generalis, et quatuor primariorum abbatum totius Ordinis Cisterciensis pro tempore existentium, in omnibus et per omnia salva et integra remaneret, et vicarius generalis, diffinitores, visitatores, abbates, et quicumque dictae Congregationis superiores, atque subditi pro tempore existentes, generalem et quatuor primarios

1 Huiusmodi Ordinis monachorum Cistercii erectionem, eiusque privilegia et alia, vide in Const. Paschalis II *Desiderium*, tom. II, p. 210.

1 Sed potius legendum videretur *afferre* vel simile (R. T.).

abbates praedictos, nec non capituli generalis pro tempore deputatos commissarios, Congregationem noviter erigendam huiusmodi, seu eius monasteria et loca, in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus reformare volentes, reverenter recipere et admittere tenerentur, eodem plane modo ac si monasteria et loca praedicta numquam in Congregationem huiusmodi reducta forent;

Ipsiusque capituli statuta servare, contributiones persolvere, et ad illud duos abbates, cum statutis interim in capitulo provinciali editis, transmittere teneatur.

§ 3. Quodque etiam tenerentur ipsius capituli generalis statuta et diffinitiones in omnibus servare, et contributiones Ordinis, subsidia quoque charitativa pro illius necessitatibus per capitulum generale pro tempore imponenda persolvere, nec non, quoties capitulum generale huiusmodi celebrabitur, duos abbates nomine totius huiusmodi Congregationis, illius expensis, cum omnibus decretis et statutis, quae de quadriennio in quadriennium in eorum[1] capitulo provinciali pro bono Congregationis regimine conficerent, ut ea ab ipso capitulo generali approbarentur et confirmarentur, vel, si iustum foret, reiicerentur et abrogarentur, transmittere;

Vicarius, visitatores et diffinitores praedicti statim electi, se abbati et capitulo generali numquam contraire iurent.

§ 4. Vicarius quoque generalis, visitatores, et diffinitores, prout forent capitulariter electi, illico duplicae fidelitatis iuramentum Ordini, idest capitulo, et abbati generali Cisterciensi, quod nihil unquam directe vel indirecte illis contrarium facerent vel fieri procurarent aut procurari permitterent, praestare pariter tenerentur;

Eorum officium quadriennio tantum duret, abbates vero perpetui sint.

§ 5. Utque vicarius generalis, diffinitores, et visitatores praedicti ita essent quadriennales, quod eorum nullus ultra quadriennium quavis ex causâ continuare posset; abbates vero omnes perpetui forent;

Eorumdemque electio iuxta formam hic praescriptam fieri debeat

§ 6. Porro ut, vacatione alicuius huiusce Congregationis monasterii pro tempore adveniente, vicarius generalis, diffinitores, et visitatores, sese, non in vacante, sed in aliquo alio monasterio vel loco congregare, ibique tres monachos ex vacantis monasterii eiusdem Congregationis professis, quos ad vacantem praelaturam digniores esse cognoscerent, eligere; sicque electos per aliquem abbatem seu priorem, nihil de personis electis scientem, cum litteris clausis, conventui et monachis monasterii vacantis capitulariter congregatis, ut ex tribus unum in suum abbatem eligerent, praesentare, seu praesentari facere deberent; conventus vero et monachi interim inter se colloquia habere, aut ex capitulo discedere, donec electio (cui deberet ipse abbas seu prior praesidere, cum litteris clausis, ut praefertur, mittendus) per vota seu suffragia secreta perfecta foret, non permitterentur;

Abbas insuper generalis, vel quatuor primarii abbates Ordinis, vel commissarius a capitulo generali destinandus, personaliter dicto capitulo provinciali praesidere possint.

§ 7. Quodque etiam, si contingeret, abbatem generalem Cisterciensem futuram huiusmodi Congregationem eo tempore, quo capitulum provinciale dictae Congregationis celebrandum esset, visitare, liceret ei ipsi capitulo praesidere personaliter; idque etiam esset de quatuor primariis abbatibus, necnon a capitulo generali pro tempore deputato commissario, si ipsorum aliquem eo tempore in illis partibus adesse contingeret;

Aliasque nonnullas ordinationes dictum capitulum generale desuper statuit.

§ 8. Aliaque decreverunt, et ordinaverunt, prout in scripturis desuper factis plenius dicitur contineri:

Quibus capituli generalis statutis diligenter examinatis, Pontifex ad preces regis Hispaniarum dictam Congregationem modo hic expresso erigit.

§ 9. Quare nos (supradictis ordinationibus, ab abbate et capitulo generali praedictis, ut praefertur, praescriptis, per aliquot ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, doctrinâ, prudentiâ, pietate, et rerum usu praestantes iussu nostro diligenter examinatis) supplicationibus charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, unam omnium et singulorum monasteriorum et aliorum regularium locorum dicti

1 Edit Main. habet *eo sum* pro *eorum* (R. T.).

Ordinis regnorum Aragoniae, Valentiae, Maioricarum ac principatus Cathaloniae consistentium Congregationem (per unum vicarium generalem, dignitate tamen abbatiali insignitum, ex monasteriis dicti Ordinis praedictorum regnorum ac principatus, et pro hac primâ vice ex regno Aragoniae, in civitate Caesaraugustanâ convocatis prius per dilectum filium Vincentium Longuespec monasterii beatae Mariae de Laude Tornacensis dioecesis abbatem, aut alium a generali praedicto deputandum commissarium, pro primâ dominicâ mensis octobris anni eiusdem Domini MDCXVI proxime futuri, aut alio commodiori die, omnibus et singulis tam perpetuis quam triennalibus abbatibus ac prioribus et administratoribus de Vervela et Escarpe monasteriorum dicti Ordinis Tirasonensis et Ilerdensis respective dioecesum, nec non procuratoribus omnium et singulorum aliorum dicti Ordinis monasteriorum regnorum Aragoniae, Valentiae, principatus Cathaloniae et Maioricarum, divino prius implorato auxilio, auctoritate abbatis et capituli generalis Cisterciensis illis[1] a Sede Apostolicâ attributâ, ac successive in capitulo provinciali dictae Congregationis de quadriennio in quadriennium ordine successivo in regno Aragoniae primo, et deinde in principatu Cathaloniae, et demum in Valentiae regno praedictis, perpetuis futuris temporibus, celebrando per vicarium aut commissarium praedictos, ac tres diffinitores, unum ex Aragoniae, ac alium ex Valentiae regnis, et reliquum ex principatu Cathaloniae, potestate atque auctoritate aequales, nec non duos visitatores, patres regiminis noncupandos, abbates vel non abbates, sed probatae vitae religiosos, ex conventibus monasteriorum regnorum et principatus praedictorum per Vincentium aut commissarium huiusmodi pariter pro hac primâ vice, et deinde in singulis futuris capitulis provincialibus, ut supra, celebrandis, per schedulas et vota secreta ab illius[1] capitularibus ferenda nominandos, regendam et gubernandam[2]) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, sine cuiusque praeiudicio, et salvis infrascriptis, erigimus et instituimus:

Abbates ad quadriennium et certo modo eligendos decernit.

§ 10. Ac insuper, quod de cetero omnia et singula dicti Ordinis monasteria in Aragoniae et Valentiae, ac Maioricarum regnis, ac principatu Cathaloniae consistentia praedicta, cum primum illa et eorum singula, per cessum vel decessum aut quamcumque aliam dimissionem vel amissionem seu privationem vel promotionem ad alicuius ecclesiae regimen aut aliquam aliam dignitatem illa ad praesens obtinentium, vacare contigerit, nonnisi per abbates quadriennales per eiusdem Congregationis vicarium generalem et diffinitores tantum nominandos, et modo, quo supra, per monachos eligendos, regi et gubernari debeant; et ad hunc effectum, ex nunc, prout ex tunc, in singulis monasteriis praedictis, cum vacaverint, ut praefertur, nomen, titulum et denominationem abbatum perpetuorum, etiam triennalium (ita quod de cetero perpetuis futuris temporibus monasteriorum eorumdem abbates perpetui aut triennales vocari, denominari, seu censeri, aut monasteria ipsa alicui in titulum conferri, vel commendari nullatenus possint; et si de eisdem monasteriis et eorum singulis aliter, quam per electionem huiusmodi de quadriennio in quadriennium, ut praefertur,

1 Aptius legeretur *illi* nempe Vincentio praedicto, aut alio commissario deputando ut supra (R. T.).

1 Videretur legendum *ab illis* vel *ab ipsis capitularibus* (R. T.).

2 Talem esse debere exitum huius syntaxis, prudens lector persentiet: perperam tum edit. Cherub. et Main. legunt *nominandi, regendi et gubernandi* (R. T.).

faciendam pro tempore, dispositum fuerit, aut qui in abbates electi extiterint, electionem suam ad vitam, seu aliud tempus ultra quadriennium, confirmari, aut illis praefici, vel sibi de illis provideri, aut aliter de eis disponi contigerit, tunc, et eo casu huiusmodi electiones, confirmationes, provisiones, coadiutorum deputationes, et quaevis aliae dictorum monasteriorum dispositiones nullae, irritae et inanes existant et esse censeantur; ipsique vicarius generalis et diffinitores, quadriennio elapso, ad novi abbatis electionem in singulis monasteriis huiusmodi, modo, quo supra, procedere possint, et debeant), necnon monasteria praedicta, et eorum singula, illa videlicet quae per abbates triennales, ex nunc, alia vero quae per abbates perpetuos regi et gubernari consueverant, ex nunc, prout ex tunc, cum vacaverint, ut praefertur (ita quod, donec vacatio huiusmodi venerit, ceteris omnibus conditionibus et legibus eiusdem Congregationis iidem abbates perpetui adstricti sint, et si eos, aut eorum aliquem, ad alicuius ecclesiae regimen, aut aliam dignitatem promoveri contigerit, in Congregatione per praesentes erectâ nullum officium consequi possint), ad quadriennium reducimus.

Congregationem ab obedientiâ generalis quovis praetextu discedere prohibet.

§ 11. Ceterum quod nullo unquam tempore, quovis quaesito colore, praetextu vel ingenio, etiam sub specie maioris reformationis, Congregatio per praesentes erecta ab obedientiâ generali suo debitâ discedere, aut aliquod ex illius monasteriis ab eâdem Congregatione se segregare tentet seu tentare, minusque Castellae, sive Portugalliae Congregationibus dicti Ordinis, aut alicui eorum se iungere, adhaerere, aut uniri se facere vel procurare praesumat;

Commissarium a capitulo generali deputandum concedit ad deputationes et privationes praelatorum dictae Congregationis procedere posse.

§ 12. Insuper quod a capitulo generali pro tempore deputatus commissarius, abbas vel non abbas, cuiuscumque nationis fuerit, dummodo dictum Ordinem expresse professus sit, in visitandis huiusce Congregationis monasteriis, ad deputationes et privationes praelatorum, causâ cognitâ, ut licentiose vivendi tollatur occasio, procedere valeat;

Monachis dictae Congregationis ad generalem Ordinis in rebus gravibus appellare permittit.

§ 13. Quodque, si quos eiusmodi Congregationis per praesentes erectae religiosos aliquando ab illius superioribus circa res graves (quas primum generale dicti Ordinis celebrandum capitulum declarabit) [1] ad generalem appellare; quodque generalis ipsis unum vel plures iudices deputare etiam respective possit;

Contributiones, a generali capitulo taxandas, praecipit solvi per dictam Congregationem.

§ 14. Praeterea quod contributiones, praedicto Ordini per praedicta monasteria, illorumque abbates et conventus pro tempore existentes, debitae, per capitulum generale taxentur, et omnes in unam summam reducantur, ut simul et semel in anno ei, qui a generali mandatum vel commissionem eas recipiendi habuerit, in posterum et in perpetuum a vicario Congregationis per praesentes erectae etiam pro tempore existenti [2] transmitti debeant;

Commissarium, a dicto capitulo eligendum, dictae Congregationis monasteria eius sumptibus visitare decernit.

§ 15. Ac quod quotiescumque huiusmodi Congregationis monasteria ab aliquo commissario a generali capitulo praedicto deputando visitari contigerit, monasteriorum Congregationis per praesentes erectae sumptibus id fiat;

Congregationem hanc opera procuratoris generalis Ordinis in curiâ Romana uti iubet.

§ 16. (Ad maiorem vero unionem huius Congregationis sic erectae cum capite et aliis membris eiusdem Ordinis, et ut sumptibus parcatur minime necessariis, eadem Congregatio in curiâ Romanâ proprium procuratorem non habebit, sed operâ et ministerio procuratoris generalis dicti Ordinis utetur, quem capitulum generale, seu abbas generalis eiusdem Ordinis nominaverit).

Congregationi, si negligat ad

§ 17. Rursus quod, si ipsa Congregatio

1 Heic supplendum videtur: *gravari contigerit* vel *repererit, possint* vel *possit*, etc. (R. T.).

2 Perperam, ut videtur, edit. Cherub. et Main. legunt *existentes* (R. T.).

capitulum generale unum abbatem mittere, poenam imponit.

abbatem unum ex eiusdem Congregationis monasteriis (quem loco duorum ex praescripto praedictarum ordinationum capituli generalis sufficere, et, eo infirmo aut quavis aliâ ratione impedito, alium mittendum esse declaramus) ad capitulum generale, quoties celebrabitur, non mitteret; poenam triplicatae contributionis totius summae unius anni suis monasteriis impositae generali capitulo acquirendam, ipso facto, absque aliâ eiusdem capituli declaratione, incurrat;

Vicariis et aliis officialibus in capitulo provinciali dictae Congregationis iuramentum fidelitatis Ordini non praestantibus, electiones eorum irritas declarat.

§ 18. Postremo, quod si in electionibus abbatum, vicariorum, diffinitorum et secretarii, ipsos vicarios, diffinitores, visitatores et secretarium sic electos et abbates (quorum nominatio ad dictum Philippum regem spectare asseritur ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum) et quemlibet ipsorum fidelitatem dicto Ordini ab eis ut supra praestandam, in manibus praesidentis in capitulo provinciali, ut praefertur, celebrando, seu alicuius personae per vicarium pro tempore existentem nominandae, non praestitisse ac iurasse constiterit, electiones de ipsorum et cuiuslibet eorum personis factae, nullae et irritae sint, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo pariter statuimus, decernimus et ordinamus.

Ad hanc Congregationem monasteria regni Navarrae unienda, quartum diffinitorem eligendum, vicariumque generalem, etc., indicat.

§ 19. Ac demum, pro meliori regni Navarrae monasteriorum regimine (non intendentes eidem Philippo regi, nec monasteriorum eorumque abbatum perpetuitati, neque eorum praeeminentiis, privilegiis et praerogativis competentibus per praesentes in aliquo derogare, nec aliquo modo praeiudicare), ne sola remaneant, per Vincentium abbatem praedictum, seu alium commissarium destinandum, convocatis omnibus et singulis monasteriorum dicti regni abbatibus et prioribus in eorum Congregatione in civitate Caesaraugustanâ aut alio commodiori loco habendâ, procurabit, ut Congregationem per praesentes erectam ingrediantur ac uniantur; et quod eamdem Congregationem ingressi ac illi uniti, et in eâ, nostrâ auctoritate, per dictum Vincentium abbatem, aut alium commissarium a praedicto generali destinandum, recepti et admissi, suum etiam quarto loco post regnum Valentiae et ordine quartum diffinitorem habeant, ac ex tunc in ipsâ Congregatione quatuor diffinitores existant, ac vicarius generalis etiam ex abbatibus necnon definitores, aliique officiales ex religiosis monasteriorum regni Navarrae huiusmodi, cum conditionibus superius pro monasteriis regnorum Aragoniae ac Valentiae, Maioricarum et principatus Cathaloniae, illorumque abbatibus, necnon conventibus praescriptis (sine tamen praeiudicio iurispatronatus eiusdem Philippi regis, quod ex privilegio pariter apostolico illi competere asseritur, cui non est in aliquo derogatum) eligi possint: ac praeterea abbates triennales, ceterosque officiales, qui nunc in monasteriis congregandis inveniuntur, in officiis et dignitatibus suis usque ad adventum Vincentii abbatis, aut alterius commissarii praedicti, et conclusionem capituli provincialis perdurent: postea vero officia omnia etiam monasteria electiva temporalia[1] vacare etiam decernimus, ita ut ad novam abbatum electionem, modo quo supra, secundum supradicti generalis decretum, quoad fieri poterit, procedi debeat; excepto quod e tribus per vicarium et diffinitores praedictos nominatis in monasteriis de Veruela, Rueda, Escarpe et Labaix eorumdem regnorum et principatus, quae de iure patronatus eiusdem Philippi regis existere, ut supra, asseritur, idem Philip-

1 Mendosissimam lectionem corrigere non facile est; forsan legendum: *postea vero officia omniae tiam in illis monasteriis* (nempe regni Navarrae) *electiva vel temporalia vacare decernimus: ita ut*, etc.

pus et eius successores Hispaniarum reges, quem maluerint, in abbatem nominare possint, prout et sicut antea nominabant.

Vicario, diffinitoribus et visitatoribus dictae Congregationis quaecumque pro eius regimine statuta condendi, in generali tamen capitulo Cisterciensi examinanda, facultatem tribuit.

§ 20. Praeterea, ut, pro felici et prospera Congregationis praedictae illiusque monasteriorum et personarum directione, regimine et gubernio, vicarius generalis, diffinitores et visitatores praedicti, in capitulo generali singulo quoque quadriennio celebrando, quaecumque statuta, ordinationes et decreta, salubrem Congregationis et illius monasteriorum huiusmodi statum, reformationem et gubernium concernentia (licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, nec non Concilii Tridentini decretis, et ipsius Ordinis regularibus institutis minime contraria, et ab omnibus, ad quos quomodolibet spectabit, inviolabiliter observanda, in dicto tamen capitulo generali Ordinis Cisterciensis praesentanda et examinanda ac approbanda) condere, atque edere, ipsaque sic condita et edita, pro rerum, temporum et personarum qualitate et vicissitudine, prout dicto capitulo generali visum fuerit, immutare, corrigere et in melius reformare, cassare et penitus seu in parte abolere, et illorum loco alia de novo edere et condere libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus.

Supradicta omnia inviolabiliter observari praecipit.

§ 21. Denique (salvis et firmis remanentibus per nos dispositis, statutis et decretis) omnes et singulas ordinationes superius insertas, et a capitulo generali pariter, ut praefertur, praescriptas, auctoritate et tenore praemissis approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, ac solemnitatum etiam quantumvis substantialium, defectus, si quis forsan desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Ac supradicta omnia, ut praefertur, disposita, statuta, decreta et ordinata, ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, perpetuo firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri debere;

Clausulas huius concessionis praeservativas apponit.

§ 22. Praesentesque litteras nullo unquam tempore de nullitatis vitio (etiam ex eo, quod causae, propter quas emanarunt, coram locorum Ordinariis, aut aliis, verificatae et approbatae, vel interesse habentes vel praetendentes vocati non fuerint) notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, vel quoscumque alios Romanos Pontifices successores nostros, dictamque Sedem, etiam in crastinum assumptionis eorumdem successorum summi ad apostolatus apicem, vel aliàs, etiam motu proprio, ac etiam consistorialiter, et de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium pro tempore existentium consilio, sub quibuscumque tenoribus et verborum formis, ac ex quibusvis causis, pro tempore faciendis, etiamsi de illis ac eisdem praesentibus, earumdemque toto tenore ac datis specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum mentio fiat, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, et eum, in quo antequam emanarent erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque datâ, per vicarium, diffinitores et visitatores praedictos, vel quoscumque alios interesse habentes eligendâ, concessas, semperque validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac vicario, diffinitoribus et visitatoribus, aliis-

que interesse habentibus praedictis perpetuo suffragari;

Decretum irritans.

§ 23. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac dictae Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, etc., attentari, decernimus.

Contraria omnia derogat.

§ 24. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, necnon in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac etiam monasteriorum et Ordinis praedictorum (etiam iuramento, etc., roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini illiusque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu proprio, et ex certà scientià, ac de apostolicae potestatis plenitudine similibus, etiam iteratis vicibus, ac etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis clausulis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis (etiamsi in eis caveatur expresse, quod illlis etiam per quascumque litteras apostolicas, et quascumque etiam derogatoriarum derogatorias ac insolitas clausulas in se continentes, derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi de eis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio[1], seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret) illorum omnium tenores, formas ac datas et decreta in eis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dùmtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

[1] Supplendum videretur *fiat* (R. T.).

Transumptis credi mandat.

§ 25. Volumus autem, quod praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Abbatiarum vacantium quinquennia reverendae camerae persolvi iubet.

§ 26. Volumus etiam, quod, occurrente vacatione singulorum monasteriorum, quorum abbates perpetui existunt, et quadriennales per praesentes fiunt, primo, et deinde singulis quindecim annis, commune et alia iura debita, iuxta illorum taxam in libris camerae apostolicae descriptam, cum effectu per eos, ad quos spectabit, respective persolvi omnino debeat; alioquin monasteria ipsa eo ipso vacent et vacare censeantur, ipsaeque praesentes litterae, quoad ea, nullae sint, nec eis ullo unquam tempore suffragentur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX aprilis MDCXVI, Pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 19 aprilis 1616, pontif. an. XI.

IOANNES GARSIA cardinalis MILLINUS.
METELLUS cardinalis SENENSIS.
PHILIPPUS cardinalis PHILONARDUS.

CCLXXX.

Unio Congregationis clericorum Doctrinae Christianae, in civitate Avenionis institutae, Congregationi clericorum Somaschae, sive S. Maioli Papiensis, unà cum capitulorum inter easdem Congregationes initorum approbatione[1].

[1] De Somaschae Congregatione habes in Constitut. XXVII Pauli III quae incipit: *Ex iniuncto* (in h. n. edit. est XXIX, in tom. VI, pag. 285).

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, ad ea, per quae piorum hominum congregationes in militanti Ecclesiâ, praesertim ad legem christianam rudibus exponendam, provide sancteque institutae, maioribus in dies proficiant incrementis, sedulo intendimus.

Congregatio clericorum doctrinae christianae in civitate Avenionensi institula volens uniri Congregationi clericorum Somaschae, infrascripta capitula, cum eisdem firmavit quae Pontifex examinari fecit.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Antonius Vigerius praepositus ac clerici seculares Congregationis Doctrinae Christianae in civitate Avenionensi canonice institutae, quod ipsi, feliciori eiusdem Congregationis statui et augmento consulere volentes, eamdem Congregationem Congregationi clericorum regularium Congregationis Somaschae, aliàs S. Maioli Papiensis per nos uniri et incorporari desiderant, et propterea infrascripta capitula cum dilectis etiam filiis praeposito et clericis regularibus dictae Congregationis Somaschae statuerunt, quae a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negociis regularium praepositis recognita et approbata fuerunt, tenoris sequentis, videlicet:

Quarum tenor hic inseritur.

Conventiones firmatae ac stabilitae inter clericos regulares Congregationis de Somascha, et patres Congregationis Doctrinae Christianae in regno Galliae, pro unione faciendâ utriusque Congregationis. Quod quidem negocium a Sanctissimo Domino Nostro fuit commissum sacrae Congregationi illustrissimorum dominorum cardinalium negociis episcoporum et regularium praepositorum.

Cap. I.

Patres doctrinae christianae Galliae retineant consuetudinem eam docendi.

In primis igitur Doctrinae Christianae patres, eorumque successores in perpetuum, secum retinebunt institutum docendi Doctrinam Christianam parvam, mediocrem et magnam, iuxta laudabilem eorum consuetudinem, quam inviolabiliter servabunt, et in iis domibus quas nunc possident, et in iis quas in posterum possidebunt in toto regno Galliae.

Cap. II.

Pater Caesar de Bus institutor Congregationis doctrinae christianae in Gallia.

Reverendus pater Caesar de Bus, vir pietatis eximiae, Congregationisque patrum Doctrinae Christianae in regno Galliae primus parens et institutor, habeatur in religione pro auctore, ut revera fuit, huius sanctissimi instituti Doctrinam Christianam in dicto regno Galliae populos edocendi.

Cap. III.

Post unionem, patres dictae doctrinae christianae vocentur patres doctrinae christianae Congregationis Somaschae.

Patres Doctrinae Christianae in Galliâ vocari deinceps, post factam unionem, debebunt patres Doctrinae Christianae Congregationis Somaschae, seu sancti Maioli Papiae, et privilegia omnia erunt communia.

Cap. IV.

Vivant sub obedientiâ praepositi generalis Somaschae, qui singulis trienniis eos visitabit,

Sub obedientiâ vivent praepositi generalis de Somascha, qui semel singulis trienniis per se vel per alium ab eo destinandum eos visitabit. Ceterum eorum regimen et gubernatio in toto regno Galliae, in domibus tam acquisitis quam acquirendis, sit penes superiores Gallos, et provincialis similiter Gallus eligendus per capitulum generale de Somascha eis constituatur. Qui quidem erit unus ex duobus vel tribus patribus nominatis sive propositis a capitulo provinciali ipsius provinciae Galliae, tempore debito congregato.

Cap. V.

Provincialis eiusque socii munus et auctoritas hic praescribitur.

Cuius provincialis auctoritas erit, de loco ad locum personas mutare, novitios per se vel per locorum superiores ad professionem admittere, concionatoribus concionandi facultatem concedere, dum-

modo ab episcopis locorum licentiam seu benedictionem ad formam Concilii Tridentini obtineant, et alia facere, quae visitatoribus dictae Congregationis Somaschae conceduntur. In reliquis autem tanta sit eius auctoritas, quanta a capitulo provinciali conceditur eidem. Debebit tamen praepositum generalem, ubi commode poterit, consulere, vel saltem de singulis magni momenti rebus certiorem facere. Provincialis, statim atque erit electus, censeatur esse et sit ipso facto de gremio capituli generalis, in quo vocem activam et passivam habeat. Eius officium per triennium durabit. Ad capitulum generale cum accedet, socium unum, seu discretum, antea a capitulo provinciali electum, deducet, qui quidem socius in capitulo generali interveniet cum utrâque voce.

CAP. VI.

Provinciali decedente quis succedat.

Quod si contingat provincialis obitus, eo casu superior professione senior censeatur electus.

CAP. VII.

Ad capitulum provinciale quae spectent.

Ad capitulum provinciale spectabit, cum maiori parte votorum nova loca, praevio tamen episcoporum consensu, et servatâ formâ Clementis VIII, recipere, recepta deserere, superiores locales eligere vel deponere, reos, si qui erunt, punire, aut innocentes absolvere, curam monialium ordinariam pro confessionibus audiendis, de consensu et licentiâ eorumdem episcoporum, recipere, bona in universum in toto regno Galliae ipsi Congregationi relicta alicui loco particulari assignare, novitios quadragesimum annum excedentes, vel qui alterius religionis habitum habuerint et debitam transeundi facultatem a Sede Apostolicâ obtinuerint, ad probationem admittere, exemptiones diuturnas[1] maxime senibus et studentibus, ad tempus, non autem perpetuo, et ex causâ impertiri, locum pro capitulo provinciali proxime congregando determinare.

CAP. VIII.

Quinam ad dictum capitulum accedent.

Insuper capitulo provinciali, quod mense septembris praecedente capitulum generale convocandum erit, praeter provincialem, interesse debebit quilibet superior localis unâ cum socio, seu discreto, a capitulo conventuali eiusdem loci, dummodo sex saltem ibi resideant, eligendo.

Hucusque conventiones[1].

Et modo Papa praedictam unionem et capitula approbat et ab omnibus regularibus Congregationis Somaschae servari praecipit, excepto quod provinciales exemptiones diurnas nonnisi ex causâ concedent.

§ 2. Quare pro parte primodictae Congregationis fuit nobis humiliter supplicatum, quatenus unionem et incorporationem huiusmodi facere, et eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos piis clericorum praedictorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis, etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium consilio dictam Congregationem Doctrinae Christianae, in praedictâ civitate Avenionensi institutam, Congregationi Somaschae praedictae, ita ut unum corpus Congregationis efficiant, ac clerici dictae Congregationis Doctrinae Christianae regulas et constitutiones secundo dictae Congregationis Somaschae ab Apostolicâ Sede approbatas servent et profiteantur, necnon capitula praedicta adimpleantur, et etiam serventur, salvis tamen limitationibus et modificationibus infrascriptis, videlicet: *quod provincialis praedictus exemptiones diurnas huiusmodi nonnisi ex causâ alicuius impedimenti concedere possit aut debeat*, apostolicâ auctoritate,

1 Infra legitur *diurnas* (R. T.).

1 Haec verba nos interserimus (R. T.).

tenore praesentium, perpetuo unimus et incorporamus.

Quomodo professio debeat emitti.

§ 5. Necnon cum dicto Antonio, ut infra quatuor menses a die coeptae probationis numerandos, integro non expectato probationis anno, professionem, per dictos clericos Congregationis Somaschae huiusmodi emitti solitam, expresse emittere libere et licite valeat, auctoritate et tenore praedictis indulgemus, ac cum eodem desuper dispensamus. Ceteros vero primodictae Congregationis clericos, antequam professionem huiusmodi emittant, annum probationis integre complere debere.

In Statu ecclesiastico regni Galliae, etiamsi non sint Galli, superiores esse permittit.

§ 6. Ac clericos secundodictae Congregationis, in Galliam pro instructione dictorum presbyterorum mittendos, in Statu Ecclesiastico regni Galliae locorum superiores, etiamsi non sint Galli, eligi posse statuimus.

Clausulae praeservativae et decretum irritans.

§ 7. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac utriusque Congregationis huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis danda.

§ 9. Volumus etiam, ut praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, etc., die XI aprilis MDCXVI, anno XI.

Dat. die 11 aprilis 1616, pontif. an. XI.

CCLXXXI.

Innovatio constitutionum a Sixto IV et Pio V de conceptione B. Mariae Virginis editarum, impositioque maiorum poenarum in transgressores a locorum Ordinariis et haereticae pravitatis inquisitoribus puniendos.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Regis pacifici, quamquam nullo nostro merito, divinâ dispensatione vices gerentes in terris, ex muneris nostri debito, pacis et concordiae inter christifideles, praesertim ecclesiasticas personas, quae aliis in viam pacis dirigendis et in unitate spiritus continendis sunt peaepositae, conservationi sedulo invigilare cupientes, ea, quae a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, ad scandalorum semina tollenda, salubriter constituta sunt, cum hostis antiqui insidiis, qui ab initio dissidia serere coepit, minime observari, aut variis modis eludi dignoscuntur, ut inviolata serventur, opportunis remediis, quantum cum Domino possumus, providemus.

Sixtus IV edidit Constitutionem contra affirmantes, haereticum esse, aut peccatum mortale, credere vel tenere B. Virginem in sua conceptione a peccati originalis macula praeservatam fuisse vel non fuisse, cum nondum id esset a Sede Apostolicâ et Romanâ Ecclesia decisum.

§ 1. Olim siquidem (per felicis recordationis Sixtum Papam IV, praedecessorem nostrum, accepto, quod nonnulli diversorum Ordinum praedicatores in suis sermonibus ad populum publice per diversas civitates et terras affirmare non erubuerant, et quotidie praedicare non cessabant, omnes illos, qui tenebant aut asserebant gloriosam et immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati maculâ fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse haereticos, eiusdemque immaculatae Con-

ceptionis officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine huiusmodi maculâ conceptam esse affirmabant, graviter peccare, sed et praedictis praedicationibus non contenti, confectos super eisdem suis assertionibus libros in publicum ediderant, ex quorum assertionibus et praedicationibus non levia scandala in mentibus fidelium exorta erant et maiora merito exoriri formidabantur in dies) idem Sixtus[1] praedecessor huiusmodi temerariis ausibus et perversis assertionibus et scandalis, quae exinde in Dei Ecclesiâ exoriri poterant, obviare volens, huiusmodi assertiones praedicatorum eorumdem et aliorum quorumlibet, qui affirmare praesumerent, eos qui crederent aut tenerent eamdem Dei Genitricem ab originalis peccati maculâ in suâ conceptione praeservatam fuisse, propterea alicuius haeresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut huiusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes, alicuius peccati reatum incurrere, utpote falsas et erroneas, et a veritate penitus alienas, editosque desuper libros praedictos id continentes, quoad hoc reprobavit et damnavit, ac statuit et ordinavit, quod praedicatores verbi Dei et quicumque alii cuiuscumque status, gradus, aut ordinis et conditionis essent, qui ausu temerario praesumerent in eorum sermonibus ad populum, seu aliàs quomodolibet, affirmare, huiusmodi sic per eum improbatas et damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, excommunicationis sententiam eo ipso incurrerent, a quo ab alio quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequirent absolutionis beneficium obtinere. Similibusque[2] poenae et censuris subiecit eos, qui ausi essent asserere contrariam opinionem, tenentes videlicet, gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato conceptam fuisse, haeresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum nondum id esset a Romanâ Ecclesiâ et Apostolicâ Sede decisum.

1 Hanc Constitutionem Sixti IV vide in capitulo II de reliquiis et veneratione Sanctorum inter *Extravag.*

2 Edit. Main. habet *similisque* (R. T.).

Eam innovat Concilium Tridentinum sess. V de peccato originali in fine.

§ 2. Hanc vero Sixti praedecessoris Constitutionem oecumenica Tridentina synodus postea innovavit.

Pius V prohibuit de hoc articulo in popularibus concionibus disputari, vulgari sermone scribi, vel dictari, ut in eius constitutione CXIV Super speculam;

§ 3. Ac deinde similis recordationis Pius Papa V, etiam praedecessor noster, statuit, ordinavit et mandavit, quatenus nemo, cuiuscumque ordinis vel dignitatis existeret, in popularibus concionibus, vel ubicumque promiscua virorum et mulierum multitudo convenire solet, de huius controversiae alterutrâ parte disputare, rationibus vel doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam et contrariam refellendo vel impugnando, aut de hac ipsâ quaestione, cuiusvis pietatis aut necessitatis praetextu, vulgari sermone scribere vel dictare praesumeret; qui contrafaceret, suspensionis poenam a divinis absque novâ declaratione ipso facto incurreret, si modo esset in sacris constitutus; et quocumque praeterea gradu, sive dignitate, vel administratione fungeretur, illis omnibus foret ipso iure privatus, et ad eadem vel similia munera obtinenda vel obeunda perpetuae inhabilitatis censurae ipso etiam facto obnoxius foret, super quibus nisi a Romano Pontifice pro tempore existente dispensari sive absolvi non posset, et nihilominus aliis poenis, si opus foret, a proprio praelato pro delicti mensurâ infligendis subiectus esset, prout subiecit.

Sed solummodo in academiis et capitulis, ubi nulla scandali occasio subesset

§ 4. Ceterum, quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non esset, oppositaque sententia condemnata, liceret viris doctis in publicae academiae disputationibus, sive generalium aut provincialium capitulorum, vel ubi aliàs interessent,

qui rem capere posssent, nec scandali ulla subesset occasio, de illâ quaestione disserere, et argumentis utramlibet partem asserere vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea praedicaretur, servarenturque illa omnia, quae a dicto Sixto praedecessore statuta sunt, quorum singula, etiam quantum ad alias poenas duxit innovanda et innovavit, prout in Sixti et Pii praedecessorum litteris desuper confectis plenius continetur.

Quia tamen super praedictis, sic ut supra statutis novae quaestiones exortae sunt,

§ 5. Verum, licet haec provide statuta sint, nihilominus sicut accepimus, nonnulli in diversis christiani orbis partibus, interminatis quaestionibus nimis intenti, dissensionum huiusmodi iampridem ecclesiasticae disciplinae vigore recisa germina coalescere procurant, indeque contentiones et rixae non sine Dei offensâ et scandalo plurimorum exortae sunt et graviores in dies ne exoriantur periculum est, nisi a nobis opportune provideatur.

Hic Pontifex praedictas Sixti IV et Pii V Constitutiones innovat et inviolabiliter observari praecipit.

§ 6. Quamobrem motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, Constitutionum Sixti et Pii praedecessorum huiusmodi veriores tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, easdem Constitutiones apostolicâ auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, et etiam quoad earum poenas quascumque, etiam absolutionis reservationem, innovamus et inviolabiliter ab omnibus, etiam regularibus cuiuscumque Ordinis et instituti, et aliàs[1] quibuscumque, tam ecclesiasticis quam secularibus personis, cuiusvis status, gradus, ordinis et conditionis aut dignitatis, tam ecclesiasticae quam secularis, etiamsi specialis, specifica et individua earum esset necessario facienda mentio, observari praecipimus et mandamus, donec a Romanâ Apostolicâ Sede huiusmodi controversia fuerit definita.

1 Vel potius legendum foret *aliis* (R. T.).

Transgressoribus poenas auget.

§ 7. Ac praeterea, si quis quovis modo contravenerit, praeter supradictarum Constitutionum poenas respective ipso facto incurrendas, etiam concionandi, publice legendi, seu docendi et interpretandi facultate, ac voce activâ et passivâ in quibuscumque electionibus eo ipso absque aliâ declaratione privatus existat, necnon ad concionandi et publice legendi, docendi et interpretandi perpetuae inhabilitatis poenas similiter ipso facto incurrat absque aliâ declaratione, a quibus nonnisi a nobis ipsis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus pariter absolvi seu super iis dispensari possit, et nihilominus aliis poenis nostro et eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis subiiciatur, prout eum subiicimus per praesentes.

Et contra eos episcopis ac haereticae pravitatis inquisitoribus facultatem procedendi tribuit.

§ 8. Et contra huiusmodi transgressores, etiam regulares cuiusvis Ordinis et instituti, etiam quomodolibet exemptos et alias quascumque ecclesiasticas et seculares personas, cuiuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam ecclesiasticae quam secularis, ut praefertur, tam episcopi et praelati, superiores, aliique Ordinarii locorum, quam haereticae pravitatis ubique locorum deputati inquisitores procedant et inquirant, atque in eos severe animadvertant. Nos enim iis et eorum cuilibet, contra eosdem transgressores procedendi et inquirendi, ac poenis coercendi et puniendi liberam facultatem et auctoritatem, iisdem auctoritate et tenore, tribuimus et impartimur, eosque, ut praefertur, procedere, inquirere et punire praecipimus et mandamus.

Contrariis derogat.

§ 9. Non obstantibus omnibus iis et singulis, quae tam Sixtus, quam Pius praedecessores praedicti in litteris suis huiusmodi voluerunt non obstare. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice

dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationem Romae factam ubique ligare decernit.

§ 10. Et, ne praemissorum ignorantia a quoquam praetendi possit, volumus et dictâ auctoritate decernimus, quod praesentes litterae, seu illarum exempla, ad valvas basilicae Principis[1] apostolorum de Urbe, et in acie campi Florae affixa, omnes ita arctent et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Transumptisque credi iubet.

§ 11. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii pubblici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iulii MDCXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 6 iulii 1616, pontif. an. XII.

CCLXXXII.

Confirmatio decreti collectoris generalis spoliorum in regno Portugalliae, quo cavetur, quominus moniales propinas superioribus monasteriorum solvant in emissione professionis[2].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Paulus collectori commiserat ut decerneret in quolibet monialium monasterio eas admitti, quae iuxta monasterii vires possent sustentari;

§ 1. Aliàs, supplicationibus charissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici nobis tunc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus regularium praepositorum consilio, venerabili fratri Octavio episcopo Forosemproniensi spoliorum et iurium camerae apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali dedimus in mandatis, ut, iuxta normam a sacro Concilio Tridentino praescriptam, in omnibus et singulis monialium monasteriis regni Portugalliae eum tantum numerum ab archiepiscopis et episcopis denuo praefigi ac in posterum conservari curaret, qui ex redditibus propriis eorumdem monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis, congrue sustentari, et iuxta dictorum monasteriorum capacitatem, necnon cellarum quantitatem, commode ibi commorari posset; ita tamen, quod in his, quae regularibus subiecta erant, iidem regulares superiores numeri praefixioni assisterent; et supra numerum huiusmodi nulla deinceps ad habitum regularem admitteretur absque expressâ Sedis Apostolicae licentiâ:

Supra numerum vero ab episcopis praescriptum admitti non posse, nisi de licentia Sedis Apostolicae;

iisdemque archiepiscopis et episcopis auctoritate nostrâ praeciperet et mandaret, ut curarent quod puellae quae intra numerum praefixum ordinarias, quae vero de licentiâ Sedis praedictae supra numerum habitum regularem in dictis monasteriis susciperent, duplicatas eleemosynas dotales persolverent, huiusmodi autem eleemosynae, non apud monialium consanguineos vel affines relinquerentur, sed, antequam praedictae puellae habitum regularem susciperent, deponerentur actualiter vel apud mercatorem vel penes alteram personam fide et facultatibus idoneam, ad effectum[1], ut statim, emissâ professione, in emptionem bonorum stabilium aut annuorum redditum pro ipsis monasteriis, converterentur.

A numerariis ordinariam dotem, a supranumerariis duplicatam solvi;

Dotesque in bona stabilia investiri;

Insuper eâdem auctoritate tolleret abusus propinarum in ingressu monasterii superioribus, ut asserebatur, solvi solitarum, illasque de cetero quoquo modo persolvi, gravissimarum poenarum et censurarum comminatione, prohiberet, licitum tamen esse decerneret puellae, eâ die qua ad habitum regularem admitteretur, elargiri aliquid esculenti vel poculenti modici valoris et pro eiusdem

Abusumque propinarum, quae a puellis in ingressu solvebantur, aboleret.

1 Edit. Main. legit *Principi* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *ad affectum* (R. T.).

diei victu dumtaxat. Praeterea Constitutionem felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri, ac decretum eiusdem Concilii Tridentini super prohibitione egressus monialium e monasteriis omnino observari faceret, prout in aliis nostris in simili formâ Brevis sub die decimâ mensis octobris anno MDCXV desuper expeditis litteris[2] (quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus) plenius continentur.

Decretumque Concilii Tridentini egressum monialium e monasteriis prohibentis, observari curaret.

Idem collector vetat etiam solvi propinas in emissione professionis.

§ 2. Cum autem, sicut dicti Philippi regis nomine nobis nuper expositum fuit, dictus Octavius episcopus et collector ad huiusmodi litterarum exequutionem deveniens compererit, non solummodo in ingressu monasterii, ut praefertur, verum etiam in emissione professionis propinas praedictas, easque maiores, monasteriorum superioribus persolvi solere, et propterea, etiamsi nulla de illis in praedictis litteris mentio facta fuerit, nihilominus, felici monasteriorum praedictorum statui atque directioni magis consulere cupiens, propinas huiusmodi in emissione professionis, ut praefertur, de cetero solvi sub poenarum et censurarum praedictarum comminatione prohibuerit; nobis propterea dictus Philippus rex humiliter supplicari fecit, ut, pro firmiori prohibitionis huiusmodi validitate ac subsistentiâ, illam apostolicae confirmationis robore communiri de benignitate apostolicâ dignaremur.

Quod Philippus rex petit confirmari.

Confirmat Pontifex.

§ 3. Nos dicti Philippi regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, prohibitionem solutionis propinarum in emissione professionis hactenus, ut asseritur, fieri solitarum, per dictum Octavium episcopum, ut praefertur, factam, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac ab omnibus, ad quos spectat, observari debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII augusti MDCXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 12 augusti 1616, pontif. an. XII.

1 Quas vide supra pag. 314 (n. 1.).

CCLXXXIII.

Inhibitio, ne monachi Ordinis sancti Benedicti, congregationis Caelestinorum, dignitates, gradus et officia seculari favore et illicitis viis procurent, pluribus in eos eorumque fautores poenis indictis.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Quoniam nemo debet assumere sibi honorem nisi vocatus a Deo tamquam Aaron, et a regularis vitae instituto valde alienum est, ut religiosi viri, quos honorum et dignitatum gradus sanctitate vitae ac aliis religiosis virtutibus potius promereri, quam appetere, eosque gradus cum ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptosque humiliter administrare decet, mendicatis secularium praesertim personarum studiis, ad eos sibi aditum patefacere contendant, unde magna in Ecclesiâ Dei scandala et damna exoriri solent:

Prohibitio officia religionis conquisitis extra eam favoribus, illicitisque viis procurandi sub multis poenis in eos et eorum fautores inflictis.

§ 1. Nos (qui pro muneris nostri debito in hoc potissimum laborare non desistimus, ut ecclesiastica, regularisque disciplina pristinae observantiae restituatur), hoc malum e congregatione Caelestinorum Ordinis sancti Benedicti, cuius prosperum regimen et incrementum ad

Ecclesiae sanctae utilitatem sinceris desideramus affectibus, propellere cupientes, motu proprio et ex certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos monachos dictae congregationis cuiuscumque gradus, status, conditionis, praeeminentiae, qualitatis, et dignitatis existentes, qui de cetero ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, et alia officia dictae congregationis assequenda intenti, ad principum ac praelatorum et aliarum quarumcumque personarum, tam secularium quam ecclesiasticarum, de gremio dictae congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore, ac quacumque seculari dignitate et excellentiâ, etiam imperiali, regali, et ducali fulgentium, favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis illicitis, directe vel indirecte, palam vel occulte, ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et alia officia praefata obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere quaesiverint, aut etiam sponte oblatis et minime conquisitis usi fuerint, illorumque complices et fautores, vinculo excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi per nos aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi queant, innodamus, ipsosque et eorum quemlibet ad quascumque praelaturas, dignitates, officia, gradus, honores, administrationes et munera in ipsâ congregatione obtinenda, perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis per eos praelaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus et officiis huiusmodi eo ipso privamus, ac privatos, voce tam passivâ quam activâ carere decernimus et declaramus.

Prohibitio ne superiores dictae Congregationis, favoribus extra eius gremium attentis, aliquem ad officia admittant.

§ 2. Atque in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis etiam latae sententiae poenâ, omnibus dictae congregationis monachis, superioribusque, et praelatis quocumque titulo nuncupatis, etiam abbati generali, praesentibus et futuris, praecipimus, districteque mandamus, ne quempiam ullo tempore precibus, litteris vel favoribus adducti, vel aliàs ad instantiam seu requisitionem vel contemplationem principum seu praelatorum, aut aliorum quorumcumque tam secularium quam ecclesiasticorum extra dictum gremium existentium praefatorum, ad cuiusvis generis praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et officia dictae congregationis promovere audeant seu praesumant.

Declaratio, quod electiones et promotiones aliter factae, sint invalidae.

§ 3. Decernentes electiones, et promotiones ad monasteria et prioratus, vel officia dictae congregationis contra praesentium dispositionem, quod absit, quandocumque faciendas, et pro tempore obtinendas, nullas prorsus invalidasque fore et esse, ac omnes et singulos in praemissis delinquentes sententias et poenas praemissas irremissibiliter eo ipso incurrere.

Clausulae.

§ 4. Et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 5. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon Ordinis et congregationis huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro

plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si praedictis monachis, vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum dè indulto huiusmodi mentionem.

Formam publicationis huius bullae praescribit.

§ 6. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes congregationis huiusmodi monachos facilius deveniat, volumus illas pro hac primâ vice in singulis dictae congregationis domibus regularibus, et deinde in singulo quoque capitulo generali, seu dietâ, dictae congregationis publice legi, illasque, ut praefertur, lectas sic omnes arctare, ac si unicuique intimatae fuissent.

Eiusdem exemplis credi iubet.

§ 7. Illarumque exemplis etiam impressis, manu scribae dictae congregationis, vel notarii publici subscriptis, et sigillo abbatis generalis ipsius congregationis, vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae obsignatis, eamdem prorsus fidem haberi, quae praesentibus haberetur si eaedem exhiberentur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII augusti MDCXVI, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 27 augusti 1616, pontif. an. XII.

CCLXXXIV.

Revocatio, abrogatio, annullatio, novaque concessio privilegiorum nominandi ad beneficia in civitate et dioecesi Leodiensi pro universitate studii generalis oppidi Lovaniensis, Mechliniensis dioecesis [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Constitutionem istam quae in edit. Main. mendis scatet, ita ut sensus pluribus in locis inextricabilis evadat, emendare conabimur (R. T.).

Paulus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Regimini universalis Ecclesiae, meritis licet imparibus, divinâ disponente clementiâ praesidentes, iniunctum nobis apostolatus officium debite, ut tenemur, exequi coadiuvante Domino cupientes, ad concordiam praecipue inter personas ecclesiasticas ponendam, quietemque nutriendam, eo propensius apostolicae sollicitudinis studium adhibemus, quo dissensionum talium [1] dispendiosam et scandalis non alienam fore intelleximus: necnon indulta pariter et privilegia, per praedecessores nostros universitatibus praesertim studiorum generalium concessa, libenter confirmamus, ac etiam moderamur, et respective ampliamus, prout praeclara litterarum studia, quibus praedicti residentes incumbunt, ac praecipue magistrorum infrascriptae universitatis Lovaniensis, necnon Sedis Apostolicae officialium, aliorumque provisorum apostolicorum, maxime Romanam Curiam sequentium, vigiliae et labores exposcunt, votaque principum, aliorumque egregiorum virorum suppliciter nobis porrecta exquirunt.

Sixtus IV rectori universitatis concedit ius nominandi clericum ad unum beneficium in qualibet dioecesi in dominiis Brabantiae et Flandriae.

§ 1. Sane dilectus filius nobilis vir Albertus archidux Austriae, dux Brabantiae et comes Flandriae, necnon dilecti filii status eiusdem Brabantiae ducatus, ac universitas studii generalis oppidi Lovaniensis, olim Leodiensis, nunc vero Mechliniensis dioecesis, necnon facultas artium praedictae universitatis, humiliter nobis exponi fecerunt, quod aliàs [2] felicis recordationis Sixtus Papa IV praedecessor noster clarae memoriae Maximiliani Roma-

1 Heic deesse nomen substantivum deprehendimus, ex g. *tractationem*, vel simile (R. T.).

2 Quoad seq. narrativam absunt a *Bullario* Constitutiones tum Sixti IV, tum Leonis X, tum Hadriani VI, sed habetur Const. Greg. XIII inf. cit. § 6, quae omnino consulenda est; habetur autem in tom. VIII, pag. 505 h. n. e. (R. T.).

norum imperatoris, tunc Austriae ducis, et tunc existentium doctorum et magistrorum, scholariumque dictae universitatis supplicationibus inclinatus, rectori eiusdem universitatis pro tempore existenti facultatem (de quinque magistrorum in congregatione ipsius universitatis deputandorum consilio et assensu) nominandi[1] singulis praelatis, capitulis, collegiis, conventibus et personis ecclesiasticis utriusque sexus, secularibus et regularibus, etiamsi abbatiali, abbatissali, episcopali, archiepiscopali, aut cardinalatus fungerentur dignitate et honore, ad quos, quas vel quae canonicatuum et praebendarum, ac administrationum et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet, cum curâ vel sine curâ, in terris temporalis dominii dicti Maximiliani imperatoris, et recolendae memoriae Philippi ipsius Maximiliani imperatoris progeniti[2], consistentium, collatio, provisio, praesentatio, electio, seu quaevis alia dispositio, communiter vel divisim pertineret, et eorum cuilibet, etiamsi aliqui ipsorum extra terras easdem sedem et residentiam haberent, dummodo tamen, plusquam de sex beneficiis seu officiis huiusmodi disponere vel providere, aut ad illa praesentare, eligere vel nominare, seu aliàs illa, quovis locorum fundata, conferre haberent (si praelati videlicet vel praelatae aut aliae singulares personae, vitâ et praelaturâ ac administratione eorum durante, semel dumtaxat; si vero capitula, collegia vel conventus forent[3], singulis viginti annis) unum clericum ex studentibus et graduatis dictae universitatis, ac in illâ residentibus, qui ultra quadraginta florenos auri de camerâ annuatim non haberet, vel, qui ob paupertatem gradum assequi non posset, per certas suas litteras concessit et perpetuo indulsit; ac voluit, quod praelati, capitula, conventus, collegia et personae huiusmodi, ac successores eorum, quibus praedictae nominationes factae forent, eisdem clericis sic nominatis de uno beneficio ecclesiastico, cum curâ vel sine curâ, clerico seculari in titulum conferri et per talem regi et gubernari solito[1], dispositioni apostolicae generaliter non reservato, aut ex generali reservatione non[2] affecto (etiamsi canonicatus, et praebenda, administratio vel officium in collegiatâ, aut scholastica[3], matricularia, vel custodia in parochiali ecclesiâ seu cappellâ esset, et ad administrationem vel officium huiusmodi consuevisset quis per electionem assumi, eique cura immineret animarum), cuius fructus, redditus et proventus triginta florenorum Remensium auri, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excederent, quod[4] post nominationem huiusmodi ipsis praelatis, capitulis, collegiis, conventibus et personis de se factam et praesentatam (quovis mense apostolico vel ordinario perpetuis futuris temporibus vacare contingeret, ipseque sic nominatus, per se, vel procuratorem suum ad id ab eo specialiter constitutum, infra unius mensis spatium, duceret acceptandum), possent, tenerenturque, et deberent omnino providere.

§ 2. Et deinde piae memoriae Leo Papa X etiam praedecessor noster, eiusdem Maximiliani imperatoris et similis memoriae Caroli V eorumdem Romano-

Leo X decano artium simile concessit privilegium nominandi unum magistrum artium singulis decenniis.

1 Erronee ex edit. Main. in loco parallelo Const. praecitatae Greg. XIII tom. VIII, pag. 506 *a* editum fuit *nominando* (R. T.).

2 Potius legendum *primogeniti*, ut in loco parallelo const. Greg. XIII, l. cit. (R. T.).

3 Perperam edit. Main. legit *fierent* (R. T.).

1 Perperam ibid. legitur *solitae* (R. T.).

2 Particulam *non* nos addimus ex loco parallelo tom. VIII, pag. 506 *b* (R. T.).

3 Melius in loco parallelo legitur *scholastria*, de qua voce, sicut et de seqq. *matricularia* et *custodia*, vide Ducange (R. T.).

4 Ista vox *quod*, praeter rem redundat, nam praecessit iam sup. lin. 5 *ac voluit quod* (R. T.).

rum imperatoris, tunc archiducis, et Margaritae archiducissae Austriae, necnon et tunc existentium decani et facultatis artium eiusdem universitatis supplicationibus inclinatus, per alias suas litteras, quod decanus vel vicedecanus pro tempore dictae facultatis (de assensu et consilio receptoris et procuratorum etiam pro tempore quatuor nationum eiusdem facultatis artium, per se, vel alios [1] ad id ab eis ob suorum absentiam, vel aliàs, ne nominationes differrentur, substituendos, praestando, seu maioris partis eorumdem) singulis decem annis posset quibuscumque collegiis, capitulis et conventibus, semel; praelatis vero collatoribus, collatricibus, et aliis singularibus personis habentibus dispositionem, etiam qualemcumque, beneficiorum vel officiorum ecclesiasticorum in dictis terris temporalis dominii Maximiliani et Caroli imperatorum praedictorum, seu quae eisdem vel alteri eorum aut legitimis eorum haeredibus spectabant seu spectarent et pertinerent, pro tempore quo illi vel illis subiecti essent, necnon in civitate et patriâ Leodiensi, ac comitatu Lossensi, et ducatu Bullonensi, ac etiam in civitate Cameracensi, et tunc comitatu Cameracensi ac Tornacensi, Morinensi et Atrebatensi civitatibus et dioecesibus, et in civitate Traiectensi consistentium, etiamsi aliqui eorum extra terras et loca praedicta sedem et residentiam haberent, et quacumque praefulgerent dignitate, bis, seu duabus distinctis vicibus, vitâ, praelaturâ et administratione eorum durante, unum ex magistris in artibus, qui inibi in facultate praedictâ sex annis legisset vel rexisset, vel ob doctrinae eminentiam ad docendum logicam vel physicam Aristotelis admissus, seu in illâ novem annis promotus et graduatus foret, et ex illius consilio esset vel aliquando fuisset, et qui, exceptâ primâ vice, ultra octuaginta florenos auri de Camerâ huiusmodi in annuis redditibus non haberet, nominare [1]; ipseque nominatus quodcumque beneficium seu officium ecclesiasticum, cum curâ vel sine curâ, in dictis litteris expressum, eidem dispositioni apostolicae reservatione generali in corpore [2] iuris clausâ non reservatum, cuius fructus, redditus et proventus sexaginta florenos auri de camerâ similes, oneribus deductis, non excederent, quovis etiam mense, apostolico vel ordinario, acceptare valeret; nec sic nominatus teneretur nominationem huiusmodi insinuare [3] capitulis, collegiis, conventibus, praelatis, collatoribus, collatricibus, vel singularibus personis praedictis, aut, post acceptationem factam de beneficio seu officio vacante, collatorem ipsum vel collatricem, seu capitula, collegia vel conventus huiusmodi pro collatione requirere; sed quod posset, vigore dictae nominationis de personâ suâ factae, ab exequutoribus in litteris Sixti praedecessoris huiusmodi deputati, seu decano ecclesiae sancti Petri dicti oppidi Lovaniensis pro tempore existente, de [4] beneficio seu officio vacante sibi provideri facere plenarie dictâ autoritate apostolicâ, absque ulteriori requisitione ipsorum collatorum, collatricum, capitulorum, conventuum et collegiorum, vel personarum praedictarum; ac post suam acceptationem, ad instar expectantium apostolicorum et prout in gratiis expectativis observabatur, insinuare, seque in corporalem possessionem poni et induci facere, concessit et etiam perpetuo ordinavit, seu concessionem et facultatem Sixti praedecessoris huiusmodi ad hoc extendit et ampliavit;

1 Vocem *alios* censuimus addendam (R. T.).

1 Verbum *nominare* certo necessarium nos addimus (R. T.).

2 Turbatissime edit. Main. legit *incorporare, iuris clausa*, etc. (R. T.).

3 Aptius forsan in loco parallelo, tom. VIII, pag. 507 *b* legitur *communicare* (R. T.).

4 Perperam edit. Main. legit *et* pro *de* (R. T.).

Decrevitque sic provisos praeferri aliis quibuscumque provisis.

§ 3. Voluitque omnes sic pro tempore nominatos praeferri quibuscumque aliis, etiam habentibus vigore primariarum, regalium et imperialium precum, seu aliàs, nominationes, etiam vigore quorumvis privilegiorum et indultorum apostolicorum quibuscumque aliis studiis generalibus, etiam Parisiensi, tunc et pro tempore, etiam motu, auctoritate et potestate similibus concessorum:

Clausulasque nonnullas apposuit pro perpetua suarum litterarum firmitate.

§ 4. Quodque suis litteris huiusmodi, nonnisi sub certis modo et formâ tunc expressis derogari posset, insuperque idem Leo praedecessor per reliquas suas litteras, motu, auctoritate et potestatis plenitudine paribus, declaravit, facultates et desuper confectas litteras praedictas, cum omnibus et singulis concessionibus, indultis, statutis, ordinationibus et aliis in eis contentis clausulis, quoad beneficia sub illis comprehensa, per quascumque litteras apostolicas, constitutiones, et cancellariae regulas, minime revocatas, suspensas, limitatas, vel modificatas fuisse et esse, aut revocari, cassari, suspendi, limitari vel modificari potuisse, neque in futurum posse, nisi dum et quoties in huiusmodi futuris revocationibus, suspensionibus et modificationibus, de aliis Sixti praedecessoris huiusmodi, et suis praedictis litteris, ac diebus datarum earumdem, nomineque et dignitate ipsius Maximiliani imperatoris, tam etiam dum in humanis ageret, quam eo vitâ functo, specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facta foret, et ipse Leo praedecessor, vel successores sui Romani Pontifices pro tempore existentes, per diversas litteras in formâ Brevis duxisset, seu successores praedicti duxissent publice in eâdem universitate insinuandum[1] suae et successorum eorumdem intentionis esse, litteras huiusmodi ex aliquâ causâ revocare, suspendere, vel modificare cum intervallo unius mensis inter datas singularum litterarum in formâ Brevis huiusmodi, et non aliter, nec alio modo; et si forsan alio modo litteras huiusmodi contingeret revocari, suspendi, vel modificari, seu iam tunc revocatas fuisse, ex tunc, prout ex eâ die, et quoties sic revocatae vel suspensae forent, in suum pristinum, et eum, in quo ante revocationem, suspensionem vel modificationem huiusmodi quomodolibet erant, statum plenarie reposuit, restituit et reintegravit, ac plenarie repositas, restitutas et reintegratas fuisse et esse declaravit.

Hadrianus VI praedicta privilegia confirmavit, atque explicavit.

§ 5. Successiveque recolendae memoriae Hadrianus Papa VI, similiter praedecessor noster, singulas litteras Sixti et Leonis praedecessorum huiusmodi et in eis contenta quaecumque, motu, scientiâ et apostolicae potestatis plenitudine similibus approbavit et innovavit et pro potiori cautelâ illa omnia de novo concessit; ita quod decanus vel vicedecanus facultatis artium huiusmodi, modo in litteris Leonis praedecessoris huiusmodi expresso, quibuscumque collegiis, capitulis et aliis personis, etiam quacumque dignitate vel honore fungentibus, qualemcumque dispositionem beneficiorum vel officiorum ecclesiasticorum in quibusvis ecclesiis locorum, civitatum et dioecesum praedictarum consistentium habentibus, magistros in artibus in dictâ facultate artium promotos et graduatos, ut praefertur, nominare; et nominati huiusmodi quaecumque beneficia et officia (seniores videlicet artium magistri, qui dictum tempus attigissent, vel sex annis in facultate praedictâ legissent seu rexissent, vel ob doctrinae eminentiam ad docendum logicam vel physicam Aristotelis admissi, seu in illâ novem annis promoti et graduati fo-

1 Praecedens comma aliquanto diverse, et forsan melius legitur in loco parallelo, tom VIII, pag. 509 *b* (R. T.).

rent, et de illius consilio essent vel aliquando extitissent, illa beneficia quorum sexaginta ducatorum auri de Camera; iuniores vero artium magistri, qui dictum tempus non attigissent, illa quorum triginta florenorum Remensium aureorum grossi fructus, oneribus non solum perpetuis personalibus et realibus, sed etiam pensionibus annuis aliis personis super eisdem beneficiis et officiis reservatis, et quibuscumque aliis oneribus valorem fructuum, quos absens in studio aut alio loco privilegiato reciperet, diminuentibus, plenarie et totaliter deductis, valorem annuum respective non excederent), quovis etiam mense apostolico vel ordinario infra unius mensis spatium a die scientiae vacationis beneficii computandum (etiamsi huiusmodi beneficia, cum curâ et sine curâ, clerico seculari in titulum conferri et per talem regi et gubernari solita[1], canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia, etiam curata et electiva, in cathedralibus etiam metropolitanis, vel collegiatis, aut scholasticae, matriculariae, seu custodiae in parochialibus ecclesiis vel cappellâ, seu quocumque alio nomine nuncupata, ac dispositioni apostolicae quomodolibet, praeterquam reservatione generali in corpore iuris clausâ, reservata forent) acceptare; et de illis per exequutores in eisdem litteris Sixti et Leonis praedecessorum praedictorum deputatos, seu eorum aliquem, aut quamcumque personam in dignitate ecclesiasticâ constitutam per exequutorem, seu quemcumque notarium publicum aut presbyterum vel clericum, per dictos magistros artium nominatos aut eorum quemlibet pro subexequutore eligendum seu eligendam, sibi provideri facere; ipsique exequutores et subexequutores quemlibet eorumdem nominatorum in corporalem possessionem beneficiorum, sic pro tempore acceptatorum, ordinariis collatoribus prorsus irrequisitis, inducere; et quod tam seniores, quam etiam iuniores artium magistri praedicti, secundo, tertio, ac toties nominari, seniores videlicet, ut praefertur, qualificati, donec octuaginta, iuniores vero donec quadraginta florenos auri de camerâ in fructibus beneficiorum, aut certis annuis redditibus, oneribus prius modo expresso deductis, annuatim haberent; et quod nominationem universitatis ac aliam nominationem facultatis artium huiusmodi insimul habere, ac utrâque uti et gaudere valerent: quodque ipsi collatores, vitâ et praelaturâ eorum durante, bis seu duabus distinctis vicibus, capitula vero infra decem annorum spatium semel, unum beneficium valoris prius expressi, respective dictis magistris, sic per dictam facultatem artium nominatis, conferre tenerentur: et quod dicti omnes et singuli artium magistri, sive seniores sive iuniores essent, super beneficiis per eos in vim huiumodi nominationum acceptatis, per quascumque personas, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existerent, etiamsi abbatiali, episcopali, archiepiscopali, aut aliâ maiori dignitate, etiam cardinalatus honore praefulgerent, aut in vim quarumcumque, etiam conservatoriarum litterarum et privilegiorum et indultorum apostolicorum, etiam quibusvis ecclesiis, monasteriis et locis, ac archiepiscopis, episcopis, locorum Ordinariis, abbatibus, capitulis, conventibus, collegiis, universitatibus, etiam Parisiensi, et aliorum studiorum generalium, ac illorum[1] et quibusvis aliis, etiam ex pacis et quibuscumque[2] aliis causis, ac sub quibuslibet tenoribus et formis, ac

1 Perperam edit. Main. post *solita* punctum habet (R. T.).

1 Nescio an supplendum sit *cuilibet* (R. T.).

2 In loco parallelo tom. VIII, pag. 512 *a* legitur *etiam ex paribus et quibusvis aliis causis* (R. T.).

cum quibusvis clausulis et decretis, pro tempore concessorum, extra dictam universitatem ad iudicium trahi non possent; ipsi tamen nominati huiusmodi suos in dictis beneficiis quoscumque[1] adversarios coram aliquo ex conservatoribus privilegiorum eiusdem universitatis trahere valerent, perpetuo concessit et ordinavit, seu priores litteras praedictas ad hoc extendit et ampliavit; eisdemque per facultatem artium, ut praefertur, nominatis, praedictam praelationem adversus nominatos, etiam vigore primariarum precum, regalium et imperialium, concessit.

Confirmavit etiam Gregorius XIII,

§ 6. Ac demum sanctae memoriae Gregorius Papa XIII, etiam praedecessor noster, inclytae memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici, Brabantiaeque et Flandriae ducis et comitis, tam suo quam universitatis et facultatis artium huiusmodi[2] supplicationibus humiliter porrectis inclinatus, eadem indulta universitati et facultati artium praedictis, ut praefertur, concessa confirmavit, et, quatenus opus foret, de novo concessit, nec non valorem annuum fructuum beneficiorum, in indulto Sixti praedecessoris praedicti expressum, ad eam summam, quam dictus Leo praedecessor in indulto facultatis artium expresserat (ita tamen, quod ad constituendum valorem huiusmodi grossi fructus dumtaxat, quos absens in studio perciperet, quibuscumque oneribus deductis, computarentur[3]) extendit; sed prohibuit eisdem nominatis, ne iuri nominationum, simpliciter vel in favorem alicuius, ullatenus cedere, sed praedictum ius in manibus ipsorum nominantium remittere possent; voluitque, quod ii, qui ad beneficia curam animarum habentia nominati fuissent, non admitterentur, nisi prius ab Ordinariis locorum, praevio examine absque concursu faciendo, approbati fuissent, quodque in eisdem beneficiis, curam animarum habentibus, personaliter residere tenerentur, nec se eo nomine excusare possent, quod in dictis universitate et facultate artium scholares essent seu docentes aut magistri: prout in singulis praedecessorum Sixti ac Leonis et Gregorii, nec non similis memoriae Clementis Papae VII, etiam praedecessoris nostri, super praedictâ concessione et ampliatione eiusdem Hadriani praedecessoris (cum ipse Hadrianus praedecessor, antequam eius litterae desuper conficerentur, sicut Domino placuerat, rebus fuerat humanis exemptus), expeditis litteris[1] plenius continetur.

Qui nominatos ius suum nemini cedere.

Si ad beneficia curata nominarentur, ab Ordinariis locorum examinari,

In suisque beneficiis voluit residere.

Martinus V prohibuit ne membra universitatis extra muros Lovanii ad iudicium vocarentur.

§ 7. Denique idem Gregorius praedecessor ex supplicatione rectoris, doctorum, magistrorum et scholarium universitatis huiusmodi (accepto[2], quod recolendae memoriae Martinus Papa V, similiter praedecessor noster, perpetuo statuerat et ordinaverat, quod nullus ex rectore, doctoribus, magistris et scholaribus, ceterisque legentibus universitatis Lovaniensis praedictae, aut ibidem litterarum studio insistentibus, seu quaevis publica vel privata negotia nomine ipsius universitatis quomodolibet exercentibus, tunc et pro tempore existentibus, quibuscumque in causis seu litibus tunc motis et de cetero movendis, tam civilibus quam criminalibus aut mixtis, etiam mere profanis, sive ratione delicti, aut contractus, vel rei de qua ageretur, ubicumque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipsa consisteret, per quosvis exequutores seu iudices, et auctoritate litterarum dictae Sedis vel legatorum eiusdem, de[3] huius-

1 Perperam edit. Main. legit *quocumque* (R. T.).
2 Heic deesse deprehenditur vel *nomine* vel *nominibus* (R. T.).
3 Verbum *computarentur* nos addimus (R. T.).

1 Vocem *litteris* nos addimus porro etiam Clementis VII litterae huiusmodi desunt (R. T).
2 Parenthesis ista potrahitur usque ad § 10 (R. T.).
3 Edit. Main. legit *ex* (R. T.).

modi constitutione et eius toto tenore de verbo ad verbum plenam et expressam mentionem non facientium, forsan pro tempore deputatos, trahi, citari, vel etiam conveniri, aut aliàs ad iudicium evocari extra muros oppidi praedicti Lovaniensis valeret sive posset, dummodo coram conservatoribus in praedicto oppido per ipsum Martinum praedecessorem deputatis, aut aliquo eorumdem, vel eius inibi subdelegato, de se querelantibus singulis se paratos exhiberent legitime stare iuri;

Paulus II hoc privilegium declaravit.

§ 8. Quodque piae memoriae Paulus II, itidem praedecessor noster, perpetuo etiam statuerat et ordinaverat, quod tunc deinceps, in quibuscumque litibus, querelis et causis rectoris, doctorum, magistrorum et scholarium praedictorum, contra eos de cetero movendis, extra muros oppidi huiusmodi, vigore quarumcumque litterarum a Sede praedictâ, seu illius legatis, delegatis et subdelegatis, aut aliàs quomodolibet emanatarum, in primâ instantiâ, sive ageretur in possessorio sive petitorio, ad iudicium evocari aut trahi seu conveniri nequirent, dummodo parati essent in dicto oppido coram aliquo ex conservatoribus de iustitiâ quibuscumque poscentibus respondere; et nihilominus, quod ipsi rector, doctores, magistri et scholares adversarios suos, dummodo Sedis praedictae officiales, aut in Romanâ Curiâ praesentes non essent, coram aliquo ex eisdem conservatoribus trahere, convenire et ad iudicium evocari facere in primâ instantiâ libere et licite valerent;

Idem privilegium Hadrianus VI extendit ad magistros artium, quoad beneficia ad quae essent nominati.

§ 9. Et quod insuper praedictus Hadrianus praedecessor, ut praefertur, statuerat et ordinaverat, quod omnes et singuli artium magistri, sive seniores sive iuniores essent, super beneficiis per eos in vim nominationis huiusmodi acceptatis, per quascumque personas, quomodolibet, ut praefertur, qualificatas, extra dictam universitatem ad iudicium trahi non possent, ipsi tamen nominati suos in dictis beneficiis adversarios quoscumque coram aliquo ex conservatoribus privilegiorum universitatis huiusmodi trahere possent;

Quae quidem Martini V, Pauli II et Hadriani VI privilegia rata habuit Gregorius XIII.

§ 10. Quodque etiam si idem Gregorius praedecessor statutum et ordinationem Hadriani, ut praefertur, confirmasset et approbasset, nihilominus, pro eo quod in litteris confirmationis eiusdem Gregorii praedecessoris, de Hadriani tantum, non autem Martini, neque Pauli praedecessorum huiusmodi statutis, ordinationibus et decretis mentio facta fuerat, nonnulli statuta, ordinationes et decreta Martini et Pauli praedecessorum huiusmodi usu et effectu carere, neque amplius attendi debere, ac rectorem, doctores, magistros, scholares et personas universitatis huiusmodi in quibuscumque causis, aliàs quam occasione beneficiorum in vim nominationis huiusmodi acceptatorum, motis et movendis, extra muros dicti oppidi, ad iudicium evocari posse praetenderent) idem Gregorius praedecessor statuta, ordinationes et decreta Martini et Pauli pradecessorum huiusmodi, ac, prout illa concernunt, omnia et singula in eis contenta, et prout iacent, nec non inde sequuta quaecumque, quatenus essent in usu, perpetuo approbaverat et confirmaverat, et quatenus opus esset, innovaverat: decernens statuta, ordinationes et decreta Martini et Pauli praedecessorum huiusmodi valida et efficacia fore et esse, prout in aliis eiusdem Gregorii praedecessoris sub annulo Piscatoris expeditis litteris plenius etiam continetur[1]: in quibus etiam noluit, per quascumque alias, etiam in formâ Brevis et sub nomine camerae apostolicae ab ipso Gregorio praedecessore, seu aliis Romanis Pontificibus successoribus suis, seu dictâ Sede, vel illius legatis, aut nunciis pro tempore emanatas litteras, etiam generales seu speciales, suis ultimo dictae

1 Aliae istae Greg. XIII litterae desunt (R. T.).

confirmationis litteris ullatenus derogari posse, nec derogatum censeri, nisi illarum tenor de verbo ad verbum insertus, et urgens et sufficiens causa expressa, et per trinas distinctas litteras illarum tenorem continentes, tribus distinctis vicibus, cum trium mensium intervallo, praedictae universitati legitime intimatae et insinuatae, ac derogationes ipsae motu proprio et ex certâ scientiâ factae fuissent, appareretque Romanum Pontificem illis expresse derogare voluisse; decrevitque suas ultimo dictae confirmationis litteras de subreptionis vel obreptionis vitio aut alio quovis defectu notari non posse: sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam sacri palatii apostolici causarum auditores, seu sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere.

Voluitque praedictas nominationes afficere, relicta copiâ in residentiâ Ordinariorum collatorum.

§ 11. Demumque idem Gregorius praedecessor per alias suas litteras in formâ Brevis confectas[1] eidem universitati et facultati artium, et seu eorum, ut praefertur, nominatis, quod de cetero insinuationes, seu praesentationes nominationum ad beneficia et officia huiusmodi, pro tempore factarum, fieri possent, et sufficientes esse censerentur si fierent per litteras ad valvas ecclesiae affixas, illarumque relictâ copiâ in loco solitae residentiae ipsorum collatorum, quatenus eorumdem collatorum praesentia commode haberi non posset (etiamsi collatores ipsi essent capitula, collegia, conventus, episcopi, archiepiscopi et S. R. E. cardinales, ac alii quicumque) concessit, prout in singulis praedictorum praedecessorum nostrorum litteris plenius continetur.

Nonnullis autem exortis litibus super intelligentiâ huiusmodi privilegiorum;

§ 12. Cumque, annis retro elapsis per nos accepto, quod stantibus praedictarum concessionum et indultorum, ac confirmationum et decretorum litteris, super ipsarum litterarum et in eis contentorum interpretatione et exequutione, sicut antea, ita et hisce temporibus in patriâ, civitate et dioecesi Leodiensi multae oriebantur contentiones et lites inter eosdem rectores, decanum, magistros et scholares praedictae universitatis, seu eorum ad praedicta beneficia in civitate, patriâ et dioecesi Leodiensi consistentia nominatos ex unâ, et curiales Romanae Curiae et seu alios a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac etiam a nobis de canonicatibus et praebendis aliisque beneficiis praedictis, in aliquo ex mensibus Sedi Apostolicae reservatis vacantibus, provisos ex alterâ (contendentibus eisdem per decanum et vicedecanum facultatis artium universitatis praedictae nominatis, eorum nominationes esse validas, et servatâ formâ indultorum praedictorum ac ad favorem personarum in eisdem indultis qualificatarum factas, seque propterea esse legitimos beneficiorum praedictorum possessores et contradictores, et consequenter coram auditore camerae, vel aliis exequutoribus, seu iudicibus apostolicis, ad Romanam Curiam vel extra eam, et praesertim sacri palatii apostolici causarum auditoribus, non posse etiam vigore litterarum in formâ Brevis, etiam de capiendâ possessione nomine camerae, super praedictis beneficiis per eosdem nominatos acceptatis, vel illorum possessione, aut litterarum apostolicarum etiam in formâ Brevis cameralis praedicti exequutione, vocari et trahi; provisis autem apostolicis et praecipue curialibus contrarium affirmantibus, nempe provisiones apostolicas esse canonicas, litterasque desuper, etiam in formâ Brevis, nomine camerae expeditas et coram auditore camerae, vel alio iudice, seu exequutore apostolico ubicumque residente, praesentatas, suum debuisse et debere sor-

1 Etiam tertiae hae litterae Greg. XIII desunt (R. T.).

tiri effectum contra eosdem per universitatem et decanum seu vicedecanum facultatis artium nominatos, quorum nominationes coram exequutore apostolico non exhibebantur, et forsan exhibitae non comprobabantur factae servatâ formâ praedictorum indultorum et ad favorem personarum iuxta eadem indulta qualificatarum, et proinde magistros et scholares, aliasque personas dictae universitatis, ad beneficia in mensibus reservatis vacantia nominatos potuisse et posse coram auditore camerae et aliis quibuscumque iudicibus Romanae Curiae et aliis exequutoribus apostolicis, ubilibet residentibus, nedum ex eo, quod indulta de non evocando nominatos faciebant[1] legitime tantum iuxta formam indultorum nominatis, non autem aliis, et excipiebant officiales ac curiales, ac propterea hactenus, tam in nostro Rotae auditorio quam coram auditore camerae, ante et post litteras confirmationis eiusdem Gregorii praedecessoris, fuerant latae et exequutioni mandatae diversae sententiae et factae plures decisiones ad favorem curialium et contra eosdem nominatos), et, occasione litium et contentionum huiusmodi, magna in dies oriebantur scandala, et maiora poterant verisimiliter exoriri, cum magno praedictae universitatis et facultatis artium, nec non curialium, aliorumque provisorum apostolicorum detrimento:

Paulus V eas nonnullis cardinalibus examinandas delegavit.

§ 13. Nos, ad litium anfractus evitandos, scandalisque et malis, incommodisque et detrimentis praedictis obviandum, prout in Domino conspicimus expedire, dilectos filios nostros Ioannem Garziam sanctorum Quatuor Coronatorum Millinum, et Fabritium S. Augustini Verallum, et Horatium S. Salvatoris in Lauro titulorum Lancellottum nuncupatos presbyteros cardinales, nec non dilectum filium magistrum Marcum Aurelium Maraldum datarium nostrum, ad negotium huiusmodi discutiendum, nobisque referendum deputavimus;

Itaque auditis partibus,

§ 14. Coram quibus, tam Philippus Masius eques auratus a consiliis finantiarum eiusdem Alberti archiducis, et pro eo apud nos residens, quam Carolus Robaulx canonicus[1] Cameracensis et agens statuum ducatus Brabantiae, ad nos specialiter a statibus et universitate praedictis ob hasce causas destinatus, dilecti filii pluries comparuerunt, indultaque et privilegia praedictae universitatis ac facultatis artium exhibuerunt, et super eis diversas sessiones super praedictis praetensionibus fieri obtinuerunt, ac pro praedictorum indultorum apostolicorum confirmatione iteratis vicibus supplicarunt.

Et re Pontifici relatâ Paulus publico bono consulit, ut sequitur.

§ 15. Auditâ igitur per nos relatione eorumdem S. R. E. cardinalium et datarii, praemissisque omnibus prius mature digestis, tam erga magistros et scholares, quam curiales, aliosque provisos apostolicos, paternâ charitate affecti, volentesque eos in pacis amoenitate pro nostro posse confovere, ipsosque Albertum archiducem, necnon rectorem, doctores, magistros, et docentium, et scholarium, seu studentium, universitatisque et facultatis artium ac statuum et curialium praedictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, etiam motu nostro proprio, ex nostrâque merâ liberalitate et certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et ordinamus, videlicet:

1 Videretur potius legendum esse *favebant* vel *faciebant pro* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *canonicatus* (R. T.).

Abrogat ius nominandi ad beneficia dioecesis Leodiensis comitatus Lossensis et ducatus Bullonensis.

§ 16. Quoad beneficia in civitate, patriâ et totâ dioecesi Leodiensi, sive in patriâ et non dioecesi, sive in dioecesi et non in patriâ Leodiensi, in quibus comitatus Lossensis et ducatus Bullonensis comprehenduntur, consistentia, ius et facultatem nominandi per praedicta indulta apostolica decano, seu vicedecano facultatis artium praedictae universitatis ac forsan rectori eiusdem universitatis concessum et concessam, vel aliàs quomodolibet competens et competentem, abrogamus et perpetuo tollimus, eademque indulta et concessiones, quoad praedictum ius seu facultatem nominandi, perpetuo revocamus, ac etiam de consensu eiusdem facultatis artium, irritamus et extinguimus, ita quod praedictus decanus et vicedecanus facultatis artium, nec alia persona eiusdem universitatis, de cetero habeat aut praetendere possit perpetuis futuris temporibus aliquod ius seu aliquam facultatem nominandi ad quaecumque beneficia praedictarum civitatis, patriae, totiusque dioecesis Leodiensis; et, loco eiusdem iuris seu facultatis nominandi, concedimus decano seu vicedecano praedictae facultatis artium, ut perpetuis futuris temporibus ipsi decanus vel vicedecanus (de consensu receptoris et procuratorum quatuor nationum eiusdem facultatis, per se vel alios ad id ab eis substituendos praestando, seu maioris partis eorum) beneficia, cum curâ et sine curâ secularia, in titulum clericis secularibus conferri et per clericos seculares regi et gubernari solita, in civitate, patriâ, et dioecesi etiam non patriâ Leodiensi pro tempore per obitum dumtaxat vacantia, etiamsi sint canonicatus et praebendae, personatus, administrationes et dignitates, cuiuscumque qualitatis et valoris, non tamen maior post pontificalem in ecclesiâ Leodiensi, nec principalis dignitas in qualibet ex collegiatis civitatis, patriae, et totius dioecesis etiam non patriae Leodiensis, conferre[1] (illa tamen, illos et illas, quae in civitate, patriâ, et dioecesi etiam non patriâ Leodiensi, per obitum tantum vacare contigerit in mense ianuarii et novembris anni proxime venturi MDCXVII, et unico mense, scilicet mense novembris anni immediate sequentis MDCXVIII, et sic deinceps perpetuis futuris temporibus, ita quod alternatim uno anno vacantia per obitum dumtaxat in praedictis duobus mensibus et alio anno vacantia similiter per obitum in praedicto unico mense tantum conferri valeant) possit[2] magistris in artibus ibidem graduatis et residentibus, tam senioribus, scilicet qui inibi in facultate artium sex annis legerint aut rexerint, vel ob doctrinae eminentiam ad docendum logicam et physicam Aristotelis admissi, vel in illâ a novem annis promoti et graduati, et de illius consilio forent vel aliquando fuissent, quam iunioribus, videlicet ibidem graduatis et residentibus, praedictas alias qualitates non habentibus, cuiuscumque patrimonii sint magistri praedicti, ita quod quicumque eorumdem magistrorum in artibus, seniorum et iuniorum, annui redditus, etiam patrimoniales vel ecclesiastici, cuiuscumque valoris, non impediant, quominus eisdem possit de praedictis beneficiis per decanum vel vicedecanum praedictae facultatis artium ut supra provideri: quodque respectu beneficiorum praedictorum in civitate, patriâ, et dioecesi etiam non non patriâ Leodiensi dumtaxat per obitum, ut praefertur, in praedictis duobus mensibus unius, et in praedicto alio mense alterius anni vacantium, idem decanus vel vicedecanus facultatis artium habeant plenum ius et facultatem conferendi et immittendi suos, ut praefertur, proviso-

Conceditque ius nominandi ad beneficia ibidem vacantia in mensibus hic designatis.

1 Erronee edit. Main. legit *conferri* (R. T.).

2 Verbum *possit* nos addimus ad complendam syntaxim extra parenthesim (R. T.).

in possessionem praedictorum beneficiorum, prout ceteri collatores ordinarii eiusdem patriae Leodiensis, et in praedictis beneficiis et vacationibus tantum gaudeant concordatis inter Sedem Apostolicam et nationem Germanicam antea initis, aliisque iuribus, quibus gaudent ceteri collatores eiusdem patriae Leodiensis.

Haec autem beneficia eximit a quocumque alio collationis iure, vel privilegio.

§ 17. Quia vero antea durante facultate nominandi in civitate, patriâ et dioecesi etiam non patriâ Leodiensi nominati praeferebantur, iuxta praedicta indulta Leonis X, Adriani VI, et Gregorii XIII praedecessorum huiusmodi, nominatis vigore primariarum precum, etiam regalium et imperialium, aliorumque indultorum apostolicorum; hinc nos, quod beneficia in praedictis mensibus decano vel vicedecano facultatis artium assignatis per obitum vacantia non comprehendantur in praedictis primariis precibus, aliisque indultis apostolicis, nec ad illa possint fieri, illorum vigore, aliae nominationes nec acceptationes, declaramus et decernimus.

Quatuor et quinque menses Sedi Apostolicae reservat.

§ 18. Reliquorum vero beneficiorum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, et aliorum quomodolibet qualificatorum civitatis et patriae, ac totius dioecesis etiam non patriae Leodiensis, aliàs quam per obitum, ut praefertur, ac etiam in certis mensibus apostolicis, scilicet martii, maii, iulii, et septembris anni proximi MDCXVII, et in mensibus ianuarii, martii, maii, iulii, et septembris anni immediate sequentis MDCXVIII, et sic deinceps alternatim in perpetuum, sive per obitum, sive aliàs quomodolibet vacantium, libera collatio, provisio et omnimoda dispositio ad nos, et Sedem Apostolicam, Romanosque Pontifices nostros successores remaneat, spectetque et pertineat, reservataque sit et esse censeatur, prout, harum serie, perpetuo nobis et Sedi Apostolicae reservamus, absque eo quod ad praedicta beneficia, sic, ut praefertur, Sedi Apostolicae reservata, possint magistri, seniores vel iuniores, scholares, vel aliae personae dictae universitatis, de cetero perpetuis futuris temporibus nominari per dictos decanum vel vicedecanum facultatis artium, aut rectorem eiusdem universitatis, nec quibuscumque nominationibus, forsan hactenus ad eorum favorem factis, uti, quas ex nunc revocamus et annullamus, ac pro revocatis et annullatis haberi decernimus.

Aliaque beneficia hic expressa.

§ 19. In praedictâ autem facultate conferendi, per nos decano et seu vicedecano facultatis artium, ut praefertur, quoad beneficia civitatis, patriae, et dioecesis etiam non patriae Leodiensis, concessâ, praeter maiorem post pontificalem in cathedrali Leodiensi, ac principales in collegiatis ecclesiis civitatis, patriae, et totius dioecesis etiam non patriae Leodiensis superius exceptas, alias quoque dignitates electivas, ac beneficia consistorialia, et seu in libris camerae apostolicae taxata, aliaque monasteria et beneficia regularia, necnon quaecumque beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia, et aliàs reservatione vel affectione in corpore iuris clausâ Sedis Apostolicae dispositioni reservata, nullatenus comprehendi, sed dispositioni Sedis Apostolicae reservatas et reservata etiam declaramus et volumus: ita quod praedicti decanus vel vicedecanus facultatis artium non possit quoquo modo in illorum provisione, collatione, electione vel nominatione, aut aliâ dispositione se ingerere, etiamsi in praedictis duobus unius et uno alterius anni mensibus, decano et seu vicedecano praedictae facultatis artium, ut supra, alternative assignatis, per obitum de cetero vacaverint.

Declarat causas movendas super collationibus universitatis Lovaniensis concessis definiendas esse a conservatore eiusdem.

§ 20. Et ad tollendas contentiones iurisdictionum, quae inter exequutores apostolicos et iudices per nos ac Romanos Pontifices successores nostros pro tempore dandos et delegandos ex unâ, et conser-

vatores privilegiorum praedictae universitatis ex alterâ[1], super cognitione causarum super eisdem beneficiis civitatis, patriae, et totius dioecesis etiam non patriae Leodiensis de cetero exoriri possent, decernimus et declaramus, cognitionem et decisionem[2] causarum super beneficiis in mensibus facultati artium, ut praefertur, assignatis per obitum tantum vacantibus (non tamen, ut praefertur, exceptis, Sedique Apostolicae reservatis) de cetero movendarum, spectet et pertineat ad conservatorem vel conservatores praedictae universitatis, ita ut magistri seniores et iuniores a decano vel vicedecano facultatis artium, ut praefertur, providendi de beneficiis praedictis, ut supra, vacantibus, non possint, etiam vigore quarumcumque litterarum Sedis Apostolicae, et legatorum, aut nunciorum eiusdem, etiam in formâ Brevis de capiendâ possessione beneficiorum nomine camerae, nec aliàs, extra universitatem Lovaniensem per quemcumque etiam curialem Romanae Curiae, aut officialem Sedis Apostolicae, vel alium provisum apostolicum trahi; ipsi vero magistri quoscumque suos adversarios, quoad praedicta beneficia, ut praefertur, per obitum tantum vacantia, coram aliquo ex conservatoribus trahere possint, iuxta litteras Hadriani VI, et Gregorii XIII praedecessorum huiusmodi:

Causas vero movendas super ceteris beneficiis reservatis, Sedi apostolicae reservat.

§ 21. Causarum vero super beneficiis in quatuor et quinque mensibus alternatorum annorum respective, ut supra, vacantibus, aliisque beneficiis Sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis vel affectis, aliis ut supra exceptis, de cetero movendarum, cognitio et decisio remaneat et spectet ad Sedem Apostolicam, et fieri debeat per exequutorem vel exequutores et iudices per nos Romanosque Pontifices successores nostros et Sedem Apostolicam pro tempore ubilibet, etiam in Romanâ Curiâ, et alibi, etiam ultra tres et quotcumque alias dietas, etiam in exequutione quarumcumque litterarum apostolicarum, etiam in formâ Brevis et de capiendâ possessione nomine camerae apostolicae, ac quarumcumque commissionum apostolicarum et provisionum eorumdem beneficiorum et cuiuslibet eorum, deputandos et delegandos, deputandumque vel delegandum; ita ut provisi apostolici super praedictis beneficiis civitatis, patriae, et totius dioecesis etiam non patriae Leodiensis, in praedictis quatuor et quinque mensibus, alternatis annis, ut praefertur, quomodolibet vacantibus, ac aliàs in praedictâ facultate conferendi decano vel vicedecano facultatis artium concessâ, ut praefertur, non comprehensis, et, ut supra, exceptis, possint coram quocumque vel quibuscumque exequutore vel exequutoribus ac iudicibus apostolicis ubilibet extra oppidum Lovaniense, ac etiam in Romanâ Curiâ, et alibi, etiam ultra tres et quotcumque alias dietas, citare, vocare et convenire quoscumque magistros, scholares, rectorem, et alias quascumque personas, et officiales praedictae universitatis, etiam quod actu litterarum et theologiae studio vel lecturae seu magisterio vel cuicumque alteri officio incumbant; nec iidem magistri vel scholares, ceterique officiales et personae eiusdem universitatis, possint quemquam ex eisdem, ut praefertur, provisis apostolicis ad iudicium coram eisdem conservatoribus dictae universitatis trahere, nec quominus mandata de immittendo, et alia quaecumque etiam exequutiva per exequutores et iudices apostolicos decernenda et relaxanda, exequutioni demandentur, quoquo modo impedire, nec conservator et conservatores universitatis huiusmodi possint in eis aliquo modo, nec cognoscendo nec impe-

1 Subiunge de more solito *partibus* (R. T.).

2 Vel hîc legendum foret *quod cognitio et decisio*, vel postea *spectare et pertinere* (R. T.).

diendo, se ingerere, sub nullitatis omnium actorum, ac censurarum, et amissionis officiorum, et privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum poenâ, ipso facto, etiam absque aliâ sententiâ declaratoriâ, incurrendâ; et quatenus oriretur controversia, an eadem beneficia praedictae civitatis, patriae et dioecesis Leodiensis, seu eorum aliquod[1], vacaverint vel vacaverit in aliquo ex duobus vel uno mensibus successive eidem facultati artium, ut supra, assignatis, vel potius in aliquo ex mensibus cuilibet Ordinario collatori, iuxta concordata inter Sedem Apostolicam et nationem Germanicam aliàs inita, assignatis, tunc cognitio spectabit, prout antea spectavit, ad conservatorem seu conservatores praedictae universitatis: excepto tamen casu, quando collatio vel dispositio beneficii, seu beneficiorum praedictorum vacantium, erit Sedi Apostolicae, aliàs quam ratione mensis, reservata; tunc enim cognitio et decisio causarum desuper movendarum spectet ad exequutorem, vel exequutores, ac iudices apostolicos, ut praefertur, ubilibet deputandos; ita ut conservator vel conservatores universitatis non possint in eis aliquo modo, nec cognoscendo nec impediendo, ut praefertur, se ingerere, sub eâdem poenâ nullitatis actorum quorumcumque, ac censurarum, et amissionis officiorum, et beneficiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum, ipso facto, ut praefertur, incurrendâ.

Traiecti nominationes ad beneficia fieri vult, iuxta formam antiquorum privilegiorum.

§ 22. Volumus autem, quod in oppido Traiecti ad Mosam, praedictae dioecesis Leodiensis, fiant de cetero nominationes, iuxta indultorum antiquorum praedictorum formam et tenorem, ad canonicatus, praebendas, ac beneficia ecclesiae collegiatae sancti Servatii; collationes vero fiant de canonicatibus et praebendis ac beneficiis alterius ecclesiae collegiatae sanctae Mariae eiusdem oppidi, iuxta praesentis immutationis et concessionis nostrae formam et tenorem.

Nonnulla alia statuit.

§ 23. Declarantes insuper, si qua[1] loca dioecesis Leodiensis reperiantur de praesenti sub dominio et actuali iurisdictione eiusdem archiducis Alberti, tunc in eis pariter fieri debere nominationes iuxta praedictorum Sixti, Leonis, Hadriani et Gregorii praedecessorum huiusmodi indultorum formam et tenorem: quo vero ad beneficia extra civitatem, patriam et dioecesim etiam non patriam Leodiensem, in civitate Cameracensi, et comitatu Cameracensi ac Tornacensi, Morinensi, Atrebatensi civitatibus et dioecesibus, aliisque dominiis praedictis, olim Maximiliani et Caroli imperatorum, et nunc Alberti archiducis praedictorum, per praedictas Sixti, Leonis, Hadriani seu Clementis ac Gregorii praedecessorum huiusmodi litteras expressis consistentia, nos, ut eamdem artium facultatem, ac etiam universitatem praedictam, amplioris gratiae favore prosequamur, taxam beneficiorum praedictorum extra patriam et dioecesim Leodiensem consistentium, ad quae, vigore praedictorum indultorum Sixti, Leonis, Hadriani et Gregorii praedecessorum huiusmodi, ut praefertur, fieri possunt nominationes, ad valorem sexaginta ducatorum in eisdem indultis limitatam[2], usque ad ducatos centum auri de camerâ augendam duximus; quantitatem vero patrimonii aliàs per eadem indulta ad summam annui redditus octuaginta ducatorum similium restrictam, usque ad ducatos centum et triginta similes respectu magistrorum seniorum, ut supra qualificatorum, facultatis artium, et etiam in sacrâ theologiâ magistrorum, iurisque canonici et civilis, ac medicinae doctorum, necnon licentiatorum de consilio universitatis exis-

1 Edit. Main. habet *aliquot* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *si quae* (R. T.).
2 Perperam edit. Main. legit *limitatur* (R. T.).

tentium, augemus; in reliquis vero, salvis semper et intactis remanentibus omnibus et singulis supra per nos statutis et ordinatis, et non aliàs, praedicta indulta, et litteras Martini V, Pauli II, Sixti IV, Leonis X, Hadriani VI, et Gregorii XIII praedecessorum nostrorum, ac omnia et singula in eis contenta, quae tamen in aliquo praesentibus statuto et ordinationi nostris non adversantur, confirmamus et approbamus, quaecumque vero contraria vel in aliquo repugnantia revocamus.

Provisi de beneficiis curam animarum annexam habentibus debent ab Ordinariis approbari,

§ 24. Volumus autem et mandamus, quod ii, quibus de beneficiis curam animarum habentibus, et in civitate, patriâ, et dioecesi Leodiensi consistentibus, ut praefertur, provisum fuerit; necnon alii, qui ad beneficia similem curam animarum habentia, et in dominiis Alberti archiducis praedictis, aliisque locis consistentia nominati fuerint, ad illa non admittantur, nisi prius ab Ordinariis locorum, praevio examine absque concursu faciendo, fuerint approbati:

Et in eisdem residere.

§ 25. Quodque in eis personaliter residere teneantur, nec se eo minus excusare possint, quod in dictis universitate et facultate artium scholares sint, aut docentes seu magistri, vel officiales, seu rector.

Praeservatis privilegiis episcopo Leodiensi concessis,

§ 26. Per praesentes autem non intendimus indulto, per nos venerabili fratri nostro Ferdinando episcopo Leodiensi, conferendi certa beneficia reservata praedictae civitatis et dioecesis Leodiensis, ad certum tempus concesso, et forsan prorogando, vel eidem Ferdinando episcopo de novo concedendo, quatenus eidem prorogari vel de novo concedi contingat, derogare, seu eius indulto praeiudicare in aliquo.

Ceteris autem privilegiis concessis universitati non derogatur.

§ 27. In aliis vero indultis tam in episcopatu praedicto Leodiensi eiusdem Ferdinandi successoribus quomodolibet qualificatis, etiam S. R. E. cardinalibus, ac Sedis Apostolicae de latere legatis, seu nunciis, per nos et Romanos Pontifices successores nostros concedendis, beneficia in mensibus facultati artium, ut praefertur, per nos concessa[1] per obitum tantum vacantia, minime comprehendi, nec comprehensa censeri in indulto moderni nuncii Coloniensis decernimus et declaramus.

Clausulae pro eiusdem concessionis firmitate.

§ 28. Praesentibus quoque nostris per quascumque alias, etiam in formâ Brevis, et sub nomine camerae apostolicae, a nobis, seu aliis Romanis Pontificibus successoribus nostris, seu dictâ Sede, vel illius legatis aut nunciis pro tempore emanatas litteras, etiam quaslibet generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, aliasque efficaciores et insolitas clausulas, necnon irritantia et alia decreta in se continentes, et sub quibuscumque verborum formis ac expressionibus conceptas derogari nullatenus posse, nec derogatum censeri, nisi earumdem praesentium tenor de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, ac urgens et sufficiens causa expressa, et per trinas distinctas litteras illarum tenorem continentes, tribus distinctis vicibus, cum trium mensium intervallo, praedictae universitati legitime intimata et insinuata, ac derogationes ipsae motu et scientiâ similibus factae fuerint, appareatque Romanum Pontificem illis expresse derogare voluisse; et alias pro tempore factas derogationes nullius roboris vel momenti fore, et nemini suffragari, ac pro infectis et non concessis haberi debere; ipsasque praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu, ex quavis causâ notari, impugnari, vel invalidari, aut ad terminos iuris reduci, seu in ius, vel controversiam revocari, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, minime comprehendi posse, sed semper

1 Forsan legendum *concessis* (R. T.)

ab illis exceptas, et quoties emanabunt, toties in pristinum, et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub datâ per dictam universitatem eligendâ, concessas esse: sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam sacri palatii apostolici causarum auditores, seu S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 29. Non obstante felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, itidem praedecessoris nostris, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis, ultra unam dietam, a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedictâ deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerunt, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeant vel praesumant, et in concilio generali editâ de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis inhibitionibus, etiam ab ipsis auditoribus, seu cardinalibus, vel eorum aliquo, vigore quarumcumque commissionum, seu litterarum apostolicarum, quoad beneficia per obitum tantum in mensibus facultati artium assignatis vacantia superius non excepta, iam forsan emanatis et in posterum emanandis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, universitatum, provinciarum, regionum, civitatum, oppidorum et locorum quorumcumque (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, ac quibusvis archiepiscopis, episcopis, Ordinariis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, et quibusvis aliis personis, quacumque dignitate praeditis, necnon capitulis, collegiis, conventibus, communitatibus, et universitatibus studiorum etiam generalium, necnon locis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, per nos seu quoscumque Romanos Pontifices, aut Sedem praedictam, in genere vel in specie, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, archiducum, ducum, vel aliorum principum instantiam, seu etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, vel aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent,[1] illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium publicatio facienda, fidesque transumptis adhibenda.

§ 30. Volumus autem, quod eaedem praesentes litterae affigi, et per aliquod temporis spatium dimitti debeant in valvis ecclesiae maioris Leodiensis, ac ecclesiarum collegiatarum Traiectensis ad Mosam et Tongrensis oppidorum, dimissâque deinde illarum copiâ, seu transumpto per

1 Subde: *praesentibus pro expressis habentes,* (R. T.).

notarium publicum collationato, concordato et subscripto, affixâ seu affixo; quodque affixio sic facta habeat vim validae et efficacis apostolicae inhibitionis contra omnes et quoscumque collatores, cuiuscumque qualitatis, gradus et conditionis existentes, etiamsi capitula, conventus et monasteria, tam virorum quam mulierum, praelati, et quicumque alii collatores sint quomodolibet qualificati, arctetque illos et illa, ac afficiat, perinde ac si cuilibet collatori, tam coniunctim et collegialiter ac conventualiter, quam divisim et in solidum personaliter intimatae et notificatae legitime fuissent.

Clausulae poenales.

§ 31. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum absolutionis, ordinationis, decretorum, abrogationis, sublationis, revocationum, immutationis, extinctionis, concessionis, declarationum, reservationis, annullationis, vel voluntatum, augmenti, confirmationis, approbationis, mandati, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXVI, kalendis decembris, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 1 decembris 1616, pontif. an. XII.

CCLXXXV.

Confirmatio nonnullarum constitutionum, seu ordinationum, a fratribus Eremitis sancti Augustini congregationis Siciliae, pro feliciori eiusdem gubernio, editarum; necnon approbatio unionis ipsius congregationis praedicto Ordini antea factae[1].

1 Horum fratrum materiam vide in Const. XXIX Alexandr. IV *Licet*, tom. III, pag. 635.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

De anno MDLXXXI unita fuit Ordini Eremitarum sancti Augustini congregatio Siciliae eiusdem Ordinis ab eius vicario generali apostolico.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Antonius de Castroiane, et Paulus de sancto Philippo, Eremitae congregationis Siciliae, Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, quod aliàs quondam Thadaeus Perusinus, tunc Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini huiusmodi vicarius generalis apostolicus, eamdem congregationem praedicto Ordini univit et incorporavit, prout in patentibus litteris dicti Thadaei, sub die I aprilis anni MDLXXXI desuper expeditis, plenius dicitur contineri.

Subinde dictae congregationis nonnullas ordinationes pro feliciori gubernio edidit pro ut infra.

§ 2. Subinde vero Eremitae praedicti, prospero eiusdem congregationis regimini et felici statui consulere cupientes, infrascriptas ordinationes in praedictâ congregatione hactenus observatas, et quas de cetero observare intendunt, fecerunt, tenoris subsequentis, videlicet:

De his quae tenentur observare fratres professi in dicta congregatione.

§ 3. Congregatio ipsa et fratres in illâ professi, omnibus legibus, ordinationibus, quae in universo Ordine observantur, subiecti sint et inviolabiliter observent.

De privilegiis immunitatibus, etc.

§ 4. Quod fratres congregationis omnibus privilegiis, immunitatibus, indulgentiis et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, Ordini Eremitarum sancti Augustini concessis, et in posterum concedendis, fruantur et potiantur, dummodo sint in usu, neque sacris canonibus, aut Concilii Tridentini decretis repugnent.

De receptione ac fundatione novorum locorum.

§ 5. Quod possint nova loca recipere, et conventus fundare, tam in regno Siciliae, quam per totam Italiam, servatis tamen decretis et constitutionibus apostolicis, et de licentiâ prioris generalis et Ordinariorum locorum.

De vicario generali congregationis.

§ 6. Quod congregatio gubernetur per vicarium generalem, in capitulo congregationis ab iisdem fratribus eligendum, qui nullius superioris regularis iurisdictioni subiaceat, sed tantum priori generali sit immediate subiectus.

De auctoritate et iurisdictione vicarii generalis super totam congregationem.

§ 7. Quod vicarius electus habeat eamdem auctoritatem et iurisdictionem super totam congregationem, quam habent singuli provinciales in suâ provinciâ.

De confirmatione vicarii generalis.

§ 8. Quod vicarius generalis electus legittime et canonice absque repulsâ a priore generali confirmari debeat, et vicarius eligi semper debeat unus ex congregatione, qui eius vitae asperitatem profiteatur.

De facultate congregationis eligendi vicarium generalem.

§ 9. Quod prior generalis facultatem, quam habet congregatio eligendi vicarium, inviolatam conservet, neque in capitulo generali aliquid innovetur, quod ad substantiam dictae facultatis eligendi pertineat, nisi prius consultâ Sede Apostolicâ, ad quam fratres, ubi se gravatos senserint, recursum habere poterunt.

De exercitiis corporalibus fratrum.

§ 10. Quod horis, quibus vacant ab exercitiis spiritualibus, corporalibus exercitiis incumbant, intra tamen monasterii septa, et prout decet viros religiosos, pro vitae sustentatione; quae sunt arte elaborata, vendantur ab aliquo converso, seu laico, cui prior iniunxerit; et pretium in commune redigatur.

De transitu ad alias congregationes, et de receptione fratrum Ordinis ad hanc congregationem.

§ 11. Quod nullus frater congregationis possit ad alias congregationes eiusdem Ordinis transire, sine licentiâ prioris generalis; et quod in congregatione nullus frater Ordinis recipiatur, qui eamdem vitae asperitatem profiteri nolit per capitulum conventus approbandus.

De facultate prioris Ordinis visitandi congregationem.

§ 12. Quod prior generalis pro tempore existens congregationem et eius conventus per se vel per aliam personam visitare possit.

De ieiuniis.

§ 13. Quod fratres congregationis, praeter dies ab Ecclesiâ ordinatos, ieiunent quartâ et sextâ feriâ, exceptis diebus festis Paschatis, Pentecostes, et Nativitatis Domini, S. P. Augustini, et Omniumsanctorum.

De his qui ieiunare non possunt.

§ 14. Quod si quis ob aliquam causam ieiunare non poterit, a carnibus, ovis et lacticiniis abstineat, nisi superiori conventus de consilio medici aliter videatur.

De locis eremitoriis longe a civitatibus construendis.

§ 15. Quod loca eremitoria, in quibus fratres habitant, sint ad minus per unum milliare distantia a civitatibus, oppidis, vel aliis locis habitatis.

De vestibus.

§ 16. In vestibus, tam intraneis quam extraneis, servetur omnimoda uniformitas, ita tamen, ut semper fiant ex vilioribus quae in locis, ubi fuerint monasteria, reperiuntur, etc.

De victu et aliis praestandis priori generali visitanti, aut alteri de eius mandato.

§ 17. Quod prior generalis, sive visitator ab eo missus, praeter victum quotidianum, nihil ultra petere vel recipere possit, exceptis tarenis duodecim, qui priori generali singulo quoque anno exhibentur pro suâ collectâ, etc.

Postea instituerunt Pontificem ut praedicta approbaret.

§ 18. Cum autem (sicut eadem expositio subiungebat) Eremitae praedicti plurimum cupiant, tam unionem quam ordinationes huiusmodi, pro maiori eorum validitate et subsistentiâ, apostolicae confirmationis robore communiri: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Qui unionem ac ordinationes praeinsertas confirmat, prohibendo, quominus nova loca extra regnum Siciliae absque Sedis Apostolicae expressâ licentia recipiantur.

§ 19. Nos, Eremitas praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, unionem et ordinationes huiusmodi (ita tamen ut Eremitae praedicti nova loca extra regnum Siciliae absque expressâ Sedis Apostolicae licentiâ fundare vel accipere nullatenus possint) apostolicâ

auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Defectus supplet.

§ 20. Ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas praeservativas cum decreto irritanti superaddit.

§ 21. Decernentes, praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis praefatae congregationis Eremitis, et aliis ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 22. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV ianuarii MDCXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 25 ianuarii 1617, pontif. anno XII.

CCLXXXVI.

Congregatio fratrum Ioannis Dei in Italia pridem instituta, et hospitalia Germaniae, Galliae et Poloniae in veram religionem eriguntur sub tribus votis substantialibus, et quarto de iurandis infirmis, sub regulâ sancti Augustini[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex circa sacrarum religionum et congregationum ac etiam hospitalium et aliorum piorum locorum salubrem directionem et felicem progressum ex demandatae sibi apostolicae servitutis officio intentus, ea, quae desuper a praedecessoribus suis facta comperit, partim approbat et confirmat, partim vero aliis iustis ita suadentibus causis alterat et immutat, aliasque officii sui partes interponit, prout rerum, locorum, temporum et personarum qualitate pensatâ, conspicit salubriter in Domino expedire.

Clemens VIII primum hospitalia congregationis Italiae locorum Ordinariis subiecit.

§ 1. Aliàs siquidem, cum pridem congregatio Ioannis Dei, in Urbe ac diversis Italiae partibus apostolicâ auctoritate recepta et confirmata, cuius confratres pauperes infirmos, graviterque laborantes hospitio suscipere, eisque inservire consueverunt, valde aucta esset, illique diversa privilegia et indulta ab Apostolicâ Sede, Romanisque Pontificibus praedecessoribus nostris (praesertim, quod per unum ex ipsis confratribus maiorem nuncupatum congregatio ipsa regeretur, quodque ab Ordinariis locorum exempti essent, atque illius religiosi professionem emittere, ac ad sacros ordines promoveri possent) concessa fuissent; felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster (accepto, quod eiusdem congregationis confratres a primaevo suo instituto paulatim recedebant, ac opus hospitalitatis eorum pauperum infirmorum, cui in primis incumbere tenebantur, intermittebatur, et multi confratrum litterarum studiis intendebant, et sacris ordinibus initiari, ut a servitio hospitalium excusarentur, procurabant, per suas sub die XII februarii MDXCII in simili formâ Brevis expeditas litteras statuit et ordinavit[1], quod omnes et singuli confratres praedicti locorum Ordinariis subesse deberent, quodque ab hospitalibus, in quibus professionem eatenus quilibet emisisset, nunquam amoveretur, nisi ob incorrigibilitatem, ac de Ordinariorum, quibus dicta hospitalia subessent, licentiâ[2], nec etiam transferrentur de uno hospitali ad

1 De institutione et toto statu horum fratrum Ioannis Dei vide Const. CXCIV Pii V *Licet* in h. n. edit. CCXIV in tom. VII, pag. 959

1 Huiusmodi litterae in *Bullario* non sunt (R. T.).
2 Hanc vocem *licentiâ* nos addimus (R. T.).

aliud, nisi pariter de Ordinariorum licentiâ, ac tam hospitalis a quo, quam Ordinarii ad quem transferrentur[1], ac de cetero votum tantum inserviendi ipsis hospitalibus sub praedictâ Ordinarii obedientiâ emitterent. Subinde vero, cum experientiâ compertum fuisset, congregationis praedictae hospitalia et loca pia in Italia existentia sic ad invicem separata, et alicuius communis superioris, qui ea, eorumque confratres ad primaevi instituti observantiam restitueret et eosdem in ipsâ conservaret, regimine destituta, gravia incommoda et damna passa fuisse, et in dies pati, ita ut, nisi de aliquâ regiminis formâ eis provideretur, facile evenire posset, ut Congregatio ipsa in totum extingueretur et corrueret; dictus Clemens praedecessor per alias similes suas sub die IX septembris MDXCVI expeditas litteras[2], eidem Congregationi Ioannis Dei, et[3] singulis eius hospitalibus et locis in Italia iam receptis et in futurum recipiendis, eorumque confratribus et personis tunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, gratiis, facultatibus, indultis et indulgentiis a felicis recordationis Pio V., Gregorio XIII et Sixto V, aliisque Romanis Pontificibus, Congregationis hospitalibus et locis Hispaniarum, ac hospitali sancti Ioannis Calabitae in insulâ sancti Bartholomaei de Urbe eiusdem Congregationis Ioannis Dei, in genere vel in specie concessis et confirmatis (citra tamen facultatem professionem emittendi et sacros ordines suscipiendi, et citra exemptionem a iurisdictione Ordinariorum locorum, quibus eos omnino subesse voluit) perpetuo uti, frui, potiri et gaudere in omnibus et per omnia possent et valerent, perinde ac si ipsis nominatim et aeque principaliter concessa fuissent: ita tamen, ut confratres in quocumque Italiae loco iam recepti statim et deinceps recipiendi in Congregatione praedictâ debito tempore votum inserviendi eorum hospitalibus sub Ordinarii loci obedientiâ in manibus eiusdem Ordinarii aut maioris confratris emittere, ac hospitalitatem pro iis infirmis, quos recipere et curare consueverant, quatenus fieri potuisset, exercere, tenerentur; utque unus confrater in maiorem ab omnibus prioribus quorumcumque hospitalium et locorum dictae Congregationis in Italia existentium Romae in hospitali sancti Ioannis Calabitae praedicto per secreta suffragia maioris partis vocalium eligeretur, cuius officium ad sexennium tantum durare deberet, ita ut, finito sexennio, iterum eligi, aut confirmari, nisi lapso altero sexennio, minime posset; duo item consiliarii et duo visitatores in eodem loco, ac eisdem modo et formâ eligerentur, quorum consiliariorum et visitatorum, nec non etiam singulorum priorum officium ad triennium tantum duraret, et, finito dicto triennio, ad idem officium nemo posset iterum eligi, vel in eo confirmari, nisi alterum triennium intercederet. Praeterea, quod confratres huius Congregationis sacerdotes aut in sacris ordinibus constituti esse non possent, nec ad huiusmodi sacros ordines promoveri valerent, sed iuxta primaevum eorum institutum in simplicitate pauperibus infirmis, ut praefertur, inservire deberent, etiam statuit et ordinavit.

Deinde ad reparandam regularem disciplinam,

Privilegia congregationis Hispaniae eisdem concessit.

Aliqui statuit, prohibens, quominus confratres ad sacros ordines promoverentur.

§ 2. Et subinde, pro parte confratrum eius Congregationis nobis exposito, quod omnes domus regulares Congregationis praedictae magna incommoda et damna patiebantur, ex eo quod confratribus praedictis ascensus ad sacros ordines, ut praefertur, interdictus esset:

Confratres ad Paulum Papa V super ultimo decreto recursum habuerunt.

§ 3. Nos, supplicationibus eorumdem confratrum nobis humiliter porrectis inclinati, per similes nostras sub die primâ

Qui unum ex eis sacris initiari posse concessit.

1 Edit. Main. legit *transferretur* (R. T.).
2 Quae habentur in *Bull.* tom. X, p. 296 (R. T.).
3 Edit. Main. legit *ut* (R. T.).

iulii MDCIX expeditas litteras[1] quod in qualibet domo dictae Congregationis unus confrater dumtaxat arbitrio tunc pro tempore existentis eiusdem Congregationis apud nos et Apostolicam Sedem protectoris ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines a suo Ordinario, vel, de eius licentiâ, a quocumque maluisset catholico antistite gratiam et communionem praedictae Sedis habente, ad titulum hospitalitatis huiusmodi promoveri, et promotus in illis etiam in altaris ministerio ministrare, modo tamen, praevio diligenti examine, ad hoc idoneus repertus foret, neque aliud ei obstaret canonicum impedimentum, et ante sex annos saltem Congregationis huiusmodi regulam professus fuisset, libere et licite valeret, apostolicâ auctoritate licentiam concessimus et indulsimus, utque sic promoti nullum officium, munus aut administrationem in dictâ Congregatione gerere aut exercere possent, sed missis celebrandis aut sacramentis ministrandis tantummodo vacare deberent; et si eorum aliquem, suis ita exigentibus demeritis, dictae Congregationis habitu postea privari contigisset, ipso facto et absque ullâ declaratione ab ordinum huiusmodi exercitio statim suspensus esset et esse censeretur, eâdem auctoritate statuimus, et aliàs, prout in dicti Clementis praedecessoris, et nostris litteris praedictis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Et modo eadem congregationis Italiae in religionem erigit sub tribus votis substantialibus, et quarto de iuvandis infirmis sub regula sancti Augustini et iurisdictione Ordinariorum.

§ 4. Cum autem, sicut dilecti filii frater maior, ac consiliarii, provinciales[2] et priores eiusdem Congregationis Italiae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro feliciori eiusdem Congregationis statu atque directione, ac etiam ut Congregatio ipsa maioribus in dies ad divini numinis laudem et gloriam, pauperumque infirmorum solamen atque subsidium, proficiat incrementis, ad emissionem trium votorum substantialium religionis, ultra quartum de iuvandis infirmis huiusmodi, per nos admitti, et ut infra sibi indulgeri, ac aliàs statui et ordinari summopere desiderent; nos, qui similia opera pia et meritoria Deo accepta ministerio nostri pastoralis officii libenter promovemus, piis fratris maioris ac consiliariorum, provincialium et patrum praedictorum votis benigne annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, quibus huiusmodi negotium diligenter examinandum et nobis referendum commisimus, consilio, et nobis attributae potestatis plenitudine, praesentium tenore[1], perpetuo statuimus et ordinamus, ut, quotquot imposterum ipsam Congregationem Italiae nuncupatam ingredi voluerint, anno probationis expleto, ac aliàs iuxta sacrorum canonum et decretorum eiusdem Concilii Tridentini praescriptum, tria vota substantialia obedientiae, castitatis et paupertatis, ac praeterea quartum de iuvandis infirmis in suorum superiorum manibus solemniter emittere, vel a Congregatione praedictâ eiici debeant: qui vero in eâdem Congregatione ad praesens reperiuntur, ad vota, ut praefertur, emittenda minime cogi possint, sed sit in cuiusque optione, aut vota huiusmodi emittere, aut cum

1 Quas vide in tom. XI, pag. 570 (R. T.).
2 Edit. Main. legit *provinciale* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *tenores* (R. T.).

priori voto de infirmis iuvandis in dictâ Congregatione perseverare; huiusmodi autem personas, quae elapso probationis anno quatuor vota praedicta solemniter emiserint, vere ac proprie religiosos, ac proprios et veros regulares esse, ac pro talibus ab universis christifidelibus habendos et recipiendos, illamque veram et propriam sub regulâ sancti Augustini religionem esse, ac inter reliquas Ecclesiae Catholicae religiones sine cuiusque praeiudicio esse connumerandam, eamque, ac eius tam in Italia quam sub iurisdictione fratris maioris praedictae Congregationis in Germania, Gallia, et Polonia erecta et de cetero erigenda hospitalia, quae sub eâdem Congregatione Italiae comprehenduntur, iurisdictioni Ordinariorum perpetuo subesse debere, salvâ tamen illius apud nos et Apostolicam Sedem protectoris, iuxta illius facultates, ac fratris maioris pro tempore existentium auctoritate et iurisdictione.

Consiliariorum officium ad sexennium durare statuit.

§ 5. Praeterea, quod consiliariorum praedictorum, tam in capitulo generali ultimo celebrato electorum, quam de cetero eligendorum officium ad sexennium duret, et finito sexennio huiusmodi ad idem officium nemo possit iterum eligi, vel in eo confirmari, nisi alterum sexennium intercedat, salvis aliàs et illaesis remanentibus in omnibus et per omnia tam Clementis praedecessoris, quam nostris litteris praedictis.

Clausulas praeservativas, et decretum irritans apponit.

§ 6. Praesentes vero litteras, et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore de nullitatis vitio notari, impugnari aut in ius vel controversiam revocari posse, sed semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis autoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Contrariisque derogat.

§ 7. Non obstantibus institutionibus hospitalium et locorum huiusmodi, necnon apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII februarii MDCXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 13 februarii 1617, pontif. an. XII.

CCLXXXVII.

Erectio Congregationis clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum ad pauperes scholares pie et absque ullo praemio docendos et erudiendos [1].

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad ea, per quae christifideles piis moribus et doctrinâ mature imbuantur, sollicitae considerationis dirigentes intuitum,

1 Hoc opus erudiendi et docendi pauperes scholares demandaverat hic idem Paulus Congregationi clericorum secularium B. Mariae, supra in Const. CCXLII, pag. 242.

ea, quae proinde interdum facta sunt, iustis ita suadentibus causis, immutamus, ac aliàs, ut pium et maxime laudabile opus pauperes erudiendi et instituendi huiusmodi in dies magis ad Dei gloriam promoveatur, officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout personarum et temporum qualitatibus pensatis conspicimus salubriter in Domino expedire.

Hic Pontifex regimen scholarum piarum in Urbe erectarum et erigendarum delegavit congregationi clericorum secularium beatae Mariae in constitutione citatà in rubricà.

§ 1. Aliàs siquidem, cum accepissemus, quod opus scholarum piarum, a nobis in Urbe nostrà ad pauperes erudiendos et instituendos erectarum, uberes fructus ferebat, nos felici eiusdem operis progressui consultum esse cupientes, curam, regimen et administrationem dictarum in Urbe erectarum, et aliarum piarum scholarum pro tempore erigendarum, dilectis filiis praeposito generali et clericis secularibus Congregationis beatae Mariae cum certis tunc expressis conventionibus inter eos et dilectum etiam filium praefectum scholarum huiusmodi, de consensu venerabilis fratris nostri Benedicti episcopi Praenestini cardinalis Iustiniani nuncupati, earumdem scholarum protectoris, initis, commisimus et demandavimus, et aliàs prout in nostris desuper in simili formà Brevis sub die quartà ianuarii MDCXIV expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur[1].

Iis secularibus curis se abdicare nolentibus, irritat Paulus praecedentes litteras.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, clerici seculares praefati bonorum stabilium possessione se abdicari nolint, propterea quod aliis muneribus et exercitiis iuxta regularia eiusdem Congregationis instituta, apostolicà auctoritate confirmata, ne vacent, impediri se sentiant, et huiusmodi exercitiis potius operam dare, quam praedictas scholas regere malint, nos, ne tam pium ac praesertim pauperum liberorum christianae educationi et eruditioni proficuum opus aliquod propterea detrimentum patiatur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio et ex certà scientià, ac maturà deliberatione nostris, litteras nostras praedictas, omniaque et singula in illis contenta, apostolicà auctoritate, tenore praesentium, revocamus, cassamus et annullamus, ac revocatas, cassatas et annullatas, nulliusque roboris vel momenti esse et fore, decernimus et declaramus.

Congregationemque specialem, pauperum Matris Dei nuncupandam, et ab uno praefecto regendam erigit, ut hic, et non ultra viginti milliaria ab Urbe voluit extendi.

§ 3. Praeterea in domo earumdem scholarum Urbis praedictae unam congregationem scholarum piarum ab uno praefecto regendam et gubernandam, quae de cetero perpetuis futuris temporibus Paulina pauperum Matris Dei scholarum piarum nuncupari, nec ultra viginti ab Urbe milliaria extendi, neque ullum locum, in quo scholae piae non sint, domibus novitiorum exceptis, habere et qui eidem congregationi nomen dare voluerint, finitis duobus probationis annis, omnes, tam ad sacros etiam presbyteratus ordines promoti et clericali caractere dumtaxat insigniti, quam fratres operarii, tria simplicia vota paupertatis videlicet, ac castitatis et obedientiae, super quibus a nemine, praeterquam a Romano Pontifice pro tempore existente dispensari possint, emittere, ac gratis, et nullo stipendio, mercede, salario, aut honorario accipiendo, ad[1] pueros in primis elementis, grammaticà, computo, ac praecipue in fidei catholicae rudimentis erudiendos, bonis et piis moribus imbuendos, ac demum christiano more educandos operam, laborem ac studium conferre debeant, sine alicuius praeiudicio, de novo erigimus et instituimus; ita videlicet, quod qui simplex paupertatis votum, ut praefertur, emiserint, quamdiu in praedictà congregatione permanserint, cuiuscumque dominii, iuris et proprietatis incapaces sint, idemque paupertatis votum summam in iis paupertatem inducat, tam

1 Vide locum cit. in notà ad rubricam (R. T.).

1 Vocem *ad* nos addidimus (R. T.).

in particulari, quam in communi, ita ut nihil omnino iuris habeant, sed nec habere aut acquirere quovis titulo possint, in bonis, seu ad bona, quae vocantur immobilia, vel quae pro immobilibus habentur; huic vero paupertati omnia ad eorum usum pertinentia, cibos, vestes, suppellectilem, tam sacram quam profanam statui et instituto convenientia, domos vero, hortos contiguos domibus, ecclesias, sacristias, oratoria, ac scholas, et huiusmodi immobilia, quae pariter usui eorum destinantur, similiter convenientia, ut praefertur, et praeterea in dominio Romani Pontificis pro tempore existentis, mobilia vero in dominio ipsorum, in communi tamen esse debere, similiter decernimus et declaramus. Dictarum vero in Urbe et extra eam infra viginti milliaria erectarum et pro tempore erigendarum piarum scholarum et congregationis praedictae sic erectae praefecturam, curam, regimen et administrationem dilecto filio Iosepho Calasantio, scholarum praedictarum nunc praefecto, ad nostrum beneplacitum committimus et demandamus, ita quod liceat Iosepho et congregationi huiusmodi, earumdem et aliarum scholarum huiusmodi, simul atque erectae fuerint, bonorum corporalem, realem et actualem possessionem, praesentium vigore, capere et apprehendere, et illa in scholarum praedictarum beneficium possidere. Insuper duodecim eiusdem congregationis clericis, qui votum paupertatis, ut praefertur, emiserint, ut, arbitrio nunc et pro tempore existentis apud nos et Sedem Apostolicam earumdem scholarum protectoris, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines a quocumque maluerint catholico antistite gratiam et communionem eiusdem Sedis habente ad titulum paupertatis huiusmodi promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare, dummodo tamen ad hoc idonei reperti fuerint, neque aliud illis canonicum obstet impedimentum, possint[1]; ita tamen, quod si ex dictâ congregatione exire, sive emitti contigerit, tamdiu suspensi ab exequutione ordinum susceptorum remaneant, quamdiu in redditibus tantum habuerint, quantum ad congruum eorum sustentationem sufficiat.

Eidem congregationi facultatem tribuit constitutioni pro eius regimine, condendi et immutandi.

§ 4. Insuper Iosepho et Congregationi huiusmodi de consensu dicti Benedicti episcopi et cardinalis, ac pro tempore existentis protectoris, ut pro felici Congregationis praedictae, illiusque domorum et scholarum regimine, quaecumque statuta, capitula, ordines et decreta necessaria et opportuna, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non contraria, per Apostolicam Sedem approbanda et confirmanda facere et edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur et expediens fuerit, praeviâ simili approbatione et confirmatione, mutare, alterare, corrigere et in melius reformare libere et licite valeant, auctoritate et tenore paribus, concedimus et indulgemus.

Decretum, quod haec bullae perpetuo duret.

§ 5. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac praefecto, eiusque sociis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Decretum irritans.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus litteris nostris praedictis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam

1 Vocem *possint* nos addimus (R. T.).

Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI martii MDCXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 6 martii 1617, pontif. an. XII.

CCLXXXVIII.

Quod fratres Minores Conventuales Ordinis sancti Francisci semel in mense, primâ die non impeditâ alio festo novem lectionum, officium de ipso sancto Francisco, prout recitatur in die festo eiusdem, recitare possint et valeant.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Domini nostri Iesu Christi, qui confessores suos aeternae gloriae praemio donat in caelis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex iniuncti nobis pastoralis officii debito, ut eorumdem Christi confessorum nomen amplioribus in dies honoribus decoretur, libenter procuramus, et christifidelium praesertim sub piis illorum institutis Deo militantium, quae peculiarem erga illos cultum respiciunt, votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Supplicatio facta Pontifici. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius frater Bonaventura a Carpanzano procurator generalis Ordinis fratrum Minorum Conventualium a sancto Francisco ad decorem et utilitatem domus Dei universae fundati, nobis nuper exponi fecit, fratres dicti Ordinis pro singulari quem erga dictum S. Franciscum eiusdem Ordinis, ut praefertur, fundatorem, gerunt devotionis affectu, officium de eodem sancto Francisco, ut infra, recitare posse summopere desiderent;

Concessio de qua in rubrica. § 2. Nos, piis eorumdem fratrum desideriis in praemissis benigne annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Bonaventurae nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, eisdem fratribus Minoribus Conventualibus, ut officium de eodem sancto Francisco semel in mense, primâ die non impeditâ alio festo novem lectionum, prout ab ipsis recitatur in die festo eiusdem sancti Francisci, recitare libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem perpetuo concedimus et impertimur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX martii MDCXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 20 martii 1617, pontif. an. XII.

CCLXXXIX.

Confirmatio constitutionum religionis fratrum Ioannis Dei Ordinis sancti Augustini.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Ea, quae pro Congregationum in Ecclesiâ Dei, ad illius laudem et gloriam, pauperumque solamen atque subsidium provide sancteque institutarum, felici di- Prooemium.

1 Franciscum Sanctorum catalogo adscripsit Greg. X in sua Const. XII *Mira*, tom. III, pagina 438; eiusque festum sub ritu duplici servari iussit postea Sixtus IV in Const. IV *Praeclara* (in h. n. edit. V, tom. V, pag. 209).

rectione ac guberrio ab eorum superioribus in capitulis generalibus facta et ordinata fuisse dicuntur, ut firma et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis robore communimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Isti fratres condiderunt nonnullas constitutiones pro congregationis regimine in capitulo generali.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii frater maior et consiliarii Congregationis Ioannis Dei Italiae, quod in capitulo generali eiusdem Congregationis in illius hospitali sancti Ioannis Calabitae de Urbe novissime celebrato, quaedam constitutiones seu statuta, prosperum ipsius Congregationis statum ac regimen concernentia, edita et facta fuerunt.

Quas supplicant Pontificem ut confirmare dignetur.

§ 2. Quae, pro maiori eorum firmitate et observantiâ, apostolicae confirmationis robore communiri plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Qui modo eas approbat et confirmat.

§ 3. Nos igitur, fratrem maiorem ac consiliarios praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos[1] fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones seu statuta huiusmodi, dummodo sint in usu, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, nostrisque et Romanorum Pontificum praedecessorum constitutionibus, regularibusque dictae Congregationis institutis non adversentur, nec revocata aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis et apostolicae firmitatis robur adiicimus.

1 Aptius legeretur *absolutas* (R. T.).

Suppletque defectus.

§ 4. Ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Ac eas servari mandat in congregatione.

§ 5. Ac constitutiones seu statuta huiusmodi in eâdem congregatione perpetuo observari;

Ita et non aliter iudicari decernit.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contraria tollit.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XV aprilis MDCXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 15 aprilis 1617, pontif. an. XII.

CCXC.

Confirmatio quorumdam statutorum universitatis studii generalis Viennensis[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supereminenti Apostolicae Sedis speculâ, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, et attente considerantes quantum a litterarum studiis catholica fides augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur, et iustitia colatur, ad ea, per quae studia huiusmodi felicia in dies suscipiant incrementa, sedulo intendimus, ac officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout pia catholicorum principum vota id exposcunt, ac aliàs conspicimus salubriter in Domino expedire.

Matthias imperator refert statuta edita

§ 1. Sane, charissimi in Christo filii nostri Matthiae Romanorum regis in im-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

pro presbyteris Societatis Iesu lectoris philosophiam in universitate Viennensi.

peratorem electi nomine nobis nuper expositum fuit, quod, cum, pro felici studiorum philosophiae in gymnasio universitatis studii generalis Viennensis directione, praeter theologiam, philosophia etiam in eodem gymnasio per presbyteros Societatis Iesu de cetero doceri debeat, religiosi Societatis praedictae docere debebunt philosophiam, et idcirco abstinebuntur ab eâ docendâ in suis scholis. Et licet olim plures ex dictâ Societate quam duo professores theologici ad facultates universitatis non admitterentur, nihilominus, praeter duos religiosos theologiae professores, qui philosophiam docturi sunt, tres ex iisdem religiosis ad facultatem philosophicam, tamdiu quam lecturi sunt, et non amplius, admittentur, ita ut semper quinque de Societate praedictâ et non plures nec pauciores universitatis membra censeantur; assignabunturque in perpetuùm praedictis religiosis tres professurae, in philosophià nempe, logica, sive organum Aristotelis, et philosophia primaria[1]: et hoc quidem ita, ut logicus absolutâ logicâ ad philosophiam et metaphysicam transeat; tum alius, qui logicam incipiat, succedat: et sic semper tres professores philosophiae ex religiosis et tres cursus simul in universitate ab ipsis edoceantur eo modo quo hactenus in ipsorum collegio docere consueverunt. Ut autem haec successio ita commode continuari possit, professor logicus logicam et quatuor libros primos physicorum intra biennium pro bacalaureandis; philosophi vero reliquos quatuor libros physicorum, libros de generatione et corruptione, de caelo, meteorâ, libros de animâ, metaphysicam intra idem tempus pro magistrandis absolvent. Quique de Societate philosophiam in universitate profitebuntur se in omnibus statutis universitatis et facultatis conformes reddent, eruntque promoti magistri, et actum repetitionis, per quem et non secus ad facultatem admittentur, infallibiliter observabunt. Quia vero religiosi in universitate docturi perpetui a consiliis facultatis non erunt, ne subinde succedentes religiosi professores de Societate semper ultimum locum in facultate obtinere cogantur, assignabitur illis locus post decanum et seniorem facultatis, isque perpetuus. Et quamvis alii magistri ad consilia petentes facultati duos florenos et quatuor solidos numerare debeant, et promoti magistri non admittantur nisi biennio post promotionem expleto, utrumque tamen religiosis remittitur, cum hoc, ut statim post actum repetitionis facultatis membra censeantur, ita tamen, ut nullis oneribus et officiis facultatis et consistorii graventur, sed solum publicis universitatis actibus et processionibus interesse debeant, quibus alii professores universitatis intersunt, et ad examina ordinandorum. Praeterea, cum facultatis[1] philosophiae antiquissima statuta velint, ut baccalaureandi et magistrandi ad examen admittantur, et[2] coram facultate testimonia inscriptionis, item auditarum lectionum a professoribus ordinariis, et vitae honeste transactae producant, alia tamen ratio cum alumnis et convictoribus apud religiosos Societatis Iesu habebitur: nam religiosorum praedictorum testimonia pro promotione obtinendâ sufficient. Quapropter, cum alumni et convictores ad baccalaureatus et magisterii gradus aspiraverint, religiosi philosophiam profitentes audire tenebuntur, celeri autem religiosorum discipuli et paedagogi, qui extra convictum et alumnatum censentur, praedictos gradus assequi in universitate non poterunt, nisi binis quoque aliorum professorum lectionibus ingenuissime operam navarint. Circa sub-

1 Hic et postea tres professurae non satis distinctae videntur (R. T.).

1 Edit. Main. habet *facultates* (R. T.).
2 Connect. *et* nos ad finem (R. T.).

rectione ac gubernio ab eorum superioribus in capitulis generalibus facta et ordinata fuisse dicuntur, ut firma et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis robore communimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Isti fratres condiderunt nonnullas constitutiones pro congregationis regimine in capitulo generali.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii frater maior et consiliarii Congregationis Ioannis Dei Italiae, quod in capitulo generali eiusdem Congregationis in illius hospitali sancti Ioannis Calabitae de Urbe novissime celebrato, quaedam constitutiones seu statuta, prosperum ipsius Congregationis statum ac regimen concernentia, edita et facta fuerunt.

Quas supplicant Pontificem ut confirmare dignetur.

§ 2. Quae, pro maiori eorum firmitate et observantiâ, apostolicae confirmationis robore communiri plurimum desiderant. Nobis proptérea humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Qui modo eas approbat et confirmat.

§ 3. Nos igitur, fratrem maiorem ac consiliarios praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos[1] fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones seu statuta huiusmodi, dummodo sint in usu, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, nostrisque et Romanorum Pontificum praedecessorum constitutionibus, regularibusque dictae Congregationis institutis non adversentur, nec revocata aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis et apostolicae firmitatis robur adiicimus.

1 Aptius legeretur *absolutas* (R. T.).

Suppletque defectus.

§ 4. Ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Ac eas servari mandat in congregatione.

§ 5. Ac constitutiones seu statuta huiusmodi in eâdem congregatione perpetuo observari;

Ita et non aliter iudicari decernit.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contraria tollit.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XV aprilis MDCXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 15 aprilis 1617, pontif. an. XII.

CCXC.

Confirmatio quorumdam statutorum universitatis studii generalis Viennensis[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supereminenti Apostolicae Sedis speculâ, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, et attente considerantes quantum a litterarum studiis catholica fides augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur, et iustitia colatur, ad ea, per quae studia huiusmodi felicia in dies suscipiant incrementa, sedulo intendimus, ac officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout pia catholicorum principum vota id exposcunt, ac aliâs conspicimus salubriter in Domino expedire.

Matthias imperator refert statuta edita

§ 1. Sane, charissimi in Christo filii nostri Matthiae Romanorum regis in im-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

pro presbyteris Societatis Iesu lectoris philosophiam in universitate Viennensi.

peratorem electi nomine nobis nuper expositum fuit, quod, cum, pro felici studiorum philosophiae in gymnasio universitatis studii generalis Viennensis directione, praeter theologiam, philosophia etiam in eodem gymnasio per presbyteros Societatis Iesu de cetero doceri debeat, religiosi Societatis praedictae docere debebunt philosophiam, et idcirco abstinebuntur ab eâ docendâ in suis scholis. Et licet olim plures ex dictâ Societate quam duo professores theologici ad facultates universitatis non admitterentur, nihilominus, praeter duos religiosos theologiae professores, qui philosophiam docturi sunt, tres ex iisdem religiosis ad facultatem philosophicam, tamdiu quam lecturi sunt, et non amplius, admittentur, ita ut semper quinque de Societate praedictâ et non plures nec pauciores universitatis membra censeantur; assignabunturque in perpetuum praedictis religiosis tres professurae, in philosophiâ nempe, logica, sive organum Aristotelis, et philosophia primaria[1]: et hoc quidem ita, ut logicus absolutâ logicâ ad philosophiam et metaphysicam transeat; tum alius, qui logicam incipiat, succedat: et sic semper tres professores philosophiae ex religiosis et tres cursus simul in universitate ab ipsis edoceantur eo modo quo hactenus in ipsorum collegio docere consueverunt. Ut autem haec successio ita commode continuari possit, professor logicus logicam et quatuor libros primos physicorum intra biennium pro bacalaureandis; philosophi vero reliquos quatuor libros physicorum, libros de generatione et corruptione, de caelo, meteorâ, libros de animâ, metaphysicam intra idem tempus pro magistrandis absolvent. Quique de Societate philosophiam in universitate profitebuntur se in omnibus statutis universitatis et facultatis conformes reddent, eruntque promoti magistri, et actum repetitionis, per quem et non secus ad facultatem admittentur, infallibiliter observabunt. Quia vero religiosi in universitate docturi perpetui a consiliis facultatis non erunt, ne subinde succedentes religiosi professores de Societate semper ultimum locum in facultate obtinere cogantur, assignabitur illis locus post decanum et seniorem facultatis, isque perpetuus. Et quamvis alii magistri ad consilia petentes facultati duos florenos et quatuor solidos numerare debeant, et promoti magistri non admittantur nisi biennio post promotionem expleto, utrumque tamen religiosis remittitur, cum hoc, ut statim post actum repetitionis facultatis membra censeantur, ita tamen, ut nullis oneribus et officiis facultatis et consistorii graventur, sed solum publicis universitatis actibus et processionibus interesse debeant, quibus alii professores universitatis intersunt, et ad examina ordinandorum. Praeterea, cum facultatis[1] philosophiae antiquissima statuta velint, ut baccalaureandi et magistrandi ad examen admittantur, et[2] coram facultate testimonia inscriptionis, item auditarum lectionum a professoribus ordinariis, et vitae honeste transactae producant, alia tamen ratio cum alumnis et convictoribus apud religiosos Societatis Iesu habebitur: nam religiosorum praedictorum testimonia pro promotione obtinendâ sufficient. Quapropter, cum alumni et convictores ad baccalaureatus et magisterii gradus aspiraverint, religiosi philosophiam profitentes audire tenebuntur, ceteri autem religiosorum discipuli et paedagogi, qui extra convictum et alumnatum censentur, praedictos gradus assequi in universitate non poterunt, nisi binis quoque aliorum professorum lectionibus ingenuissime operam navarint. Circa sub-

1 Hic et postea tres professurae non satis distinctae videntur (R. T.).

1 Edit. Man. habet *facultates* (R. T.).
2 Connect. *et* nos addimus (R. T.).

lectionem vero scholasticorum Societatis Iesu idem servari debebit, quod Ingolstadii servatur, ita ut rectori universitatis subiectio in iisdem casibus et eâdem ratione remaneat, quam habet rector universitatis Ingolstadii. Cumque olim statutum fuerit, ut baccalaurei singulis septenniis, magistri vero singulis mensibus unam disputationem ex ordine habere debeant, id tamquam utilissimum exercitium deinceps merito servabitur: verum ita ut baccalaureorum disputationes, quae hactenus diebus dominicis a prandio habitae sunt, ne religiosi et eorum alumni ac convictores in vespertinis officiis impediantur, in diem sabbati transferri debeant, in qua duas disputationes, unam ante prandium horâ septimâ usque ad nonam, alteram post prandium a mediâ primâ usque ad tertiam instituent. Verum repetitiones et disputationes magistrorum observabuntur, ut olim in praedicto et aliis universitatis statutis sancitum est. Et quia pro examine baccalaureandorum facultas artistica hactenus vigore suorum statutorum quatuor magistros de gremio suo eligere consuevit, etiam posthac, sed ita, servabitur, ut semper unus ex religiosis, qui publice profitetur, eligatur, quod idem apud cancellarium universitatis, qui examinatores ex facultatis suppositis pro magistrandis eligere consuevit, servandum erit: et cum ad gradum magisterii hactenus facultas XXI annos requisiverit, prout iuramentum licentiandorum habet, hoc, ne iuvenes in aliarum facultatum studiis impediantur, ad XVIII annum restringetur; taxa etiam in reformatione facultati ex examinatoribus[1] ratione graduum et examinis promissa, alumnis et aliis pauperibus omnino remittetur. Ut autem studiosi, et praecipue qui ad gradus aspirant, ad exactiorem solertiam in frequentandis et audiendis lectionibus stimulentur, quamprimum quis[1] studiosorum vel baccalaureorum lectiones pro gradu aliquo consequendo audire cupiet, nomen suum professoribus dabit, et singulis angariis testimonia diligentiae suae ab iisdem petet, eadem postea suo tempore coram inclyta facultate producturus. Omnes studiosi religiosorum, qui id petierint, ad dispositionem et inscriptionem admitti debebunt, prout et hactenus admissi sunt: verum clerici clericali habitu, ut alumni, incedentes, sine dispositione universitatis albo inserendi erunt. Collegium praeterea religiosorum Societatis Iesu in posterum liberales artes usque ad rhetoricam inclusive solum leget, quod universitati eatenus tantum incorporatum et unitum censebitur et habebitur, ut omnes studiosi, qui in eodem humaniora studia absolverunt, si a religiosis professoribus in collegio Societatis sufficientia testimonia facultati exhibuerint, habebuntur tamquam si eadem ipsa in universitate audivissent; religiosi vero, postquam unum ex suis religiosis ad docendum in universitate applicaverint, removere illum non debebunt, nisi prius monito rectore universitatis.

Eadem statuta confirmari petit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Matthias rex in imperatorem electus plurimum cupiat, praemissas ordinationes et statuta seu constitutiones omnes, pro inviolabili eorum observatione, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Paulus.

§ 3. Nos igitur, eiusdem Matthiae regis in imperatorem electi votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ordinationes et statuta seu constitutiones huiusmodi apostolicâ auctoritate, tenore

1 Forsan legendum *facultatis examinatoribus* (R. T.).

1 Legendum *quisquis*, vel *si quis* (R. T.).

praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, de nullitatis vitio notari, seu impugnari nullatenus umquam posse, sed illa semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab universitate praedictâ, et religiosis dictae Societatis Iesu eiusdem universitatis pro tempore existentibus rectoribus, magistris, doctoribus, scholasticis, officialibus, omnibusque aliis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere, et ad id censuris ecclesiasticis, et aliis opportunis iuris et facti remediis, cogi et compelli posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non praedictae universitatis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX aprilis MDCXVII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 29 aprilis 1617, pontif. an. XII.

CCXCI.

Confirmatio erectionis academiae et collegiatae ecclesiae in oppido de Novozamoyskio Chelmensis dioecesis.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Sacri apostolatus ministerio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, ea, quae pro catholicarum et collegiatarum ecclesiarum, ac bonarum artium, disciplinarum et scientiarum propagatione, personarum quoque in his studium, industriam et operam navantium congruâ sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, nec non orthodoxae fidei conservatione cum divini cultus incremento per viros generis nobilitate pollentes et de fide catholicâ optime meritos provide facta et ordinata fuisse dicuntur, ut firma et illibata perpetuo subsistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolico praesidio communimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout locorum, temporum et personarum ratio postulat, et nos conspicimus in Domino salubriter expedire. Prooemium.

§ 1. Sane, dilectus filius nobilis vir Ioannes Zamoyski [illegible]

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

miam in oppido novo Zamoyski, Thomas Zamoyski, dominus in temporalibus oppidi de Novozamoyskio Chelmensis dioecesis, nobis nuper exponi fecit, quod quondam Ioannes etiam Zamoyski eius genitor, et regni Poloniae, dum vixit, supremus cancellarius, provide perpendens, universae reipublicae uberrimos et multiplices fructus ex litterarum studiis provenire, ac cupiens studia huiusmodi in eius patrio solo vigere, nec non pro amplissimis gratiarum donis et muneribus sibi ab omnipotenti Deo bonorum omnium largitore benigne collatis in devoti et grati erga illum animi testimonium divinae suae maiestati debita laudum praeconia et salutaris hostiae sacrificia iugiter offerri et persolvi; habitâ desuper cum tunc existente episcopo Chelmensi loci Ordinario consultatione, et maturâ deliberatione, ac de illius licentiâ et assensu, omni meliori modo et formâ quibus potuit et quantum in se fuit, ad ipsius omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac salutiferae Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi memoriam, et sancti Thomae apostoli eiusdem Resurrectionis praeclari testis honorem, dictique oppidi decorem et ornatum, in eodem oppido unam academiam publicam pro illius, ac aliorum oppidorum, et locorum, tam temporali suo dominio subditorum quam aliorum quorumcumque, in pietate, morumque probitate, ac doctrinâ cristianâ, et litteris humanioribus, tam graecis quam latinis, nec non gramaticae, rethoricae, dialecticae, logicae, philosophiae naturalis et moralis, physicae, metaphysicae, utriusque iuris prudentiae, theologiae, ceterisque artibus[1], disciplinis, scientiis et facultatibus licitis erudiendâ, imbuendâ et instruendâ; unam quoque collegiatam ecclesiam cum capitulo, decano, custode, scholastico, ac certo canonicorum, vicariorum et ministrorum numero, qui eidem ecclesiae in divinis laudabiliter inservirent, fundavit et instituit, ac sumptuosis et magnificis aedificiis, structuris, cathedris, scholis, suppellectilibus sacris et profanis, aliisque rebus ad academiae et collegiatae ecclesiae huiusmodi respective usus necessariis luculenter instruxit et ornavit, congruisque redditibus annuis et perpetuis ad ipsum Ioannem tunc legitime spectantibus dotavit, nec non super prospero et felici statu, directione, progressu et stabilitate tam academiae quam collegiatae ecclesiae huiusmodi, illarumque respective rectoris, lectorum, professorum, magistrorum, receptorum, scholarium, decani, custodis, scholastici, canonicorum, vicariorum, officialium, et ministrorum qualitatibus, oneribus, obligationibus, functionibus, mercedibus, salariis, ceterisque rebus in praemissis et circa ea necessariis et opportunis, plurima statuta, constitutiones, ordinationes et decreta condidit et praescripsit.

Et collegiatam ecclesiam erexit.

Nonnullaque pro utriusque regimine statuta condidit.

§ 2. Quare dictus Thomas nobis humiliter supplicari fecit, quatenus fundationi, institutioni, dotationi, aliisque praedictis, pro illorum firmiori subsistentiâ et observantiâ, nostrae confirmationis robur adiicere, ac alia infrascripta concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Thomas eius filius praedicta omnia petit confirmari.

§ 3. Nos igitur, qui fidelium quomodolibet votis praesertim divinum cultum et publicam utilitatem et commoditatem concernentibus libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, praedictumque Thomam a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, nec non redditnum et bonorum per dictum Ioannem pro fundatione, institutione et dotatione praedictis donatorum

Rata habet Paulus Pontifex.

1 Edit. Main. legit *actibus* (R. T.).

et assignatorum qualitates et quantitates praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, easdem fundationem, institutionem et ordinationem, ac, prout illas concernunt, omnia et singula, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis non contraria, apostolicà auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, ac quarumcumque solemnitatum, etiam substantialium, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illaque omnia et singula perpetuo valida et efficacia esse et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri; ac ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore spectabit, observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, dictaeque Sedis nuncios, et locorum Ordinarios, iudicari et definiri debere, decernimus.

Et academiae collegiataeque ecclesiae privilegia concedit.

§ 4. Insuper academiae et collegiatae ecclesiae praedictis, earumque respective rectori, cancellario, professoribus, lectoribus, praeceptoribus, magistris, scholaribus, capitulo, decano, custodi, scholastico, canonicis, vicariis, ministris, officialibus, et personis nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praerogativis, honoribus, praeeminentiis, indultis, facultatibus et gratiis, quibus aliae similes academiae et collegiatae ecclesiae in dicto regno, et ubicumque locorum institutae, ac illarum rectores, cancellarii, professores, lectores, magistri, praeceptores, scholares, capitula, decani, custodes, scholastici, canonici, vicarii, ministri, officiales et personae, de iure, usu, consuetudine, ac aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, ac aeque principaliter uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, apostolicà auctoritate et tenore praedictis, perpetuo concedimus et indulgemus.

Commissarios delegat.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus Gnesnensi et Leopoliensi archiepiscopis et episcopo Praemisliensi per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte ipsius Thomae, nec non rectoris, cancellarii, professorum, lectorum, praeceptorum, magistrorum, scholarium, capituli, decani, custodis, scholastici, canonicorum, vicariorum, ministrorum, officialium et personarum huiusmodi, nunc et pro tempore existentium fuerint, requisiti, solemniter publicantes, nec non Thomae et aliis praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrà Thomam et alios praedictos praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere: non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari: contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, ac aliis quibusvis apostolicis, nec non in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordina-

tionibus, ac litteris piae memoriae Clementis Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, per quas statuit et ordinavit, quod cura, gubernium et administratio dictae academiae, illiusque bonorum, ad pro tempore existentem episcopum Chelmensem, uti loci Ordinarium, spectet et pertineat; quibus quidem litteris dicti Clementis praedecessoris quoad particulare statutum et ordinationem huiusmodi dumtaxat (eisdem litteris in reliquis omnibus, quae fundationi, institutioni et dotationi academiae huiusmodi non adversantur, in suo robore permansuris) specialiter et expresse harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Professionem fidei a professoribus, doctoribus, etc. fieri mandat.

§ 7. Volumus autem, quod professores, doctores, lectores, praeceptores, magistri et quicumque alii in dictâ academiâ docentes, in primis et ante omnia catholicae fidei professionem iuxta articulos pridem a Sede praedictâ propositos in manibus pro tempore existentis rectoris seu cancellarii dictae academiae, aut personae ad id ab eo deputandae, emittere, ac etiam iureiurando interposito, quod nihil quicquam ab ipsâ fide catholicâ devium, seu alienum docebunt, aut interpretabuntur, promittere omnino debeant et teneantur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iunii MDCXVII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 6 iunii 1617, pontif. an. XIII.

CCXCII.

Iubilaei indictio ad divinam opem pro Ecclesiae necessitatibus implorandam.

Paulus episcopus,
servus servorum Dei,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa huius constitutionis.

Ecce tribulationes apprehenderunt nos, diaboli tentamenta grassantur in nobis: quapropter merito nos tenet timor divinae irae. Intelligimus enim pressuras et angustias secundum peccata nostra venire: tantoque magis haec nos formido conturbat, quod non semel vidimus gregis curae nostrae commissi mala; ac personare nobis assidue videntur aures nostrae divinis illis per Hieremiam pronunciatis vocibus: *Frustra percussi filios vestros et disciplinam non receperunt, iteraverunt vias suas et malitiae eorum non sunt consumptae.* Ita ut verendum sit, ne aggravet iustus Dominus super nos manum suam, et[1] cognoscamus quam amarum sit eum in iniquitatibus provocare. Quamobrem placemus Dominum in amaritudine animarum nostrarum, offerentes Deo sacrificium contriti cordis et spiritus humiliati, amplectamur in ieiuniis et lacrymis veram poenitentiam, concludamus eleemosynam in sinu pauperis, ut hi pro nobis exorent ad Dominum; ipse enim visitat facinora in virgâ et in flagellis delicta, misericordiam vero suam non dispergit a nobis. Hanc misericordiam, ut consequamur, ad tribunal gratiae cum fiduciâ adire nos oportet unanimi oratione; memores multum posse apud Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, Patrem misericordiarum, unanimes voluntates et concordes preces. Dominum enim dixisse novimus: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est.* Hoc autem ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae, omnium matris et magistrae, more, in praesentibus necessitatibus ad eiusdem Ecclesiae thesauri largam dispensationem pro nostro pastorali officio confugiendum duximus.

Hortatur christianos, ut hoc iubilaeum assequi curent.

§ 1. Itaque ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti omnes et singulos utriusque sexus christifide-

1 Vel potius legendum *ut* (R. T.).

les, tam in almâ Urbe nostrâ quam alibi ubique locorum constitutos, auctoritate apostolicâ paterne, enixeque requirimus, monemus, et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, et ad pias ac fervidas ad Altissimum preces effundendum, ut per viscera misericordiae suae Ecclesiam suam exaltare, eamque ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam donare, ac praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur.

Praesentibus processionibus hic descriptis indulgentias elargitur, observatis quae praescribuntur.

§ 2. Nos enim de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ legandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis licet minime suffragantibus, contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui solemnibus processionibus, quas a cappellâ nostrâ publicâ palatii apostolici ad ecclesiam sancti Petri in Vaticano feriâ quartâ, et ab ecclesiâ sanctae Mariae Angelorum ad ecclesiam sanctae Mariae Maioris feriâ sextâ praesentis hebdomadae, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, christianorumque regum et principum apud nos et Sedem Apostolicam oratoribus, omnibusque praelatis et proceribus, universoque clero et populo agemus, interfuerint, vel qui praesenti, ut praefertur, vel sequenti hebdomadâ easdem sancti Petri et sanctae Mariae Maioris ecclesias, vel illarum alteram semel visitaverint, ibique devote, ut supra, Deum oraverint, ac feria quartâ et sextâ, ac sabbato eiusdem praesentis vel sequentis hebdomadae ieiunaverint, et peccata sua confessi in primo die dominico, vel secundo, vel saltem alio dictarum hebdomadarum die sanctissimum eucharistiae sacramentum reverenter susceperint et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint;

Extra Urbem vero normam praescribit illud assequendi.

§ 3. Ceteris vero omnibus et singulis christifidelibus extra Urbem existentibus in quibusvis civitatibus, terris, et locis, qui processioni ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, vel de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, primâ, vel secundâ hebdomada, postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae pervenerint, indicendae et agendae interfuerint, vel ecclesiam, seu ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, Deum oraverint, ac feriâ quartâ, sextâ et sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac sanctissimâ communione refecti fuerint, et eleemosynas simililiter pro arbitrio suo fecerint; plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Ac etiam itinerantibus.

§ 4. Navigantes vero, aut inter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, supradictis omnibus peractis, ut supra, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant.

Necnon pro regularibus, infirmis, carceratis, etc.

§ 5. Regularibus autem personis utriusque sexus in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam religiosis, secularibus seu regularibus, in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut confessarius, quem, ut infra, elegerint, praedicta omnia et singula, vel eorum aliqua, in alia pietatis opera commutare, vel in alium proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Unà cum facultate eligendi

§ 6. Cupientes autem, omnes christifi-

sibi confessarium cum potestate absolvendi a casibus hic explicatis.

deles participes fieri huius pretiosissimi thesauri, universis et singulis utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, cuiusvis Ordinis, congregationis, et instituti, licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem, quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, atque aliàs per quascumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, absolvere et liberare valeant.

Votaque commutandi praeter religionis et castitatis.

§ 7. Et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Mandat hanc constitutionem publicari a praelatis.

§ 8. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus et mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, et quibuscumque Ordinariis locorum, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla acceperint, illa statim absque ulla morâ, retardatione, vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, et cleris ac populis sibi subiectis solemnes processiones et supplicationes indicant et celebrent, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

Excipit nonnullos casus, in quibus non intelligit posse dispensari.

§ 9. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae;

Publice denunciatis excommunicatis hoc iubilaeum non suffragari declarat.

§ 10. Neque etiam iis, qui a nobis et Sede Apostolicâ, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contraria removet.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei, indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et Congregationum, sive institutorum regularium (iuramento, etc., roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus et Congregationibus atque institutis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut expressio habenda vel quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret,

illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis ac formâ eorum traditâ observatâ[1] habentes hac vice dumtaxat specialiter, nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi praecipit.

§ 12. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXVII, pridie idus iunii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 12 iunii 1617, pontif. an. XIII.

CCXCIII.

Praeceptum omnibus ecclesiasticis, tam secularibus quam regularibus, civitatis et dominii reipublicae Venetiarum, ne quamdam collectam, seu gabellam, ipsis absque Sedis Apostolicae licentiâ impositam, persolvant[2].

Paulus Papa V,

Omnibus et singulis personis ecclesiasticis secularibus et regularibus in civitate Venetiarum, et Statu dilectorum filiorum, nobilium virorum ducis et dominii Venetorum existentibus, ad quos praesentes nostrae litterae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Laici vectigal quoddam ab ecclesiasticis quoque solvendum imposuerant.

§ 1. Cum, sicut ad nostram notitiam, non sine magno animi nostri dolore, pervenit, laici in civitate Venetiarum, et Statu ducis et dominii dictorum Venetorum, quamdam collectam, seu impositionem *Compadigo* nuncupatam, a personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus exigere velint, et forsan iam exegere, et nonnullae personae ecclesiasticae praedictae eamdem collectam seu impositionem solvere inceperint, licet nulliter, et de facto, et contra sacrorum canonum et generalium conciliorum decreta, id absque expressâ Sedis Apostolicae licentiâ fieri, sub gravissimis censuris et poenis ecclesiasticis, prohibentia:

Paulus ecclesiasticis interdicit sub poenâ excommunicationis, quominus illud persolvant inconsultâ Sede Apostolicâ.

§ 2. Propterea nos, qui, super universam Ecclesiam a Deo per eius divinae gratiae abundantiam nullo nostro merito constituti, omnem ecclesiarum indemnitatem et immunitatem tueri tenemur, pro incumbentis nobis officii huiusmodi debito, praemissis, quantum cum Domino possumus, providere volentes; vobis omnibus et singulis personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus praedictis, cuiuscumque dignitatis, status, Ordinis, Congregationis et instituti in civitate et Statu praedictis existentibus, ne eamdem collectam, seu impositionem, absque expressâ Sedis Apostolicae licentiâ, quavis occasione, causâ, vel quaesito colore, ullo modo solvatis, aut huiusmodi solutioni consentiatis, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a nobis, praeterquam in mortis articulo, absolvi possitis, necnon aliis poenis arbitrio nostro irrogandis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus, ac praecipimus et mandamus.

Obstantia tollit.

§ 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, quorum omnium tenores etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda foret, praesentibus pro expressis haberi volumus; aut si vobis, vel vestrum,

1 Edit. Main. legit *pro servatâ* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

aliquibus, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possitis per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Praesentium transumpta obligant.

§ 4. Volumus autem, et dictâ auctoritate decernimus, quod praesentes litterae, seu illarum exempla, etiam impressa, manu notarii publici subscripta, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munita, postquam ad notitiam vestram vel cuiuslibet vestrum quoquo modo pervenerint, vos et vestrum quemlibet arctent et afficiant, ac si vobis et vestrum cuilibet personaliter intimata fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX augusti MDCXVII, pontificatus nostri anno XIII[1].

Dat. die 19 augusti 1617, pontif. an. XIII.

CCXCIV.

Prohibet quominus in actibus publicis beatissimam Mariam Virginem in peccato originali fuisse conceptam asseratur[2].

In generali congregatione sanctae Romanae et universalis inquisitionis habitâ in palatio apostolico in monte Quirinali coram S. D. N. D. Paulo divinâ providentiâ Papa V, feriâ V, die XXXI augusti, anno a nativitate D. nostri Iesu Christi MDCXVII

Prooemium.

Sanctissimus Dominus noster, post longam et maturam discussionem, auditis votis illustrissimorum et reverendissimorum DD. cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum, re accurate ac diligenter perpensâ, provide considerans, quod, quamvis in Constitutione felicis recordationis Sixti IV super Conceptione beatissimae Virginis Mariae, pro submovendis inter christifideles scandalis, rixis et contentionibus editâ, a sanctâ Tridentinâ Synodo innovatâ, et deinde in aliâ Constitutione sanctae memoriae Pii V super eâdem re, quas similiter Sanctitas sua innovavit cum quibusdam provisionibus et adiectionibus poenarum pro efficaciori earum observatione, relinquatur unicuique libera facultas tenendi, et etiam asserendi utramque partem, quod scilicet fuerit vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra veluti erronea aut haeretica damnetur;

Causa huius constitutionis.

§ 1. Nihilominus ex occasione assertionis affirmativae in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, et actibus publicis, quod eadem beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo christiano, cum magnâ Dei offensâ, scandala, iurgia et dissensiones:

Prohibitio asserendi in actibus publicis B. V. Mariam fuisse conceptam in peccato originali.

§ 2. Propterea, volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris providere, decrevit et praecepit, ac praesentis decreti virtute mandat et praecipit omnibus et singulis cuiusvis Ordinis et instituti regularibus, et aliis quibuscumque, tam ecclesiasticis quam secularibus personis, cuiusvis conditionis, status, gradus, ordinis aut dignitatis, tam ecclesiasticae quam secularis, etiam si specialis, specifica et

1 Paulus ecclesiasticae immunitatis vindex, litteris ad apostolicum in regno Neapolitano nuncium et Decium cardinalem Carafam datis, eisdem commisit, ut clerum, atque communitatem, quam vocant, Neapolis convenire curarent super solutione cuiusdam vectigalis. Huiusmodi litteras innuere satis esse putavimus, ut brevitati consuleremus.

2 Ad haec aliam ediderat sanctionem Sixtus IV in cap. II inter *Extravag.* commun. de reliquiis et vener. Sanctor. comprobatam a Concilio Trid. sess. V, de peccato originali, in fine. Et alteram Pius V in Const. CLXVIII *Si scandala* in tom. VII, pag. 845, et Const. CLXXVII *Super speculam*, ib., pag. 872; et eas innovavit hic idem Paulus in suâ Const. CCLXXXI *Regis Pacifici*, supra pag. 356 h. tomi.

individua earum esset necessario mentio facienda, ut in posterum, donec articulus huiusmodi a sanctâ Sede Apostolicâ fuerit definitus, vel per Sanctitatem suam, et Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, et aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali.

Impositio poenarum in contrafacientes.

§ 3. Contrafacientes autem, eadem Sanctitas sua voluit et declaravit subiacere debere, et subiecit censuris et poenis contentis in supradictis constitutionibus suorum praedecessorum et suâ ipso facto incurrendis.

Permissio opinionis contrariae.

§ 4. Per huiusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus praeiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu et terminis, in quibus de praesenti reperitur, praeterquam quoad supra disposita.

Prohibitio illam in actibus publicis impugnandi.

§ 5. Ulterius sub eisdem censuris et poenis mandans, quod negativam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali, in praedictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de eâ aliquo modo agant seu tractent.

Praeservatio dictae constitutionis extra hos casus actuum publicorum.

§ 6. Insuper voluit et expresse mandavit, ut, extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictae constitutiones firmae et illaesae remaneant, et exacte observentur, perinde ac si praesens decretum non emanasset.

Observantia huius constitutionis, et derogatio contrariorum.

§ 7. Et deinde decrevit et mandavit ubique[1] inviolabiliter observari, non obstantibus in hac parte supradictis constitutionibus et aliis omnibus in contrarium facientibus.

Iurisdictio Ordinariorum, et inquisitorum in transgressores etiam exemptos.

§ 8. Volens et decernens, pro observatione et exequutione praesentis decreti et omnium in eo contentorum, quod, contra huiusmodi transgressores, etiam regulares cuiusvis Ordinis et instituti, etiam quomodolibet exemptos, et alias quascumque ecclesiasticas et seculares personas cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam ecclesiasticae quam secularis, tam episcopi et praelati, superiores, aliique Ordinarii locorum, quam haereticae pravitatis ubique locorum deputati inquisitores procedant, et in eos severe animadvertant, tribuens eis et eorum cuilibet liberam facultatem et auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac poenis coercendi et puniendi.

Publicatio in Urbe omnes afficiat.

§ 9. Voluit demum, ne praemissorum ignorantia a quoquam praetendi possit, quod praesens decretum, seu illius exempla ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe, et in acie campi Florae affixa, omnes ita arctent et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimata fuissent;

Transumptorum fides.

§ 10. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Andreas de Pettinis sanctae Romanae et universalis inquisitionis notarius.

Publicatio.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXVII, *indictione* XV, *die vero* XII *mensis septembris, pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, et D. N. D. Pauli divinâ providentiâ Papae V anno* XIII, *praesens decretum affixum et publicatum fuit ad valvas basilicae Principis apostolorum, et in acie campi Florae, per me Franciscum de Clericis Sanctissimi D. N. Papae cursorem.*

Silverius Pontirolus magnus cursor.

1 Heic supplendum videtur *hoc decretum* (R. T.).

CCXCV.

Extensio cuiuscumque gratiae et privilegii Ordinum Mendicantium et non Mendicantium ad Congregationem monachorum Sylvestrinorum cum aliquibus restrictionibus[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Religiosorum virorum Altissimo famulantium profectui, quantum cum Domino possumus, paternâ charitate prospicere cupientes, privilegia et gratias aliorum Ordinum et Congregationum regularium religiosis concessa, libenter illis communicamus et ad eos extendimus, cum id conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii Iacobus Mercatus magister generalis et monachi Congregationis Sylvestrinorum Ordinis sancti Benedicti nobis nuper exponi fecerunt, Congregatio praefata nulla aut pauca privilegia, gratias et indulta, quibus ipsius Congregationis religiosi fruuntur, habeat, et propterea, ut maiori cum spiritus fervore et animorum quiete Deo servire possint, cupiant magister generalis et monachi praedicti privilegia, gratias et indulta huiusmodi tam Mendicantium quam non Mendicantium Ordinibus et Congregationibus, ac eorum monasteriis, domibus, locis et personis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet concessa, ad eorum Sylvestrinorum Congregationem, illiusque monachos et personas extendi, illaque eis communicari: ideo pro parte dicti Iacobi magistri generalis et monachorum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Communicatio omnium gratiarum et indultorum cuiuscumque Ordinis Mendicantium et non Mendicantium, cum tribus restrictionibus.

§ 2. Nos igitur, Congregationem Sylvestrinorum praedictam, eiusque monachos et personas quascumque, ob eorum regularem disciplinam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac singulorum privilegiorum, gratiarum et litterarum desuper confectarum huiusmodi tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, et quemlibet eorumdem religiosorum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de consilio venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum, omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, facultates exemptiones, immunitates, indulta, ceterasque gratias spirituales et temporales, ac tam coniunctim quam divisim, et aliàs quomodolibet quibusvis Mendicantium et non Mendicantium Ordinum congregationibus, ac tam virorum quam mulierum monasteriis, domibus et regularibus locis, in quibuscumque mundi partibus consistentibus, illorumque superioribus, fratribus, monachis et personis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros huiusmodi, ac nos et Sedem eamdem, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut aliàs, concessa, ac quibus singulae congregationes praedictae, earumque monasteria, domus et loca, ac superiores, fratres et monachi et personae huiusmodi de iure, usu, consuetudine, vel privilegio, aut con-

1 Constitutionem istam quae in edit. Main. postponitur sequenti, et etiam datâ posteriori subscribitur, nos anteponimus, quia ista in sequenti citatur. Quoad datae designationem dicemus postea (R. T.).

cessione apostolicâ, vel aliâ quavis auctoritate, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum (quatenus sint in usu, et non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, seu particularibus constitutionibus eiusdem Congregationis Sylvestrinorum non contrarientur) ad praedictam Sylvestrinorum Congregationem, ita ut illa, eiusque, tam virorum quam mulierum, monasteria, hospitalia, conventus, seu regulares domus, illarumque priores, superiores, officiales, fratres, ministri et aliae personae nunc et pro tempore existentes, praemissis omnibus et singulis aeque ac pariformiter et sine ullâ prorsus differentiâ uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, ac si illa dictae Sylvestrinorum Congregationi, illiusque monasteriis, hospitalibus, conventibus et domibus regularibus, ac superioribus, officialibus, fratribus, ministris, et aliis personis praedictis, specialiter et expresse ac principaliter, non autem ad instar, concessa, ac praesentibus de verbo ad verbum inserta fuissent, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo extendimus, illaque omnia et singula dictae Sylvestrinorum Congregationi, illiusque monasteriis, hospitalibus, conventibus, ac regularibus domibus, necnon prioribus, superioribus, officialibus, fratribus, ministris et personis praedictis quibuscumque (exceptis tamen privilegiis monachorum sancti Benedicti, per quae eidem Ordini indulgentiae conceduntur, ac etiam exceptâ facultate eligendi et deputandi conservatores religionis et monachorum) communicamus.

Prima restrictio dictae communicationis.

Secunda restrictio.

Tertia restrictio.

Clausula sublatâ cum decreto irritanti.

§ 3. Decernentes sic et non aliter per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandat protectori, ut faciat ea omnia observari omnibus opportunis remediis, appellatione postposita, etiam invocato auxilio brachii secularis.

§ 4. Quocirca dilecto filio moderno et pro tempore existenti dictae Sylvestrinorum Congregationis protectori per praesentes committimus et mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicans, ac dictae Sylvestrinorum Congregationis monachis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ praesentes et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos ipsae litterae concernunt, illis pacifice frui et gaudere; non permittens eos vel eorum aliquem desuper contra praesentium tenorem per quoscumque etiam locorum Ordinarios quomodolibet indebite molestari, perturbari vel impediri; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias et censuras ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias poenas, aliaque opportuna iuris ac facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et in synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon Mendicantium et non Mendicantium Ordinum, congregationum, monasteriorum et regularium domorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis,

aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur ac insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo dictae Sylvestrinorum Congregationis vel illius protectoris obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XXIII septembris[1] MDCXVII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 23 septembris 1617, pontif. anno XIII.

CCCXCVI.

Erectio et concessio monasterii pro Congregatione monachorum Sylvestrinorum Ordinis sancti Benedicti in civitate Auximanâ, cum approbatione sanctitatis et miraculorum sancti Sylvestri abbatis fundatoris eiusdem Congregationis[2].

1 In edit. Main. legitur die 23 novembris 1617, quae datae designatio certo certius erronea est, nam eadem haec Constitutio citatur in sequenti, quae data fuit 23 septembris 1617. Vere forsan Constitutio data fuit 23 novembris MDCVI, pontificatus anno II, ut legitur in edit. Cherubinii; quapropter debuisset in tomo praecedenti referri. Nos eâdem die cum sequenti datam ponimus, etsi loci designatio dissimilis sit (R. T.).

2 Hanc Congregationem approbavit Innoc. IV in Const. XII *Religiosam*, tom. III, pag. 525; ac de electione priorum nonnulla statuit Paulus III in Constitut. XLV *Exposcit* (in h. n. edit. XLVII, tom. VI, pag. 358).

Venerabili fratri Episcopo Auximano, sive dilecto filio eius vicario in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sanctorum virorum, qui, dum in terris agerent, perfectum ac pium Altissimo exhibuere famulatum, virtutes ac merita non solum in caelis a Domino aeternum consequi praemium meruerunt, verum etiam in terris ab Ecclesiâ Catholicâ quotidie magis ac magis glorioso laudum praeconio celebrari consueverunt.

Recensentur merita ac laudes sancti Sylvestri abbatis fundatoris monachorum Sylvestrinorum.

§ 1. Et inter[1] ceteros caeli cives non mediocri laude dignus habetur sanctus Sylvester Cuzolinus, nobilis Auximanus, Congregationis monachorum Sylvestrinorum institutor, quem, cum multis virtutibus et miraculorum insignibus in Ecclesiâ celebretur, merito Auximana civitas civem suum in caelis gloriosum, etiam in terris praecipuâ devotione colere et venerari, novumque templum ac coenobium ad eius honorem erigere contendit. Unde nos, considerantes cuius quantique meriti apud Deum et homines sanctus hic abbas extiterit, qui, supernae adspirationem vocationis sequens et ad propositum sibi bravium infatigabiliter currens, honores mundi spernens ac gloriam, asperam montis Fani incoluit eremum, ut uni Deo sibique vacaret, e qua postea divino afflatus Spiritu exiens, brevi eos progressus fecit, ut eius nomine per universum Picenum et alias provincias propagato, divini etiam Numinis gloriam amplificaverit[2]. Novimus enim, quanto pietatis studio, quantoque caelestis amoris aestu mortales ad omnia pietatis

1 Sic legimus cum Cherubinio; edit. Main. habet *in* (R. T.).

2 Syntaxis manet inabsoluta (R. T.).

officia excitaverit, quibus virtutibus, humilitate, animi mansuetudine, in proximos charitate, abstinentiâ, castitate, patientiâ, aliisque multis floruerit; quae et quot miracula per eum ille, qui mirabilis est in sanctis suis, patraverit, servi sui merita et sanctitatem signis innumeris attestando. Nam de sancto hoc viro, etiam prophetiae spiritu praedicto, illud vere dici poterat, quod de se Christus Dominus praedicabat: *caeci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur*, ut fortasse nihil mirum sit, quod illi Dei mater Maria suâ ipsâ manu, novo inauditoque, sed indubitato, post hominum memoriam gratiae genere, Filium suum sub augustissimo Eucharistiae sacramento latentem porrexerit. Quapropter multa illi postea templa erecta, et innumera ad eius sepulcrum vota suspensa sunt, ut non immerito felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, sanctum hunc virum martyrologio romano iusserit adscribi, et nos in sanctorum monachorum abbatum numerum retulimus. Eius vero memoria usque ad haec saecula in benedictione est, et haereditas sancta nepotes eius, eo quod, praedictam venerabilem monachorum Congregationem, de suo nomine Sylvestrinorum nuncupatam, sub regulâ sancti Benedicti instituens, per piae memoriae Innocentium Papam IV etiam praedecessorem nostrum approbatam, quam etiam nos communicatione privilegiorum, tam mendicantium quam non mendicantium, communivimus[1], eius alumni, religiosam ac laudabilem agentes vitam, in agro dominico operam suam strenue collocant, christianam pietatem sanâ doctrinâ et virtutum exemplis promoventes.

Causa huius constitutionis.

§ 2. Piâ igitur consideratione huiusmodi ad ea libenter intendimus, per quae fabricarum ecclesiae ac monasterii in eâdem civitate ad honorem ipsius sancti Sylvestri noviter erigendi perfectioni, ac personarum in eo sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium, ut bonarum artium et theologiae studiis vacare possint, commoditati et utilitati cum divini cultus augumento valeat salubriter provideri.

1 Vide Const. praecedentem (R. T.).

Hic Pontifex reservavit sibi omnia beneficia vacatura.

§ 3. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, apud Sedem Apostolicam tunc vacantia, et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Et postea ei libero resignata fuit parochialis ecclesia sancti Andreae a D. Ioanne Baptista illius rectore.

§ 4. Cum itaque postmodum parochialis ecclesia[1] sancti Andreae Auximana per liberam resignationem dilecti filii Ioannis Baptistae Blaxini, nuper ipsius ecclesiae rectoris, de illâ, quam tunc a triennio et ultra obtinebat, in manibus nostris sponte factam, et per nos admissam, apud Sedem eamdem vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de illâ praeter nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione et decreto obstantibus supradictis:

Quam dicti monachi supplicarunt Pontificem applicari ipsorum monasterio ex causis hic expressis et curam illius trasferri in vicinam parochialem ecclesiam.

§ 5. Et, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Sebastiani Fabrini generalis et Maximi de Ubaldis procuratoris generalis monachorum Sylvestrinorum huiusmodi petitio continebat, dilecti filii communitas et homines ac populus civitatis Auximanae praedictae, ob maximum pietatis et devotionis studium, quo sanctum Sylvestrum abbatem concivem suum et Congregationis huiusmodi auctorem atque institutorem semper prosequuti sunt, diu, multumque exoptaverunt, eosdem Sylvestrinos monachos intra sua moenia evocare, atque complecti, et coacti inopiâ eorum religiosorum hominum, monachorum praecipue, quorum apud illos nulla extant monasteria, qui studeant spiritualibus exercitationibus, concionibus et sermonibus de rebus divinis

1 Erronee edit. Main. legit *ecclesiae* (R. T.).

instituendis, conscientiae casibus explanandis, scripturae sacrae declarandae, quique etiam operam collocent in philosophiae et theologiae disciplinis tradendis ac explicandis[1]. Nemo enim in tantâ civitate est sive secularium sive regularium, qui huiusmodi munia obeant[2], et qui propterea dies ac noctes ecclesiae, psallendo, missarum solemnia celebrando, adolescentium animis christianâ doctrinâ imbuendis, et tum confessionum audiendarum tum etiam Eucharistiae sacramentis administrandis, eâ, qua par est, religione et diligentiâ inserviant. Unde, cum nullus nec capacior nec commodior locus existeret, proximum parochiali ecclesiae praedictae supradictis monachis monasterium a fundamentis extruxerunt, et in eo sex eorumdem monachorum religiosi, sub prioris regimine, regularique observantiâ degentes, maximâ cum populi frequentiâ, ac religionis progressu, omnia supradicta munia peragunt et prosequuntur, aliisque pietatis et charitatis operibus se exercent, et de cetero exercere, magisque in dies augeri, et ampliari ad Dei onnipotentis gloriam et animarum salutem desiderant. Verum, quia habitationes monasterii huiusmodi angustae et minus capaces sunt, ut ibi praedicti, aliique monachi eorum numero cupientes aggregari, recipi possint, pium hoc et laudabile propositum satis commode exequi et adimplere nequeunt, nisi eis aliunde provideatur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, si parochialis ecclesia praedicta cum eius domo rectorali, quae angustissimae existunt, et maximâ reparatione indigent, et intra ambitum ipsius monasterii comprehenduntur, abbati seu priori, et monachis praedictis, quibus illarum iam usus concessus est, perpetuo concederentur, ac illius cura parochialis, quae viginti dorum circiter existit[1], ad aliam parochialem Auximanam vicinam et tibi benevisam transferretur, ac alia, quae sequuntur, fierent, ex hoc profecto dictorum monachorum commoditatibus in tot piis et laudabilibus operibus exercendis, illorumque huiusmodi Congregationis augumento et stabilimento, cum Dei laude et servitio plurimum consuleretur; pro parte Sebastiani generalis et Maximi praedictorum (asserentium, dictum Ioannem Baptistam ecclesiam parochialem huiusmodi a triennio et ultra obtinuisse, ut praefertur, et aliunde cum infrascriptis commode vivere valere; fructus vero, redditus et proventus eiusdem parochialis ecclesiae viginti-quatuor ducatorum auri de camerâ, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedere) nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsius parochialis ecclesiae decori et divini cultus in eâ incremento, institutique regularis ipsius Congregationis propagationi opportunâ ratione consulere, ac aliàs in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 6. Nos igitur, certam de praemissis notitiam non habentes, ipsosque Sebastianum generalem et Maximum, ac eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi, ac communitatis et hominum, ac populi praedictorum supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, frater episcope, seu discretioni tuae, dilecte fili vicarie, per apostolica scripta mandamus, quatenus, constito prius tibi de praemissis, in parochiali ecclesiâ praedictâ (sive praemisso,

Ideo Pontifex mandat dictam ecclesiam supprimi et extingui.

1 Iterum syntaxis inabsoluta (R. T.).

2 Aptius legeretur *obeat*... *inserviat* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *extitit* (R. T.).

sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque personae, seu per similem, vel aliam, vel liberam resignationem dicti Ioannis Baptistae, vel cuiusvis alterius, de illâ in Romanâ Curiâ, vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut Constitutionem recolendae memoriae Ioannis Papae XXII similiter praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assequutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, vacet; etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, ipsaque parochialis ecclesia dispositioni apostolicae specialiter vel aliàs generaliter reservata existat, et super eâ inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa; dummodo eius dipositio ad nos hac vice pertineat) nomen, titulum et denominationem rectoris perpetuo dictâ auctoritate nostrâ supprimas et extinguas;

Curamque animarum transferri in aliam ecclesiam cum assignatione emolumentorum ex tali curâ provenientium.

§ 7. Illisque sic suppressis et extinctis, et ad hoc ut ecclesiae, illiusque domus rectoralis, usus perpetuo abbati, seu priori, et conventui monasterii huiusmodi liber omnino et absolutus remaneat, ab ipsâ ecclesiâ sancti Andreae omnem curam animarum dilectorum filiorum illius parochianorum nunc et pro tempore existentium, illiusque exercitium et usum etiam perpetuo eâdem auctoritate nostrâ abdices et separes; nec non curam et exercitium huiusmodi ad aliam parochialem ecclesiam Auximanam vicinam et opportunam ac tibi benevisam, accedente tamen dilectorum filiorum illius rectoris et parochianorum consensu (ita ut illi et eius rectori pro tempore existenti de cetero subsint, et dictus Ioannes Baptista ex nunc ab ipsius ecclesiae sancti Andreae servitio, et residentiâ apud eam faciendâ, ac omnibus et singulis functionibus, officiis, exercitiis, oneribus et obligationibus parochialibus tutâ conscientiâ liber, atque expensus censeatur), similiter perpetuo praedictâ auctoritate nostrâ transferas; ac eidem ecclesiae, ad quam praedicta cura transferri contigerit, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam cura praedicta translata fuerit, omnia et singula emolumenta incerta ex curae animarum exercitio in primo dictâ ecclesiâ provenientia et lucrari solita, ac etiam decimas, post obitum tamen dicti Ioannis Baptistae, quae illi eius vitâ durante reservatae sint et esse censeantur (ita quod liceat illius rectori pro tempore existenti, per se, vel per alium, seu alios, suo ac secundo dictae ecclesiae nomine emolumenta incerta ex nunc, et post obitum dicti Ioannis Baptistae decimas huiusmodi, quae valorem annuum septem ducatorum similium, vel circa, ut etiam asseritur, constituunt, percipere, exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere) pariter perpetuo, auctoritate nostrâ praedictâ, applices et appropries:

Eamque sine curâ praedicta unà cum domo rectorali, reliquiis, ac suppellectilibus tam sacris quam profanis, dictis monachis concedi et assignari.

§ 8. Ecclesiam vero sancti Andreae, sine curâ remanentem, cum illius domo rectorali huiusmodi (cuius quidem domus valor in proprietate quinquaginta ducatorum huiusmodi summam non excedit, et ex qua, si locaretur, usque ad sex ducatos huiusmodi quotannis, ut pariter asseritur, perciperentur) abbati et conventui praedictis, cum paramentis et ornamentis ecclesiae primo dictae, illiusque sacristiae, ac omni et quacumque sacrâ, profanâque suppellectili, Sanctorum corporibus, et aliis reliquiis, quantumvis insignibus et principalibus, ceterisque rebus in primo dictâ ecclesiâ, illiusque sacristiâ existentibus, pro eorum usibus et exercitiis, itidem perpetuo, eâdem auctoritate nostrâ, concedas et assignes; ita quod liceat abbati et conventui monasterii, nunc et pro tempore existentibus, ecclesiae sancti Andreae, ac domus, aliorumque praemissorum huiusmodi corporalem, realem et actualem pos-

sessionem per se, vel per alium, seu alios, eorum et Congregationis huiusmodi nomine, apprehendere et perpetuo retinere, illisque uti et gaudere, Dioecesani loci, vel cuiusvis alterius, licentiâ desuper minime requisitâ.

Verumque beneficium simplex in illa, seu alia ecclesia, pro uno presbytero seculari ad subeunda onera praedictae ecclesiae suppressae instituí iubet.

§ 9. Praeterea in praedictâ sancti Andreae, seu aliâ ecclesiâ tibi benevisâ, unum perpetuum simplex et personalem residentiam non requirens beneficium sub eiusdem sancti Andreae, seu aliâ invocatione, pro uno clerico seu presbytero seculari, perpetuo futuro illius beneficiato, qui reliqua primo dictae ecclesiae, illiusque rectoris, praeter curae animarum et sacramentorum ecclesiasticorum administrationis incumbentia onera supportare teneatur, etiam perpetuo, sine tamen alicuius praeiudicio, praedictâ auctoritate nostrâ erigas et instituas.

Pro eius dote assignanda omnia praedictae ecclesiae emolumenta praeter translata.

§ 10. Illique sic erecto et instituto, pro eius dote et futuri beneficiati onerumque illi incumbentium supportatione, omnia et singula alia primo dictae ecclesiae bona, fructus, redditus, proventus, iura et actiones, praeterquam abdicata et translata et concessa et assignata, a primo dictâ ecclesiâ dismembrando et separando, in perpetuum, auctoritate nostrâ huiusmodi, applices et appropries: ita quod futurus beneficiatus praedictus eorum possessionem etiam apprehendere, illaque habere, percipere et consequi, ac in suos usus et utilitatem convertere, absque alicuius alterius licentiâ, libere possit et valeat.

Et huiusmodi beneficium dicto Ioanni Baptistae si idoneus extiterit cum suis honoribus et oneribus conferendum.

§ 11. Et nihilominus beneficium praedictum (cuius et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus, quatuordecim ducatorum parium secundum aestimationem praedictam valorem annuum, ut pariter asseritur, non excedunt), a primaevâ erectione et institutione huiusmodi vacans, dicto Ioanni Baptistae, postquam tamen per diligentem examinationem dictum Ioannem Baptistam ad hoc idoneum esse repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, praedictâ auctoritate nostrâ conferas et assignes, inducens per te, vel alium, seu alios, eumdem Ioannem Baptistam, vel procuratorem suum eius nomine, in corporalem possessionem beneficii, ac annexorum, iuriumque et pertinentiarum praedictorum; ac defendens inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore; ac faciens Ioannem Baptistam, vel pro eo procuratorem praedictum, ad beneficium huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius, ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi; contradictores auctoritate nostrâ praedictâ, appellatione postpositâ, compescendo.

In contrarium facientibus derogat.

§ 12. Non obstantibus praemissis et nostrâ de exprimendo vero annuo valore, secundum aestimationem praedictam, tam beneficii uniendi, quam illius, cui fit unio, nec non piae memoriae Bonifacii Papae VIII, similiter praedecessoris nostri, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque: aut si aliqui, super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus, speciales vel generales dictae Sedis aut legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem, ac inde sequuta quaecumque, ad praedictam ecclesiam sancti Andreae volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem beneficiorum aliorum praeiudicium generari.

Clausulas praeservativas adiungit.

§ 13. Nos enim quoad resignationem, prout est, si attentatum forsan est hactenus, vel imposterum, et quoad illam et alia praemissa huiusmodi, dictusque Ioannes Baptista ad hoc repertus fuerit idoneus, ex nunc perinde irritum decernimus

et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, ac si die datae earumdem praesentium dicto Ioanne Baptista ad id reperto idoneo de beneficio huiusmodi mandavissemus provideri.

Datum Tusculi, anno Incarnationis Dominicae MDCXVII, IX kalendas octobris, pontificatus nostri, anno XIII.

Dat. die 23 septembris 1617, pontif. anno XIII.

CCXCVII.

Irritatio nonnullorum actorum a iudicibus laicis regni Portugalliae attentatorum contra ecclesiasticam immunitatem[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Laici iudices causam mere ecclesiasticam ad se trahentes nonnulla attentarunt contra ecclesiasticam immunitatem, ipsamque personam collectoris generalis spoliorum.

Ad audientiam apostolatus nostri non sine iusto et gravi cordis nostri dolore pervenit, quod, procedente nuper in causâ ecclesiasticâ in civitate Ulixbonensi pro suî muneris auctoritate venerabilis fratris Octavii episcopi Forosemproniensis iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regni collectoris generalis auditore et iudice delegato, cum pars altera ad iudices seculares temere recursum habuisset, iudices huiusmodi, et postmodum alii pariter seculares, non solum contra auditorem praedictum, sed etiam contra eumdem Octavium episcopum et collectorem occasione dictae causae suis iniustis et invalidis decretis ac mandatis, contra immunitatem ac libertatem ecclesiasticam attentatis, iurisdictionem pariter ecclesiasticam et sanctae Sedis Apostolicae officiales perturbando et impediendo, procedere praesumpserunt, et ad quoddam eidem ecclesiasticae libertati et immunitati maxime adversans decretum devenerunt, per quod decreverunt, ut Octavii episcopi et collectoris huiusmodi iumenta et illi[1] servientes caperentur nisi a servitio eius desisterent, et ne pecuniae suorum stipendiorum a thesaurario camerae apostolicae ei solverentur, neque panis illi venderetur, et alia similia, unde in eius exequutionem factum fuit, ut non solum iumentum aquarii captum, et familiaris dicti Octavii episcopi et collectoris clericus beneficiatus habitu et tonsurâ publice a satellitibus tamquam vilis malefactor violenter similiter captus, sed etiam domus eiusdem Octavii episcopi et collectoris ab iisdem satellitibus obsessa fuerit, spretis eiusdem Octavii episcopi et collectoris in sententiam excommunicationis et alias ecclesiasticas censuras et poenas incursus declarationibus, et interdicti ecclesiastici appositione, gravi cum scandalo totius civitatis et divinae maiestatis offensâ graviori.

Praedicta omnia rescindit Paulus.

§ 2. Quamobrem nos, qui in Sede beati Petri quamquam immeriti a Domino positi sumus, ne excessus huiusmodi, ac ecclesiasticae libertatis et immunitatis tam enormis violatio dissimuletur et transeat in exemplum, pro nostri pastoralis officii debito providere, et malorum graviorum segetem et radicem, quantum a Domino permittitur, nostrâ auctoritate apostolicâ evellere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula praemissa et alia similia a praedictis dictorum regnorum iudicibus secularibus, etiam supremis, quocumque nomine, titulo, praerogativâ et gradu insignibus, in causâ huiusmodi et eius occasione, contra Octavium episcopum et collectorem praedictum, eiusque auditorem, seu delegatum, officiales, ministros, familiares, res et bona, quocumque praetextu vel quaesito

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Perperam edit. Main. legit *illis* (R. T.).

colore, quomodolibet decreta, mandata, acta, ordinata, facta, et sive scriptis sive verbis quomodolibet attentata, quae omnia et singula praesentibus haberi volumus pro expressis, nulla, invalida, irrita et inania, ac nulliter et invalide, inaniter et de facto contra sacros canones, conciliorum decreta et apostolicas constitutiones attentata et praesumpta;

Clausulas apponit.

§ 3. Praesentesque litteras, et in eis contenta quaecumque, de intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, infringi, in ius vel controversiam vocari nullatenus posse, sed semper valida, firma, et efficacia fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, tenore praesentium decernimus ac declaramus.

Similia sub poenis hic expressis prohibet attentari.

§ 4. Et nihilominus, ne imposterum similia praesumantur, omnibus et singulis iudicibus secularibus, etiam supremis, dictorum regnorum, quocumque nomine nuncupatis, cuiuscumque gradus, conditionis, et praerogativae existant, ne talia huiusmodi, aut similia adversus immunitatem, et libertatem ecclesiasticam, etiam quocumque praetextu, contra ecclesiasticos praelatos, iudices, et personas, res et bona, ac eorum iurisdictionem et auctoritatem, eiusque liberum exercitium, quomodolibet committere, aut attentare praesumant, sub excommunicationis maioris, a qua nonnisi a nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, ac privationis quorumcumque beneficiorum, pensionum, officiorum et dignitatum ecclesiasticarum, perpetuaeque inhabilitatis, tam quoad ipsos delinquentes, seu contumaces, quam quoad eorum descendentes usque ad eorum quartam generationem, ad illa imposterum quomodolibet obtinenda[1], nec non amissionis quorumcumque iurium patronatus, privilegiorum, indultorum, gratiarum, concessionum et investiturarum, tam emphyteuticarum quam feudalium, eisdem delinquentibus, et seu contumacibus, suisque, ut praefertur, usque ad quartum gradum descendentibus, quocumque titulo apostolico, aut alio ecclesiastico, quomodolibet nunc et pro tempore competentium, et acquirendorum poenis ipso facto absque ullâ declaratione incurrendis, interdicimus et prohibemus: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Quorum omnium et singulorum tenores, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis haberi volumus: aut si praedictis vel quibusvis aliis personis ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 5. Volumus autem, quod praesentes litterae, seu illorum exempla, manu notarii publici subscripta, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munita, et ad valvas ecclesiae Ulixbonensis affixa, ita omnes arctent et affi-

Transumpta afficiunt, seu praesentes litterae si forent publicatae.

1 Edit. Main. legit *obtineri* (R. T.).

ciant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die VI octobris MDCXVII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 6 octobris 1617, pontif. an. XIII.

CCXCVIII.

Confirmatio concordiae inter forum archiepiscopale et forum seculare Mediolani super controversiâ exortâ occasione consuetudinis trahendi laicos ad forum ecclesiasticum [1].

Dilecto filio nostro Friderico tituli sanctae Mariae Angelorum in Thermis presbytero cardinali Borromaeo nuncupato, ecclesiae Mediolanensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli,

Paulus Papa V.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series. § 1. Expositum nobis nuper fuit pro parte tuâ et dilecti filii nobilis viri Petri de Toledo Osorii Status Mediolanensis pro charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum rege catholico gubernatoris, quod, praetendente promotore fiscali ecclesiae Mediolanensis posse etiam ex antiquissimâ consuetudine ab ecclesiasticis indistincte trahi laicos ad ecclesiasticum forum, quacumque ageretur actione vel remedio, et tam respectu bonorum ecclesiasticorum quam respectu laicalium vel patrimonialium, etiam privative ad forum seculare, nec non ecclesiasticos iudices exequi posse in laicorum personis et bonis etiam immobilibus per proprios et alienos exequutores; regii autem fisci procuratore in dicto Statu Mediolanensi consuetudinem huiusmodi negante, quinimo aliam consuetudinem contrariam allegante, fuisse videlicet ab antiquissimo tempore observatum, ut ecclesiastici forum rei sequerentur, et exequutio in bonis et personis laicorum nonnisi cum secularis brachii invocatione fieret, nonnullisque aliis exortis iurisdictionalibus controversiis; illae demum in Urbe, et coram venerabile fratre nostro Benedicto episcopo Sabinensi Iustiniano, ac dilectis filiis nostris Ioanne Garzia sanctorum Quatuor Coronatorum Millino, Marcello sanctorum Quirici et Iulittae Lantes, Fabricio sancti Augustini Verallo, et Horatio sancti Salvatoris in Lauro titulorum presbyteris cardinalibus Lancellotto respective nuncupatis, per nos ad hoc specialiter deputatis, agitatae fuerint, et sub die II iunii MDCXV conclusa infrascripta concordia, si et quatenus a praedicto Philippo rege approbaretur ac a nobis confirmaretur, ita tamen, ut in primis fieret revocatio omnium proclamationum et editorum conditorum, seu editorum a ministris iurisdictionis ecclesiasticae vel secularis, quibus notarii, procuratores, et litigantes directe vel indirecte possent retrahi ab agitandis causis in uno vel altero foro respective ad illa pertinentibus, prout in scripturâ desuper confectâ, plenius continetur, tenoris huiusmodi:

Concordia inter forum archiepiscopale, et forum seculare Mediolani super controversiâ exortâ occasione consuetudinis trahendi laicos ad forum ecclesiasticum.

Caput I.

Quando ecclesia, clerici, seu personae ecclesiasticae agunt pro quibuscumque bonis ecclesiasticis mobilibus, semoventibus, immobilibus, et iuribus, seu quovis titulo, sive universali, sive particulari, sive inter vivos, sive ex ultimâ voluntate, vel aliàs quomodolibet ad ecclesiam, clericos,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

seu personas ecclesiasticas uti tales spectantibus et pertinentibus, sive agant actione personali, reali, mixtâ, in rem scriptâ, vel aliâ quacumque, tam in possessorio quam in petitorio (etiamsi laicus probabiliter neget ea bona, iura, et, ut supra, esse ecclesiae, vel ut supra, aut ad eam, et ut supra spectare et pertinere) agere possint contra laicos tam in foro ecclesiastico, quam in seculari, prout ipsis placuerit.

Caput. II.

Circa actionem hypothecariam, extra materiam legatorum piorum, relinquatur dispositioni iuris communis.

Caput III.

Excipiuntur causae, quas moveri contigerit per ecclesiam vel clericos vigore novarum Constitutionum, et novarum Bullarum Pontificiarum editarum, vel edendarum, nam hoc casu agendum erit coram eo iudice, ad quem de iure communi, vel aliàs, circumscriptâ tantum consuetudine, cognitio illius causae spectabit; Bulla tamen Pii V contra illegitimos moderetur seu restringatur, ut in emphytheusibus et feudis ecclesiasticis, factis seu concessis ante dictam Bullam, possint illegitimi succedere secundum dispositionem iuris communis.

Caput IV.

Excipiuntur etiam causae, in quibus ecclesiae seu monasteria praetenderent aliquam haereditatem alicui monacho seu moniali, seu cuiusvis Ordinis regulari personae, ab intestato delatam, eo enim casu agendum erit coram iudice seculari tantum, tam in possessorio quam in petitorio.

Caput V.

Si vero ecclesia, clerici, seu personae ecclesiasticae agere voluerint ad consequutionem primitiarum, decimarum et aliarum ecclesiasticarum obventionum, seu legatorum piorum, fructuum, pensionum vel fictorum simplicium, aut fictorum perpetuorum seu libellariorum et censuum, ac dependentium, contra laicos conductores, colonos, emphyteutas, libellarios, pensionarios, censuarios, seu aliàs ex praemissis causis debitores ecclesiae, clerici, seu personarum ecclesiasticarum uti talium, ut supra, agere possint tam in foro ecclesiae, quam in seculari, et hoc indistincte, sive de credito constet per scripturam publicam, vel privatam, sive non. Quod si agere voluerint contra alios debitores, puta ex causâ mutui, depositi, aut pretii rei ecclesiasticae venditae, aut quacumque aliâ ex causâ, possint, si velint, pariter agere contra laicos, tam in uno quam in alio foro, dummodo constet de credito per publicum instrumentum, vel scripturam privatam subscriptam manu debitoris, vel alterius de illius mandato, salvis tamen iis privilegiis, quae ecclesiae et ecclesiasticis personis respectu fori de iure communi competunt pro conveniendis laicis in foro ecclesiastico.

Caput VI.

Quo vero ad bona patrimonialia vel laicalia clericorum, seu personarum ecclesiasticarum gaudentium fori privilegio, si huiusmodi personae agant de consequendâ vel recuperandâ quantitate pecuniarum, fructuum, mobilium, semoventium vel his similium, quacumque ex causâ, tam inter vivos quam ex ultimâ voluntate, ad eas quomodolibet spectantium et pertinentium, vel eis debitorum, possint agere contra quoscumque laicos debitores ex praefatis causis in foro ecclesiastico, modo tamen de credito constet per publicum instrumentum, vel scripturam subscriptam manu debitoris, aut alterius de illius mandato, cum declaratione, quod,

ex speciali concessione Sanctissimi, appellationes in dictis causis patrimonialibus non committantur extra Statum Mediolani, nisi summa petita excedat valorem aureorum duorum mille; et quod actiones redditionis rationis, mercimonii, institoriae, tutelae, et similes incertae et generales occasione patrimonialium seu laicalium, deducantur in foro seculari contra laicos.

Caput VII.

Ubi vero clericus, seu persona ecclesiastica, agit contra laicum ad aliquam rem laicalem vel patrimonialem ex iis quae pro immobilibus reputantur, puta domum, fundum, iura aquarum, servitutem, dominium, proprietatem census, vel proprietatem redditus, et his similia, quacumque actione agat, conveniat laicos in foro seculari tam in petitorio quam in possessorio: idem si ex causâ patrimoniali agat petitione haereditatis ad universam haereditatem seu eius partem, tam ex testamento, quam ab intestato.

Caput VIII.

In omnibus suprascriptis causis illud observandum est, ut semper iudicium in eo foro finem accipiat, in quo coeptum fuerit. Propterea si clericus, vel ecclesia, vel ecclesiastica persona, agere voluerit ex iure cesso a laico, si titulus cessionis sit principalis, et non accessorius alicui titulo, vel contractui, puta venditionis, transactionis, donationis, vel aliorum, in quibus titulus cessionis accessorie veniat, agendum erit in foro seculari, et hoc ne in fraudem fori secularis fiant cessiones ad favorem ecclesiae et ecclesiasticarum personarum.

Caput IX.

Et quod per hanc concordiam respectu fori non intelligatur derogatum privilegio fisci, ita ut omnes causae fiscales cognoscantur, et in eis bonorum apprehensiones ac liquidationes fiant per illud tribunal, ad quod spectant, servatis privilegiis fisco competentibus.

Caput X.

Circa brachium seculare quoad sententias per iudices ecclesiasticos in Statu et provinciâ Mediolani latas in bonis ecclesiasticis, seu ad ecclesiam, clericos, personasve ecclesiasticas uti tales pertinentibus, vel aliis ecclesiae, vel ut supra adiudicatis, mobilibus, immobilibus, et aliis de quibus in primo capite, exequutio fieri possit sine invocatione brachii secularis cum familiâ armatâ solitâ archiepiscopi; verum exequutio, de qua in hoc capite, restringatur ad iudices ecclesiasticos Mediolani: ita tamen, ut si causae ad forum eiusdem ecclesiae Mediolanensis quomodolibet spectantes per appellationem, aut per avocationem, vel aliis modis fuerint devolutae, aut introductae coram iudicibus ecclesiasticis aliarum civitatum Status aut provinciae Mediolani, exequutio nihilominus fieri possit sine invocatione brachii secularis iuxta huius capitis formam.

Caput XI.

In actionibus personalibus contra laicos debitores ecclesiae, clerici, seu personarum ecclesiasticarum uti talium, prout in capite v, possit fieri quaevis exequutio in bonis mobilibus laicorum sine invocatione brachii secularis, at in immobilibus laicalibus non fiat sine invocatione brachii secularis, quod concedi debeat, servatâ dispositione iuris communis. In actionibus vero personalibus ex causâ patrimoniali, de quibus in capite vi, possit fieri exequutio in bonis mobilibus laicalibus sine invocatione brachii usque ad summam aureorum ducentorum, et non ultra. In immobilibus autem non fiat sine invocatione brachii, ut supra. In exequutione vero per capturam personae debitorum, brachium

seculare non invocetur contra debitores ecclesiae, clerici, seu personarum ecclesiasticarum uti talium, de quibus in dicto capite v; at illud omnino invocetur respectu debitorum ex causâ patrimonialium, de quibus in dicto capite vi. Et amplius restringatur exequutio ad iudices ecclesiasticos Mediolani, cum declaratione, in omnibus et per omnia, prout in capite x.

Caput XII.

In causis criminalibus mixti fori possit iudex ecclesiasticus procedere contra laicos, eos distringere et condemnare, ac contra eorum personas exequi absque invocatione brachii secularis, nec non etiam exequi possit in eorum bonis mobilibus usque ad summam aureorum ducentorum, et non ultra, absque eâdem brachii invocatione; at in immobilibus non liceat sine brachio seculari, salvâ praeventione iuxta iuris communis dispositionem; et hoc quoad iudices intelligatur cum restrictione et declaratione, de qua in x, et repetitâ in praecedenti capite.

Caput XIII.

Circa virgines, variis dignis de causis et respectibus, permittatur earum collegium, prout antea, etiam sub nomine et cum invocatione Sancti, vel Sanctae, reservatâ archiepiscopo correctione et iurisdictione circa approbationem regulae, et in respicientibus cultum divinum, salutem animarum, et legatorum piorum dispositionem et exequutionem; circa quam tamen exequutionem legatorum piorum respectu fori secularis, servetur iuris communis dispositio, ita tamen, ut ex hoc capite nullum desumatur exemplum, nec aliquid inferri umquam possit, ad alium quempiam casum pro unâ vel alterâ parte.

Caput XIV.

Circa officium oeconomatus, tollantur abusus oeconomi, prout de eis constiterit.

Caput ultimum.

Haec autem concordia intelligatur facta, si et quatenus approbetur a Suâ Sanctitate, et suâ regiâ maiestate, et non aliter; ita tamen, ut in primis fiat utrinque revocatio omnium proclamatum et edictorum conditorum seu editorum a ministris iurisdictionis ecclesiasticae vel secularis, quibus notarii procuratores, et litigantes directe vel per indirectum possent retrahi ab agitandis causis in uno vel altero foro respective ad illa pertinentibus. Datum Romae die Martis secundâ iunii MDCXV.

Auctoritate apostolicâ petitur confirmari.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Philippus rex postmodum dictam concordiam approbaverit, praefatus vero Petrus, etiam ex speciali eiusdem Philippi regis mandato, ac tu quoque iuxta ipsius concordiae formam proclamata et edicta recocaveritis, ac ideo concordiam ipsam a nobis, et sanctâ Sede Apostolicâ confirmari, ac aliàs, ut infra, opportune provideri desideretis:

Confirmat Paulus.

§ 4. Nos de praemissis plene informati, iis, quae ad sedandas praesertim inter ecclesias et seculares principes controversias pertinent, libenter annuentes, supplicationibus, tam tuo quam dicti Petri nominibus, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concordiam praefatam a Benedicto episcopo, ac Ioanne Garzia, Marcello, Fabricio et Horatio cardinalibus praedictis, mature ac diligenter examinatam, deque eorumdem cardinalium consilio, ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, confirmamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, et quosvis alios, etiam quantumvis substantiales, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes concordiam praedictam, ac praesentes litteras, et in eis con-

tenta quaecumque, semper et perpetuo valida, firma et efficacia fore et esse, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat ac pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, in quavis causâ et instantiâ (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCXVII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 7 octobris 1617, pontif. an. XIII.

Cardinalium subscriptiones.

BENEDICTUS cardinalis IUSTINIANUS episcopus Sabinensis.
IOANNES GARZIA cardinalis MILLINUS.
M. cardinalis LANTES.
F. cardinalis VERALLUS.
H. cardinalis LANCELLOTTUS.
S. cardinalis SANCTAE SUSANNAE.

CCXCIX.

Quod fratres Cappuccini Ordinis Minorum sancti Francisci in publicis processionibus ubique locorum crucem propriam deferre possint [1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii, quo divinâ dispensatione, nullo nostro merito, fungimur, ratio postulat, ut religiosorum, maxime strictioris observantiae, paci et quieti, quantum nobis ex alto conceditur, opportune consulamus.

Causae constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum Minorum Cappuccinorum nuncupatorum, nobis nuper exponi fecit, nonnullae rixae et dissensiones inter fratres dicti Ordinis, et dilectos etiam filios fratres Ordinis fratrum Minorum Conventualium sancti Francisci, dum primodicti fratres in processionibus publicis sub eorumdem fratrum Minorum Conventualium cruce incedunt, interdum oriantur:

Indultum deferendi crucem propriam in processionibus.

§ 2. Nos omnem rixarum et dissensionum praedictarum materiam submovere, dictosque fratres Minores Cappuccinos nuncupatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super

1 Horum fratrum institutionis approbationem edidit Clem. VII in sua Const. XXIV *Religionis*, tom. VI, pag. 113; quod vero isti fratres sint vere fratres Minores ex Ordine sancti Francisci, declaravit Paulus V in suâ Const. CXXI *Ecclesiae*. (in hac n. edit. CXXIV, tom. XI, pag. 552).

hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, eisdem fratribus Minoribus Cappuccinis nuncupatis, quod ubique locorum in publicis processionibus huiusmodi crucem propriam ad formam Constitutionis felicis recordationis Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri, quae incipit: *Exposcit pastoralis officii* etc.[1], deferre possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non utriusque Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XII octobris MDCXVII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 12 octobris 1617, pontif. anno XIII.

1 Quam vide in tom. VIII, pag. 429 (R. T.).

CCC.

Mandatum rectori et aliis officialibus universitatis studii generalis oppidi Lovaniensis Mechliniensis dioecesis, ut observent decreta a visitatoribus apostolicis edita.

Dilectis filiis rectori ac aliis officialibus et ministris, ceterisque personis universitatis studii generalis oppidi Lovaniensis, Mechliniensis dioecesis,

Paulus Papa V.

Dilecti filii,

salutem et apostolicam benedictionem.

De mandato Pontificis visitatio fuerat peracta.

§ 1. Cum, sicut ex litteris venerabilis fratris Lucii archiepiscopi Idruntini, nostri et Apostolicae Sedis in Belgicis ditionibus nuncii, universitas ista de ordine et mandato nostris per personas ecclesiasticas, a dilecto filio nobili viro Alberto archiduce Austriae principe Belgii deputatas, auctoritate nostrâ apostolicâ visitata fuerit:

Paulus praecipit visitationis decreta observari.

§ 2. Nos, ut visitatio praedicta suum quantocitius sortiatur effectum, pro iniuncto nobis apostolicae servitutis officio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, vobis per praesentes committimus, et sub censuris ecclesiasticis ac indignationis nostrae poenis mandamus, ut visitationem, ac decreta et ordinationes in illâ, auctoritate apostolicâ, ut praefertur, facta, dummodo licita sint et honesta, ac sacris canonibus, Concilio Tridentino, constitutionibus apostolicis, ac dictae universitatis erectioni et privilegiis ab Apostolicâ Sede illi concessis non adversentur, et non aliàs, eâ, quâ decet, reverentiâ recipiatis, illaque diligenter observetis, ac ab aliis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, observari curatis realiter et cum effectu: nos enim irritum decernimus et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI octobris MDCXVII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 21 octobris 1617, pontif. an. XIII.

CCCI.

Innovatio et declaratio Constitutionum Sixti V et Clementis VIII de non alienandis bonis in Statu Ecclesiastico existentibus in forenses, ac castris et aliis iurisdictionalibus tam in forenses quam in subditos, absque praecedenti Sedis Apostolicae licentiâ in scriptis obtinendâ.

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pastorale munus, quod infirmitatem nostram gerere divina clementia voluit, nos admonet, ut, sicut rationis exigit ordo, nos, qui aliis sua tribui procuramus, Sedis etiam Apostolicae iura tueamur, et Status ac subditorum nostrorum utilitati et tranquillitati consulamus. Ac proinde, ut ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris provide constituta comperimus, illibata perpetuo perseverent, omnem ea eludendi viam apostolicis declarationibus ac novis dispositionibus praecludimus, et apostolico munimine roboramus, ac aliàs disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Sixtus V prohibuit absque licentia Sedis Apostolicae bona in Statu Ecclesiastico existentia alienari in forenses, et castra, fortalitia, ac feudalia, et iurisdictiones alienari in quascumque personas.

§ 1. Siquidem, licet olim felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster, ut ditionis temporalis Sedis Apostolicae, eiusque subditorum conservationi et commodo prospiceret, civitates, oppida, castra, feuda, iurisdictiones, ac bona quaecumque stabilia vel immobilia in Statu Ecclesiastico existentia, absque suâ et Sedis Apostolicae licentiâ, quibuscumque forensibus et extraneis, eidem Sedi non subditis, vendi, permutari, ultra triennium locari, in emphyteusim, feudum, livellum, pignus, seu precarium concedi; necnon civitates, castra et oppida, multoque magis fortalitia, ac feudalia et iurisdictiones in eodem Statu Ecclesiastico consistentia et consistentes, tam in exteros vel forenses, quam in alios quoscumque, etiam subditos, nisi de expressâ praecedente suâ et Romani Pontificis pro tempore existentis licentiâ, vendi, permutari vel donari prohibuerit; ac alia statuerit et ordinaverit, prout in suis sub datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDLXXX, V kalendis iulii, pontificatus sui anno I, expeditis litteris[1] plenius continetur;

Clemens VIII huiusmodi constitutionem declaravit.

§ 2. Ac subinde a recolendae memoriae Clemente Papa VIII similiter praedecessore nostro emanaverint litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Clemens Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Romanum decet, etc.[2]:

Hae tamen male interpretabantur.

§ 3. Nihilominus, quia postmodum experientiâ compertum fuit, amplius providendum esse, ne, tam ab extraneis et forensibus, quam a subditis nostris, prohibitiones ac constitutiones et litterae eorumdem Sixti et Clementis praedecessorum variis et alienis ab eorum mente interpretationibus subverti, et diversis conventionibus, etiam palliatis, in iis, quae circa alienationem civitatum, castrorum, oppidorum et locorum iurisdictionalium, nonnisi praecedente nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis licentiâ faciendam[3], disponunt, fraudibus eludi possint:

Eas Paulus approbat et innovat.

§ 4. Nos, tam ex iis, quae in constitutionibus praedictis continentur, quam ex aliis iustis et rationalibus causis animum nostrum moventibus, praemissis et aliis infrascriptis opportunis remediis occurrere volentes, necnon praefatarum Sixti

1 Hae leguntur in tom. VIII, pag. 580 (R. T.).
2 Quam Const. vide in tom. X, pag. 711 (R. T.).
3 Edit. Main. legit *facienda* (R. T.)

et Clementis praedecessorum huiusmodi litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ Constitutione easdem litteras Sixti et Clementis praedecessorum approbamus et confirmamus, illasque innovamus ac inviolabiliter observari mandamus.

Declaratque et ampliat in permutationibus, donationibus etiam reservato beneplacito Sedis Apostolicae etc.

§ 5. Praeterea easdem constitutiones, quatenus etiam in subditis bona alienari absque Sedis Apostolicae licentiâ vetant, declarantes, et, quatenus opus sit, etiam extendentes, Constitutiones huiusmodi in venditionis, permutationis et donationis contractibus, etiam cum pacto de retrovendendo, vel etiam reservato nostro et Apostolicae Sedis beneplacito, aut etiam correspectivis, seu connexis, vel sublocationis, aut alterius contractus nomine palliatis, super praefatis civitatibus, castris, oppidis, et multo magis fortalitiis et quibusvis locis iuridictionalibus, vel feudalibus, intra limites Status Ecclesiastici consistentibus, illorumque dominio et possessione, iurisdictioneque, ac iurisdictionis exercitio, quomodolibet et quavis occasione, praetextu vel causâ, etiam necessariâ, etiam subhastationis, adiudicationis et dationis in solutum, etiam iudicialis, faciendis[1] obtinere, et[2] inviolabiliter observandas esse, ita videlicet, quod nostra et pro tempore existentis Romani Pontificis expressa licentia prius in scriptis impetrari, et in actu celebrationis contractus realiter apud notarium exhiberi et dimitti debeat, et non aliàs, decernimus, statuimus et ordinamus.

Contravenientibus poenas infligit et contractus irritat.

§ 6. Quod si quis ad aliquam alienationem devenerit contra formam praesentis Constitutionis, alienatio seu contractus sint ipso iure nulli, nullumque sortiantur effectum; nihilominus alienans ac contrahens poenam praefatae Clementis praedecessoris constitutionis incurrat, nempe cedat[1] ab omni iure suo, intelligatur ipso iure absque aliâ declaratione privatus omni suâ possessione, eiusque vitâ durante, fructus et commoditas ut supra alienatae rei, translatae aut gravatae, spectent pleno iure ad Sedem et cameram apostolicam, ita quod eo ipso camera apostolica possit bona praefata propriâ auctoritate capere et penes se retinere, viventibus ita contrahentibus; ipsis vero defunctis, eadem castra, oppida et iurisdictiones, aliaque supradicta, ad eos, ad quos de iure, si disponentes ab intestato decessissent, vel contractus huiusmodi facti non fuissent, pervenire deberent, omnino perveniant.

Notariis harum alienationum instrumenta conficientibus poenas imponit.

§ 7. Tabelliones vero et notarios, etiam de numero participantium, et alios quoscumque, instrumenta et scripturas huiusmodi conficientes, et formam huiusmodi non servantes, seu illas Sedi et camerae apostolicae non revelantes, nec exhibentes, poenam falsi, ac privationis nedum exercitii, sed officii et tituli tabellionatus ac notariatus, aliorumque officiorum, quae obtinent, ac perpetuae inhabilitatis ad illa et alia imposterum exercenda, eo ipso incurrere decernimus.

Et ita, et non aliter iudicari mandat.

§ 8. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Observantiam huius legis, officialibus iniungit.

§ 9. Iniungentes et mandantes eisdem legatis et vicelegatis, gubernatoribus, ac iudicibus, nunc et pro tempore in toto

1 Nempe contractibus antea dictis (R. T.).

2 Particulam *et* nos addimus (R. T.).

1 Videretur legendum *cadat* (R. T.).

Statu Ecclesiastico existentibus, et eorum cuilibet, ut declarationem, extensionem, decretum, inhibitionem, praeceptum, mandatum, statutum, et ordinationem nostram huiusmodi in eodem Statu Ecclesiastico ab omnibus, ad quos spectat, perpetuo observari mandent et faciant; contradictores quoscumque opportunis iuris et facti remediis, appellatione postpositâ, compescendo.

Derogat contrariis.

§ 10. Non obstantibus omnibus et singulis, quae praefati Sixtus et Clemens praedecessores in suis litteris praefatis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationem Bullae et eius effectum subnectit.

§ 11. Volumus autem, ut praesentes[1], postquam in valvis ecclesiae Lateranensis, et basilicae Principis apostolorum, nec non in acie campi Florae affixae et publicatae fuerint, quoscumque tam praesentes, quam absentes, et ubicumque etiam extra Statum nostrum Ecclesiasticum existentes, perinde obligent et arctent, ac si unicuique eorum nominatim intimatae fuissent.

Transumptis credi iubet.

§ 12. Ac etiam volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra habeatur, quae ipsismet praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum confirmationis, innovationis, declarationis, extensionis, decretorum, inhibitionis, praecepti, mandatorum, voluntatum, statuti, et ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXVII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 20 novembris 1617, pontif. an. XIII.

1 Edit. Main. habet *praesens* (R. T.).

CCCII.

Iudices nonnulli regni Portugalliae, dummodo, quae egerunt, revocent, absolvuntur ab excommunicatione, in quam inciderant[1] ob violatam ecclesiasticam iurisdictionem[2].

Paulus Papa V, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sedes Apostolica, pia mater, nonnullos qui pro suis excessibus in censuras et poenas ecclesiasticas inciderunt, et, eorum exigente contumaciâ, incidisse declarati sunt, cum res ita in Domino exigit, et iuste fieri posse cernit, eosdem censurarum et poenarum huiusmodi vinculis, interdum suâ sponte absolvit, et communioni Ecclesiae restituit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Contra nonnullos regni Portugalliae iudices excommunicationis sententia lata fuerat ob violatam ecclesiasticam iurisdictionem.

§ 1. Sane, cum, sicut non sine animi nostri dolore accepimus, superioribus mensibus Emanuel Vasconcellus regitor, Cosmus Ranghel, Aloysius Macciadus de Govea consiliarii de Passo, ac Melchior Pimenta, Aloysius Mendes Barettus, Custodius de Figheredo, ac Nunnius de Fonseca, coronae regni Portugalliae, et forsan alii eiusdem regni iudices, etiam supremorum tribunalium, quorum nomina et cognomina praesentibus haberi volumus pro expressis, ob violatam libertatem et immunitatem ecclesiasticam, certis suis decretis nulliter et de facto editis, et exequutioni demandatis, iurisdictionem ecclesiasticam venerabilis fratris Octavii episcopi Forosemproniensis, iurium et spoliorum camerae apostolicae in praedicto et Algarbii regnis debitorum collectoris generalis, impediendo et perturbando, seu aliàs eamdem libertatem et immunitatem ecclesiasticam, ac eiusdem Octavii episcopi et

1 Huiusmodi iudices excommunicationi supposuit Paulus in Const. CCLXXII, quae incipit: *Ad audientiam* supra pag. 405 h. tomi.

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

collectoris iurisdictionem, non sine plurimorum scandalo et Dei offensâ, laedendo, in sententiam excommunicationis latae sententiae contra huiusmodi violatores et transgressores a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, praesertim litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, inflictam semel et iterum ac forsan pluries inciderint, ac in eam incidisse declarati, et publice excommunicati, denunciati et aggravati, ac forsan reggravati fuerint:

Eos absolvit Paulus dummodo, quae egerunt, revocent.

§ 3. Nos, eosdem supranominatos et alios praedictos, certis de causis animum nostrum moventibus, paternâ pietate et misericordiâ praevenire volentes, Emanuelem, Cosmum, utrumque Aloysium, Custodium, Melchiorem, et Nunnium praedictos, et forsan alios, qui ob causam praedictam, et eius occasione, in sententiam excommunicationis latae sententiae quomodolibet inciderunt, et incidisse declarati, ac publice excommunicati, denunciati, aggravati et reaggravati fuerunt, si, et postquam decreta et mandata huiusmodi contra eumdem Octavium episcopum et collectorem, eiusque officiales et ministros ac servientes, nec non dicti Octavii episcopi et collectoris iurisdictionem et auctoritatem, quomodolibet facta, scripta et exequutioni demandata et seu non demandata revocaverint, ex[1] nunc, prout ex tunc, ab excommunicationis sententiâ seu sententiis, etiam a dicto Octavio episcopo et collectore seu eius delegato latis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, absolvimus et totaliter liberamus.

Derogat obstantibus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV novembris MDCXVII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 24 novembris 1617, pontif. an. XIII.

1 Edit. Main. legit *et* pro *ex* (R. T.).

CCCIII.

Confirmatio statutorum seu capitulorum confraternitatis coquorum et pasticceriorum sub invocatione Annunciationis beatissimae Mariae Virginis in ecclesiâ sanctorum Vincentii et Anastasii de Urbe[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pias christifidelium confraternitates ad pietatis et christianae charitatis opera exercenda canonice institutas, ut in eorumdem piorum operum exercitio confoveantur, specialibus favoribus et gratiis libenter prosequimur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Confratres statuta nonnulla ediderunt.

§ 1. Sane, nomine dilectorum filiorum officialium ac confratrum confraternitatis coquorum ac pasticceriorum nuncupatae, sub invocatione Annunciationis beatae Mariae Virginis in ecclesiâ sanctorum Vincentii et Anastasii regionis Arenulae de Urbe canonice institutae, nobis nuper expositum fuit, quod ipsi pro felici prosperâque confraternitatis huiusmodi directione nonnulla statuta condiderunt, illaque in unum volumen compilata, a[2] dilecto filio nostro in Urbe vicario in spiritualibus generali approbari et confirmari obtinuerunt, tenoris subsequentis, videlicet:

Capitoli della venerabile Compagnia de'cuochi e pasticcieri di Roma.

(Omittuntur statuta, quia visum est minime necessarium ea recensere).

Ea approbat Paulus.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, officiales et confratres praedicti statuta huiusmodi, pro firmiori eorum subsistentiâ ac validitate, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio

1 De forma aggregandi confraternitates habes in Clem. VIII Const. CCCL *Quaecumque* (in h. nostrâ edit. CCCLXII, tom. XI, pag. 138.

2 Praep. *a* censuimus addendam (R. T.).

communiri plurimum desiderent; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eorum votis in praemissis annuere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, officiales et confratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, statuta praedicta apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Ipsaque statuta in eâdem confraternitate a modernis, et pro tempore existentibus illius confratribus perpetuo observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Cum derogatione contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x decembris MDCXVII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 10 decembris 1617, pontif. an. XIII.

CCCIV.

Nuncio apostolico in partibus inferioris Germaniae committitur visitatio civitatis et dioecesis Bambergensis[1].

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili fratri Antonio episcopo Vigiliensi, nostro et Sedis Apostolicae in partibus inferioris Germaniae nuncio,

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Deputatio nuncii apostolici in visitationem civitatis et dioecesis Bambergensis ad ea peragenda, quae hic recensentur.

§ 1. Cupientes ad animarum salutem, divinumque cultum promovendum, civitatem et dioecesim Bambergensem auctoritate nostrâ apostolicâ visitari: motu proprio et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, tibi, de cuius integritate, prudentiâ, doctrinâ, et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut quamprimum fieri poterit, tamquam noster et Apostolicae Sedis delegatus tam metropolitanam quam collegiatas et alias quascumque ecclesias ac monasteria tam virorum quam mulierum quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum, etiam quocumque immunitatis et exemptionis privilegio suffulta, ac nobis et Apostolicae Sedi mediate vel immediate subiecta, in civitate et dioecesi praedictâ existentia, eorumque capitula, conventus, universitates et collegia, ac illorum superiores et personas, etiam similiter exemptas, dictaeque Sedi immediate subiectas, quoties tibi videbitur, auctoritate nostrâ visites, ac in illorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitam, mores, ritus et disciplinam, tam coniunctim quam divisim, ac tam in capite quam in membris, diligenter inquiras; necnon, evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum, et generalium conciliorum decretis, ac sanctorum patrum traditionibus atque institutis inhaerendo, et prout occasio, rerumque qualitas exegerit, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, convocatione et renovatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoveris, reformes, mutes, corrigas ac etiam de novo

condas, condita sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis non repugnantia confirmes, abusus quoscumque tollas, regulas, institutiones et ecclesiasticam disciplinam, ac in primis divinum cultum ubicumque exciderint modis congruis restituas et reinteges, praedicti Concilii Tridentini decreta, ubi nondum introducta sunt, proponas, et custodiri praecipias, ipsasque personas, tam seculares quam regulares etiam exemptas et subiectas, ut praefertur, ad debitum et honestum vitae modum, ac ad statum sacris canonibus et dicto Concilio Tridentino conformem revoces, et, quidquid statueris et ordinaveris, observari facias, inobedientes et contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione postpositâ, ac quibusvis subterfugiis, reclamationibus, protestationibus, atque recursibus prorsus cessantibus et remotis, iuxta eiusdem Concilii Tridentini decreta, compescas, cogas et compellas.

Concessio opportunarum facultatum.

§ 2. Nos enim tibi praemissa et quaecumque alia circa visitationem huiusmodi necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, plenam et absolutam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Graviora negocia ad Sedem Apostolicam deferenda.

§ 3. Si qua[1] autem graviora in huiusmodi visitatione repereris, volumus, ut ea, necnon informationes omnes in huiusmodi visitatione sumendas, sub tuo sigillo clausas, ad nos quamprimum diligenter transmittas, ut quod in illis statuendum sit, maturâ consultatione adhibitâ, decernamus.

Obedientia ei praestanda.

§ 4. Mandantes propterea omnibus et singulis ecclesiarum et monasteriorum ac locorum regularium huiusmodi superioribus, quocumque nomine nuncupatis, et personis quibuscumque, ceterisque ad quos spectat, ut tibi in praemissis omnibus et singulis prompte pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent: alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Concessio nonnullarum facultatum specialium.

§ 5. Insuper, ut uberior salutis animarum fructus proveniat, tibi, ut quascumque personas civitatis et dioecesis praedictarum, pauperes dumtaxat et catholicas, quae propriis manibus victum quaerunt, quae tertio et quarto consanguinitatis seu affinitatis gradibus coniunctae, seu se attinentes, matrimonia invicem, sive scienter sive ignoranter, contraxerint, etiamsi carnali copulâ consummaverint, si abs te veniam humiliter petierint, ab incestus reatu et excessibus huiusmodi, ac excommunicationis, aliisque sententiis et poenis ecclesiasticis et temporalibus per eos propter praemissa incursis, impositâ cuique eorum, propter incestum huiusmodi, arbitrio tuo poenitentiâ salutari, in utroque foro absolvere, et cum illis, ut (impedimentis tertii et quarti consanguinitatis seu affinitatis graduum huiusmodi, et constitutionibus ac ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus) matrimonium inter se publice, servatâ formâ dicti Concilii, de novo contrahere, et in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo, seu in contracto aliàs rite matrimonio, quoad vixerint, remanere libere et licite valeant, dummodo mulieres propter hoc raptae non fuerint, dispensare, distantiam vero tertii gradus huiusmodi respectu quarti eis non obstare declarare, prolesque exinde susceptas et suscipiendas legitimas decernere atque nuntiare. Ac etiam iis, qui per haereticos illarum partium, et aliis similiter, qui ante

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

legitimam aetatem, de beneficiis ecclesiasticis nulliter et de facto provisi fuerint, beneficia ipsa illis, dummodo tamen haeresi non adhaeserint, et aliàs idonei, ac in aetate legitimâ constituti existant, de novo, dictâ auctoritate, conferre, et de illis etiam providere, illisque quoscumque fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta, ac etiam distributiones, per eos ex eis indebite perceptos[1], gratiose remittere et condonare. Praeterea cum quibusvis clericis et personis secularibus et regularibus civitatis et dioecesis praedictarum super irregularitatibus ex delictis occultis, praeterquam ex homicidio voluntario, contractis, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, ita quod nondum promoti, omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, si aliàs idonei reperti fuerint, nec aliud illis canonicum obstet impedimentum, ac servatis servandis, suscipere, et tam ipsi quam alii in susceptis tamen rite ordinibus huiusmodi, etiam in altaris ministerio, ministrare, ac quaecumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, se invicem compatientia, recipere, et illa, ac per eos aliàs canonice obtenta, quoad vixerint, retinere libere et licite valeant, pariter dispensare possis et valeas, auctoritate et tenore praedictis facultatem impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum locorum regularium Cisterciensis et Praemonstratensis necnon Cluniacensis etiam congregationis Busteldrensis, et aliorum Ordinum, quorum illa extiterint (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, etiam mare magnum nuncupatis, et litteris apostolicis, illis eorumque capitulis, conventibus, superioribus, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV ianuarii MDCXVIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 4 ianuarii 1618, pontif. anno XIII.

CCCV.

Confirmatio concordiae et transactionis inter clerum et communitatem, ac homines civitatis Neapolitanae initae super quorumdam vectigalium impositione[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam

Paulus facultatem nuncio apostolico concesserat partes concordandi super re, de qua agitur.

Aliàs pro parte dilectorum filiorum cleri civitatis Neapolitanae nobis exposito, quod cum in impositione gabellae unius tareni super tumulo farinae aliàs per communitatem et homines dictae civitatis factâ, ad evitandas fraudes, quae sub nomine ecclesiasticorum committi poterant, eamdem

1 Aptius legeretur *perceptas* vel *percepta* (R.T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

gabellam ab omnibus tam secularibus quam ecclesiasticis indifferenter, nostrâ tamen et Apostolicae Sedis super hoc suffragante licentiâ, exigere opus esset; bonae memoriae Octavius cardinalis Aquaviva ecclesiae Napolitanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesul, ut immunitati cleri praedicti consuleretur, in vim facultatis apostolicâ auctoritate sibi concessae, cum communitate et hominibus praedictis egerat, ut summa mille ducentorum ducatorum monetae illarum partium per eamdem communitatem et homines praedictos clero praedictae civitatis occasione gabellae huiusmodi annuatim solveretur, citra tamen praeiudicium facultatis summam huiusmodi augendi vel minuendi, constito de cleri praedicti numero: et in eâdem expositione subiuncto, quod clerus praedictus summam mille ducentorum ducatorum huiusmodi, non solum pro futuro, sed etiam pro praeterito augeri debere praetendebant, et communitas ac homines praedicti, ultra praedictam, duas alias gabellas, unam videlicet alterius praeter unius grani ad rotulum aliàs impositam, seu eius augmentum, et alteram unius carlini super tumulo farinae ab iis dumtaxat, qui panem domi faciunt, exigendi, imposuerant: et illas, accedente pariter nostrâ et Sedis Apostolicae licentiâ, ab iisdem clero et ecclesiasticis personis exigere, et, ad evitandas etiam fraudes, ratam certam eisdem restituere, ut praefertur, intendebant, unde eos ad aliquam super hoc transactionem cum dictis communitate, et hominibus devenire necesse erat: nos, eiusdem cleri indemnitati consulere volentes, per nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras, venerabili fratri Paulo Æmilio archiepiscopo Amalphytano, nostro et Apostolicae Sedis in regno Neapolis nuncio, ut super summâ pecuniarum primodictae gabellae eidem clero et personis ecclesiasticis debitâ tam pro praeterito quam debendâ pro futuro, necnon super duabus aliis gabellis praedictis, illarumque exactione, accedente licentiâ nostrâ et dictae Sedis faciendâ, cum eisdem communitate et hominibus ratione ratae per eos dictis clero et ecclesiasticis personis, ad evitandas fraudes, ut praefertur, restituendae, transigere et concordare libere et licite valeret, apostolicâ auctoritate facultatem[1] concessimus et impertiti sumus; ac per alias nostras in eâdem formâ Brevis expeditas litteras summam quinque millium ducatorum ex ratâ gabellae, seu eius augmenti alterius grani ad rotulum, quae ab ecclesiasticis personis secularibus et cuiusvis Ordinis, quantumvis exempti, regularibus, ut praefertur, exigeretur, et eis redderetur, seu exigi, et reddi deberet, fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe applicavimus, prout in dictis litteris,[2] quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Paulus Æmilius archiepiscopus, tam suo quam cleri ac communitatis et hominum praedictorum nominibus, nobis nuper exponi fecit, ipse, in vim litterarum nostrarum praedictarum, ad certam cum dictis communitate et hominibus (tam super summâ pecuniarum primodictâ[3] unius tareni super tumulo farinae, eidem clero et personis ecclesiasticis debitâ pro praeterito et debendâ pro futuro, quam super duabus aliis, alterius scilicet praeter unius grani ad rotulum aliàs impositam, seu eius augmenti, ac unius similiter carlini super tumulo farinae gabellis praedictis, Nuncius concordiam iniri curat, quae summarie refertur.

1 Turbatissime omnino edit. Main. habet *factam* pro *facultatem* (R. T.).

2 Nec primae nec secundae huiusmodi litterae in *Bullario* leguntur (R. T.).

3 Heic aliquid deesse videtur: ex. g. *occasione gabellae* (R. T.).

ab iis tantum personis ecclesiasticis, a quibus antea exigi consueverunt, ac in infrascriptâ transactione et concordiâ comprehensis, dumtaxat exigendis, ratione ratae per eosdem communitatem et homines clero et ecclesiasticis personis tam secularibus quam regularibus, ut praefertur, restituendae) transactionem et concordiam (cum nonnullis pactis, conventionibus et conditionibus, licitis et honestis, ac inter ceteras, ut summa quinque millium ducatorum huiusmodi ex ratâ gabellae, seu eius augmenti, alterius grani ad rotulum, fabricae huiusmodi per nos, ut praefertur, applicata, eidem Paulo Æmilio archiepiscopo persolveretur, ac transactionis et concordiae huiusmodi confirmatio a nobis et Apostolicâ Sede per praedictum Paulum Æmilium archiepiscopum obtineatur) de dilecti filii Fabritii Caraccioli eiusdem cleri procuratoris expresso consensu devenerit, prout in instrumento publico, seu scripturis desuper confectis, plenius dicitur contineri:

Eamque petit confirmari.

§ 3. Nobis propterea dictus Paulus Æmilius archiepiscopus humiliter supplicari fecit, ut concordiam et transactionem praedictas, pro firmiori earum validitate et subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communire, de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§ 4. Nos igitur, clerum ac communitatem et homines praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, transactionem et concordiam huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris et quam facti quosvis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; decernentes concordiam et transactionem praedictas ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari: sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Facultatemque eidem nuncio tribuit eos absolvendi, qui vectigal quoddam ab ecclesiasticis exegerant sine beneplacito Sedis Apostolicae.

§ 5. Insuper eidem Paulo Æmilio archiepiscopo, deputatos a communitate et hominibus praedictis, qui gabellas huiusmodi, seu alterius augmentum, ut praefertur, dumtaxat a dictis personis ecclesiasticis, ante licentiam a Sede Apostolicâ obtentam, exegerunt, si hoc ab eo humiliter petierint, ab excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis per eos praemissorum occasione quomodolibet incursis, iniunctâ illis poenitentiâ salutari, auctoritate nostrâ absolvendi et totaliter liberandi, dictasque poenas illis remittendi et condonandi, ac eos in pristinum et eum, in quo, antequam praemissa committerent, quomodolibet erant, statum restituendi, reponendi et plenarie reintegrandi, facultatem, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et impertimur.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in eisdem litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x februarii MDCXVIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 10 februarii 1618, pontif. an. XIII.

CCCVI.

Mandatur nuncio apostolico apud Sabaudiae ducem, ut deputet episcopum Gebennensem in visitatorem generalem ecclesiarum et monasteriorum et aliorum locorum piorum in toto ducatu Sabaudiae[1].

Venerabili fratri Petro episcopo Saonensi, nostro et Apostolicae Sedis apud dilectum filium nobilem virum Carolum Emanuelem Sabaudiae ducem nuncio,

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Onerosa pastoralis officii cura nullo suffragio meritorum nobis ex alto commissa postulat, ut ad ea vigilantiae nostrae partes propensius impendamus, per quae ecclesiarum, monasteriorum, ac locorum piorum quorumlibet felici ac prospero personarum in eis Altissimo famulantium statui opportune provideatur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Mandatum de quo in rubrica. § 1. Hinc est, quod nos, ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum in ducatu Sabaudiae existentium felici regimini consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, fraternitati tuaé per praesentes committimus et mandamus, ut venerabilem fratrem modernum episcopum Gebennensem in nostrum et Sedis Apostolicae generalem et specialem visitatorem, in toto ducatu Sabaudiae ditionis dilecti filii nobilis viri Caroli Emanuelis ducis praedicto, auctoritate nostrâ apostolicâ constituas et deputes, cum facultate omnes et singulas tam cathedrales quam collegiatas, parochiales et alias quascumque, cum curâ et sine curâ, ecclesias, nec non cappellanias, et beneficia ecclesiastica, etiam ruralia, et quaecumque alia quovis nomine nuncupata, aut qualificata, etiam de iurepatronatus laicorum, cuiuscumque dignitatis, status et conditionis ii sint, hospitalia, oratoria, confraternitates, societates, seu scholas etiam laicorum et disciplinatorum, ac alias quomodolibet appellatas, eorumque capitula, universitates, archidiaconos, praepositos, archipresbyteros, vel alias dignitates, etiam maiores post pontificalem vel principales in collegiatis, ac personatus et officia obtinentes, canonicos, rectores, portionarios, presbyteros, beneficiatos, clericos et quocumque nomine nuncupatos superiores et personas cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentes, aut quovis officii nomine et titulo praeditos et praedita, etiam exemptos et exempta, ac nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectos et subiecta, ac quocumque immunitatis et exemptionis privilegio suffultos et suffulta, nec non ecclesias, cappellas, oratoria, ac domus, monasteria et conventus, ac personas quascumque monialium, ac etiam virorum regularium Ordinariis locorum subiectorum dumtaxat, quoad viros regulares videlicet cuiuscumque Ordinis et instituti, etiam Mendicantium, quocumque privilegio et indulto suffultorum, per se ipsum auctoritate nostrâ praedictâ visitandi, ac tam in capite quam in membris reformandi, errata corrigendi, ac deformata in melius reponendi, ac ad debitam normam restituendi, nec non (evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum et praesertim Tridentini decretis, et sanctorum patrum traditionibus, et regularibus monasteriorum et Ordinum huiusmodi institutis a Sede praedicta confirmatis, inhaerendo, et non aliâs), prout occasio, rerumque qualitas exegerit, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, renovatione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoverit, reformandi, mutandi corrigendi, ac etiam de novo condendi, condita, sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis et regularibus in-

stitutis praedictis non repugnantia, confirmandi, abusus quoscumque tollendi, bonas et laudabiles institutiones, ac in primis divinum cultum, monasticamque disciplinam et observantiam regulares, ubicumque exciderint, modis congruis etiam restituendi, si aliquos in aliquo delinquentes repererit, eos iuxta canonicas sanctiones, et regularia Ordinum praedictorum instituta puniendi et castigandi, contradictores quoslibet et rebelles, eisque auxilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, ingenio vel praetextu praestantes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis extiterint, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, cogendi et compellendi, aliaque in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, dicendi et exequendi; mandando propterea omnibus et singulis, ad quos spectat, ut eidem episcopo Gebennensi in praemissis omnibus et singulis prompte pareant et obediant, eiusque salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Graviora negocia ad Sedem Apostolicam deferenda.

§ 2. Volumus autem, ut, si qua[1] graviora in huiusmodi visitatione repererit, illa, nec non informationes et processus omnes in huiusmodi visitatione sumendas et faciendos, sub suo sigillo clausas et clausos, ad nos quamprimum diligenter transmittat, ut quod in illis statuendum sit, maturâ consultatione adhibitâ, decernamus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, nec non in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum et locorum regularium quorumcumque, et Ordinum quorum fuerint (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis), statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus ad unum annum tantum et interim ad beneplacitum nostrum duraturis.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI aprilis MDCXVIII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 21 aprilis 1618, pontif. anno XIII.

CCCVII.

Ecclesiasticis regni Castellae mandatur, quaedam extraordinaria subsidia regi solvant intra sexennium pro religionis catholicae defensione[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico
Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a re ipsa petitum.

Orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelus, ac singularis in apostolicam Sedem devotio, aliaque catholici cognomine optimo iure insigniti regis praeclara merita, quae in maiestate tuâ caelesti gratiâ resplendent, plane exigunt,

[1] Edit. Main. semper legit *si quae* (R. T.).

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

ut subsidia pro eiusdem fidei defensione a tuis subditis prompte tibi oblata, quantum cum Domino possumus, adiuvemus.

Laici regni Castellae quaedam subsidia extraordinaria regi offerunt.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, subditi regnorum tuae coronae Castellae in novissimis comitiis sive curiis habitis (animadvertentes maiestatem tuam, pro eiusdem religionis defensione et obedientiae erga S. R. E. conservatione in tuis et exteris ditionibus et regnis, gravissimis assidue sumptibus urgeri, tuaque aeraria pene exhausta, ita ut, nisi aliquo eorumdem subditorum extraordinario subsidio subleveris, eosdem sumptus in tam laudabilem, Deo gratam, et Reipublicae Christianae utilem causam convertendos[1] diutius ferre difficile possis) quaedam superadditionalia nuncupata servitia sive subsidia[2], quae in totum summam decem et octo millionum nummorum aureorum conficere debeant, ex gabellâ *Sisa* nuncupatâ super vino, musto, aceto, aquato, oleo, et carnibus in dictis regnis colligendâ, consumendâ, et imponendâ[3], non solum per ementes et vendentes solvendâ, sed etiam per eos, qui percipiunt oleum et vinum ex propriis terrenis, aut affictibus, aut emunt in uvis, aut olivis, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, seu aliàs ex quovis alio redditu et introitu habent et consumunt, praestare prompte obtulerint, omnesque laici, cuiuscumque gradus, status, conditionis et praeeminentiae eadem subsidia contribuere, et gabellam solvere debeant, neque ullus immunis futurus[4] sit, aut exemptus, tuaque maiestas nobis haec significaverit:

Ad quae praestanda cum eorum vires minime suppetant;

§ 2. Nos, promptam et devotam eorumdem regnorum et subditorum tuorum in te voluntatem, qui facultates suas pro catholicâ religione conferre intendunt, commendantes, quia, sicut etiam accepimus, si tantummodo laici subsidia huiusmodi contribuerent, et gabellam seu *Sisam* praedictam solverent, nimis longo tempore summa praedicta conficeretur, et laicorum facultates ad summam huiusmodi decem et octo millionum, ut praefertur, aliter conficiendam minime suppetunt, eadem subsidia per ecclesiasticas personas adiuvanda, ut infra sequitur, existimavimus.

Paulus ab ecclesiasticis quoque praestari mandat intra sexennium.

§ 3. Motu igitur proprio ac maturâ deliberatione nostris, et de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas ecclesiasticas personas, tam seculares quam cuiuscumque Ordinis, etiam exempti et Apostolicae Sedi immediate subiecti, regulares, nec non monasteria utriusque sexus, conventus, et collegia, ac ecclesiarum capitula regnorum Castellae praedictorum, ac in eisdem regnis commorantia et consistentia, ad conferendum et contribuendum proportionabiliter, et non aliàs, prout laici in dictis subsidiis, mediante solutione gabellae seu *Sisae* eorumdem subsidiorum causâ super vino, musto, aceto, aquato, oleo et carnibus in praedictis regnis colligendis et consumendis imponendae, seu forsan impositae, durante tamen sexennio proximo dumtaxat, et non ultra, teneri et obligatos esse (non tamen quoad praedictas rerum species, quas ex propriis terrenis, seu decimis, aut aliis quibuscumque redditibus propriis per se, vel per alios, etiam affictuarios suos, vel etiam ex eleemosynis percipiunt, et pro divino cultu ac propriis et familiarum suarum usibus consumunt, pro quibus omnino immunes et exempti sint) decernimus et declaramus; ita tamen, quod, si ante sexennii huiusmodi finem praedicta

1 Edit. Main. legit *convertendi* (R. T.).

2 De huiusmodi subsidiis vide etiam analogam Const. CCCLXV Clem. VIII in tom. XI, pag. 154; et Const. LXXXV eiusdem Pauli V in eodem tom. XI, pag. 439 (R. T.).

3 Videretur potius legendum: *colligendis et consumendis imponendâ* (R. T.).

4 Edit. Main. legit *futuris* (R. T.).

summa decem et octo millionum nummorum aureorum confecta fuerit, ecclesiastici praedicti amplius contribuere, et dictam gabellam, seu *Sisam*, ut praefertur, solvere non debeant, ac praesens gratia eo ipso expiret.

Recusantes ab Ordinariis vult compelli.

§ 4. Decernentes, quod omnes et singuli ecclesiastici praedicti recusantes, opportunis iuris et facti remediis, adhibitâ tamen Ordinariorum ecclesiasticorum locorum auctoritate (non autem per exactores eiusdem gabellae, seu *Sisae*, neque per quoscumque iudices aut ministros seculares, aut coram eisdem[1] iudicibus, et ministris secularibus, sub poenâ excommunicationis maioris, nec non aliis poenis a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis inflictis et comminatis ipso facto incurrendis, conveniri nullo modo debeant, sed coram praedictis Ordinariis ecclesiasticis tantum), compelli valeant.

Ita tamen, ut praeter concessionem non graventur.

§ 5. Quibus Ordinariis districte praecipiendo mandamus, ut, divini iudicii memores, ne ecclesiastici indebite, et plusquam laici, nec ultra continentiam nostrarum litterarum graventur, super quo eorumdem etiam Ordinariorum conscientiam oneramus, omnino provideant, et contra eosdem ecclesiasticos recusantes et regulares et exemptos ac nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectos, ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem, exequutive, quacumque appellatione remotâ, auctoritate nostrâ procedant.

Et pecuniae colligendae in praescriptos usus dumtaxat convertantur.

§ 6. Volumus autem, ut pecuniae ex praedicto subsidio[2] et gabellâ, seu *Sisa*, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis percipiendâ, in alios usus, quam catholicae religionis defensionis et obedientiae conservationis erga Romanam Ecclesiam, pro quibus, ut praefertur, contribuuntur, nullatenus convertantur, super quo maiestatis tuae conscientiam oneramus.

Derogat obstantibus.

§ 7. Non obstantibus regnorum praedictorum statutis et consuetudinibus, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in quibusvis generalibus conciliis editis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, regnis, personis, capitulis, monasteriis, conventibus, collegiis, et aliis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 8. Ut autem praesentes nostrae litteriae, cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII augusti MDCXVIII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 8 augusti 1618, pontif. an. XIV.

1 Edit. Main. legit *eiusdem* (R. T.)

2 Edit. Main. habet *ex praedicti subsidii et gabellâ* (R. T.).

CCCVIII.

Indultum fratribus Ordinis Eremitarum sancti Augustini regni Valentiae, et capitulo cathedralis ecclesiae Valentinae, venerabilem Thomam a Villanova, olim eiusdem ecclesiae archiepiscopum, appellandi Beatum, officiumque ac missam celebrandi die XVIII *septembris*[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In Sede Principis apostolorum nullis licet nostris suffragantibus meritis a Domino constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Philippus rex regnumque Valentiae venerabilem Thomam a Villanova Beatum nuncupari posse petunt.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum prioris generalis et aliorum superiorum nec non fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini nobis nuper expositum fuit, quod bonae memoriae Thomas a Villanova, eiusdem Ordinis, dum vixit, professus, ac archiepiscopus Valentinus, multis eximiis virtutum, gratiarum, ac miraculorum donis a Domino illustratus fuit; quapropter non solum universus Ordo praedictus, sed etiam charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, ac venerabilis frater Isidorus archiepiscopus Valentinus, nec non dilecti filii capitulum cathedralis ecclesiae Valentinae, ac deputati, electi, et syndici regni et civitatis Valentiae nobis humiliter supplicari fecerunt, ut, donec canonizationis honorem, quem dicto Thomae a Villanova, ob eius excellentia merita, aliquando divinâ adspirante gratiâ habitum iri sperant, ab Apostolicâ Sede impetrent, idem Thomas a Villanova Beatus vocari, ac de eodem officium et missa, ut infra, recitari possit.

Paulus eum Beatum appellari, officiumque fieri in regno Valentiae definit.

§ 2. Quare nos, re prius per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositos[1], quibus eam examinandam mandavimus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut ipse bonae memoriae Thomas a Villanova in posterum Beatus nuncupari, atque singulis annis die decimâ octavâ septembris in toto regno Valentiae a religiosis eiusdem Ordinis sancti Augustini, tam fratribus quam monialibus, et in civitate Valentinâ, ubi eius corpus requiescere asseritur, et dioecesi Valentinâ, cuius per undecim annos archiepiscopus fuit, ut praefertur, ab omnibus utriusque sexus regularibus personis, et etiam presbyteris et clericis secularibus, de eo tanquam de Beato iuxta rubricas breviarii et missalis romani de communi confessoris pontificis officium recitari et missa celebrari respective libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCXVIII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 7 octobris 1618, pontif. an. XIII.

1 Ex regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *praepositis* (R. T.).

CCCIX.

Extensio indulti recitandi officium beati Philippi Benitii Ordinis fratrum Servorum beatae Mariae pro regularibus et secularibus civitatis Tudertinae[2].

2 Alia duo de hac re eiusdem Pauli V Brevia et Leonis X indultum quae suis locis relata non fuerunt, heic adiiciuntur (R. T.).

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Domini nostri Iesu Christi, qui servos suos aeternae gloriae praemio donat in caelis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex iniuncto nobis pastoralis officii debito libenter procuramus, ut eorumdem servorum Christi honos et veneratio in terris promoveatur; ideoque fidelium votis, quae peculiarem erga illos cultum respiciunt, favorabiliter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicant Pontifici Ordo Servorum et communitas Tudertina pro licentia recitandi officium B. Philippi in civitate Tudertina ubi eius corpus requiescit.

§ 2. Sane, nomine dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis nostrae Tudertinae[1], ac Aurelii Raphaelis Ordinis fratrum Servorum beatae Mariae procuratoris generalis, nobis nuper expositum fuit, quod ipsi ex singulari, quem erga beatum Philippum Benitium eiusdem Ordinis professorem gerunt, devotionis affectu, ac aliàs ad augendam fidelium erga illum devotionem, officium de eodem beato Philippo, aliàs a nobis per nostras in simili formâ Brevis sub die XII octobris MDCVI expeditas litteras approbatum[2], in praedictâ civitate, ut infra, recitari posse summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut de opportunâ sibi in praemissis licentiâ providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Quam concedit pro omnibus regularibus et secularibus.

§ 3. Nos igitur, piis communitatis et hominum nec non Aurelii Raphaelis praedictorum votis huiusmodi annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut in civitate praedictâ tantum, ubi eiusdem beati Philippi corpus, ut asseritur, asservatur, officium de dicto beato Philippo, per nos, ut praemittitur, approbatum, ab omnibus tam secularibus quam regularibus personis publice, privatimque in die eius obdormitionis in Domino recitari libere et licite valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem perpetuo concedimus et impertimur.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XXIV octobris MDCXVIII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 24 octobris 1618, pontif. an. XIV.

1 Edit. Main. habet *Tudertina* (R. T.).
2 Hae litterae paulo post sequuntur (R. T.).

Indultum a Leone Papa X fratribus eiusdem Ordinis concessum, ut pro Beato venerari possint Philippum Benitium dicti Ordinis olim professorem; eiusque festum die XXIII *augusti sub duplici officio quotannis celebrare.*

Leo Papa X,

Dilectis filiis priori generali et fratribus Ordinis beatae Mariae Servorum, sub regulâ sancti Augusti, salutem et apostolicam benedictionem.

B. Philippus Benitius, Ordinis Servorum Beatae Mariae, ante et post obitum miraculis claruit.

Exposuit nobis nuper dilectus filius noster Antonius tituli sanctae Praxedis presbyter cardinalis Ordinis vestri protector, ex parte vestrâ, quod tempore, quo institutus fuit Ordo vester fratrum beatae Mariae Servorum sub regulâ sancti Augustini, beatus Philippus patriâ Florentinus, ex gente Benitia, trans Arnum, tunc prior generalis eiusdem Ordinis, velut gemma rutilans, doctrinâ, humilitate,

moribus, ieiuniis, abstinentiâ, plurimisque miraculis Ordinem ipsum illustravit, tam eo in humanis agente, quam etiam vitâ functo, ob plurima miracula, quae (ut creditur) intercessione ipsius beati Philippi, pluribus in locis operatus est Altissimus, et praesertim Tuderti, ubi eius corpus summâ cum veneratione quiescit, et pro Beato habitus est, et praesens habetur et colitur;

Ideo supplicatur Leoni ut Ordo in suis ecclesiis possit eius officium celebrare tamquam Beati.

§ 1. Et propterea pro devotionis affectu summopere desideratis, instanterque efflagitatis, in vestris ecclesiis et oratoriis utriusque sexus dictum Philippum pro Beato, ac Deo dilecto, orationibus et officiis, ac missarum celebrationibus, tam publice quam private, venerari, ac preces effundere ut apud Deum pro vobis intercedere dignetur;

Ac in die obitus ipsius duplex festum itidem celebrare.

§ 2. Ac etiam, quod in die obitus dicti beati Philippi liceat vobis a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive, per omnes ecclesias, monasteria, seu domos fratrum et monialium dicti Ordinis vestri, ipsi beato Philippo festum duplex, cum campanis et luminibus et aliis caeremoniis in festo duplici fieri solitis, celebrare seu celebrari facere posse absque superstitione, seu quasi idololatriae notâ:

Leo Pontifex utrumque concedit.

§ 3. Quare idem cardinalis, qui, ut praefertur, Ordinis vestri protector existit, et de praemissis ex mandato nostro ad plenum se informavit et nobis retulit, ac humiliter supplicavit, ut vestro pio desiderio annuere dignaremur. Nos itaque, eiusdem Antonii cardinalis et vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, ut, donec ad canonizationem ipsius Philippi deventum fuerit, cui ad praesens diversis arduis negociis praepediti vacare non possumus, in quibuscumque ecclesiis, domibus, monasteriis monialium, oratoriis utriusque sexus, totius Ordinis vestri tantum, tam in Italia, quam extra, in quibuscumque locis consistentibus, liceat vobis absque aliquâ superstitionis vel quasi idololatriae notâ ac conscientiae scrupulo venerari, et in ecclesiis domorum ad eumdem Philippum, ut pro vobis apud Deum intercessor existat, in orationibus et officiis, ac missarum solemniis, preces tam publice quam private seu secrete fundere, vosque ipsius orationibus commendare, ac etiam quod a primis vesperis ad secundas vesperas inclusive diei ipsius Philippi obitus (qui erit die XXIII mensis augusti) sub duplici festo Confessoris, cum candelis, campanis, antiphonis, versiculis, orationibus, ceterisque caeremoniis in festo duplici fieri solitis adhibitis, celebrare possitis et valeatis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, de specialis dono gratiae concedimus.

Contrariis derogat.

§ 4. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim felicis recordationis Alexandri III et Innocentii III praedecessorum nostrorum, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Exemplis huius constitutionis credi iubet.

§ 5. Et quoniam difficile foret, praesentes litteras ad diversas mundi partes transmittere, volumus et earumdem praesentium tenore decernimus, quod illarum transumptis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo protectoris dicti Ordinis, aut prioris generalis eiusdem munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

Declaratio quod haec licentia non habeat vim canonizationis.

§ 6. Volumus autem, quod per praemissa praefatus Philippus in catalogo Sanctorum annumeratus et canonizatus publice minime censeatur.

Datum Florentiae, sub annulo Piscatoris, die XXIV ianuarii MDXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 ianuarii 1516, pont. anno III.

Sequitur ampliatio dicti indulti, scilicet quod lectiones propriae dicti Beati in

matutinis recitari possint, prout etiam officium de Beata Virgine singulis diebus sabbati non impeditis.

Paulus Papa V,

Dilectis filiis priori generali ac fratribus Ordinis Servorum beatae Mariae, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Eximia Ordinis vestri in Deum pietas, et singularis devotio quam in primis erga beatissimam Virginem, cuius obsequiis ex praedicti vestri Ordinis instituto praecipue obstricti estis, deinde erga beatum Philippum Benitium, qui eiusdem Ordinis, dum vixit, prior extitit generalis, et illum, *qui fuit vitae sanctitate,* suo nomine illustrat ac decorat, vos gerere accipimus, ac venerabilis fratris nostri Hieronymi episcopi Albanensis cardinalis Asculani nuncupati, dicti[1] Ordinis apud nos et Apostolicam Sedem protectoris, preces ac merita iure postulant, ut in his, quae ad ipsius beatissimae Virginis venerationem augendam, et ad beati quoque Philippi memoriam in vestro Ordine honorificentius recolendam pertinent, piis votis vestris libenter annuamus.

Leo X concessit Ordini quod sub duplici officio beati Philippi Benitii festum celebrare possit, ut supra in eius constitutione.

§ 1. Cum itaque vobis felicis recordationis Leo Papa X praedecessor noster, eumdem beatum Philippum honorare studens, duplex de eodem officium vos agere voluerit: nos eumdem beatum virum amplius honorificare cupientes, supplicationibus vestro nomine per dictum Hieronymum episcopum et cardinalem nobis humiliter porrectis inclinati,

Et hic Pontifex indulget, ut lectiones proprias dicti Beati in matutinis recitare possint,

§ 2. Vobis, ut in quibuscumque vestri Ordinis ecclesiis in matutinis officiis, quod de beato Philippo ex indulto dicti Leonis praedecessoris recitare soletis, lectiones proprias infrascriptas, ex vitâ ipsius beati Philippi per approbatos auctores descriptâ desumptas, ac iussu nostro per venerabilem fratrem Hieronymum praedictum Asculanum, ac dilectos filios nostros Caesarem Baronium, Robertum Bellarminum, et Hieronymum Pamphilium nuncupatos, S. R. E. cardinales, examinatas et approbatas, recitare libere et licite possitis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Prout etiam officium solemne de beata Virgine singulis sabbatis non impeditis.

§ 3. Ac praeterea, quoniam, ut dictae preces pariter continebant, officium beatissimae Virginis ex antiquo vestri Ordinis more, usque ad reformationem breviarii felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri iussu factam, recitare consuevistis, et eamdem laudabilem consuetudinem renovare desideratis, religiosis desideriis vestris huiusmodi annuentes, ut diebus sabbati, aliquo festo duplici aut vigiliâ de praecepto non impeditis, et exceptis sabbatis Adventus et Quadragesimae, officium solemne, cum novem lectionibus, de beatissimâ Virgine agere, et, illud agendo, divini officii obligationi satisfacere, perinde ac si officium sabbati ageretis, similiter libere et licite valeatis, auctoritate et tenore praesentis, pariter concedimus et indulgemus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac novi breviarii romani editione, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, manu prioris, seu vicarii generalis, ac sigillo vestri Ordinis obsignatis, eadem fides, quae ipsis praesentibus haberetur, ubique locorum habeatur. Lectionum vero, etc. *(Omittuntur Lectiones, quia legi possunt in Breviario Romano).*

Datum Romae, apud S. Marcum, die XII octobris MDCVI, anno II.

Dat. die 12 octobris 1606, pontif. an. II.

Subsequitur extensio praedicti indulti recitandi officium de dicto Beato ad omnes presbyteros tam regulares quam seculares in civitate Florentinâ.

1 Edit. Main. habet *dictis* (R. T.).

Paulus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Domini nostri Iesu Christi, qui servos suos aeternae gloriae praemio donat in caelis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex iniuncto nobis pastoralis officii debito, ut eorumdem servorum Christi honos et veneratio promoveatur, libenter procuramus, et christifidelium votis, quae peculiarem erga illos cultum respiciunt, libenter annuimus, ut conspicimus salubriter in Domino expedire.

Leo X Ordini fratrum Servorum beatae Mariae concessit quod in omnibus suis ecclesiis officium de Beato Philippo Benitio Florentino celebrare possint in die sui obitus.

§ 1. Sane, nomine dilecti filii Aurelii Raphaelis Ordinis Servorum beatae Mariae procuratoris generalis nobis nuper expositum fuit, quod aliàs felicis recordationis Leo Papa X praedecessor noster fratribus Ordinis praefati indulsit, ut in omnibus dicti Ordinis ecclesiis officium de beato Pilippo Benitio Florentino, olim dicti Ordinis professore, in die eius obdormitionis in Domino celebrare possent et valerent, prout in dictis Leonis praedecessoris desuper expeditis in simili formâ Brevis litteris plenius continetur.

Cosmus postea magnus dux Hetruriae Pontifici supplicavit pro festi celebratione et extensione dicti indulti ad omnes personas ecclesiasticas civitatis Florentiae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, bonae memoriae Ferdinandus, dum vixit, desideraverit, ac dilectus filius nobilis vir Cosmus Hetruriae sibi subiectae magni duces, ac dilectae in Christo filiae nobiles mulieres Christerna dicti Ferdinandi vidua relicta, ipsiusque Cosmi mater, ac Maria Magdalena archiducissa Austriae eiusdem Cosmi uxor, necnon venerabilis frater Alexander archiepiscopus Florentinus, plurimum cupiant, indultum huiusmodi ad alias omnes tam regulares quam seculares personas ecclesiasticas civitatis Florentiae, in qua dictus beatus Philippus natus et educatus fuit, extendi, ac diem festum celebrari posse:

Idem ergo Pontifex hic concedit, et festum die XXIII augusti celebrari posse indulget.

§ 3. Nos, pium Cosmi magni ducis, et Christernae magnae ducissae viduae, ac Mariae Magdalenae archiducissae, necnon Alexandri archiepiscopi praefatorum desiderium plurimum in Domino commendantes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, omnibus et singulis ecclesiasticis personis, tam secularibus quam regularibus, ut in die obdormitionis in Domino dicti beati Philippi, qui ut asseritur, est XXIII mensis augusti, eius festum celebrare, et officium de dicto beato Philippo sub ritu simplici iuxta formam et rubricas breviarii romani, in civitate Florentinâ praefatâ tantum, peragere [1] libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem perpetuo concedimus et impertimur.

Derogatque contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die ultimâ iulii MDCXV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 31 iulii 1615, pontif. an. XI.

CCCX.

Beatificatio venerabilis Paschalis Baylon ex Discalceatis Ordinis Minorum regularis Observantiae, provinciae sancti Ioannis Baptistae regni Valentiae, cum indulto recitandi officium et celebrandi missam pro fratribus huius Ordinis in eodem regno Valentiae, ac in oppido Villae Regalis eiusdem regni, ubi eius corpus requiescit.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In Sede Principis apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, a Do-

1 Perperam edit. Main. legit *peragi* (R. T.).

mino constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Instantia facta Pontifici pro huius viri beatificatione.

§ 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum ministri generalis, et aliorum superiorum, necnon fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum, nobis nuper expositum fuit, quod bonae memoriae Paschalis Baylon, eiusdem Ordinis, dum vixit, professor, multis et eximiis virtutum gratiarum ac miraculorum donis a Domino illustratus fuit; quapropter non solum universus Ordo praedictus, sed etiam charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, ac dilecti filii nostri Franciscus S. R. E. cardinalis Lermae nuncupatus, necnon totius regni Valentiae proceres nobis humiliter supplicari fecerunt, ut (donec canonizationis honorem, quem dicto Paschali Baylon, ob eius excellentia merita, aliquando, divinâ adspirante gratiâ, habitum iri sperant, ab Apostolicâ Sede impetrent) idem Paschalis Baylon Beatus vocari, ac de eodem officium et missa, ut infra, recitari possit.

Qui petitis annuens, ab omnibus Ordinis sancti Francisci Discalceatorum fratribus missam et officium celebrari posse permittit.

§ 2. Quare nos, re prius per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositos, quibus id examinandum mandavimus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati; ut ipse bonae memoriae Paschalis Baylon in posterum Beatus nuncupari, atque de eo singulis annis die XVII maii, quo obdormivit in Domino, a fratribus eiusdem Ordinis in regno Valentiae commorantibus, tamquam de confessore non pontifice, iuxta rubricas breviarii et missalis romani, officium recitari et missa celebrari, necnon in ecclesiâ fratrum eiusdem Ordinis oppidi Villae Regalis in eodem regno Valentiae existentis[1], ubi eius corpus requiescere asseritur, ab omnibus presbyteris, tam secularibus quam regularibus, missa, ut supra, similiter celebrari libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore presentium, concedimus et indulgemus.

Cum derogatione contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX octobris MDCXVIII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 29 octobris 1618, an. pontif. XIV.

1 Nisi quis malit legere *existenti* (R. T.).

CCCXI.

De magistrorum caeremoniarum, aliorumque officialium S. R. E. cardinalium collegii emolumentis et privilegiis.

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Fides et diligentia magistrorum caeremoniarum, ac clericorum et officialium sacri venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium collegii, eorumque assidui labores in rebus et negotiis eiusdem sacri collegii procurandis, eorumque praesertim, qui nunc in officio sunt, a nobis merito requirunt, ut eorum iura et privilegia, quibus ex antiquâ et approbatâ consuetudine potiuntur et gaudent, nostro patrocinio benigne tueamur.

Recenset summam pecuniarum a S. R. E. cardinalibus solvi solitarum magistris caeremoniarum, secretario, clerico et computistae, in creatione et obitu eorumdem.

§ 1. Sane, cum dilecti filii magistri nostri caerimoniarum, centum, secretarius vero, ac clericus, et computista eiusdem collegii venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, septuagintaquinque ducatos auri de camerâ a singulis cardinalibus in promotionibus eorum ad cardi-

nalatus honorem, quinquaginta videlicet pro quolibet magistrorum caeremoniarum huiusmodi, ac vigintiquinque pro quolibet aliorum trium officialium, seu ministrorum praefatorum; in obitu autem ipsorum cardinalium iidem magistri caeremoniarum quinquaginta, secretarius vero ac clericus et computista praefati similiter septuagintaquinque ducatos huiusmodi, videlicet vigintiquinque pro quolibet magistrorum caeremoniarum, ac pariter vigintiquinque pro quolibet eorumdem trium officialium, seu ministrorum, ab ipsorum cardinalium haeredibus accipere et exigere consueverint, dictique centum in promotione, et quinquaginta in obitu praefatis magistris, ac septuagintaquinque in promotione, e pariter septuaginta[1] ducati similes in obitu eorumdem cardinalium aliis tribus officialibus, seu ministris, ut praefertur, solvi debeant;

Causae huius Constitutionis.

§ 2. Nihilominus nos, ne ex eo, quod litterae apostolicae pro omnibus huiusmodi officialibus hactenus nullae emanaverint, sive ex eo, quod ad cardinalatus honorem promoti post illorum promotionem Romam nondum venerint, sive ex eo, quod cardinales ipsi extra Romanam curiam decesserint, vel aliàs, magistris et officialibus seu ministris praefatis dictas summas, illis, ut praefertur, debitas, solvere recusent, seu longius differant in eorum grave praeiudicium; attendentes praefatos cardinales officio magistrorum, ac trium officialium, seu ministrorum praefatorum egere et uti; dictamque summam a Romanis Pontificibus tamquam mercedem, seu pro mercede illorum ab immemorabili tempore constitutam esse;

Quam praedictam summam a dictis S. R. E. cardinalibus et eius haeredibus respective omnimode solvi debere, statuit.

§ 3. Et propterea indemnitatibus eorum consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, praefatis caeremoniarum magistris centum, ac secretario et clerico ac computistae septuagintaquinque in promotione ad cardinalatus honorem, nec non eisdem magistris quinguaginta, ac secretario, clerico et computistae similiter septuagintaquinque ducatos auri de camerâ praefatos post obitum singulorum cardinalium huiusmodi, etiamsi ad cardinalatus honorem promoti Romam nondum venerint, et sive in Romanâ curiâ, vel extra eam, et ubicumque decedere contigerit, in supplementum mercedis ordinariae eorumdem officialium seu ministrorum deberi, illisque coniunctim per pro tempore existentes cardinales praefatos seu eorum agentes et haeredes respective, et aliàs, ut praefertur, absque morâ solvi, et cuilibet ex eis consignari debere, sine tamen praeiudicio quorumcumque iurium camerae apostolicae, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Exequutores deputat.

§ 4. Iniungentes propterea dilectis filiis eiusdem S. R. E. collegii dictorum cardinalium moderno et pro tempore existenti camerario, nec non curiae causarum nostrae apostolicae generali auditori, quatenus infra mensem a die promotionis eorumdem cardinalium computandum, etiamsi iidem cardinales, nondum, ut praefertur, Romam venerint, per dicti collegii depositarium, vel aliàs, prout melius expedire videbitur, centum magistris caeremoniarum, ac septuagintaquinque secretario, clerico et computistae, in obitu autem, seu post obitum praefatorum cardinalium, sive in dictâ curiâ, sive extra eam et ubicumque decedere contigerit, quinguaginta eisdem magistris, ac pariter septuagintaquinque ducatos praefatos secretario, clerico et computistae praefatis ab haeredibus eorumdem cardinalium, quibusvis appellationibus, subterfugiis et cavillationibus remotis, ut praefertur, persolvi curent, et etiam cum effectu faciant, ac summarium et expeditum ius illis administrent, omnibusque remediis opportunis sibi benevisis, etiam cum invocatione

1 Legendum foret *septuagintaquinque* (R. T.).

auxilii brachii secularis, cogant et compellant.

Contraria removet.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praefatis cardinalibus, et quibusvis aliis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis et expressa mentio habenda foret, eorumque tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III ianuarii MDCXIX, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 3 ianuarii 1619, pontif. an. XIV.

Additur constitutio Pii Papae IV de emolumentis persolvendis in creatione et obitu cardinalium magistris caeremoniarum.

Pius Papa IV,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius constitutionis.

Licet, sicut nobis constat, et dum in minoribus essemus, saepe vidimus, et ipsimet experti sumus, dilecti filii magistri nostri caeremoniarum a singulis S. R. E. cardinalibus in promotionibus eorum ad cardinalatus honorem centum, et in obitu, seu post obitum ipsorum cardinalium, ab haeredibus eorum quinquaginta ducatos auri de camerâ habere et consequi consueverint, dictique centum in promotione, et quinquaginta ducati in obitu huiusmodi praefatis magistris solvi debeant: nihilominus nonnulli ex dictis cardinalibus, seu eorum agentes et successores, nescitur quo praetextu, dictam summam per eos, ut praefertur, debitam, eisdem magistris solvere recusant, in eorum grave praeiudicium.

Statuit centum in promotione ad cardinalatus et quinquaginta ducatos auri de camera in obitu singulorum cardinalium caeremoniarum magistris omnino solvi debere.

§ 1. Nos igitur, attendentes praefatos cardinales officio dictorum magistrorum egere et uti, dictamque summam a Romanis Pontificibus tamquam mercedem, seu pro mercede eorumdem magistrorum, ab immemorabili tempore citra, constitutam fuisse et esse, et propterea indemnitatibus eorum opportune consulere volentes, motu proprio et ex certâ nostrâ scientiâ, centum in promotione ad cardinalatus honorem, et quinquaginta ducatos auri de camerâ praedictos in obitu seu post obitum singulorum cardinalium huiusmodi, sive in Romanâ curiâ, sive extra eam, et ubicumque decesserint, vel decedere contigerit, praefatis magistris deberi, ac sibi per modernos, qui illos solvere recusant, et pro tempore existentes S. R. E. cardinales, seu eorum agentes et haeredes respective solvi, et eis consignari debere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo statuimus, volumus et ordinamus.

Exequutores huius constitutionis.

§ 2. Mandantes propterea dilectis filiis Guidoni Ascanio Sanctae Mariae in Via Lata, diacono cardinali de Sancta Flora nuncupato, nostro et eiusdem Romanae Ecclesiae collegii dictorum cardinalium moderno[1] et pro tempore existentibus camerariis, quatenus eisdem magistris caeremoniarum de dictis ducatis, sic debitis et solvi recusatis, per cardinales, seu eorum agentes et haeredes praefatos respective, plenarie et integre responderi faciant.

Mandat solvi omnimode dictis magistris infra mensem.

§ 3. Et nihilominus de cetero, pro potiori cautelâ, infra mensem a die promotionis eorumdem cardinalium computandum, per dicti collegii depositarium, vel aliàs, prout melius expedire videbitur, centum, quinquaginta vero ducatos huiusmodi in obitu seu post obitum praefatorum cardinalium, sive in dictâ curiâ, sive extra

1 Tum edit. Main. tum Cherub. leg. *modernis* (R. T.).

eam, et ubicumque decesserint, vel decedere contigerit, ut praefertur, ab haeredibus eorumdem cardinalium, quibusvis, appellationibus, subterfugiis et cavillationibus remotis, ipsis magistris caeremoniarum persolvi curent, et etiam cum effectu faciant, et ad id illos omnibus remediis opportunis sibi benevisis, etiam cum invocatione auxilii brachii secularis, cogant et compellant.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis[1], statutis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praefatis cardinalibus et quibusvis aliis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis et expressa mentio habenda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die x maii MDLXIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 10 maii 1563, pontif. an. IV.

CCCXII.

Iubilaei indictio ad divinam opem in praesentibus Ecclesiae necessitatibus implorandam.

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei,
Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Dominus ac Deus noster excelsus, qui in omnibus operibus suis iustus est et misericors, iusto licet iudicio visitet in virgâ iniquitates nostras, et in verberibus peccata nostra, misericordiam tamen suam non amovet a nobis: temporalia enim immittens flagella, immensâ benignitate et charitate suâ revocat nos ab iniquitatibus nostris, ut ad poenitentiam adducamur.

Causa indictionis huius iubilaei.

§ 1. Id vero nos cogitantes, sicut pro nostrâ pastorali curâ maximo cordis dolore afficimur cernentes tantis ac tam gravibus procellis interdum, ac praecipue hoc tempore in inclytâ Germania et vicinis provinciis, agitari Ecclesiam Dei, ita etiam speramus in Domino, quod si eum, pressuris nos in vias suas revocantem, audierimus, dignos fructus agentes poenitentiae, de tribulationum procellis populum suum educet et tranquillitatem Ecclesiae suae restituet. Hoc vero, ut impetrare valeamus, in corde contrito et humiliato orationibus ad Deum adeamus; scriptum est enim: *Orabitis me, et ego exaudiam vos, quaeretis me, et invenietis, cum quaesieritis in toto corde vestro;* nec desint orationes, ieiunia, eleemosinae, et alia pia opera, memores Danielis, cuius verba, ex quo die apposuit cor suum, ut se affligeret in conspectu Dei, exaudita fuerunt: nam quod attinet ad eleemosynas, eas peccata purgare, ac facere ut inveniatur misericordia, satis etiam divinis eloquiis admonemur. Quocirca, ut, quantum cum Domino possumus, fideles ad ad haec alacrius peragenda invitemus, pro nostro pastoralis officii munere, ex solemni Ecclesiae catholicae more, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum, licet nullis nostris meritis, a Domino dispensatores constituti sumus, proferre et largissime erogare decrevimus.

Hortatur ad eius assequutionem.

§ 2. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles tam in Almâ Urbe nostrâ, quam alibi ubi-

1 Vocem *statutis* delemus (R. T.).

que locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne, enixeque requirimus, monemus et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, ac ad Deum Patrem misericordiarum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere, ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur.

Iubilaeum praedictum concedit iis, qui interfuerint processionibus hic enumeratis, ac fecerint alia, ut hic.

§ 3. Quamobrem, de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui solemnibus processionibus, quas ab ecclesiâ sanctae Mariae Angelorum nuncupatâ ad basilicam sanctae Mariae Maioris, et ab ecclesiâ sanctae Mariae super Minervam ad ecclesiam sanctae Mariae de Animâ pariter nuncupatam, feria quartâ et sextâ nos sequenti hebdomadâ, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, christianorumque regum et principum apud nos et Apostolicam Sedem oratoribus, omnibusque praelatis et proceribus, universoque clero et populo agemus, interfuerint, aut qui praedictâ vel illam sequenti hebdomadâ easdem ecclesias vel duas illarum saltem semel visitaverint, ibique devote, ut supra, Deum oraverint, ac feria quartâ et sextâ ac sabbato eiusdem vel sequentis hebdomadae ieiunaverint, et peccata sua confessi fuerint, atque in primo die dominico, vel secundo, seu saltem alio dictarum hebdomadarum die, sanctissimum Eucaristiae sacramentum reverenter susceperint, et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint:

Absentibus formam illud consequendi praescribit.

§ 4. Ceteris vero omnibus et singulis fidelibus extra Urbem existentibus, in quibusvis civitatibus, terris et locis, qui processioni ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, vel de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, primâ vel secundâ hebdomadâ, postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae devenerint, indicendae et agendae, interfuerint, vel ecclesiam seu ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, Deum oraverint, ac feriâ quartâ, sextâ et sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac sanctissimâ communione refecti fuerint, et eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Item itinerantibus.

§ 5. Navigantes vero, aut iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis omnibus peractis, ut supra eamdem indulgentiam consequi possint et valeant;

Item claustralibus et infirmis vel captivis.

§ 6. Regularibus autem personis utriusque sexus, in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis, quam religiosis[1], secularibus seu regularibus, in carcere aut in captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut confessarius, quem, ut infra elegerint, praedicta omnia et singula, vel eorum aliqua, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

1 Nescio an non legendum *ecclesiasticis* (R. T.).

eam, et ubicumque decesserint, vel decedere contigerit, ut praefertur, ab haeredibus eorumdem cardinalium, quibusvis, appellationibus, subterfugiis et cavillationibus remotis, ipsis magistris caeremoniarum persolvi curent, et etiam cum effectu faciant, et ad id illos omnibus remediis opportunis sibi benevisis, etiam cum invocatione auxilii brachii secularis, cogant et compellant.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis[1], statutis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praefatis cardinalibus et quibusvis aliis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis et expressa mentio habenda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die x maii MDLXIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 10 maii 1563, pontif. an. IV.

CCCXII.

Iubilaei indictio ad divinam opem in praesentibus Ecclesiae necessitatibus implorandam.

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Dominus ac Deus noster excelsus, qui in omnibus operibus suis iustus est et misericors, iusto licet iudicio visitet in virgâ iniquitates nostras, et in verberibus peccata nostra, misericordiam tamen suam non amovet a nobis: temporalia enim immittens flagella, immensâ benignitate et charitate suâ revocat nos ab iniquitatibus nostris, ut ad poenitentiam adducamur.

Causa indictionis huius iubilaei.

§ 1. Id vero nos cogitantes, sicut pro nostrâ pastorali curâ maximo cordis dolore afficimur cernentes tantis ac tam gravibus procellis interdum, ac praecipue hoc tempore in inclytâ Germania et vicinis provinciis, agitari Ecclesiam Dei, ita etiam speramus in Domino, quod si eum, pressuris nos in vias suas revocantem, audierimus, dignos fructus agentes poenitentiae, de tribulationum procellis populum suum educet et tranquillitatem Ecclesiae suae restituet. Hoc vero, ut impetrare valeamus, in corde contrito et humiliato orationibus ad Deum adeamus; scriptum est enim: *Orabitis me, et ego exaudiam vos, quaeretis me, et invenietis, cum quaesieritis in toto corde vestro;* nec desint orationes, ieiunia, eleemosinae, et alia pia opera, memores Danielis, cuius verba, ex quo die apposuit cor suum, ut se affligeret in conspectu Dei, exaudita fuerunt: nam quod attinet ad eleemosynas, eas peccata purgare, ac facere ut inveniatur misericordia, satis etiam divinis eloquiis admonemur. Quocirca, ut, quantum cum Domino possumus, fideles ad ad haec alacrius peragenda invitemus, pro nostro pastoralis officii munere, ex solemni Ecclesiae catholicae more, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum, licet nullis nostris meritis, a Domino dispensatores constituti sumus, proferre et largissime erogare decrevimus.

Hortatur ad eius assequutionem.

§ 2. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles tam in Almâ Urbe nostrâ, quam alibi ubi-

[1] Vocem *statutis* delemus (R. T.).

que locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne, enixeque requirimus, monemus et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, ac ad Deum Patrem misericordiarum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere, ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur.

Iubilaeum praedictum concedit iis, qui interfuerint processionibus hic enumeratis, ac fecerint alia, ut hic.

§ 3. Quamobrem, de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui solemnibus processionibus, quas ab ecclesiâ sanctae Mariae Angelorum nuncupatâ ad basilicam sanctae Mariae Maioris, et ab ecclesiâ sanctae Mariae super Minervam ad ecclesiam sanctae Mariae de Animâ pariter nuncupatam, feria quartâ et sextâ nos sequenti hebdomadâ, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, christianorumque regum et principum apud nos et Apostolicam Sedem oratoribus, omnibusque praelatis et proceribus, universoque clero et populo agemus, interfuerint, aut qui praedictâ vel illam sequenti hebdomadâ easdem ecclesias vel duas illarum saltem semel visitaverint, ibique devote, ut supra, Deum oraverint, ac feria quartâ et sextâ ac sabbato eiusdem vel sequentis hebdomadae ieiunaverint, et peccata sua confessi fuerint, atque in primo die dominico, vel secundo, seu saltem alio dictarum hebdomadarum die, sanctissimum Eucaristiae sacramentum reverenter susceperint, et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint:

Absentibus formam illud consequendi praescribit.

§ 4. Ceteris vero omnibus et singulis fidelibus extra Urbem existentibus, in quibusvis civitatibus, terris et locis, qui processioni ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, vel de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, primâ vel secundâ hedomadâ, postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae devenerint, indicendae et agendae, interfuerint, vel ecclesiam seu ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, Deum oraverint, ac feriâ quartâ, sextâ et sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac sanctissimâ communione refecti fuerint, et eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Item itinerantibus.

§ 5. Navigantes vero, aut iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis omnibus peractis, ut supra eamdem indulgentiam consequi possint et valeant;

Item claustralibus et infirmis vel captivis.

§ 6. Regularibus autem personis utriusque sexus, in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis, quam religiosis[1], secularibus seu regularibus, in carcere aut in captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut confessarius, quem, ut infra elegerint, praedicta omnia et singula, vel eorum aliqua, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

1 Nescio an non legendum *ecclesiasticis* (R. T.).

Facultatem eligendi confessarium approbatum cum potestate absolvendi a casibus reservatis, ut hic, etiam elargitur (*De confessorum approbatione*, vide Concil. Trident. sess. XXV, c. XV).

§ 7. Cupientes autem, omnes christifideles participes fieri huius pretiosissimi thesauri, universis et singulis utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, licentiam concedimus, et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, absolvere et liberare valeant,

Et commutandi vota, religionis et castitatis exceptis.

§ 8. Et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis, et eorum cuilibet, in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Iussio hoc iubilaeum publicandi.

§ 9. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, eorumque vicariis et officialialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione, vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, et cleris ac populis sibi subiectis solemnes processiones et supplicationes indicent, et celebrent, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

Declarat dictam facultatem circa aliquos casus.

§ 10. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae;

Et excommunicatos denunciatos hoc iubilaeum assequi non posse.

§ 11. Neque etiam iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias, et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Clausulas derogatorias apponit.

§ 12. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis (praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei, indulgentiarum ac facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant), necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque ordinum et congregationum sive institutorum regularium (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem ordinibus et congregationibus atque institutis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eo-

rumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut expressio habenda vel quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

E transumptis fidem addit.

§ 13. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis etiam impressis, manu alicuius publici notarii subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXIX, idibus ianuarii, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 13 ianuarii 1619, pontif. anno XIV.

CCCXIII.

Irritatio vectigalis macinae a senatu Veneto impositi in castris sancti Danielis et sancti Viti in praeiudicium dominii super iis spectantis ad patriarcham Aquileiensem et auctoritatis Sedis Apostolicae[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Patriarchae Aquileiensis plenum et liberum dominium in castris sancti Danielis et sancti Viti.

Cum venerabilis frater modernus et pro tempore existens patriarcha Aquileiensis sancti Danielis Aquileiensis et sancti Viti oppidorum seu castrorum Concordiensis respective dioecesum ius et dominium plenum ac liberum pro certo et indubitato habuerit per tempus longissimum, ac per plura annorum curricula et secula, ac dilecti filii nobiles viri dux et senatus Venetiarum pluries, ac specialiter de anno MCCCCXCIV, tempore felicis recordationis Eugenii Papae IV praedecessoris nostri, dictum ius ac dominium eorumdem patriarcharum recognoverint et approbaverint, ipsique patriarchae pro tempore existentes liberam, plenam et omnimodam iurisdictionem in dictis oppidis seu castris exercuerint a praedicto antiquissimo tempore, neque, praeter Sedem Apostolicam, principem aliquem, aut ipsos ducem et senatum recognoverint uti superiorem, prout modernus etiam patriarcha dictam iurisdictionem exercet, neque alium recognoscat superiorem, quam nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, et Sedem praedictam, neque ullo tempore in iisdem oppidis seu castris ab aliquo principe vel duce et senatu praedictis ulla datia imposita aut publicata fuerint, neque etiam de anno MDLXXII, occasione belli contra Turcas datium macinae nuncupatum, simile infrascripto, tunc generaliter subditis eorumdem ducis et dominii indictum, in dictis oppidis seu castris fuerit impositum neque publicatum; ita ut nec ad praesens debuerit aut potuerit datium macinae, nuper in statu ducis et senatus praedictorum indictum, in oppidis seu castris huiusmodi imponi et publicari, et multo minus exigi:

Senatus venetus in iis vectigal macinae imposuit.

§ 2. Nihilominus sicut ad nostram notitiam, non sine magno animi nostri dolore pervenit, publicatio datii macinae praedicti in dictis oppidis seu castris a ministris dictorum ducis et senatus facta fuerit, et eiusdem datii exactio fiat, licet nulliter et de facto contra sacrorum canonum et generalium conciliorum decreta, id absque expressâ Sedis Apostolicae licentiâ fieri, sub gravissimis censuris et poenis ecclesiasticis, prohibentia:

Irritat Paulus.

§ 3. Propterea nos, qui, super univer-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sam Ecclesiam a Deo per eius divinae gratiae abundantiam, nullo nostro merito, constituti, omnium ecclesiarum indemnitatem et immunitatem tueri tenemur, pro incumbenti nobis officii huiusmodi debito, praemissis, quantum cum Domino possumus, providere volentes, publicationem datii macinae in dictis oppidis seu castris, illiusque exactionem, ut praefertur, factas, ac omnia et singula inde sequuta ac attentata et innovata quaecumque, et quae deinceps per ducem et senatum huiusmodi, illorumque ministros, vel alios quoscumque in auctoritatis ecclesiasticae et Sedis praedictae et dictae ecclesiae Aquileiensis, illarumque iurium praeiudicium, publicari, fieri, praecipi, decerni seu aliàs attentari et innovari contigerit, tam in genere quam in specie, ex nunc, prout postquam publicata, facta, praecepta, decreta, seu aliàs attentata et innovata fuerint, de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, irrita, cassa et nulla, et nullius roboris et momenti esse et fore declaramus, ac irritamus, cassamus et annullamus, ita quod in posterum nullus debeat ex illis effectus subsequi, neque eidem moderno et pro tempore existenti patriarchae ullum praeiudicium inferri, aut illatum ullo modo dici vel censeri, minusque ullum duci et senatui praedictis ius acquiri super datiis imponendis in eisdem oppidis seu castris, vel aliàs super iurisdictione aut superioritate in illis exercendâ.

Clausulae. § 4. Et ita per quoscumque iudices ordinarios aut delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari ac definiri debere[1], ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XVIII ianuarii MDCXIX, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 18 ianuarii 1619, pontif. an. XIV.

1 Haec verba nos addimus (R. T.).

CCCXIV.

Ferdinando Hunghariae et Bohemiae regi facultas conceditur militarem Ordinem instituendi sub invocatione beatissimae Matris Dei[1].

Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando, Hunghariae et Bohemiae regi illustri, Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Sacri apostolatus ministerio per abundantiam divinae clementiae, nullo licet merito nostro, praesidentes, inter praecipuas apostolicae servitutis curas, illam sedulo amplectimur, ut catholica religio, sublatis quibuslibet obstaculis, ubique floreat, ac etiam piorum virorum, tamquam Christi athletarum, ope ac fortitudine in dies magis augeatur; proindeque catholicorum principum in id tendentium vota ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ac desuper pastoralis officii partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ferdinandus militiam institui optat pro defensione catholicae religionis. § 1. Siquidem maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, quod, si una Militia, seu militaris Ordo, sub denominatione seu titulo beatissimae Matris Dei, ac aliàs, modo et formâ infrascriptis erigeretur et institueretur, ex hoc profecto catholicae religionis adversus eius hostes defensioni plurimum consuleretur. Nobis propterea eadem maiestas tua humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultatem ad id necessariam eidem Ferdinando concedit Pontifex.

§ 2. Nos igitur, laudabilibus desideriis tuis; quantum nobis ex alto conceditur, benigne annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem maiestati tuae, unam Militiam, seu Ordinem militarem personarum catholicarum sub denominatione et titulo *Beatissimae Matris Dei,* ac unâ ex regulis approbatis a Sede Apostolicâ per te eligendâ, cuius Militiae seu militaris Ordinis suprema vel principalis sedes et conventus in loco per te, in Hungharia vel Bohemia tamen, pariter eligendo, dictaque Militia seu militaris Ordo nobis et Apostolicae Sedi immediate subiecta seu subiectus sit, et esse debeat, ac illius milites castitatis coniugalis, obedientiae ipsius Militiae magno magistro, ac defensionis religionis catholicae contra inimicos S. R. E. vota emittant; habitum album et crucem caeruleam aureo ornamento circumdatam deferant; nec non religionem catholicam et Sedem Apostolicam contra infideles et alios inimicos praedictos defendant et tueantur; et cum dote de bonis mere laicalibus, ac etiam ex oblationibus hactenus factis et faciendis, arbitrio tuo conficiendâ, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam Militia seu Ordo huiusmodi competenter dotata seu dotatus fuerit, auctoritate nostrâ apostolicâ, perpetuo, et sine alicuius praeiudicio, erigendi et instituendi, nec non quaecumque stabilimenta, statuta et ordinationes, prosperum regimen Militiae seu Ordinis huiusmodi, etiam personam illius magni magistri, qui tamen ex natione Hungarica vel Bohemica esse debeat, concernentia, condendi, condita pro rerum et temporum qualitate, si opus fuerit, mutandi, ac alia de novo, dummodo licita et honesta, nec sacris canonibus, et praesertim Concili Trdientini decretis, ac constitutionibus apostolicis contraria non[1] sint, et ab Apostolicâ Sede approbari debeant, edendi, ceteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint quae specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, dictâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impartimur.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sud quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiam si de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III februarii MDCXIX, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 3 februarii 1619, pontif. an. XIV.

CCCXV.

Declaratio iurisdictionis Ordinariorum in fratres Congregationis Ioannis Dei, ac specialis ipsius praefinitio.

Paulus Papa V,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex ex supremo dispositionis arbitrio ad hoc potissimum sollici-

1 Particula *non* redundat (R. T.).

1 Istam Congregationem instituit, ac Ordinariorum iurisdictioni supposuit Pius V in sua Const. CCXIV *Licet*, tom. VII, pag. 959, et Clemens VIII in Const. CXXXIV *Romani*, in h. n. edit. CXL, tom. X, pag. 256.

tudinis suae nervos intendit, ut religionum omnium, praesertim ad curam infirmorum et miserabilium personarum institutarum, indemnitati consulat, exemptionesque et alias gratias, illis intuitu charitatis et laborum per Sedem Apostolicam concessas, a noxiis et obstaculis quibuslibet praeservet, aliasque officii sui partes solerter impendat, statuat et declaret, prout, rerum, temporum et personarum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Congregatio fratrum Ioannis Dei inservientium infirmis multum profecit et ideo variis privilegiis a Sede Apostolica dotata.

§ 1. Dudum siquidem, cum Congregatio Ioannis Dei sub regulâ sancti Augustini in Republicâ Christianâ introducta, et subinde apostolicâ auctoritate recepta atque admissa fuisset, et, gratiâ cooperante divinâ, per varias mundi partes, multiplicatis illius fratribus, mirabiliter propagaretur, et quamplurima hospitalia, tam in Italia, quam in Hispaniis, aliisque partibus, ex congestis christifidelium eleemosynis construerentur, in eisque innumerabiles Christi pauperes utriusque sexus, videlicet senes, mentecaptos, membrorum et virium impotentiâ atque debilitate laborantes, aliasque miserabiles personas, pro eorum morbis et infirmitatibus, etiam incurabilibus, sublevandis, refovendis et sanandis, continue reciperet; diversi Romani Pontifices praedecessores nostri praefatae Congregationi nonnulla privilegia, gratias et indulta benigne concesserunt; volentes tamen, quod hospitalia, et alia loca, ac fratres in eis pro tempore degentes, sub obedientiâ Ordinariorum locorum, in quibus hospitalia et loca huiusmodi consisterent, perpetuo subessent et subiacerent.

Sixtus V eam univit cum distinctione provinciarum.

§ 2. Et cum plerique fratrum dictae Congregationis tria vota substantialia et quartum de iuvando infirmos emitterent, generalem tamen ac constitutiones, aut certum vivendi modum non haberent, felicis recordationis Sixtus Papa V etiam praedecessor noster omnia hospitalia Ioannis Dei nuncupata, tam in Italia quam in ceteris quibusvis provinciis etiam transalpinis existentia, invicem univit, et ex eis unam Congregationem confratrum Ioannis Dei noncupandam erexit, provinciasque distinxit[1].

Clemens VIII iussit emittere votum inserviendi hospitalibus.

§ 3. Subinde piae memoriae Clemens Papa VIII, etiam praedecessor noster, inter alia perpetuo statuit et ordinavit, quod de cetero fratres dictae Congregationis unum dumtaxat inserviendi praedictis hospitalibus sub obedientiâ Ordinarii votum emitterent[2].

Paulus V voluit alia etiam tria vota emitterent eamque vere esse regularem Congregationem declaravit.

§ 4. Postremo nos, ad summi apostolatus apicem divinâ favente clementiâ assumpti, etiam statuimus et ordinavimus, quod ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus, in hospitalibus et locis regnorum Hispaniarum, quae proprium confratrem maiorem eorum regimini et administrationi, sub iurisdictione tamen et visitatione Ordinarii loci, praefectum habere consueverant, fratres eiusdem Congregationis, anno eorum probationis elapso, aut aliàs iuxta sacrorum canonum et decretorum Concilii Tridentini praescriptum, tria vota antedicta, videlicet obedientiae, castitatis et paupertatis, et insuper quartum votum serviendi infirmis in suorum superiorum manibus solemniter omnino emittere tenerentur, et subinde eos, qui sic professi forent, proprie religiosos, ac proprios et veros regulares esse et fore, ac pro talibus ab universis christifidelibus habendos et recipiendos, ac Congregationem huiusmodi veram ac propriam sub regulâ sancti Augustini religionem, et inter reliquas Ecclesiae catholicae religiones esse connumerandam[3].

1 Const. Sixti V huiusmodi habetur in tom. VIII, pag. 761 (R. T.).

2 Huiusmodi Clementis VIII Constitutio non est in *Bullario*, sed alia posterior legitur in tom. X, pag. 296 (R. T.).

3 Vide Pauli V Const. CCLXXXVI, supra in hoc tom. XII, pag. 379 (R. T.).

Ordinariis locorum subiecit.

§ 5. Praeterea eisdem hospitalibus dictorum regnorum, ut deinceps in eorum singulis duo fratres manere et ali possent, qui confessiones tam infirmorum, quam aliorum confratrum, et ministrorum eiusdem Congregationis audire, et, iniunctâ poenitentibus poenitentiâ salutari, eos a peccatis suis absolvere, illisque sanctissima Eucharistiae et extremae unctionis sacramenta ministrare libere et licite valerent, concessimus et indulsimus. Ac omnia hospitalia et loca dictorum regnorum, illorumque personas et superiores, etiam quod personae religiosae essent, ac etiam dictum confratrem maiorem, et quemcumque alium pro tempore existentem, iurisdictioni, superioritati et correctioni Ordinariorum locorum perpetuo subesse (dictosque Ordinarios in loca et personas huiusmodi quoad causas civiles et criminales ac mixtas, et tam in visitatione quam extra, plenam facultatem et auctoritatem perpetuis futuris temporibus habere), ac rationem omnium et singulorum bonorum, proprietatum et rerum, tam mobilium quam immobilium, decimas, primitias, novalia, onera quomodolibet nuncupata, solita et consueta quibuscumque locorum Ordinariis, monasteriis, domibus, capitulis, hospitalibus, parochialium ecclesiarum rectoribus, aliisque personis et locis, quibus ea colligendi ius competit, solvere teneri, et ad id per opportuna iuris remedia (nisi privilegio vel legitimâ praescriptione catenus observatâ munirentur) cogi et compelli[1]; nec deinceps contra iurisdictionem et superioritatem Ordinariorum, vel solutionem decimarum, primitiarum, novalium et aliorum onerum praemissorum, ullo unquam tempore quantumvis longissimo praescribere, aut praescripsisse dici vel censeri; quinimo, si quando in hospitalibus et locis supradictis hospitalitas deficeret, eosdem Ordinarios illa, eorumque bona per fratres huiusmodi, aut alias personas etiam seculares, administrare (ita quod hospitalia et loca praefata, eorumque bona nullatenus unquam dictae Congregationi incorporarentur) committere et mandare posse, ac etiam debere, voluimus et decrevimus. Volentes etiam, quod, dum dictorum hospitalium administratio ad fratres dictae Congregationis pertineret, singulis annis suae administrationis rationem Ordinario ad praescriptum Concilii Tridentini reddere tenerentur.

Statuitque ab omnibus fratribus congregationis Italiae tria vota substantialia emitti.

§ 6. Postremo pariter statuimus et ordinavimus, ut quotquot imposterum dictam Congregationem Italiae nuncupatam ingredi vellent, anno probationis expleto, ac aliâs iuxta sacrorum canonum, et decretorum Concilii Tridentini praescriptum, tria vota substantialia huiusmodi, ac praeterea quartum de iuvandis infirmis, in suorum superiorum manibus solemniter emittere, vel a Congregatione praefatâ eiici, deberent: eos vero sic professos proprios et veros regulares esse, ipsamque Congregationem, ac eius, tam in Italia quam sub iurisdictione fratris maioris eiusdem Congregationis in Germania, Gallia et Polonia erecta et de cetero erigenda, hospitalia, quae sub eâdem Congregatione Italiae comprehenduntur, iurisdictioni Ordinariorum (salvâ tamen eiusdem Congregationis apud nos et praefatam Sedem protectoris iuxta illius facultates ac fratris maioris pro tempore existentium auctoritate et iurisdictione) perpetuo subesse debere, ac aliâs, prout in diversis, tam nostris quam supradictorum praedecessorum nostrorum desuper confectis litteris, plenius continetur.

[illegible]

§ 7. Cum autem, sicut accepimus, nonnulli locorum Ordinarii, in quibus dicti fratres introducti reperiuntur, praetextu obedientiae, cui iidem fratres, ac hospitalia tam Italiae quam Hispaniae provin-

1 Subintellige *posse* (R. T.).

ciarum huiusmodi, ut praefertur, subiecta existunt, late nimis se extendentes, nedum circa regimen et gubernium hospitalium ipsis fratribus commissorum, ac sacramentorum ecclesiasticorum in eis administrationem, atque in eisdem hospitalibus receptorum et expositorum rationis redditionem, seu receptionem, verum etiam privatam dictorum fratrum correctionem et disciplinam regularem, omnemque in eos iurisdictionem exercere consueverint, superioresque dictae Congregationis ac presbyteros, seu cappellanos, qui dictis hospitalibus in divinis inserviant, eligere, ac medicos, chirurgos et alios ministros ac officiales gubernio et regimini ipsorum hospitalium necessarios deputare, novitiosque recipere, ac generaliter omnia et singula, quae ad regularem disciplinam ac correctionem dictorum fratrum spectant, quaeque, iuxta regularia instituta dictae Congregationis a praefatâ Sede approbata, per superiores eiusdem Congregationis peragi debent, facere et exequi intendant, ipsorumque fratrum quietem circa praemissa diversimode perturbent, ob idque superiorum dictae Congregationis auctoritas ac illius regularis instituti observantia evanescat, dictaque hospitalia ac fratres in illis degentes in spiritualibus et temporalibus non levia sustineant incommoda, ob idque operae pretium sit, ut tot tantisque incommodis aliquo opportuno et salubri remedio provideatur:

Illam motu Paulus declarat.

§ 8. Nos igitur, cupientes ut omnis difficultatis et ambiguitatis materia, quae desuper oriri posset, prorsus tollatur, ac Congregationis huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, nec non singularum litterarum apostolicarum tam a praefatis, quam quibusvis aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et nobis ad favorem eiusdem Congregationis emanatarum, nec non quorumcumque privilegiorum et indultorum illi per Sedem Apostolicam praedictam quomodolibet concessorum, veriores et totos tenores ac datas praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio, non ad ipsius Congregationis, vel eius superiorum, aut alicuius alterius pro eis nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ deliberatione ac scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ex voto tamen congregationis S. R. E. cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum, quibus negotium huiusmodi mature discutiendum et referendum commisimus, Congregationem Ioannis Dei huiusmodi, ac omnes et singulos ipsius Congregationis domos, superiores, etiam maiorem, ac fratres et personas, ac ministrantes, tam in Italia quam in Hispaniis, aliisque mundi partibus consistentia, et tam hactenus fundata, quam de cetero fundanda[1], in his dumtaxat quae regularia instituta, iuxta constitutiones dictae Congregationis Ioannis Dei a Sede apostolicâ approbatas et confirmatas, concernunt, a superioritate, visitatione, correctione ac etiam obedientiâ Ordinariorum locorum (ita ut religiosis Congregationis Ioannis Dei huiusmodi regularibus institutis suis se conformare debeant, salvis in reliquis tam sacrorum canonum et Concilii Tridentini decretis, quam nostris, aliquorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteris in favorem Ordinariorum emanatis, quibus nullatenus derogare, quinimo eas in suo robore et firmitate permanere intendimus) penitus et omnino,

1 Perperam edit. Main. legit *fundandi* (R. T.).

apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo eximimus, absolvimus et liberamus, ac eos in praemissis dumtaxat ab omnimodâ Ordinariorum locorum iurisdictione perpetuo exemptos fore et esse declaramus, ipsisque Ordinariis et eorum cuilibet, etiamsi cardilanatus honore praefulgeant, ne deinceps in his, quae observantiam, disciplinam et instituta regularia Congregationis Ioânnis Dei huiusmodi, ut praefertur, concernunt (praeterquam in casibus sacris canonibus et concilii Tridentini decretis et litteris apostolicis praefatis quomodolibet contentis) se immiscere, aut intromittere valeant, seu praesumant, districte praecipimus et inhibemus.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 9. Decernentes, praesentes litteras (etiam ex eo quod[1] Ordinarii locorum, seu quicumque alii, quavis auctoritate, dignitate, officio, ac etiam cardinalatus honore fungentes, ac in praemissis quomodolibet interesse habentes seu habere praetendentes, ad hoc vocati, et causae, propter quas praemissa emanarunt, quomodolibet examinatae, iustificatae, vel approbatae non fuerint, nec praemissis consenserint) validas et efficaces fore; sicque, et non aliter, censeri, et ita per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, in quavis causâ et instantiâ iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores huius constitutionis deputat.

§ 10. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Ostiensi, et dilectis filiis nostro et Sedis Apostolicae nuncio in partibus Hispaniarum commoranti ac curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, motu pari per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes nostras litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte maioris et superiorum ac fratrum Congregationis Ioannis Dei huiusmodi seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostrâ, litteras praefatas et in eis contenta quaecumque huiusmodi inviolabiliter observari, ac fratres Congregationis Ioannis Dei huiusmodi illis pacifici frui et gaudere: non permittentes, eos desuper per Ordinarios locorum, seu quosvis alios, contra praesentium tenorem quomodolibet molestari aut inquietari: contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et poenas, etiam pecuniarias, aliaque iuris et facti remedia, auctoritate nostrâ praedictâ, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas huiusmodi etiam iteratis vicibus aggravando, auxiliumque brachii secularis ad hoc, si opus fuerit, invocando.

Contrariis omnibus derogat.

§ 11. Non obstantibus praemissis, ac singulis litteris praefatis, nec non felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et concilii generalis de duabus dietis, dummodo non ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis Ioannis Dei et Ordinis sancti Augustini huiusmodi (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictae Congregationi Ioannis Dei, illiusque superioribus et personis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritanti-

[1] Potius legendum foret *etiam si* non *etiam ex eo quod* (R. T.).

busque et aliis decretis, etiam motu simili ac alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si dictis Ordinariis, seu quibusvis aliis, communiter aut divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis fidem dari iubet.

§ 10. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, in quibus opus fuerit, deferri, volumus ac etiam praefatâ apostolicâ auctoritate decernimus, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI martii MDCXIX, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 16 martii 1619, pont. an. XIV.

CCCXVI.

Irritatio datii macinae a senatu Veneto in urbe Cenetensi impositi contra iura episcopi[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Liberum Cenetensis episcopi dominium in urbe Cenetensi.

Cum venerabilis frater modernus et pro tempore existens episcopus Cenetensis ius et dominium liberum habeat in civitate Cenetensi, nec alicuius praeterquam nostrae et Sedis Apostolicae superioritati subiaceat, et dictum ius ac temporalem omnimodam et liberam iurisdictionem ab antiquissimo tempore annorum septingentorum et ultra exercuerit et ad praesens exerceat, nec in ullo actu alium quam Sedem Apostolicam superiorem recognoscat, ac exegerit semper et ad praesens exigat omnia datia, quae a communitate et hominibus dictae civitatis solvuntur et solvi debent; ipsique communitas et homines numquam fuerint comprehensi in impositionibus datiorum dilectorum filiorum nobilium virorum ducis et senatus Venetiarum; quinimmo de anno MDLXXII, cum, occasione belli contra Turcas, datium macinae nuncupatum simile infrascripto in Statu eorumdem ducis et senatus impositum fuisset, in eodem senatu Venetiarum deliberatum fuerit, non esse datium huiusmodi in praedictâ civitate exigendum, prout per documenta authentica constat; ex quibus apparet, nec ad praesens potuisse aut debuisse datium macinae huiusmodi publicari, neque exigi in eâdem civitate;

Senatus Venetus tentat inde macinae datium exigere.

§ 2. Nihilominus, sicut ad nostram notitiam, non sine magno animi nostri dolore, pervenit, publicatio datii macinae praedicti in dictâ civitate a ministris ducis et senatus praedictorum facta fuerit, et eiusdem datii exactio fiat, seu facienda sit, licet nulliter et de facto, et contra sacrorum canonum et generalium conciliorum decreta, id absque expressâ Sedis Apostolicae licentiâ fieri, sub gravissimis censuris et poenis ecclesiasticis, prohibentia:

Omnia super hac re acta nulla declarat Paulus.

§ 3. Propterea nos, qui, super universam Ecclesiam a Deo per eius divinae gratiae abundantiam nullo nostro merito constituti, omnium ecclesiarum indemnitatem et immunitatem tueri tenemur, pro incumbenti nobis officii huiusmodi debito, praemissis, quantum cum Domino possu-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

mus, providere volentes, publicationem datii macinae in dictâ civitate, illiusque exactionem, ut praefertur, factas seu faciendas, ac omnia et singula inde sequuta et attentata et innovata quaecumque, et quae deinceps per ducem et senatum huiusmodi illorumque ministros vel alios quoscumque, in auctoritatis ecclesiasticae ac Sedis praedictae et dictae ecclesiae Cenetensis illarumque iurium praeiudicium, publicari, fieri, praecipi, decerni, vel aliâs attentari et innovari contigerit, tam in genere quam in specie, ex nunc, prout postquam publicata, facta, praecepta, decreta, seu aliâs attentata et innovata fuerint, de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, irrita, cassa et nulla, ac nullius roboris et momenti esse et fore declaramus, ac irritamus, cassamus et annullamus, ita quod imposterum nullus debeat ex illis effectus subsequi, neque eidem moderno et pro tempore existenti episcopo ullum praeiudicium inferri, aut illatum ullo modo dici vel censeri, minusque ullum duci et senatui praedictis ius acquiri super datiis imponendis in eâdem civitate, vel aliâs super iurisdictione aut superioritate in illâ exercendâ;

Clausulae.

§ 4. Et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII martii MDCXIX, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 23 martii 1619, pontif. an. XIV.

CCCXVII.

Facultas archiepiscopo Lugdunensi erigendi quinque monialium monasteria, sub nuncupatione sanctae Ursulae et regulâ sancti Augustini, pro puellarum instructione[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Lugdunensi Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Inter universa opera divinae placita bonitati, fundare coenobia, in quibus sapientes virgines accensis lampadibus obviam exeant Christo sponso suo, ac gratum et debitum exhibeant eidem famulatum, non minimum reputamus: cum in eis divinis laudibus glorificetur Altissimus, ac per innocentis vitae merita gloria aeternae beatitudinis acquiratur. Et propterea piis ecclesiarum praesulum ac devotarum personarum id exoptantium votis nos benignos et favorabiles exhibemus, nostram et Sedis Apostolicae desuper mandantes interponi auctoritatem.

Nonnullae piae foeminae in dioecesi Lugdunensi monasticam vitam instituere cupiunt pro puellarum instructione.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecisti, quod in civitate Lugdunensi, ac oppidis, seu locis sanctorum Boneti et Chamundi, nec non de Montbrison, ac Rodane et Burgi, tuae Lugdunensis dioecesis, nonnullae devotae virgines religionis zelo ductae, et Deo gratam virginitatem servare statuentes, et, pro proprio ac peculiari earum instituto, puellarum instructionem et doctrinae christianae circa easdem puellas exercitium assumentes, piae et honestae puellarum educationi consulere, nec non easdem puellas catholicis moribus et virtutibus christianis instruendo laudabiliter sese exercere intendunt. Quare, ut eum quem sibi proposuerunt finem facilius consequi et instructioni praedictae melius insistere valeant, in civitate et oppidis seu locis

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

praedictis monasteria monialium (quarum proprium et peculiare institutum sit puellarum instructioni vacare, illasque in pietate christianâ erudire, virtutes, bonos mores, laudabilia et suo sexui convenientia opera et exercitia docere, ac aliâs ad instar per nos in civitate Burdegalensi, sub datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem nonis februarii pontificatus nostri anno XIV, eiusdem instituti erecti monialium monasterii, per nos pariter erigi, et aliâs ut infra indulgeri summopere desideras. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Paulus facultatem archiepiscopo concedit monasteria erigendi cum conditionibus hic expressis.

§ 2. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, religionis propagationem, ac puellarum educationem huiusmodi sinceris desideramus affectibus, pium tuum studium huiusmodi plurimum in Domino commendantes, dictasque virgines specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de cuius fide, prudentiâ, integritate, et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus virginibus praedictis in civitatis ac oppidorum seu locorum huiusmodi decentibus et honestis locis monasteria monialium cum ecclesiis, seu cappellis, claustris, dormitoriis, refectoriis, coemeteriis, areis, hortis, hortalitiis, cellis, aliisque officinis, et membris necessariis et opportunis construi et aedificari faciendi licentiam et facultatem auctoritate nostrâ impertiaris; illaque, postquam sic constructa, et debitâ convenientique clausurâ munita, ac sacrâ et profanâ supellectili, aliisque ad divini cultus et monialium inibi introducendarum usum necessariis competenter instructa fuerint, in monasteria monialium, sub invocatione sanctae Ursulae, Ordinis sancti Augustini, pro perpetuis usu et habitatione unius superioris pro quolibet monasterio, et tot aliarum monialium, quot ex illorum redditibus commode sustentari valeant (quae pro eleemosynâ dotali quingenta, pro suppellectili vero centum scuta solvere, et, elapso biennio probationis, professionem regularem emittere, perpetuam clausuram servare, et sub regulari observantiâ dicti Ordinis, ac curâ, visitatione, correctione et subiectione tuis, et pro tempore existentis archiepiscopi Lugdunensis, vivere teneantur), et aliâs, ad instar per nos, ut praefertur, in civitate Burdegalensi erecti monialium monasterii, apostolicâ auctoritate, perpetuo, sine alicuius praeiudicio, erigas et instituas;

Monasteriis, postquam fuerint erecta, nonnulla concedit privilegia;

§ 3. Illisque sic erectis et institutis pro eorum dote, ac congruâ virginum et monialium inibi pro tempore existentium sustentatione, omnia et singula bona mobilia et immobilia, res, proprietates et iura quaecumque, in quibusvis rebus consistentia et undecumque provenientia, illis per quascumque pias personas in quacumque dispositione, etiam intuitu monialium pro tempore introductarum, vel aliâs quomodocumque relinquenda et elargienda (ita quod liceat superioribus et monialibus dicti monasterii pro tempore existentibus, bonorum, rerum, proprietatum et iurium huiusmodi, per se, vel alios, earum et dicti monasterii nomine, corporalem, realem et actualem possessionem apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, fructusque, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta

exinde provenientia percipere, exigere, levare, ac in suos communes et dicti monasterii usus, utilitatemque convertere, Dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ) etiam perpetuo applices et appropries.

Ac praecipue monasteriorum eorumdem administratores deputandi.

§ 4. Ceterum superioribus dictorum monasteriorum (quae de consensu conventuum, seu maioris partis illorum, servatâ semper formâ Concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum, eligi debeant) tot, quot videbitur, administratores et gubernatores, qui rerum et bonorum dictorum monasteriorum curam, tutelam et defensionem habeant, ad tempus benevisum constituendi et deputandi, eosque quoties opus fuerit mutandi, deponendi, amovendi, ac alios in illorum locum sufficiendi;

Constitutiones efformandi;

§ 5. Necnon pro salubri regimine et felici statu eorumdem monasteriorum, ac conservatione illorum rerum et bonorum, quaecumque statuta et ordinationes (licita tamen et honesta, ac regularibus institutis Ordinis praedicti, ac regulis et constitutionibus a te forsan praescriptis, seu praescribendis, minime contraria, et per te, seu pro tempore existentem archiepiscopum Lugdunensem examinanda) condendi, et pro temporum varietate commutandi, alterandi, modificandi, limitandi, corrigendi, et alia de novo, previâ examinatione et approbatione tuis, seu pro tempore existentis archiepiscopi Lugdunensis huiusmodi, edendi, licentiam et facultatem impertiaris.

Fruendi quae privilegiis, quibus cetera Ordinis sancti Augustini monasteria fruuntur.

§ 6. Denique monasteriis per te vigore praesentium, ut praefertur, erigendis, illorumque superioribus, monialibus et personis, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, praerogativis, indultis et gratiis, ac indulgentiis, quibus quaecumque alia Ordinis praedicti monasteria, illorumque moniales, personae ac bona, de iure, usu, privilegio, consuetudine, aut aliàs quomodolibet, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pariter et pariformiter ac absque ullâ prorsus differentiâ, dummodo sint in usu, et sacris canonibus ac conciliorum generalium decretis non contrarientur, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si monasteriis per te erigendis, ut praefertur, illorumque superioribus et monialibus, particulariter, specifice, nominatim et specialiter, ac expresse concessa fuissent, concedas et indulgeas.

Peculiares constitutiones eis imponit.

§ 7. Praeterea, ut supradictae virgines peculiare quod cupiunt, institutum alias virgines et puellas catholicis moribus et virtutibus instituendi amplecti valeant, illudque in eisdem monasteriis deinceps perpetuo observetur, infrascriptas constitutiones sancias: ut nimirum, praeter virgines et viduas ad habitum et professionem regulares in eisdem monasteriis introducendas pro institutione virginum et puellarum, aliae etiam piae mulieres coniugatae, in casibus tamen a sacris canonibus et Concilio Tridentino permissis tantummodo, et non aliter, in socias huius pii instituti (quae earumdem etiam puellarum institutioni unà cum praedictis religiosis, intra claustra tamen eorumdem monasteriorum, in loco a cellis et habitatione religiosarum separato, vacent) recipi possint. Harum autem religiosarum, aliae novitiae, aliae sorores, et aliae mulieres, aliae vero sociae vocentur; novitiae quidem, propter sexus infirmitatem et temporum malitiam ad duos annos in probatione erunt, nec ipsi anni ante decimum sextum cuiusque earum aetatis annum completum finiantur, nec convictu cum aliis communi, quoad fieri potest, sed seiuncto, licet intra claustra, seorsumque a professis utantur; sorores vero, decursis

duobus probationis annis, professionem regularem emittant; matres autem post vigesimum quintum annum aetatis, aut decimum religionis, incumbere teneantur institutioni puellarum per se et per sorores gratis (primo quidem in pietate et virtute christianâ virgine dignâ, docendo christianae similiter doctrinae summam, rationem examinandae conscientiae, confitendi peccata, communicandi, sacrum audiendi, precandi, rosarium recitandi, meditandi, libros pios lectitandi, spiritualia cantica modulandi, vitia eorumque occasiones vitandi, virtutes, et opera misericordiae exercendi, deinde legendi, officia denique christiana praestandi; deinde vero, ut ad hanc institutionem alliciantur, et ab haereticis, impurisque abducentur scholis, virgines primis legendi scribendique rudimentis, deinde variis acu laborandi modis, omnibus demum artibus honestis, quae ingenuam virginem decent, instituentur); postremo sociae ex religiosis dicantur, quae, editis ceterarum votis, in re familiari tractandâ solum occupabuntur, neque in matres eligi unquam possint.

Subiicit Ordinarii iurisdictioni.

§ 8. Subiectae sint omnes tibi et pro tempore existenti archiepiscopo Lugdunensi, iuxta sacri Concili Tridentini decreta, nec umquam sub regularium curâ, sive per se, sive per alios, quovis praetextu vel auctoritate, redigi possint: tua et pro tempore existentis archiepiscopi Lugdunensis potestas in illas sit, iuxta praedicti Concilii Tridentini decreta, ac praedictum institutum et praesentes constitutiones: quae ut sancte observentur, tu earum visitationem instituas, iuxta praedicti Concilii Tridentini decreta, et formulam ab Ecclesiâ Romanâ praescriptam, quae sanctissime retineatur.

De confessario.

§ 9. Confessarius a te illis deputetur ad tui libitum; isque aetate et moribus gravis, fidei, vitae, famaeque integrae ac exemplaris, in theologiâ et spiritualibus rebus bene versatus sit; a quo institutiones, exhortationes et sacramenta omnes recipiant: ei autem, praeter victum et habitationem, proximam quidem, sed parietibus firmis seiunctam, ac nullo prospectu vel aditu in septa religiosa perviam, salarium arbitrio tuo et pro tempore existentis archiepiscopi imponetur in annos singulos.

Superioris, seu primae, electione et officio.

§ 10. Superior, quae prima vocabitur, e monialibus eligatur ante festum Annunciationis beatae Mariae Virginis, vel, si mors primae durante illius officio intervenerit, altero post eius exequiarum die, servatâ in reliquis semper formâ conciliorum generalium, necnon constitutionum apostolicarum. Prima, electa ut dictum est, postquam a te seu pro tempore existente archiepiscopo Lugdunensi confirmata fuerit, primo quoque tempore secundam (quae ad ordinis domestici et regularum observantiam iuvet, ipsiusque aegrotae aut sibi vacantis ad breve tempus vices gerat, quomodo et quatenus illi expedire videbitur) eliget. Procuratricem etiam de sororibus sibi ipsa leget, auditis matrum iudiciis; edituam item, et magistram scholae, de matribus, exploratis pariter secreto sententiis matrum, quibus se, nisi quid melius in Domino ipsi videbitur, semper conformabit; officiales demum reliquas, communicato cum matribus et sororibus, quibus videbitur, consilio, instituet, aut confirmabit. Consiliarias tamen habebit tres cum discretâ ad regimen commune et res ordinarias, quas singulatim sic deliget tota congregatio, ut, de tribus quae plura matrum suffragia habuerint[1], ea electa sit, in quam deinde plura suffragia secreta convenerint.

Reliquae constitutiones.

§ 11. Finis omnium hic erit, ut saluti, profectionique propriae, atque alienae studeant. Ex hoc instituto vestitus et victus communis, ad modestiae paupertatisque religiosae et Ecclesiae normam, nullâ

1 Edit. Main. legit *habuerit* (R. T.).

ordinariâ corporis afflictione constitutâ, praeter ieiunium singulorum dierum sabbati et vigiliarum festivitatum beatae Mariae Virginis, sed extraordinaria, quam superior praescribet, aut sua cuique perfectio suadebit, cum iudicio confessarii, et primae assensu, erit. Clausura religiosissime observabitur, ut institutum fert, ac ne medicus quidem, aut chirurgus, vir denique nullus, aut femina intrabit umquam habitationis religiosae septa, nisi de licentiâ tuâ seu pro tempore existentis archiepiscopi Lugdunensis in scriptis, ac campanae dato signo, et primâ praesente, cum duabus antiquissimis matribus. Et quamvis maximo olim cum fructu animarum et famularum in Gallia factum id fuisse dicatur, non est visum tamen expedire instituti huius religiosis, ut in eisdem aedibus cum ipsis seculares puellae convivant et instituantur: amplum atrium ad alterum ecclesiae latus, intra tamen monasteriorum huiusmodi clausuram, ex aedibus circum extructis fiet, ad quod cum matres et sorores magistrae docendi causâ in signo scholae ultimo audito accedent, portae geminae, exterior scilicet et interior, obseratae erunt, ac in illud assistrice praesente, binae et binae ingredientur ante et post meridiem, unde se post duas circiter horas recipient in religiosa claustra, ut his occlusis, et non ante, portae atrii in publicum reserentur, et puellae domum quaeque suam recedant, quae non erunt convictrices. Hoc autem introducendi puellas non convictrices, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum tantum duret. Convictrices autem in suum cubiculum se quaeque recipient, ac in loco separato ab habitatione religiosarum, sed intra eamdem clausuram, inhabitabunt, intra quam clausuram aliae personae seculares praeter supradictas admitti non possint. His omnibus duae praeerunt, ex matribus una, altera ex sororibus, quibus socia ad familiarem una item adiungetur. Sub his autem, quae interius, et intra claustra, ac intra ecclesiam simul habitabunt, singulae per singula contubernia puellarum seculares praefectae maturiores, quae fere vel commoditatem expectent admissionis, vel ad probationem maiorem differantur. Confessio etiam generalis totius vitae in ingressu, et deinceps ad libitum cuiusque monialis, fiat. Quotidianae pietatis exercitationes erunt meditatio matutina per horam, sacrum examen ante meridianum et serotinum, rosarii per tres partes et mysteria triplicia recitatio mane, mediâ die, et vespere, litaniae sub noctem, et praeter haec, quoad matres, parvum beatae Virginis Mariae officium, vesperae cum cantu diebus dominicis, et doctrina christiana ante vel post vesperas cum brevi explicatione illius per virum aliquem doctum faciendâ, cum pridie habita fuerit religiosis exhortatio accomodata post litanias Lauretanas: a choro, et psallendi onere, ut institutioni puellarum vacare commodius possint, exemptae erunt. Lectio regularum et instituti frequentissima, librorumque spiritualium, cum privatim, tum communiter ad mensam, et cum aliquid operis quieti fiet propter institutionem puellarum; quidquid operis facient religiosae primum ad ipsarum et domus necessarios usus, deinde ad ecclesiarum religiosorum et pauperum subsidium conferetur, ut corporalibus, purificatoriis, altaris mappis abluendis, sarciendis, conficiendis vestibus, item lineis et linteis suendis, et similibus demum charitatis officiis. Ut melius illarum famae et necessitatibus provideatur, provisor deligetur idoneus, qui pensiones ipsarum et redditus colligat, et procuratrici reddat. Assistrices item tres, vel quatuor, matronae lectissimae, quae vicissim per hebdomadas suas assistant quotidie cum fores atrii reserabuntur, et obserabuntur. His autem et confessariis commu-

nicabuntur omnia bona et gratiae totius domus, et privatim rosaria pro ipsis benefactoribus singula quotidie a singulis recitabuntur; reliqua enim duo pro Ecclesiâ Sanctâ, Summo Pontifice, cardinalibus, archiepiscopo Lugdunensi pro tempore existente partim, partim pro religiosis Ordinibus, et viris a quibus iuvantur in spiritu, Deo, beataeque Virgini offerentur. Nihil autem supradictorum, praeter vota, obliget ad peccatum vigore instituti aut praecepti, nisi ex naturâ rei et communi iure, sed ad ea omnia diligentissime et perfectissime observanda omnes amore Dei et professionis studio excitentur. Poenitentiae tamen delinquentibus imponentur pro defectus qualitate, ut prima iudicaverit. Iurabit tandem prima coram confessario se nihil contra institutum facturam, aut permissuram scienter, quod ad alias et regimen pertineat, si praesertim ab aliâ quavis adeoque minimâ ex sociis aut externis admoneatur, et consiliariae cum discretâ adeoque in re gravi maior pars matrum sic censeant[1]; sed omni ope et operâ in Domino adnitetur, ut silentium humilitas, obedientia, devotio, charitas, ceteraeque virtutes, observantia religiosa, et huius instituti forma[2] in suâ familiâ semper elucescant: super quibus omnibus et singulis plenam, liberam et amplam facultatem dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon etiam Ordinis erigendi[3] (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illi, eiusque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x aprilis MDCXIX, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 10 aprilis 1619, pontif. an. XIV.

CCCXVIII.

De ambitu fratribus Minoribus de Observantiâ Ordinis sancti Francisci, eorumque superioribus interdicto[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Admonemur pastoralis officii nostri debito diligentius prospicere, ne religiosis, qui regularem vitam professi seculo renunciarunt, ad dignitates et officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus.

Prohibitio ambitus de quo in rubricâ.

§ 1. Quocirca, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, dilectis filiis ministro generali ac provincialibus, et reliquis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum praelatis, nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis poenâ ipso facto incurrendâ, praecipimus et mandamus, ne ad instantiam et requisitionem quarumcumque personarum, tam laicarum quam ecclesiasticarum, extra dictum Ordinem constitutarum, etiam cardinalatus honore et quacumque seculari dignitate et excellentiâ, etiam ducali, regali, imperiali fulgentium, cuivis praedicti Ordinis reli-

1 Edit. Main. legit *censeat* (R. T.).
2 Ibid. legitur *formam* (R. T.).
3 Edit. Main. habet *eligendi* (R. T.).

1 Similes prohibitiones pro aliis fratribus hic postea sequuntur, et aliae habentur in tomo praecedenti (R. T.).

gioso ullam gratiam concedere, vel poenas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, et praelaturas eiusdem Ordinis concedere audeant; quinimo dicti Ordinis fratres et religiosos, qui, contra decreta, hac viâ et his mediis per conquisitos favores et suffragia aliquid sibi procuraverint, ad talia et similia, ac etiam maiora in eodem Ordine consequendo, perpetuo inhabiles declaramus. Insuper dictis religiosis et fratribus eiusdem Ordinis quibuscumque sub eisdem poenis praecipimus, et expresse interdicimus, ut non solum in praemissis omnibus favores huiusmodi minime procurare, sed nec etiam sponte oblatos, aut ab eis minime procuratos, recipere, et similiter ne ad hunc effectum munera aliqua praedictis personis exhibere audeant seu praesumant.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si Ordini et fratribus praedictis communiter aut divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 3. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII aprilis MDCXIX, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 18 aprilis 1619, pontif. an. XIV.

CCCXIX.

In idem argumentum, pro Ordine fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci Conventualium.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Admonemur pastoralis officii nostri debito diligentius prospicere, ne religiosis, qui regularem vitam professi seculo renunciarunt, ad dignitates et officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus.

Prohibitio ambitus conventualibus sancti Francisci.

§ 1. Quocirca, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, dilectis filiis ministro generali, ac provincialibus, et reliquis Ordinis fratrum Minorum Conventualium sancti Francisci praelatis, nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis poenâ ipso facto incurrendâ, praecipimus et mandamus, ne ad instantiam et requisitionem quarumcumque personarum tam laicarum quam ecclesiasticarum extra dictum Ordinem constitutarum, etiam cardinalatus honore ac quacumque seculari dignitate et excellentiâ, etiam ducali, regali, et imperiali fulgentium, cuivis dicti Ordinis religioso ullam gratiam concedere vel poenas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones et praelaturas eiusdem Ordinis concedere audeant.

Si aliquid per conquisitos favores procuraverint, inhabiles sint.

§ 2. Quinimo dicti Ordinis fratres et religiosos, qui, contra decreta, hac viâ et his mediis per conquisitos favores et suffragia aliquid sibi procuraverint, ad talia et similia, ac etiam maiora in eodem Ordine consequenda, perpetuo inhabiles declaramus.

Nec etiam sponte oblatos recipere possunt.

§ 3. Insuper dictis religiosis et fratribus eiusdem Ordinis quibuscumque sub eisdem poenis praecipimus, et expresse interdicimus, ut non solum in praemis-

sis omnibus favores huiusmodi minime procurare, sed nec etiam sponte oblatos aut ab eis minime pocuratos recipere, et similiter ne ad hunc effectum munera aliqua praedictis personis exhibere audeant seu praesumant.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si Ordini et fratribus praedictis communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae presentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die IV septembris MDCXIX, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 4 septembris 1619, pontif. an. XV.

CCCXX.

In idem argumentum, pro Ordine fratrum Minimorum sancti Francisci de Paula[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Admonemur pastoralis officii nostri debito diligentius prospicere, ne religiosis, qui regularem vitam professi seculo renunciarunt, ad dignitates et officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus.

Prohibitio ambitus de quo in rubricâ.

§ 1. Quocirca, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, dilectis filiis correctori generali, ac provincialibus, et reliquis Ordinis fratrum sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum praelatis, nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis poenâ ipso facto incurrendâ, praecipimus et mandamus, ne ad instantiam et requisitionem quarumcumque personarum, tam laicarum quam ecclesiasticarum, extra dictum Ordinem constitutarum, etiam cardinalatus honore et quacumque seculari dignitate et excellentiâ, etiam ducali, regali, et imperiali fulgentium, cuivis dicti Ordinis religioso ullam gratiam concedere, vel poenas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, et praelaturas eiusdem Ordinis concedere audeant; quinimo dicti Ordinis fratres et religiosos, qui, contra decreta, hac viâ et his mediis per conquisitos favores et suffragia aliquid sibi procuraverint, ad talia et similia, ac etiam maiora in eodem Ordine consequenda, perpetuo inhabiles declaramus. Insuper dictis religiosis et fratribus eiusdem Ordinis quibuscumque sub eisdem poenis praecipimus et expresse interdicimus, ut non solum in praemissis omnibus favores huiusmodi minime procurare, sed nec etiam sponte oblatos aut ab eis minime procurotas recipere, et si-

1 Congregationem istorum fratrum approbavit Sixtus VI in Const. VI *Sedes* (in h. n. edit. VII, tom. V, pag. 213). Regulam vero ipsorum confirmavit Iulius II in sua Const. XII *Dudum*, ibidem, pag. 421. Transitumque ad Cappucinos et e contra prohibuit Pius V in Constitut. LXVII *Sedis* in tom. VII, pag. 617. Qui etiam postea dictum Ordinem inter Mendicantium Ordines connumeravit in Const. LXX *Apostolicae* (in h. n. edit. LXXV ibid., pag. 633). Et postea capitulum generale quolibet sexennio celebrari, officialiumque durationis tempus statuit istemet Paulus in Const. XV *Cum sicut*, tom XI, pag. 229.

militer ne ad hunc effectum munera aliqua praedictis personis exhibere audeant seu praesumant.

Abrogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si Ordini et fratribus praedictis communiter aut divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die VI septembris MDCXIX, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 6 septembris 1619, pontif. an. XV.

CCCXXI.

Extensio indulti recitandi officium et missam celebrandi de beato Thoma a Villanova ad omnes fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini regnorum Hispaniarum, et ad quoscumque utriusque sexus regulares, ac etiam presbyteros seculares in oppido de Villanova commorantes.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supremo apostolatus solio, meritis licet insufficientibus, divinâ dispensatione constituti, ad ea, per quae servorum Christi honos et veneratio in terris promoveatur, iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, libenter intendimus, et piis christifidelium praesertim catholicorum regum id exoptantium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Ad preces Ordinis Eremitarum sancti Augustini et regis catholici.

§ 1. Aliàs siquidem, nomine dilectorum filiorum prioris generalis et aliorum superiorum necnon fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini nobis exposito, quod bonae memoriae Thomas a Villanova eiusdem Ordinis, dum vixit, professor, ac archiepiscopus Valentinus, multis et eximiis virtutum, gratiarum et miraculorum donis a Domino illustratus fuerat, et propterea non solum universus Ordo praedictus, sed etiam charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, ac venerabilis frater Isidorus archiepiscopus Valentinus, necnon dilecti filii capitulum et canonici ecclesiae Valentinae, ac deputati, electi, et sindyci regni et civitatis Valentiae nobis humiliter supplicari fecerunt, ut, donec canonizationis honor dicto Thomae a Villanova ab Apostolicâ Sede haberetur, idem Thomas a Villanova Beatus vocari, et de eodem officium et missa, ut infra, recitari posset;

Hic Pontifex concessit Thomam a Villanova Beatum nuncupari et XVIII septembris ab Ordine officium recitari et missam celebrari.

§ 2. Nos, re prius per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositos, quibus eam examinandam mandaveramus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut ipse bonae memoriae Thomas a Villanova in posterum Beatus nuncupari, atque singulis annis die XVIII septembris in toto regno Valentiae a religiosis eiusdem Ordinis sancti Augustini, tam fratribus quam monialibus, et in dictâ civitate Valentinâ, ubi eius corpus requiescere asserebatur, et dioecesi Valentinâ, cuius per undecim an-

nos archiepiscopus fuit, ut praefertur, ab omnibus utriusque sexus regularibus personis, ac etiam presbyteris et clericis secularibus, de eo tamquam de Beato iuxta rubricas breviarii et missalis romani de communi Confessoris Pontificis officium recitari et missa celebrari respective posset, apostolicâ auctoritate perpetuo concessimus et indulsimus, prout in aliis nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

Et ad alias eorumdem preces.

§ 3. Cum autem, sicut pro parte prioris generalis, ac superiorum et fratrum praedictorum denuo nobis nuper expositum fuit, tam dictus Philippus rex, quam Ordo praedictus, nec non dicti deputati, electi et sindici, concessionem et indultum praedicta ad universum Ordinem sancti Augustini huiusmodi, ac etiam ad oppidum Villanovae *de los Infantes* nuncupatum, Toletanae dioecesis, unde dictus Thomas oriundus esse asseritur, per nos auctoritate apostolicâ extendi summopere desiderent:

Concessionem praedictam ampliat.

§ 4. Nos, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc iterum porrectis inclinati, de eorumdem fratrum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus ab omnibus utriusque sexus eiusdem Ordinis sancti Augustini religiosis in Hispania, nempe in regnis Castellae, Aragoniae et Cathaloniae commorantibus, necnon in oppido de Villanova *de los Infantes* praedicto, ubi dictus Thomas natus et educatus esse asseritur, ab omnibus etiam utriusque sexus regularibus, ac etiam presbyteris et clericis secularibus officium et missa de eodem Thoma a Villanova, servatâ aliàs in omnibus et per omnia litterarum praedictarum formâ et tenore, recitari et celebrari respective libere et licite possit et valeat, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae in eisdem litteris nostris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Concessionis transumptis credi mandat.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCXIX, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 24 septembris 1619, pontif. an. XV.

CCCXXII.

Beatificatio venerabilis Francisci Xaverii sacerdotis Societatis Iesu, cum facultate recitandi officium, ac celebrandi missam de communi Confessoris non Pontificis quotannis die II *decembris.*

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In Sede Principis apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, a Domino constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Superiores Societatis Iesu supplicarunt huic Pontifici pro beatificatione Francisci Xaverii dictae Societatis professoris.

§ 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum praepositi generalis ac presbyterorum Societatis Iesu nobis nuper expositum fuit, quod bonae memoriae Franciscus Xaverius eiusdem Societatis, dum vixit, presbyter, multis et eximiis virtutum, gratiarum et miraculorum donis a Domino illustratus fuit. Quapropter praepositus et presbyteri praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut, donec canonizationis

[1] Quas vide supra pag. 426 (R. T.).

honorem (quem dicto Francisco Xaverio, ob eius excellentia merita, aliquando, divinâ adspirante gratiâ, habitum iri sperant) ab Apostolicâ Sede impetrent, idem Franciscus Xaverius Beatus vocari, ac de eodem officium et missa, ut infra, recitari et celebrari respective possit.

Qui dictum Franciscum de cetero Beatum nuncupari, ac die II decembris de eo officio recitari et missam celebrari posse indulget.

§ 2. Quare nos, re prius per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositos, quibus eam examinandam mandavimus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut ipse bonae memoriae Franciscus Xaverius in posterum Beatus nuncupari, atque de eo die secundâ decembris, qua obdormivit in Domino, ab omnibus religiosis dictae Societatis ubique terrarum existentibus, in eorum ecclesiis, necnon in omnibus regnis Indiae Orientalis, in quibus per undecim continuos annos christianam religionem disseminavit, ac longe lateque propagavit, item et in oppido Vavier nuncupato, Pampilonensis dioecesis, unde ipse Franciscus Xaverius oriundus esse asseritur, ab omnibus utriusque sexus regularibus ac etiam presbyteris et clericis secularibus iuxta rubricas breviarii et missalis romani de communi Confessoris non Pontificis officium recitari et missa celebrari respective libere et licite valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptisque dictae concessionis fidem dari praecipit.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV octobris MDCXIX, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 25 octobris 1619, pontif. anno XV.

CCCXXIII.

Ferdinandus imperator a censuris ad cautelam cum complicibus absolvitur ob amotionem cardinalis Cleselii ab aulâ caesarea [1].

Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum regi in imperatorem electo Paulus Papa V.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Ferdinandi petitio.

§ 1. Cum, sicut maiestas tua per litteras suas die tertiâ mensis maii proxime praeteriti datas, necnon per quondam Tiberium Carnevalium ad nos infrascriptâ de re a maiestate tuâ specialiter destinatum nobis exponi fecit, tu, unâ cum bonae memoriae Maximiliano archiduce Austriae, adeo necessariis rationibus et causis ad dilectum filium nostrum Melchiorem S. R. E. presbyterum cardinalem Cleselium nuncupatum, ecclesiae Viennensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulem, ab aulâ clarae memoriae Matthiae Romanorum regis in imperatorem electi amovendum et in tuto loco in oppido Œniponti nostro nomine custodiendum permotus fueris [2], ut in eâ re nihil a te peccatum, sed religioni catholicae et reipublicae nec non Statibus domus Austriacae consultum fuisse reperias, nec propterea absolutione a praemissis, quamvis ad cautelam, tibi opus esse existimas; nihilominus, quando per dilectum filium magistrum Fabritium Verospium cappellanum nostrum et causarum palatii apostolici auditorem, a nobis de hoc negocio ad maiestatem tuam missum, absolutione

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *fuerit* (R. T.).

a praemissis saltem ad cautelam te indigere nostro nomine tibi significatum fuerit, maiestas tua pro suâ in nos et hanc sanctam Sedem observantiâ ac obsequendi studio rem hanc ad nostram voluntatem et arbitrium, cui, ut princeps catholicus parebit, reiecerit, et idcirco dictus quondam Tiberius inhaerendo litteris tuis huiusmodi absolutionem ad cautelam a praemissis nomine tuo pro te et aliis, quorum operâ et consilio in eisdem praemissis usus fuisti, a nobis petierit, promittens huiusmodi petitionem, maiestatis tuae approbatione et ratificatione ratam, validam futuram, prout in supplici libello eiusdem Tiberii sub die III mensis iunii proxime praeteriti nobis exhibito plenius continetur:

Pontificis benignitas.

§ 2. Nos, ad grandia maiestatis tuae in nos et Apostolicam Sedem fidei et observantiae atque adeo in religionem catholicam merita paternae considerationis dirigentes intuitum, supplicationibus praedictis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, re prius cum nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, prudentiâ, doctrinâ, et pietate eximiis, communicatâ, et mature examinatâ, te, et eorum singulos, quorum operâ et consilio in praemissis usus fuisti, ut praefertur, ab excommunicatione maiori, necnon aliis quibuscumque censuris et poenis ecclesiasticis ob praemissa omnia et singula quomodolibet incursis, qualescumque sint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, ad cautelam absolvimus, et absolutos esse et fore decernimus et declaramus, necnon in pristinum, et eum, in quo ante praemissa quomodolibet maiestas tua et illi eratis, statum et gradum in omnibus et per omnia plenarie restituimus, reponimus et reintegramus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, generalibus, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, privilegiis, indultis et litteris apostolicis, etiam extravagantibus, et in corpore iuris clausis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Poenitentia a confessario imponenda.

§ 4. Volumus autem, quod poenitentiam, quam tibi et aliis praedictis confessarius idoneus propter praemissa iniungendum duxerit, adimplere omnino teneamini.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV octobris MDCXIX, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 25 octobris 1619, pontif. an. XV.

CCCXXIV.

Nuncio apostolico in Poloniae regno committitur dismembratio decimarum manipularium praefecturae Lomzensis a mensâ episcopali Plocensi, earumque unio mensae capitulari pro distributionum quotidianarum augmento[1].

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei,
Dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae nuncio in regno Poloniae residenti, salutem et apostolicam benedictionem

Exordium.

Debitum pastoralis officii nobis ex alto commissi nos admonet et inducit, ut ad ea, per quae ecclesiarum quarumlibet, praesertim cathedralium, earumque mensarum capitularium, necnon personarum divinis laudibus in ipsis ecclesiis insistentium commoditatibus consulitur, et necessitatibus occurritur, libenter intendamus, ac in his eiusdem officii nostri partes favorabiliter interponi mandemus, prout, personarum, rerum et temporum qualitatibus diligenter pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Petitio episcopi et capituli.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Henrici episcopi Plocensis, ac dilectorum filiorum capituli et canonicorum ecclesiae Plocensis,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

petitio continebat, quod fructus, redditus et proventus mensae capitularis dictae ecclesiae temporum iniuriâ adeo imminuti fuerint, ut, propter illorum ac distributionum quotidianarum tenuitatem, pauci admodum eiusdem ecclesiae canonici divinis officiis, in eâ celebrari solitis, interesse, easdemque distributiones lucrari curent. Verum praedictus Henricus episcopus, id pro sui pastoralis officii debito provide considerans, ac aliàs animos eorumdem canonicorum ad laudés divinas in eâdem ecclesiâ alacrius et ferventius decantandas incitare cupiens, quasdam decimas manipulares nuncupatas ex bonis regalibus praefecturae Lomzensis ad mensam suam episcopalem Plocensem legitime spectantes, annui redditus bis mille florenorum Polonicorum, mille scuta auri circiter, ut asseritur, constituentium (licet octingenti floreni huiusmodi monetae, nec non quadringenta scuta paria conficientes, eidem mensae episcopali ad praesens[1] obveniant, ex quo residuum illorum quibusdam particularibus personis ipsius ecclesiae canonicis per dicti Henrici episcopi praedecessores tunc existentes episcopos Plocenses ad eorum vitam concessum[2] fuit), eidem mensae capitulari pro augmento distributionum quotidianarum huiusmodi (cum hoc tamen, quod eiusdem ecclesiae capitulum et canonici praedicti, et pro tempore existentes, sexcentos collegio dilectorum filiorum vicariorum dictae ecclesiae, et quadringentos florenos similes seminario puerorum ecclesiastico Plocensi ex dictis bis mille florenis quolibet anno dare et assignare debeant et teneantur) concedere et assignare proponat[3]: et, si dictae decimae ex nunc, prout postquam omnes ad praedictam mensam episcopalem, per obitum modernorum eas seu earum partes percipientium in vim concessionum, ut praefertur, factarum, redierint, ab eâdem mensâ episcopali (cuius fructus, redditus, et proventus pro commodâ episcopi Plocensis pro tempore existentis sustentatione et manutentione, et detractis huiusmodi decimis, abunde sufficiunt) dismembrarentur, illaeque, sic dismembratae et separatae, dictae mensae capitulari[1] pro huiusmodi distributionum quotidianarum augmento applicarentur et appropriarentur, ut infra, ex hoc profecto feliciori eiusdem ecclesiae statui et canonicorum eorumdem commoditatibus cum non modico divini cultus splendore et incremento satis opportune consuleretur, nec propterea dicta mensa episcopalis aliquod sentiret gravamen. Quare pro parte Henrici episcopi, capituli, ac canonicorum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Dismembratio et respectiva unio, de quibus in rubrica, nuncio apostolico committitur.

§ 2. Nos igitur, certam de praemissis notitiam non habentes, dictumque Henricum episcopum, ac capituli, et canonicorum huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, nec non veriores aliarum unionum, annexionum, incorporationum, applicationum et appropriationum, dictae mensae capitulari hactenus factarum, tenores ac datas, decimarum quoque huiusmodi valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni

1 Heic videretur aliquod deesse ex. g. *tantummodo* (R. T.).

2 Erronee edit. Main. legit *concessus* (R. T.).

3 Nil praecessit a quo regatur huiusmodi subiunctivum: et propterea legendum videretur *proponit* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *episcopali* (R. T.).

tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constito tibi prius legitime de praemissis, dictas decimas cum omnibus earum iuribus et pertinentiis universis ab eâdem mensâ episcopali ex nunc, prout postquam omnes ad eam redierint, ut praefertur, auctoritate nostrâ perpetuo dismembres et separes; illasque sic dismembratas et separatas praedictae mensae capitulari pro augmento distributionum quotidianarum praedictarum, dictâ auctoritate nostrâ, etiam perpetuo applices et appropries; ita quod liceat modernis praedictis ac pro tempore existentibus capitulo et canonicis eiusdem ecclesiae, per se, vel alium, seu alios eorum nomine, partis non concessae, ex nunc, residui vero decimarum huiusmodi, postquam per obitum singulorum canonicorum illas seu earum partes nunc percipientium vacare ac aliàs ad mensam episcopalem redire contigerit, simul vel successive, facto loco vacationi huiusmodi, corporalem, realem et actualem possessionem apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, illasque percipere, exigere, levare, arrendare, locare, dislocare ac ([1] donationem ex eis sexcentis pro collegio, et aliis quadringentis florenis huiusmodi pro seminario praedictis, per dictos capitulum et canonicos, ut praefertur, postquam tamen omnium decimarum praedictarum possessionem adepti fuerint, modo et formâ praemissis, et interim pro ratâ possessarum, collegio et seminario huiusmodi dandis et assignandis, ita quod ad id per Ordinarium loci nunc et pro tempore existentem, etiam per censuras ecclesiasticas cogi, possint) in suos et dictarum distributionum quotidianarum usus et utilitatem convertere, Dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ.

1 Forsan hic deest praep. *post* vel *praeter* (R. T.).

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

§ 3. Nec non praesentes nostras litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, seu regulis, vel constitutionibus, etiam revocatoriis unionum et annexionum et incorporationum effectum non sortitarum, etiam per quoscumque Romanos Pontifices successores nostros, etiam in crastinum assumptionis cuiuslibet ipsorum ad summi apostolatus apicem fieri solitis, minime [1] comprehendi, sed semper et perpetuo ab eis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum, etiam sub posteriori datâ per modernos praedictos ac pro tempore existentes eiusdem ecclesiae capitulum et canonicos quandocumque eligendâ, restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, necnon quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane eâdem auctoritate nostrâ decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ de exprimendo vero valore secundum communem estimationem, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non eiusdem ecclesiae Plocensis (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis), statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis illi, eiusque praesuli, capitulo, clero, canonicis, aliisque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, in contrarium forsan praemissorum quomodolibet concessis,

1 Vocem *minime* addendum censui (R. T.).

confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis mentio in eisdem nostris litteris habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXIX, tertio idus decembris, pontif. nostri anno XV.

Dat. die 11 decembris 1619, pontif. an. XV.

CCCXXV.

Decimae sex super omnibus fructibus et pensionibus ecclesiasticis Italiae imponuntur.

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Causae imponendi decimas recensentur.

In speculâ militantis Ecclesiae a Domino per eius divinae gratiae abundantiam, nullo licet merito nostro, constituti, et intestina mala quibus inclyta Germania et illi vicinae provinciae affligantur, necnon quanto hostis humani generis conatu charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi et catholicorum res ibidem oppugnentur, pastorali sollicitudine considerantes, non possumus non graviter commoveri. Nemo enim nescit, quantis seditionibus, rebellionibus et funestis haereticorum motibus omnia fluctuent, ut in locis, quae a catholicae fidei hostibus occupantur, divina humanaque iura, ac sacrosanta Dei templa violentur, sacrae caeremoniae ablegentur, sacrificia cessent, Dei sanctorumque honor nullus, contumeliae et opprobria multa sint. Quae sane calamitates cum Ecclesiae, hoc est mystici corporis Christi tam principalia membra affligant, cetera membra unâ nobiscum, qui huius corporis, licet indigni, visibile caput a Domino constituti sumus, merito condolere debent.

Quapropter nos, in hac rerum calamitoso statu, pro eâ quam de catholicorum Germaniae praedictae et vicinarum provinciarum huiusmodi, qui non modica pars sunt gregis dominici nobis divinitus crediti, praecipuam habemus sollicitudinem, officii nostri partes esse duximus, eisdem, quacumque opportunâ ratione possumus, opem ferre et communem causam Reipublicae Christianae adiuvare. Cum vero camerae nostrae apostolicae vires valde debilitatae sint, et redditus ad ea comparanda praesidia, quae praesentes necessitates postulant, nequaquam sufficiant, cogimur, exemplo Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ad aliarum ecclesiarum peculium, Christique Domini patrimonium, cuius causa nunc agitur, nos convertere, sperantes in Domino, non iniquum quemque urgentium harum necessitatum aestimatorem in tam sanctum, pium ac necessarium usum, pro christianâ pietate, libenter contributurum.

§ 1. Habitâ igitur super his omnibus cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione maturâ, de eorum consilio et assensu indicimus et imponimus sex integras decimas omnium et quorumcumque fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, distributionum quotidianarum, et emolumentorum ordinariorum et extraordinariorum, omnium et quarumcumque ecclesiarum, patriarchalium, metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum et parochialium, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praepositurarum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, per-

Imponuntur sex decimae.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sonatuum, administrationum et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, S. Basilii, Sylvestrinorum, et, qui proprietates redditusque certos ex privilegio vel aliàs possident, Mendicantium ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus necnon congregationum regularium (exceptis praedictis S. R. E. cardinalibus ob assiduos, magnosque labores, quos ipsi Ecclesiae universali impendunt, et gravissima, quae tuendae dignitatis causâ sustinent, onera, ac exceptis etiam duodecim illis congregationibus, quae cum camerâ apostolicâ tempore felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri de subsidio ordinario concordarunt), et praeterea hospitalium etiam pauperum, hospitalitatem non exercentium, seu bona et redditus ultra infirmorum necessitates et alia, pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda possidentium, necnon B. Mariae Theutonicorum, S. Lazari de Altopassu, Templi Dominici, et aliarum militiarum (Hospitali S. Ioannis Hierosolymitani, quod pro sui tutelâ contra Turcas et alios infideles alienis auxiliis quotidie indiget, dumtaxat excepto[1]) in Italia universâ consistentium, secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum et aliorum praedictorum, nisi aliter cum Sede et camerâ apostolicâ fuerit concordatum; ac etiam indicimus et imponimus sex alias decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis et distributionibus supradictis, in favorem quorumcumque (non tamen cardinalium et duodecim congregationum huiusmodi) assignatarum et assignandarum, percipiendas, exigendas et levandas ab omnibus et quibuscumque episcopis, archiepiscopis et primatibus, patriarchis et aliis ecclesiarum praelatis, ac ceteris cuiuscumque dignitatis, gradus, status et conditionis personis praedicta, quocumque iure et titulo, obtinentibus et obtenturis, necnon oeconomis, et administratoribus perpetuis et temporalibus usufructuariis, ac fructus, pensiones, res et alia huiusmodi iura ex quacumque causâ sibi apostolicâ auctoritate in toto vel in parte reservata habentibus et habituris, secularibus et regularibus Ordinum, congregationum, militiarum et hospitalium (non tamen sancti Ioannis) praedictorum, necnon ab ipsis ecclesiis, cappellaniis, conventibus, ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis, quocumque privilegio et exemptione reali, personali et mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuâ suffultis: quos omnes ad hoc obligatos pro unâ intra proximum diem festum S. Michaëlis archangeli proximi mensis septembris, et pro aliâ intra eumdem festum anni proxime futuri, et pro tertiâ partibus aequalibus intra illum ipsum diem festum consequentis protinus anni, camerae praedictae, et illius depositario generali ad id constituendo, omnino volumus persolvisse.

Depositarii deputatio et munus.

§ 3. Eiusdem vero depositarii munus erit sedulo curare, ut quicquid pecuniarum ex decimis colligetur, id diligenter ac fideliter asservetur, de mandato nostro speciali in dictos usus dumtaxat, nec aliàs, erogandum.

Poenae non solventibus infliguntur.

§ 4. Quicumque vero decimas huiusmodi nullo modo vel non integre scienter, aut non secundum verum annuum valorem

1 Comma istud, quod censuimus parenthesi includere, etiam triplici correctione egere nobis visum fuit; nam in edit. Main. absque signo ullo parenthesis sic legitur: *et aliarum militiarum,* hospitalis *sancti Ioannis Hierosymitani,* quae *pro sui tutela contra Turcas et alios infideles alienis auxiliis quotidie indiget, dumtaxat* exceptis, *in Italia universa consistentium,* etc. (R. T.).

fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, distributionum et emolumentorum, vel concordiam cum Sede et camerâ praedictis, ut praefertur, ineundam, sive terminis constituendis, non exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint vel fraudem, ecclesiarum antistites suspendimus a divinis, capitula vero, conventus et collegia quaecumque ecclesiastico interdicto supponimus, ac singulares personas, antistite inferiores, excommunicationis sententiâ innodamus.

Modus persolvendi huiusmodi decimas praescribitur.

§ 5. Ceterum, ad praedictas decimas consequendas, praecipimus etiam omnibus conductoribus, censuariis et locatoribus proprietatum, fructuum, rerum et iurium praedictorum, etiam huiusmodi pensionibus oneratorum, ut utrasque decimas, nomine dominorum et pensionariorum, ad computum suae quisque locationis, omnibus vero possessoribus, usufructuariis et aliis pensiones solvere debentibus, ut ipsi etiam decimas pensionum huiusmodi, nomine pensionariorum, camerae et procuratoribus praedictis integre persolvant. Decernentes, decimas fructuum, reddituum, proventuum et aliorum iurium praedictorum, secundum verum valorem annuum, vel saltem iuxta taxam, de qua cum S. R. E. camerario, nostroque et camerae praedictae thesaurario generali, ut praefertur, concordaverint, alias vero pensionum decimas ad rationem decem pro centenario praestari debere, et secundum ea praedictos omnes in solidum cogendos esse; ipsarumque decimarum procuratores, a quibus libuerit, integre exigendi optionem, facultatemque habere; neque ullas immunitates et exemptiones, etiam ex causâ resignationis, cessionis iuris, concordiae, conventionis, aut quacumque aliâ gravi et onerosâ occasione, quocumque modo concessas, et interim concedendas, integram solutionem huiusmodi minuere vel impedire; neque possessores, usufructuarios aut alios pensiones huiusmodi solvere debentes, etiamsi ipsi iuri et actioni petendae vel detrahendae vel retinendae portionis et ratae partis pensionarios contingentis iureiurando renunciaverint, atque ex formâ dictae camerae amplissimâ caverint modo aliquo obligari, neque ad id pro dicto tempore constringi posse; omnes vero confessiones et quietantias receptionis decimarum a procuratoribus et ministris camerae praedictae, tam conductoribus, censuariis et locatoribus nomine suorum principalium, quam etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis, et aliis pensiones solvere debentibus nomine pensionariorum faciendas, perinde valere, atque in iudicio et extra illud ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus et pensionariis praesentibus et solventibus factae et exhibitae fuissent; conductores autem, qui pretium locationis dominis legitime anticipaverint, locationem suam huiusmodi, quam ad hoc prorogamus, usque ad integram satisfactionem, ut prius, etiam adveniente successore, continuare debere;

Clausulae.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales in quavis causâ et instantiâ (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Cardinalis camerarius collector designatur.

§ 7. Ut autem omnia supradicta, sicut causa urgens postulat, diligenter et fideliter exequutioni demandentur, dilectum filium nostrum Petrum tituli S. Mariae Transtyberim presbyterum cardinalem Aldobrandinum nuncupatum, S. R. E. camerarium, cuius integritas atque experientia iampridem nobis perspecta est, generalem omnium decimarum praedictarum collectorem in universâ Italia, cum omnibus et quibus-

cumque privilegiis, iurisdictionibus ac iuribus, quae omnes alii antehac huiusmodi collectores habuerunt, auctoritate praedictà, tenore praesentium, constituimus et deputamus: eique plenam, liberam et absolutam potestatem, facultatem et auctoritatem tribuimus, omnes ipsas decimas, camerae praedictae nomine, ubique procurandi; praedictos omnes, tam coniunctim quam divisim, ad illarum integram solutionem, ut praedictum est, faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum, monendi et requirendi; non parentes, fraudantes et ceteros contumaces in censuras et poenas praedictas incidisse declarandi; proprietates, res, fructus et alia bona ipsorum, etiam manu regià apprehendendi, et usque ad condignam satisfactionem retinendi; contradictores et perturbatores, molestatores et rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, quovis quaesito colore praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praedictis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, ceterisque iuris ac facti remediis compellendi; illosque etiam iteratis vicibus aggravandi; dignitatibus, beneficiis et officiis omnibus privandi et amovendi, et ad futura inhabiles faciendi; interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis, quandocumque opus fuerit, invocandi; ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis, in formâ Ecclesiae consuetâ, absolvendi; super irregularitate forsan occursâ dispensandi, et ad pristinum statum omnino restituendi; praeterea collectores et subcollectores fide et facultatibus idoneos in omnibus civitatibus, terris et provinciis Italiae praedictae, quotquot viderit expedire, cum simili vel limitatâ (non tamen absolvendi) potestate, constituendi, eumque vel eos arbitrio suo revocandi, negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios subrogandi, quotiescumque ei videbitur; in delinquentes et suspectos, per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi, et meritis poenis puniendi; modos et formas in praedictis servandos praescribendi; dubia quaecumque in praemissis forte oritura declarandi; ac prorsus omnia et quaecumque circa ea necessaria et opportuna faciendi, statuendi et exequendi; etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum.

§ 8. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, ac aliis apostolicis constitutionibus, nec non ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, hospitalium, militiarum et locorum praedictorum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis), statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis; quodque praelatis et personis praedictis, eorumque ecclesiis et locis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a praedictâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto, nec non personis earumque nominibus et cognominibus, ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis huiusmodi, mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere et in specie, quomodocumque concessis, confirmatis et innovatis; etiam solutionem decimarum aliter quam secundum antiquam taxam, et nisi in universali decimarum per orbem impositione[1] fieri prohibentibus; necnon promissionibus, donationibus, obbligationibus, iuramentis et renunciationibus, vin- Contraria tolluntur.

1 Edit. Main. legit *impositionem* (R. T.).

culis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis, quibus per impositionem decimarum huiusmodi neminem teneri, neque eas, quoad praemissa, contra quemquam locum habere declaramus; aliisque indultis et litteris apostolicis, generalibus et specialibus, cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa, aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quomodolibet eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis; quae omnia contra praemissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari; necnon aliis huiusmodi impositionibus et concessionibus ad tempus nondum elapsum per nos factis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clementis V constitutio praeservatur.

§ 9. Ceterum, in percipiendis decimis praedictis, constitutionem recolendae memoriae Clementis Papae V, similiter praedecessoris nostri, in concilio Viennensi editam, quod decimae ad monetam currentem communiter levari, nec calices, libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata, ex causà pignoris capi, percipi vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari. Quin etiam praecipimus, ne quisquam etiam plura, quanticumque valoris beneficia ecclesiastica, seu plures pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinens, pro litterâ et sigillo quietantiae universalis, si illam habere voluerit, ultra unum carlenum, conficientem quatrenos triginta septem huius monetae, solvere teneatur, nec ad aliud onus, etiam praetextu cambii, uspiam compellatur.

Fides transumptis danda.

§ 10. Quia vero difficile nimis esset praesentes litteras quocumque illis opus erit perferre, volumus quoque illarum exemplis etiam impressis et notarii publici manu, ac Petri cardinalis et camerarii praedicti, aut alterius collectoris, seu praelati ecclesiastici, eiusve curiae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra illud, ubique locorum adhibeatur, quae illis ipsis adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum indictionum, impositionum, statuti, suspensionis, suppositionis, innodationis, decreti, prorogationis, constitutionis, deputationis, tributionis, voluntatis, et praeceptorum infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis, etc.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXX[1], idibus ianuarii, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 13 ianuarii 1620, pontif. an. XV.

Pontificis

 EGO PAULUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Et cardinalium subscriptiones.

† Ego A. Maria episcopus Ostiensis cardinalis Gallus.

† Ego Antonius episcopus Portuensis cardinalis Saulius.

†

† Ego Benedictus episcopus Sabinensis cardinalis Iustinianus.

† Ego Franciscus Maria episcopus Praenestinus cardinalis a Monte.

†

†

† Ego Petrus S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Aldobrandinus S. R. E. camerarius.

† Ego Octavius tituli S. Laurentii in Lucina S. R. E. presbyter cardinalis Bandinus.

†

†

1 Edit. Main. habet 1619, sed ex errore nam in margine legit 1620, et an. pontif. XV (R. T.).

† Ego Dominicus tituli S. Petri in Monteaureo presbyter cardinalis Tuscus.
†
†
†
†
† Ego Dominicus basilicae Ss. Apostolorum presbyter cardinalis Gymnasius.
†
†
† Ego Ioannes cardinalis de Vicentia tituli sancti Marci.
† Ego Iacobus tituli S. Stephani in Monte Coelio presbyter cardinalis Sannesius.
† Ego Scipio tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Burghesius maior poenitentiarius.
† Ego M. tituli S. Honuphrii presbyter cardinalis Barberinus.
† Ego Ioannes Garzia tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbyter card. Millinus.
† Ego M. tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Lantes.
†
†
† Ego Fr. tituli sancti Augustini presbyter cardinalis Verallus.
† Ego Ioannes Baptista tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Lenius.
†
†
† Ego Ioannes tituli S. Clementis presbyter cardinalis Bonsius.
† Ego Philippus tituli S. Mariae de Populo presbyter cardinalis Philonardus.
† Ego P. tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Crescentius.
†
†
† Ego Horatius tituli S. Salvatoris in Lauro presbyter cardinalis Lancellottus.
† Ego Gaspar tituli S. Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis Borgia.
†
†
† Ego Robertus tituli S. Pudentianae presbyter cardinalis Ubaldinus.
† Ego Tiberius tituli S. Priscae presbyter cardinalis Mutus.
†
†
†
†
†
† Ego Ladislaus tituli S. Mariae super Minervam presbyter cardinalis de Aquino.
† Ego Petrus tituli S. Thomae in Parione presbyter cardinalis Camporeus.
† Ego Matthaeus presbyter cardinalis Priolus tituli S. Hieronymi Illyricorum.
† Ego Scipio presbyter cardinalis S. Susannae, S. R. E. bibliothecarius.
†
†
† Ego Alexander S. Laurentii in Damaso diaconus cardinalis Montaltus, S. R. E. vicecacellarius.
†
† Ego Andreas S. Eustachii diaconus cardinalis Ferettus.
†
†
†
†
† Ego A. S. Angeli cardinalis Capponius.
† Ego A. S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Ursinus.
†

CCCXXVI.

Exemptio monasterii monialium Discalceatarum Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo, Bisuntinae dioecesis, oppidi de Liege, a curâ et gubernio archiepiscopi Bisuntini ac superiorum et fratrum Carmelitarum, et subiectio curae quorumdam presbytero-

rum ad huiusmodi monasteriorum regimen a Sede Apostolicâ deputatorum[1].

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii nostri, quo divinâ disponente clementiâ universalis Ecclesiae regimini praesidemus, ad ea sedulo intendimus, ut sanctimoniales, quae, relictis mundi illecebris, divini numinis obsequiis se se manciparunt, feliciter dirigantur et gubernentur.

Monasterium a visitatione archiepiscopi Bisuntini et a gubernio fratrum Carmelitarum eximit,

§ 1. Hinc est, quod nos, prospero, felicique monasterii monialium Discalceatarum nuncupatarum beatae Mariae Virginis et sancti Iosephi Bisuntini Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo, per dilectum filium Ferdinandum Bereur dominum in in temporalibus loci de Liege in comitatu Burgundiae Bisuntinae dioecesis, ut accepimus, fundati et dotati, regimine et gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, supplicationibus dicti Ferdinandi nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, monasterium praedictum, ac illius pro tempore existentes abbatissam, seu priorissam, et moniales nec non conventum, res et bona universa, ab omni superioritate, iurisdictione, visitatione, curâ et gubernio venerabilis fratris Ferdinandi moderni et pro tempore existentis archiepiscopi Bisuntini, nec non prioris generalis, aliorumque superiorum et fratrum dicti Ordinis, in spiritualibus et temporalibus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo eximimus et liberamus;

Subiicitque regimini nonnullorum presbyterorum.

§ 2. Ac illa trium presbyterorum regni Franciae ad curam, regimen et gubernium aliorum eiusdem regni monialium huiusmodi monasteriorum a Sede Apostolicâ pro tempore deputatorum, nec non duorum aliorum presbyterorum ex dicto comitatu, seu alio dominio dilecti filii nobilis viri Alberti et dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Isabellae Clarae Eugeniae archiducum Austriae et Belgii principum, seu illorum in ditionibus huiusmodi successorum, per dictos tres presbyteros eligendorum et nominandorum, ac ab eodem Ferdinando moderno et pro tempore existente archiepiscopo Bisuntino approbandorum, superioritati, iurisdictioni, visitationi, correctioni, curae et gubernio, in eisdem spiritualibus et temporalibus, sine tamen praeiudicio iurium eiusdem archiepiscopi, tam vigore decretorum Concilii Tridentini, quam aliàs quomodolibet in regulares exemptos illi competentium, auctoritate et tenore praedictis perpetuo subiicimus et supponimus.

Monialibus cetororum monasteriorum privilegia concedit.

§ 3. Nec non abbatissae seu priorissae et monialibus praedictis, ut sub presbyterorum praedictorum obedientiâ huiusmodi viventes omnibus et singulis gratiis, indulgentiis, indultis et privilegiis, non tamen revocatis nec sub aliquâ revocatione comprehensis, ac decretis eiusdem Concilii et constitutionibus apostolicis non contrariis, quibus aliae dicti Ordinis moniales de iure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad earum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, et absque ullâ prorsus differentiâ (exemptione a iurisdictione dictorum presbyterorum pro tempore deputatorum et approbandorum, ut praefertur, exceptâ) uti, frui, potiri et gaudere (perinde ac si sub prioris generalis ac superiorum et fratrum praedictorum curâ et gubernio existerent) libere et licite valeant, auctoritate et tenore paribus concedimus et indulgemus.

Prohibet, quominus archiepiscopi vel superiores Ordi-

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae eidem Ferdinando moderno et pro tempore existenti archiepi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

nis Carmelitarum se in eiusdem monasterii curam ingerant. scopo Bisuntino, nec non priori generali, aliisque superioribus et fratribus, nec non abbatissae, seu priorissae, et monialibus praedictis, ut Ferdinandus modernus et pro tempore existens archiepiscopus Bisuntinus, nec non prior generalis, ac alii superiores et fratres praedicti se se minime imposterum, quovis quaesito colore, praetextu vel ingenio, in curâ et gubernio monasterii, illiusque abbatissae, seu priorissae et monialium, conventus, rerum et bonorum praedictorum, praeterquam ut supra respective, quoquomodo se immiscere, aut in ea iurisdictionem, superioritatem, visitationem, aut correctionem aliquam exercere audeant vel praesumant; abbatissa vero, seu priorissa, et moniales praedictae eosdem presbyteros pro tempore deputatos ac approbatos, ut supra, in earum, monasteriique, et rerum ac bonorum praedictorum superiores, reformatores et correctores habeant et recognoscant, ipsorumque presbyterorum monitis et mandatis salubribus prompte pareant et obediant, illaque suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent.

Clausulae. § 5. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non monasterii et Ordinis praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV ianuarii MDCXX, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 25 ianuarii 1620, pontif. an. XV.

CCCXXVII.

Extensio concessionis indulti, quo permittitur recitari officium et celebrari missam B. Paschalis Baylon, pro universis religiosis utriusque sexus eiusdem Ordinis in Hispaniarum regnis, et pro cuncto clero in oppidis, ubi beatus Paschalis natus fuit, vel ubi eius corpus requiescit.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Refertur indultum, de quo in aliâ constitutione. Aliàs, pro parte dilectorum filiorum ministri generalis, et aliorum superiorum, necnon fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum nobis exposito, quod bonae memoriae Paschalis Baylon, eiusdem Ordinis, dum vixit, professor, multis et eximiis virtutum gratiarum et miraculorum donis a Domino illustratus fuerat, et idcirco non solum universus Ordo praedictus, sed etiam charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, ac dilecti filii nostri Franciscus S. R. E. cardinalis Lermae nuncupatus, necnon totius regni Valentiae proceres nobis humiliter supplicari fecerant, ut, donec canonizationis honorem (quem dicto Paschali Baylon, ob eius excellentia merita, aliquando, divinâ adspirante gratiâ, habitum iri sperabant) ab Apostolicâ Sede impetrarent, idem Paschalis Baylon Beatus vocari, ac de eodem officium et missa recitari posset; nos, re prius per venerabiles fratres nostros eiusdem S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositos, quibus

eam examinandam mandaveramus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio huiusmodi supplicationibus inclinati, ut ipse bonae memoriae Paschalis Baylon imposterum Beatus nuncupari, atque de eo singulis annis die XVII maii, quo obdormivit in Domino, a fratribus eiusdem Ordinis in regno Valentiae commorantibus, tamquam de Confessore non Pontifice, iuxta rubricas breviarii et missalis romani, officium recitari, et missa celebrari, necnon in ecclesiâ fratrum eiusdem Ordinis oppidi Villae Regalis, in eodem regno Valentiae existentis, ab omnibus presbyteris, tam secularibus quam regularibus, missa, ut supra, similiter celebrari libere et licite posset et valeret, apostolicâ auctoritate concessimus et indulsimus, prout in aliis nostris in simili formâ Brevis sub die XXIX octobris anni MDCXVIII expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur [1].

Petitio extensionis.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Philippus rex, ac dilecti filii minister generalis, necnon alii superiores et fratres eiusdem Ordinis sancti Francisci de Observantiâ nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga ipsum beatum Paschalem gerunt, devotionis affectu plurimum cupiant, concessionem et indultum, ac desuper confectas litteras huiusmodi, ad universum Ordinem fratrum Minorum de Observantiâ huiusmodi, ac etiam ad praedictum Villae Regalis, ubi eiusdem beati Paschalis corpus requiescere, necnon Turris Formosae Seguntinae dioecesis, unde idem beatus Paschalis oriundus esse asseritur, respective oppida per nos, ut infra, extendi; nobis idcirco humiliter supplicari fecerunt, ut eorum votis in praemissis annuere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Huiusmodi litterae supra relatae fuerunt, pagina 430 (R. T.).

Indultum de quo in rubrica.

§ 3. Nos igitur, de eorumdem cardinalium consilio, posterioribus huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem et indultum, ac desuper confectas litteras huiusmodi, ad omnes utriusque sexus religiosos dicti Ordinis Minorum regularis observantiae in regnis Castellae et Aragoniae commorantes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus. Necnon, ut in Villae Regalis, ubi eiusdem beati Paschalis corpus requiescere, ac Turris Formosae, ubi idem beatus Paschalis, ut praefertur, natus et educatus esse asseritur, oppidis praedictis ab omnibus utriusque sexus regularibus, ac etiam presbyteris et clericis secularibus, de eodem beato Paschale, iuxta rubricas breviarii et missalis romani, huiusmodi de communi Confessoris non Pontificis officium recitari et missa celebrari respective valeat, auctoritate et tenore praedictis concedimus pariter et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x februarii MDCXX, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 15 februarii 1620, pontif. an. XV.

CCCXXVIII.

Confirmatio electionis Ferdinandi II in imperatorem Romanorum [1].

1 Ex Arch. in arce sancti Angeli de Urbe.

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei,
Charissimo in Christo filio Ferdinando, Romanorum, Hungariae et Bohemiae regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Romani Pontificis, qui in terris Domini nostri Iesu Christi Regis regum, Domini dominantium, et per quem reges regnant, et regum conditores iusta decernunt, in beati Petri Sede vices gerit, muneris esse dignoscitur, quae ad communem utilitatem, salutem et praesidium, et ad sacri romani imperii statum pertinent, iudicii et auctoritatis suae robore communire.

Ferdinandus in Romanorum imperatorem eligitur, et coronatur.

§ 1. Quapropter, cum inclytae memoriae Matthia Romanorum rege in imperatorem electo rebus humanis exempto, Romanum vacaret imperium, eiusdem imperii principes electores, a venerabili fratre nostro Ioanne archiepiscopo Moguntino pro munere suo in civitatem Francofurti de more ad certam diem vocati, in eâdem civitate convenientes ut Romanorum regem futurum imperatorem eligerent, qui praecelsis regiisque virtutibus rempublicam tueretur, iidem principes te, qui Hungariae et Bohemiae rex eras, unanimi consensu divinâ favente clementiâ in Romanorum regem futurum imperatorem solemniter elegerunt, tuque electioni huiusmodi, oblato tibi de more decreto, qua decuit modestiâ consensisti, ac deinde in eiusdem civitatis collegiatâ ecclesiâ sancti Bartholomaei, post missarum solemnia a praedicto Ioanne archiepiscopo Moguntino celebrata, per te in manibus eiusdem Ioannis archiepiscopi praestito more catholicorum regum Romanorum praedecessorum tuorum iuramento, aliisque solemnibus rite peractis, dicti Ioannis archiepiscopi ministerio ritu et pompâ solitâ coronatus fuisti.

Electionem suam a Pontifice petit confirmari.

§ 2. Quoniam vero electionis, coronationisque negotium huiusmodi nuper per dilectum filium nobilem virum Paulum Sabellum Albani principem coram nobis proponi fecisti, petens omnia praemissa per nos apostolicâ auctoritate caeremoniis servari solitis confirmari:

Confirmat Paulus.

§ 3. Nos, de praemissis per legitima documenta sufficienti habito testimonio, et re cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus diligenter perpensâ et mature consideratâ, magnâ animi nostri cum spirituali laetitiâ ex eâdem electione susceptâ, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, gloriosissimaeque eius Genitricis Mariae, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli, nec non eiusdem Romanae Ecclesiae et sacri imperii exaltationem et honorem, electionem de personâ maiestatis tuae in regem Romanorum futurum imperatorem et coronationem in dictâ civitate Francofurti factas, ob praestantissimas animi et corporis tui dotes, luculentissimaque earum indicia ac testimonia, et certissimam spem, quam de te in sanctae fidei ac religionis catholicae ac nostrâ et Romanae Ecclesiae illiusque rerum et bonorum defensione, propagatione et protectione conceptam habemus, de eorumdem fratrum consilio et unanimi assensu, auctoritate apostolicâ, et ex certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, qui aut ratione formae aut loci coronationis eiusdem aut personarum electorum eorumdem, seu etiam ex eo quod idem Mathias electus imperator de manu Romani Pontificis auream coronam non susceperit, seu quavis aliâ ratione vel causâ in huiusmodi electione et coronatione quovis modo forsan intervenerint, supplemus, teque sic electum et confirmatum ad suscipiendum imperialis dignitatis culmen, suis loco et tempore, dignum et idoneum etiam decernimus et declaramus.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis legibus imperialibus, ac privilegiis electoribus ipsis et quibusvis aliis forsan concessis. Quibus (etiamsi ad illorum derogationem de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia forma servanda esset), illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, auctoritate, scientiâ, potestate et tenore praemissis, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, suppletionis, decreti, declarationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII, quinto[1] maii, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 5 maii 1620, pontif. an. XV.

Papae.

✠ EGO PAULUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Cardinaliumque subscriptiones.

† Ego Antonius cardinalis Saulius episcopus Ostiensis.

† Ego E. cardinalis Cusentinus episcopus Portuensis.

† Ego Benedictus episcopus Sabinensis cardinalis Iustinianus.

1 In edit. Main. legitur IX in textu, et in margine 5 maii (R. T.).

† Ego Franciscus Maria cardinalis a Monte episcopus Praenestinus.

† Ego F. Sfortia cardinalis episcopus Tusculanus.

† Ego A. cardinalis Montaltus episcopus Albanensis S. R. E. vice-cancellarius.

† Ego Petrus tituli S. Mariae in Transtyberim presbyter cardinalis Aldobrandinus S. R. E. camerarius.

† Ego Octavius tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis Bandinus.

† Ego Bartholomaeus tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Caesius.

† Ego Robertus tituli S. Mariae in Via cardinalis Bellarminus.

† Ego Dominicus Ss. Apostolorum cardinalis Gymnasius.

† Ego Ioannes tituli S. Marci presbyter cardinalis de Vicentia.

† Ego Iacobus tituli S. Stephani in Monte Coelio cardinalis Sannesius.

† Ego Scipio tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Burghesius.

† Ego Maphaeus tituli S. Onuphrii presbyter cardinalis Barberinus.

† Ego Ioannis Garzia tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbyter cardinalis Millinus.

† Ego Alexander cardinalis Lantes tituli Ss. Quirici et Iulittae.

† Ego F. tituli S. Augustini presbyter cardinalis Verallus.

† Ego Ioannes tituli S. Clementis presbyter cardinalis Bonsius.

† Ego P. tituli S. Mariae de Populo presbyter cardinalis Philonardus.

† Ego Horatius tituli S. Salvatoris in Lauro presbyter cardinalis Lancellottus.

† Ego Robertus tituli S. Pudentianae presbyter cardinalis Ubaldinus.

† Ego F. presbyter cardinalis Mutus tituli S. Priscae.

† Ego Ladislaus tituli S. Mariae supra Minervam presbyter cardinalis de Aquino.

† Ego Petrus tituli S. Thomae in Parione presbyter cardinalis Camporius.

† Ego Matthaeus tituli S. Hieronymi Illyricorum presbyter cardinalis Priolus.

† Ego Scipio presbyter cardinalis S. Susannae S. R. E. bibliothecarius.

† Ego Andreas S. Eustachii diaconus cardinalis Perettus.

† Ego Alexander S. Mariae Novae diaconus cardinalis Estensis.

† Ego Alexander S. M. in Cosmedin diaconus cardinalis Ursinus.

CCCXXIX.

Confirmatio Constitutionum fratrum Eremitarum Ordinis sancti Augustini congregationis Discalceatorum Italiae.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacri apostolatus ministerio per abundantiam divinae gratiae, nullo licet merito nostro, praepositi, ad ea, per quae christifidelium, praesertim sub suavi religionis iugo et in humilitatis spiritu Altissimo famulantium, felici prosperaeque directioni consulitur, libenter intendimus, et iis, quae propterea facta fuisse dicuntur, ut ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observentur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Isti fratres nonnullas constitutiones et ordinationes condiderunt quarum approbationem modo petunt ab ipso Pontifice.

§ 1. Cum itaque, pro felici dilectorum filiorum fratrum Eremitarum Ordinis sancti Augustini congregationis Discalceatorum Italiae regimine, nonnullae Constitutiones editae et illae iussu nostro recognitae et examinatae ac in unum volumen compilatae sint, tenoris sequentis, videlicet: *(Omittitur tenor ipsarum Constitutionum, quas in unoquoque coenobio ipsorum fratrum videre poteris)*:

Qui eas approbat et confirmat supplendo omnes defectus.

§ 2. Nos, inviolabili earumdem constitutionum observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, constitutiones praefatas, omniaque et singula in eis contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae ac inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti et quosvis alios defectus, si qui in praemissis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, supplemus.

Illasque ab omnibus servari decernit.

§ 3. Decernentes, modernos et pro tempore existentes dictae congregationis fratres ad plenariam earumdem constitutionum observationem, prout illae eos concernunt, teneri et obligatos esse et fore, ac id etiam sub censuris ecclesiasticis, et aliis in constitutionibus praedictis contentis poenis, cogi et compelli posse;

Et ita et non aliter iudicari mandat.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstante felicis recordationis Iulii II, sub datâ die XXIV septembris MDVIII, ac Leonis X Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, sub datâ X iulii MDXIII[1], ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus

1 Edit. Main. erronee habet 1533: ex coniectura ponimus 1513. Ceterum neutra constitutio, quod sciam, legitur in *Bullario* (R. T.).

specialis, specifica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda foret), tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v maii MDCXX, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 5 maii 1620, pontif. an. xv.

CCCXXX.

Mandatum archiepiscopo Mexicano caeremoniale romanum introducendi in cathedrali et dioecesi Mexicana[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Mexicano

Paulus Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Abusus nonnulli in caeremoniis sacris in dioecesi Mexicana irrepserant.

Exponi nobis nuper fecisti, quod in cathedrali ecclesià Mexicanà, ac etiam per totam tuam dioecesim Mexicanam, nonnulli ritus, seu etiam abusus, in caeremoniis ecclesiasticis praetextu consuetudinum introducti reperiuntur, quos tollere, dictasque civitatem et dioecesim ritibus caeremonialis romani conformare plurimum desideras.

Archiepiscopus caeremoniale romanum ibidem cupit observari.

§ 2. Nobis propterea humiliter supplicare fecisti, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicà dignaremur.

Quod praecipit Pontifex.

§ 3. Nos igitur, votis tuis, quantum cum Domino possumus, annuere, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in civitate et dioecesi Mexicana caeremoniale romanum servari debeat, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicà auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Abusus introductos corrigi.

§ 4. Quocirca fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut pro tuà prudentià provideas, quod abusus circa ritus et caeremonias ecclesiasticas introducti, iuxta eiusdem caeremonialis praescriptum, corrigantur.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon cathedralis, et aliarum ecclesiarum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII maii MDCXX, pontificatus nostri anno XV

Dat. die 18 maii 1620, pontif. an. xv.

---

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

CCCXXXI.

Ferdinando in Romanorum imperatorem electo primariae preces, seu indultum nominandi ad beneficia primo vacatura, conceduntur [1].

Paulus episcopus,
servus servorum Dei,
Charissimo in Christo filio Ferdinando Romanorum regi illustri in imperatorem electo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ferdinandus primarias preces sibi petit concedi.

§ 1. Cum [2], post factam de personâ tuâ per sacri Romani Imperii principes electores in regem Romanorum electionem, per nos pro universae christianae reipublicae salute confirmatam, nuper nobis significaveris, te summopere desiderare, personas tibi gratas et acceptas gratiâ et munificentiâ aliqua beneficia ecclesiastica consequi posse; nos, quemadmodum magnis merentur efferri laudibus, insignibusque praeconiis commendari [3] sublimium principum desideria et vota, quae in divini nominis [4] et personarum illi clericali vinculo adstrictarum amore [5] feruntur, et [6] opere postmodum consequente tutum deducantur in actum; ita etiam dignum vel potius debitum existimamus, ut (quoniam in fidei sinceritate et devotione illibatae Ecclesiae sponsae nostrae te fidelem advocatum devovisti, eamque humili professione matrem et dominam tuam recognovisti, et ad ipsius honorem ac sacri Romani Imperii decus, unctionem victoriae et diadema, et nostro uti ministerio [7], adveniente tempore suscipere, et in eis immobilis persistere intendis, verum etiam, tamquam ipsius Ecclesiae legitimus pugil et athleta, te adversus schismaticorum et haereticorum, Turcarum tyramni, ac fidei et Christi nominis hostis [1] insanias et furores spiritualiter et temporaliter armaris, et in dies arma huiusmodi iugiter exequeris [2]) ea tibi favorabiliter concedamus, quae tuae celsitudini cedant ad honorem, et per quae eisdem benemeritis personis te munificum reddere possis, ope auctoritatis apostolicae, exhibitione gratiarum.

Concedit Pontifex.

§ 2. Hinc est, quod tuae celsitudinis supplicationi inclinati, dictâ auctoritate, praesentium serie, eidem celsitudini tuae concedimus et indulgemus, quod, si per te quibusvis collatoribus seu collatricibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum secularium vel regularium Ordinum quorumcumque per sacrum Romanum imperium ubilibet constitutorum (etiam si qui vel si quae ex illis pontificali vel aliâ quavis auctoritate praefulgeant, seu collegia, capitula et conventus fuerint), super singulis beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, secularibus vel Ordinum huiusmodi regularibus, in singulis cathedralibus et metropolitanis, collegiatis et aliis quibusvis ecclesiis (etiamsi beneficia huiusmodi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in eisdem cathedralibus, metropolitanis, vel collegiatis, et ipsae praebendae, in illis ex huiusmodi ecclesiis in quibus maiores vel minores praebendae esse [3] noscuntur, etiamsi maiores fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes, vel officia huiusmodi consueverint qui [4] per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dum-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Similem huic Const. habes supra pag. 197 (R. T.).

3 Delemus coniunctionem *et* (R. T.).

4 Nisi quis malit legere *Divini Numinis* (R. T.).

5 Supra in loco parallelo legitur *amorem* (R. T).

6 Forsan hic et ibi *ut* pro *et* (R. T.).

7 In loco parall. legitur *etiam nostro ministerio* (R. T.).

1 Supra in loco parallelo aptius legitur *hostium* (R. T.).

2 In praecedentibus mendum aliquod irrepsisse videtur (R. T.).

3 Edit. Main. habet *etiam*; nos corrigimus ut supra in loco parallelo (R. T.).

4 Mendosa lectio; forsan emendabitur delendo *qui* (R. T.).

modo dignitates ipsae in cathedralibus et metropolitanis post pontificales maiores, aut collegiatis huiusmodi principales huiusmodi non existant) ad eorumdem collatorum et collatricum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, communiter vel divisim, pertinentibus, singulis personis conferendis, seu super hoc quod personae huiusmodi ad illa recipiantur et admittantur, preces porrigi, seu de personis eisdem ad huiusmodi beneficia nominationes fieri contigerit primarias, iisdem[1] collatores et collatrices (salvo quod singulae collationes et singulae ecclesiae ex hoc ultra quam in uno beneficio non graventur, ac ipsi collatores et collatrices saltem quatuor beneficia ecclesiastica conferre habeant) huiusmodi precibus et nominationibus parere et intendere, necnon personas ipsas ad huiusmodi beneficia, postquam de illis ipsis canonice provisum[2] fuerit, iuxta earumdem precum aut nominationum tenorem, recipere et admittere debeant, et etiam teneantur: ita quod celsitudo tua unam et eamdem personam supradictis collatoribus et collatricibus simul vel successive nominare possit: ita tamen, quod, quamprimum persona sic nominata de aliquo beneficio provisa fuerit, eius nominatio quoad alios collatores vel collatrices facta ipso iure expiret; et quoad easdem preces, canonicatum, et praebendam, ac dignitatem, seu personatum, administrationem, vel officium in unâ ecclesiâ pro unico dumtaxat beneficio computari debere declaramus: quodque[3] quicumque, quibusvis in dignitatibus constituti, seu ecclesiarum cathedralium canonici singuli (videlicet in illis, quos, pro singulis personis praedictis, precum et nominationum huiusmodi, et ad hoc ut illae sortiantur effectum, etiam praesentium exequutores deputaveris), per se[1], vel alium, seu alios, beneficia praedicta (quum in quibusvis, etiam ordinariis collatoribus per constitutiones nostras aut litteras alternativarum, aliaque privilegia et indulta quaecumque, quomodolibet concessis et imposterum concedendis, aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint, et quae personae, pro quibus preces et nominationes huiusmodi factae fuerint, quatenus huiusmodi preces seu nominationes ad illa se extendant, infra mensem, postquam ipsis vacatio huiusmodi beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda) (etiamsi ipsa beneficia dispositioni apostolicae aliàs quam per constitutionem felicis recordationis Benedicti Papae XII praedecessoris nostri, quae incipit *Ad regimen*[2], generaliter reservata existant; et ex diversis personis vacaverint; et personae nominatae, tempore assequutionis beneficii ad quod nominati fuerint, aliud beneficium in eâdem ecclesiâ obtineant; et secundum statuta ac consuetudines ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi constiterint, vel indulta ecclesiis concessa, capaces, videlicet in aetate legitimâ constitutae aut de legitimo matrimonio procreatae, non sint; dummodo quoad huiusmodi qualitates alias cum eis canonice dispensatum, et beneficia in eâdem ecclesiâ obtinenda talia sint quae sine dispensatione apostolicâ insimul obtineri possint aut consueverint, ac ipsorum vacantium beneficiorum collatio non fuerit, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem praedictam legitime devoluta, neque super

1 Videretur legendum *iidem*, prout legitur supra in loco parallelo (R. T.).

2 Forsan legendum est *constitutum* (R. T.).

3 Id sequitur ad initium § *concedimus et indulgemus*, nempe *concedimus et indulgemus etiam, quod*, etc.: porro in hoc commate utrum mendum irreperit, iudicet lector (R. T.).

1 Edit. Main. hic legit *per te*; sed aptius supra in loco parallelo legitur *per se* (R. T.).

2 Huiusmodi in *Bullario* non est (R. T.).

illis inter aliquos lis pendeat indecisa), cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, personis ipsis, etiam duo, vel tria, seu plura, quarumcumque qualitatum et cuiuscumque annui valoris, ecclesiastica beneficia obtinentibus[1] et expectantibus conferre et assignare, necnon omnia et singula, quae ad hoc, ut precum seu nominationum et acceptationum ac collationum huiusmodi succedat effectus, opportuna fuerint, facere auctoritate nostrâ per censuram ecclesiasticam exequi possint et valeant: super quibus, ipsis plenam et liberam, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, potestatem concedimus et facultatem: ac personis praedictis, pro quibus huiusmodi primarias preces porrigi seu nominationes fieri contigerit, quod ipsae expectativis, ac nominationibus, seu speciali[2] reservationum de quibusvis beneficiis pro eis factarum gratiis, et mandatis de providendo ipsis de eisdem, si qua[3] ipsis concessa fuerint, unâ cum gratiâ precum et nominationum primariarum earumdem uti possint: nec, aliquâ gratiarum huiusmodi consumptâ, reliquae earumdem cassae censeantur vel irritae, indulgemus.

Obstantibus derogat.

§ 3. Non obstantibus nostris de non utendo gratiâ expectativâ, ac reservatione speciali, ac duabus gratiis insimul; ac de insinuatione ac publicatione et diligentiis per acceptantes desuper faciendis; ac in favorem ordinariorum collatorum, necnon expectativas in formâ pauperum habentium[4], ac illustrium et graduatorum, ac Sedis praedictae officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium; necnon quibuscumque in cancellariâ apostolicâ quandocumque publicatis et publicandis; ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon aliis ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, statutis et consuetudinibus (illis praesertim quibus, in ecclesiis in quibus maiores et minores praebendae huiusmodi fuerint, caveri dicitur, quod nullus inibi maiorem praebendam assequi possit et valeat, si illa[1] de minori gradatim et per optionem ascendant) iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, contrariis quibuscumque: aut[2] si aliquibus super provisione sibi faciendâ de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis speciales vel generales dictae Sedis vel legatorum eius litterae, etiam nostro vel eas concedentium proprio motu, aut cuivis etiam quocumque respectu et ad cuiuscumque instantiam sint concessae vel concedantur imposterum; seu si speciales de huiusmodi beneficiis per nos, vel Sedem praedictam, aut quaecumque aliae (aut quamcumque nominandi et reservandi facultatem[3] quibusvis, quacumque etiam ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, per Sedem praedictam concessarum vel concedendarum vigore, reservationum sive earumdem facultatum obtento) ad huiusmodi beneficia quarumcumque personarum nominationes pro tempore factae fuerint. Quas quidem litteras (etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, et decretum, vel aliàs quomodolibet processum fuerit), necnon reservationes, facultates et nominationes, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, quatenus praesentium effectum suspendere, impedire, vel perimere, aut aliàs eisdem praesentibus quomodolibet obsistere viderentur

1 Erronee, ut puto, edit. Main. legit *obtinendâ* (R. T.).

2 Videretur legendum *specialibus*; supra in loco parallelo legitur *specialim* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *si quae* (R. T.).

4 Erronee, ut puto, edit. Main. legit *habentia* (R. T.).

1 Videretur legend. potius *nisi ad illam* (R. T.).

2 Nempe: *aut non obstante si*, etc. (R. T.).

3 Videretur legendum *aut quarumcumque... facultatum* (R. T.).

tur (sive ex certâ scientiâ nostrâ, vel simili motu, sive aliàs sub quibusvis formâ et expressione verborum, et, quae fortassis totalis sui tenoris insertionem, ac illorum, quibus concessa sunt vel fuerunt, nominum et cognominum individualem expressionem praesentibus faciendam, ad hoc ut illis per easdem praesentes sufficienter derogetur, exigunt vel requirunt, et quae ipsis praesentibus, perinde ac si eorum tenor de verbo ad verbum insertus foret, pro expressis habeantur), et mandata de providendo inde sequuta, cum processibus per ea pro tempore habitis (nisi illi, pro quibus emanaverint, ut praefertur, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium numero fuerint), ad beneficia, quae precum et nominationum primariarum vigore per personas, pro quibus illae factae fuerint, acceptata, etiam de quibus eis provideri contigerit, minime extendi [1]: quum non in illorum exequutione [2] personas ipsas omnibus et quibuscumque earum litterarum et expectivarum ac reservationum huiusmodi vigore, et cum quibusvis antelationibus et praerogativis, (etiam illis, quas certis nostris familiaribus continuis commensalibus in camerâ apostolicâ, ac aliis nostris litteris ad effectum, et aliis in assequutione beneficiorum conferendis [3] nominatim descriptis concessimus, et cum similibus derogatoriis clausulis, quae nulli, quominus praesentium succedat effectus, suffragari debeant [4])" expectantibus (etiamsi illarum obtentum [5] in quibusvis ecclesiis in canonicos recepti, ac de numero ipsorum familiarium continuorum commensalium antiquorum fuerint), necnon gratias in communi formâ pauperum habentibus, ac officialibus et illustribus, ac alias quascumque facultates habentibus, etiam nostris familiaribus continuis commensalibus antiquis et descriptis et imposterum describendis (dictis cardinalibus dumtaxat exceptis) anteferri volumus; sed nullum per hoc expectantibus ipsis, quoad assequutionem beneficiorum aliorum, praeiudicium generari: seu si [1] dictis collatoribus, vel collatricibus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et [2] qualibet aliâ dictae Sedis indulgentiâ generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de qua, cuiuscumque toto tenore, habenda sit in nostris litteris mentio specialis: aut [3] si personae praedictae non fuerint ad praestandum de observandis statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus huiusmodi beneficia fuerint ut praefertur, solita iuramenta, dummodo in absentiâ suâ per procuratores

1 Subintellige *volumus* vel *declaramus* (R. T.).

2 Forsan legendum *assequutione* (R. T.).

3 Videretur emendandum et intelligendum sic: *etiam illis* nempe antelationibus *quas certis nostris familiaribus*, etc.... *ad effectum ut aliis in assequutione beneficiorum conferendorum praeferantur ... concessimus* (R. T.).

4 Edit. Main. legit *debeat* (R. T.).

5 Potius legendum *obtentu* vel *obtento* (R. T.).

1 Iterum sequitur clausula *non obstantibus*, scilicet *seu non obstante si*, etc. (R. T.).

2 Semper subintellige *non obstante* (R. T.)

3 Adhuc continuat clausula *non obstantibus*, scilicet *aut non obstante si* (R. T.

idoneos, et, cum ad ecclesias ipsas accesserint corporaliter, illa praestent: necnon[1] concordatis nationis Germanicae, ac eorum concordatorum confirmatione; ac praedictis et quibuscumque aliis quandocumque editis et edendis constitutionibus et regulis nostris et dictae cancellariae, ad quarum solemnitatum adstrictiorem formam, vel satisfactionem seu observantiam, habentes preces seu nominationem huiusmodi minime teneantur, nec ipsae preces sub illis comprehendantur quoquo modo: necnon quibusvis privilegiis, indultis et litteris apostolicis, et quibusvis gratiis, expectativis, specialibus vel generalibus, etiam mentalibus, reservationibus, unionibus, annexionibus et incorporationibus, suppressionibus et extinctionibus, perpetuis et temporalibus, nominationibus, ac reservandi, uniendi, adnectendi, incorporandi, ac nominatis et aliis conferendi, commendandi, supprimendi et extinguendi, aliisque (citra accessus et regressus de consensu) facultatibus, litteris, mandatis et indultis quibuscumque, etiam cum provisionibus, commendis, et aliis dispositionibus ex tunc et gratiis, quibuscumque personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis existentibus, et quacumque etiam imperiali, regali, reginali, ducali, sive episcopali, archiepiscopali, patriarchali, vel maiori auctoritate, praeeminentiâ, nobilitate et excellentiâ, etiam cardinalatus honore, fulgentibus, et familiaribus continuis commensalibus nostris, etiam descriptis et antiquis, et in earum ecclesiarum, etiam cathedralium et metropolitanarum ac patriarchalium, et principalium monasteriorum, mensarum, capitulorum, dignitatum et aliorum beneficiorum quorumcumque, aut in illius favorem, aut eorum, necnon iurium cessorum, vel ablatorum, aut spoliorum, damnorum, etiam per infideles illatorum, et obsequiorum nobis, Romanaeque Ecclesiae, vel dictae Sedi, aut pro fide catholicâ impensorum, seu quibusvis aliis excogitabilibus et urgentissimis et insolitis, necnon exprimendis causis, consideratione, contemplatione, instantiâ, intuitu, ratione vel respectu, ac motu proprio, ac ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis antelationibus, exceptionibus, et annullativis, irritativis, ac derogatoriarum derogatoriis, necnon praedictam et alias quascumque concessas et concedendas gratias suspendentibus, ac illis derogantibus, necnon mentis et intentionis ac perpetuae et incommutabilis voluntatis nostrae fuisse et esse de non revocando et suspendendo gratias easdem et illis non derogandis quomodolibet attestantibus, et in pristinum et validissimum statum reponentibus, restituentibus ac plenarie reintegrantibus, ac per modum pacti et initi contractus ac perpetui statuti, necnon gratias ipsas, ut de actu vacantibus, expectare, et ex tunc vere, et non ficte, et quoad possessionem beneficiorum praedictorum, ac omnes iuris et facti defectus, plenum esse sortitas effectum decernentibus et declarantibus; aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis per nos et Sedem praedictam, aut eius legatos in genere vel in specie, et nominatim de dictis beneficiis, et aliis quomodolibet emanatis. Quibus (etiamsi in illis, quod illae nonnisi certis modis et formis inibi expressis et nominatis, verbisque et signis inibi appositis, et omni diversarum litterarum apostolicarum expeditione et intimatione, etiam diversis temporibus faciendâ, ac de consensu eorum, quorum interesse concernebatur, aut etiam nullatenus suspendi, moderari aut eis in aliquo derogari posset, et quatenus[1] suspenderentur, aut illis derogaretur, toties

1 Subintellige *non obstantibus* (R. T.).

1 Forsan legendum *quoties* (R. T.).

de novo, et sub quacumque datâ, per illos, quorum interesse concernebatur, eligendâ, concessa et facta sint et esse censeantur, ac expediri possint, ac sic, et non aliter per quoscumque iudices, et personas iudicari debeat, caveatur expresse) illorum omnium tenores pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis, ac modos et formas huiusmodi pro individuo servatis habentes, ad effectum praesentium, omnino derogamus (et in dictis beneficiis, cum, ut praefertur, vacaverint, effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse;

Clausulas praeservaticas apponit.

§ 4. Praesentes quoque litteras nullatenus de subreptionis et obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu notari aut impugnari posse nec debere, et sic per quoscumque tam ordinariâ quam delegatâ et mixtâ auctoritate fungentes iudices et personas, ubique iudicari, cognosci atque decidi debere, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi, cognoscendi et decidendi facultate; nec non irritum et inane quidquid secus super praemissis omnibus et singulis, vel eorum aliquo, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus) ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium transumptis credi iubet.

§ 5. Praeterea, quia dificile foret praesentes litteras ad singula loca deferri, volumus, ac dictâ auctoritate nostrâ decernimus, quod illarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ubique adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, concessionis, indulti, derogationis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXX, pridie nonas iunii, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 4 iunii 1620, pontif. an. XVI.

CCCXXXII.

Institutio collegii S. Antonii de Patavio in insula Melevitana et domo regulari fratrum Minorum Conventualium Ordinis sancti Francisci pro studentibus eiusdem Ordinis.

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supereminenti Apostolicae Sedis speculâ, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes, quantum ex litterarum studiis catholica fides augeatur, divini nominis cultus protendatur, veritas agnoscatur, ac iustitia colatur, ad ea, per quae litterarum studia huiusmodi ubilibet excitentur, libenter intendimus et in his sollicitudinis nostrae partes propensius impartimur, prout locorum qualitate pensatâ conspicimus in Domino salubiter expedire.

Ministri generalis preces

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, in domo regulari eiusdem Ordinis in insulâ Melevitana quamplures dictae domus fratres uberes in vineâ Domini fructus producere noscantur, ac in eâdem domo, tum ob insulae huiusmodi celebritatem mansionemque satis perspicuam, tum propter Turcarum et infidelium vicinitatem, unius collegii studii pro eiusdem Ordinis in praedictâ domo professoribus, qui litteris et praesertim sacrae theologiae operam navent, erectio et institutio perutilis fo-

tura sit: nobis propterea tam minister praedictus quam dilectus filius Alophius de Wignacourt hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani magnus magister humiliter supplicari fecerunt, quatenus collegium huiusmodi, cum facultate aliquot professores eiusdem Ordinis idoneos gradus magisterii in sacrâ theologiâ decorandi, et aliàs ut infra, erigere et instituere, ac desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Erectio, de qua in rubrica.

§ 2. Nos, piis et laudabilibus ministri ac Alophii magni magistri praedictorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, negotiis regularium praepositorum, consilio, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, necnon militantis Ecclesiae exaltationem, divinique cultus et orthodoxae fidei augmentum, ac religiosorum praedictorum commoditatem atque profectum, in praedictâ domo unum collegium, sub invocatione sancti Antonii de Padua, eiusdem Ordinis Minorum Conventualium professorum, ad instar collegii sancti Bonaventurae per felicis recordationis Sixtum Papam V praedecessorem nostrum in domo regulari Ss. Duodecim Apostolorum de Urbe eiusdem Ordinis, sub datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDLXXXVII kalendis ianuarii, pontificatus sui anno III, erecti et instituti (ita tamen, ut sex dumtaxat primodictae domus religiosi, a praedicto ministro generali eligendi, ad magisterii huiusmodi gradum, nisi postquam per debitum tempus philosophiae et sacrae theologiae in collegio per praesentes erecto operam dederint, et, praevio rigoroso examine, ad id idonei reperti fuerint, ac aliquo disputationum publicarum solemni actu, reliquisque muniis solitis et ex instituto dicti Ordinis adimpletis, servatisque aliis servandis, et non aliàs, ad magisterii in eâdem sacrâ theologiâ gradum promoveri valeant), auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sique per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariisque derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iulii MDCXX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 10 iulii 1620, pontif. anno XVI.

CCCXXXIII.

Impositio decimae in Germania pro religionis defensione ab omnibus ecclesiasticis uno tantum anno persolvendae[1].

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Militantis Ecclesiae regimini, disponente Domino, praesidentes, inter graves sollicitudines, quibus pro pastoralis officii et apostolicae servitutis debito continue premimur, ea nunc est praecipua, quam inclytae[2] Germaniae praesens status nobis merito conficit. Quamobrem libenter pastoralis officii nostri partes interponimus, cum ea a nobis postulantur, per quae

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. habet *inclita* (B. T.)

catholicorum vires ad resistendum hostium verae fidei conatibus augentur, prout rerum et temporum qualitatibus debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae imponendi decimam.

§ 1. Sane, cum, sicut accepimus, principes et ordines tam ecclesiastici quam seculares in Germania, ob inibi concitatos[1] ad praesens per humani generis hostem motus et catholicae religionis, in quo versatur, discrimen, pro eiusdem religionis defensione confoederati, soli hactenus gravia expensarum onera ob causam praedictam sustineant, ita ut, nisi de aliquo subsidio mature prospiciatur, verendum sit, ne tantis oneribus impares deficiant:

Eam imponit Pontifex.

§ 2. His igitur et aliis gravissimis causis ad Dei gloriam, sanctaeque eius Ecclesiae defensionem et exaltationem pertinentibus adducti, supplicationibus nomine eorumdem confoederatorum nobis humiliter porrectis inclinati, de tributae nobis a Domino apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, indicimus et imponimus unam (semel, et praesenti anno, in unâ vel pluribus solutionibus, arbitrio collectorum infra deputatorum, persolvendam) integram decimam, in usum praesentis belli contra haereticos tantum, et non in alios usus, erogandam, omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum, iurium, obventionum, emolumentorum, ac distributionum quotidianarum omnium ecclesiarum collegiatarum, parochialium, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum abbatialium, capitularium, tam cathedralium et metropolitanarum, quam quarumcumque collegiatarum ecclesiarum, necnon conventualium, prioratuum quoque, praepositurarum, praeceptoriarum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, etiam fabricae, et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, et, si qui bona immobilia, reddituque certos ex privilegio vel aliàs possident, Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus necnon congregationum regularium (iis dumtaxat exceptis, quae a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus obtinentur seu percipiuntur, ac, quoad beneficia curata, iis quorum annuus redditus summam quadraginta ducatorum auri de camerà non excedunt), et praeterea hospitalium etiam pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona et redditus ultra usus infirmorum et alia, pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda possidentium[1], nec non beatae Mariae Teutonicorum, S. Lazari, Templi Dominici, ac, quoad illos qui communi thesauro sui hospitalis Melevitani onera solita non contribuunt, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, et aliarum Militiarum in Coloniensi, Trevirensi, Salisburgensi, Bambergensi, Herbipolensi, Eystetensi, Spirensi, Wormatiensi, Argentinensi, Constantiensi, Augustanae, Ratisbonensi, Passaviensi et Frisingensi civitatibus, dioecesibus, provinciis, patriis et ditionibus existentium, secundum communem aestimationem fructuum et aliorum praedictorum, ac similiter integram decimam omnium pensionum super praemissis assignatarum et assignandarum, semel tantum, ut dictum est, percipiendam, exigendas a quibuscumque primatibus, praepositis, decanis, capitulis, canonicis, rectoribus, beneficiatis, abbatibus, prioribus, commendatariis, abbatissis, priorissis, fratribus militibus, et aliis quocumque nomine nuncupatis, secularibus et regularibus, ceterisque cuiuscumque dignitatis,

1 Edit. Main. legit *concitatas* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *possidentur* (R. T.).

status, gradus et conditionis existentibus, (praeterquam cardinalibus) praedicta quocumque iure, modo, occasione, ea obtinentibus, seu detinentibus et obtenturis, nec non oeconomis et administratoribus perpetuis, seu temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res et alia quaecumque huiusmodi iura et bona ex quacumque causâ quavis autoritate in toto vel in parte sibi reservata aut concessa habentibus vel habituris, secularibus et regularibus ordinum, congregationum, militiarum et hospitalium praedictorum, necnon ab ipsis ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis, quocumque privilegio et exemptione reali, personali et mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuatâ suffultis: quos omnes, exceptis supradictis, in unâ vel pluribus solutionibus, ut praefertur, collectoribus praedictis volumus decimam praedictam infra terminum ab eisdem collectoribus praescribendum persolvisse, ita ut, qui pensiones solvere debent, etiam nomine pensionariorum decimam pensionum persolvant, et deinde in proximis terminis pensionum eam ratam sibi retineant, ad rationem decem pro centenario, nisi iidem collectores ab ipsismet pensionariis eam exigere maluerint.

Clausulae.

§ 3. Decernentes nullas omnino exemptiones et immunitates exactionem huiusmodi impedire posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac cardinales praedictos, et de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Collectorum deputatio.

§ 4. Ut autem supradicta diligenter et fideliter exequutioni demandentur, venerabiles fratres Ascanium patriarcham Constantinopolitanum nuncium nostrum, ac episcopum Eystetensem, quorum integritas et prudentia nobis iampridem cognita est, decimae praedictae collectores in universis civitatibus, dioecesibus, provinciis, patriis et ditionibus praedictis, cum omnibus iurisdictionibus quae huiusmodi collectoribus de iure vel consuetudine quomodolibet competunt, auctoritate et tenore praedictis constituimus et deputamus. Mandantes, ut quidquid inde per se, vel subcollectores suos exegerint, id omne in usus praesentis belli tantum, nec aliàs, erogari curent et faciant; ac Ascanio patriarchae et nuncio necnon episcopo praedictis plenam, liberam et amplam ac absolutam potestatem, decimam huiusmodi ubique, eorum arbitrio (habitâ tamen ratione communis aestimationis fructuum ac etiam onerum cuique ecclesiae, aut loco sacro vel pio, unde exigenda erit, incumbentium), taxandi et exigendi, atque ubi opus fuerit, moderandi, et ad minorem summam reducendi; praedictos omnes tam coniunctim quam divisim ad integram illius solutionem, etiam per edictum locis publicis affigendum, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis monendi et requirendi; non parentes, contumaces et fraudantes in censuras et poenas praedictas incidisse declarandi; proprietates, fructus, res et bona ipsorum apprehendendi, et usque ad satisfactionem retinendi; contradictores, perturbatores, molestatores et rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte quovis quaesito colore praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praedictis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, ceterisque iuris et facti remediis opportunis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi; dignitatibus, beneficiis et officiis omnibus privandi et amovendi, et ad futura inhabiles faciendi;

interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis, quandocumque opus fuerit, invocandi; ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi; praeterea collectores et subcollectores fide et facultatibus idoneos in omnibus civitatibus, dioecesibus, provinciis, patriis et ditionibus praedictis, quotquot viderint expedire, cum simili aut limitatâ (non tamen absolvendi) potestate, constituendi, eumque vel eos arbitrio suo revocandi, negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios subrogandi, quotiescumque eis videbitur; in delinquentes et contumaces, per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi, ac meritis poenis puniendi; modos et formas in praedictis servandos praescribendi, dubia quaecumque in praemissis forte oritura declarandi.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papae VIII, praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, ac aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, hospitalium et locorum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis; quodque personis praedictis, eorumque ecclesiis et locis vel quibusvis aliis communiter a praedictâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto, necnon personis, eorumque nominibus, cognominibus, ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, et solutiones decimarum, aliter quam secundum antiquam taxam, et nisi in universali decimarum per orbem aut per universa romani imperii loca impositione, fieri prohibentibus; necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis, quibus per impositionem decimae huiusmodi neminem[1] teneri, neque eas quoad praemissa contra quemcumque locum habere declaramus; aliisque indultis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa, aut totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis: quae omnia contra praedicta nolumus cuiquam suffragari; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praeservatio Constitutionis Clementis Papae V.

§ 6. In percipiendâ vero decimâ praedictâ piae memoriae Clementis Papae V, etiam praedecessoris nostri, in Concilio Viennensi editam constitutionem, ac praesertim quod ad monetam currentem exigi, quodque nec calices, nec libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata, aliave supellex ecclesiastica, ex causâ pignoris capi, recipi vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, ubique praecipimus observari; quinimo volumus, ut, illius occasione, ecclesiae, monasteria aliaque pia et sacra loca quaecumque debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac divinus in eis cultus, et solitus Altissimo famulantium et ministrorum numerus nullatenus minuatur, nec eis quoquo modo iniuncta onera, aut pia quae exerceri solent opera et officia ullo modo minuantur seu negligantur, sed eorum congrue supportentur onera consueta (nec quisquam,

1 Perperam edit. Main. legit *mentionem* (R. T.).

etiam plura fortasse beneficia aut pensiones cuiuscumque valoris obtinens, pro quietantiâ ultra vigesimam partem unius aurei nummi solvere cogatur);

Transumptis danda fides.

§ 7. Praesentium vero litterarum exempla etiam impressa, notarii publici manu subscripta, ac alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo obsignata, eamdem in iudicio et extra illud ubique locorum fidem facere, quam ipsae originales facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI iulii MDCXX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 31 iulii 1620, pontif. anno XVI.

GREGORIUS XV

PAPA CCXXXVI.

Anno Christi MDCXXI.

Duodecimâ post Pauli V obitum die, IX scilicet februarii, anno MDCXXI electus est in summum Pontificem Alexander tituli sanctae Mariae in Transpontinâ presbyter cardinalis Ludovisius, archiepiscopus Bononiensis, qua in urbe ante sexagintaseptem annos natus fuerat. Sex post dies sacrâ thiarâ redimitus est. Sedit in pontificatu annos II, menses V, temporibus Ferdinandi II in Romanorum Imperatorem electi. Creatis undecim cardinalibus, obiit die VIII iulii MDCXXIII, et sepultus est in basilicâ Principis apostolorum, atque inde eius corpus translatum fuit ad aedem sancto Ignatio sacram. Vacavit Sedes dies XXIX.

I.

Beatus Isidorus agricola Matritensis Sanctorum Confessorum albo adscribitur[1].

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Immensa et investigabilis divinae scientiae ac sapientiae altitudo, sicut in ipsis mundi primordiis luminaria creavit, atque in firmamento collocavit, ut inde lucerent et illuminarent universam terram; ita etiam in Ecclesiâ suâ, quam ante mundi constitutionem mirabiliter praeelegit et praeordinavit, plurimos esse voluit homines magnos virtute, prudentiâ praeditos, et sanctitate praestantes, qui quasi viventia luminaria in Templo Dei omnibus iustitiae ac bonorum operum Prooemium.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

etiam plura fortasse beneficia aut pensiones cuiuscumque valoris obtinens, pro quietantiâ ultra vigesimam partem unius aurei nummi solvere cogatur);

Transumptis danda fides.

§ 7. Praesentium vero litterarum exempla etiam impressa, notarii publici manu subscripta, ac alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo obsignata, eamdem in iudicio et extra illud ubique locorum fidem facere, quam ipsae originales facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI iulii MDCXX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 31 iulii 1620, pontif. anno XVI.

GREGORIUS XV

PAPA CCXXXVI.

Anno Christi MDCXXI.

Duodecimâ post Pauli V obitum die, IX scilicet februarii, anno MDCXXI electus est in summum Pontificem Alexander tituli sanctae Mariae in Transpontinâ presbyter cardinalis Ludovisius, archiepiscopus Bononiensis, qua in urbe ante sexagintaseptem annos natus fuerat. Sex post dies sacrâ thiarâ redimitus est. Sedit in pontificatu annos II, menses V, temporibus Ferdinandi II in Romanorum Imperatorem electi. Creatis undecim cardinalibus, obiit die VIII iulii MDCXXIII, et sepultus est in basilicâ Principis apostolorum, atque inde eius corpus translatum fuit ad aedem sancto Ignatio sacram. Vacavit Sedes dies XXIX.

I.

Beatus Isidorus agricola Matritensis Sanctorum Confessorum albo adscribitur [1].

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Immensa et investigabilis divinae scientiae ac sapientiae altitudo, sicut in ipsis mundi primordiis luminaria creavit, atque in firmamento collocavit, ut inde lucerent et illuminarent universam terram; ita etiam in Ecclesiâ suâ, quam ante mundi constitutionem mirabiliter praeelegit et praeordinavit, plurimos esse voluit homines magnos virtute, prudentiâ praeditos, et sanctitate praestantes, qui quasi viventia luminaria in Templo Dei omnibus iustitiae ac bonorum operum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

exemplis praelucerent, ac sponsam eius sanctam Catholicam Ecclesiam meritorum splendore et intercessionum suffragiis protegerent et illustrarent. Novissime vero, in diebus patrum nostrorum, parvulum elegit et humilem beatum Isidorum, quem ex vili pulvere suscitatum super omnes principes et reges terrae exaltaret, eiusque sanctitatis lucernam super candelabrum poneret, et in conspectu omnium gentium collocaret. Hominem in diebus vitae suae mortificatum quidem carne, vivificatum autem spiritu, quae sunt seculi sapienter ignorantem, et caelestia humiliter sapientem, terrenorum inopem, abundantem caelestium, et repletum divinae gratiae thesauris; quem, hominum iudicio contemptibilem et sine honore, qui est Omnipotens in excelsis et facit mirabilia magna solus divinorum charismatum donis adeo abundanter cumulavit, ut sanctorum operum et signorum splendoribus universam Ecclesiam laetificaret. Quamobrem pastoralis officii munus exigere existimamus, ut hunc Dei servum in Hispaniis, quas[1] natalis sui decore clarificavit, sanctitatis gloriâ coruscantem, in universâ etiam militanti Ecclesiâ, cui licet immeriti praesidemus, ab omnibus christifidelibus debitâ veneratione colendum apostolicâ auctoritate decerneremus, ut pro tanto beneficio gratiae agantur Deo et Iesu Christo filio eius Domino nostro, qui praeordinatis temporibus per servos suos fideles Ecclesiam suam visitare dignatur, ut per eos exempla iustitiae et sanctitatis in diebus nostris ad imitandum renoventur, et ad quos, in nostris et Ecclesiae Catholicae necessitatibus, cum fiduciâ recurramus.

Gesta ab Isidoro enarrat.

§ 1. Ut autem omnibus fidelibus innotescant virtutes et magna alia[2], quae operatus est Omnipotens in manu pueri sui Isidori, nonnulla ad Dei omnipotentis gloriam et Catholicae Ecclesiae aedificationem duximus enarranda.

Eius nativitas.

§ 2. Natus est Isidorus in oppido Matriti Toletanae dioecesis, humilibus quidem et egenis parentibus, catholicis tamen ac piis, a quibus in timore Domini educatus et doctus ferre iugum ab adolescentiâ suâ, iuventutis illecebras fortiter ac viriliter devicit, ac spretâ latâ viâ, quae ducit ad perditionem, angustam et arduam semitam vitae aggressus est, indutus, iuxta Apostolum, tamquam electus Dei sanctus et dilectus, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam et patientiam, et super omnia charitatem habens, quod est vinculum perfectionis. Cumque paupertatis onere premeretur, eique necesse esset in labore vultus sui vesci pane suo, laboriosum et et humile, sed quod innocuum existimavit, vitae genus, agriculturam elegit. Quam tamen omnibus diebus ita exercuit, ut numquam eius causâ pietatis et misericordiae opera intermiserit. Nec enim umquam ad agrum colendum exiit, nisi postquam sacrificio missae interfuit, ac preces ad Deum et beatissimam Virginem Dei Matrem ex imo pectore profudit. Praecepta vero Dei et Ecclesiae adeo diligenter observabat, ut, ne assiduis quidem laboribus fractus, statuta a sacris constitutionibus ieiunia umquam omiserit; corpus autem suum ut in servitutem redigeret, non contentus vitae laboriosae incommodis, quibus assidue fatigabatur, spiritu Dei impellente, aliis etiam castigabat afflictionibus et pressuris; charitate in proximos fuit admirabili, nam, quamvis ipse pauperrimus labore manuum suarum sibi victum compararet, erga illos tamen semper dives in misericordiâ inventus est, adeo ut de necessariis iugiter sibi detraheret, nec umquam, quod pauperibus elargiretur, deesset; accedebat

Pueri educatio.

Agricolam agit.

Praeceptorum Dei custos.

Corpus affligit mortificationibus.

Erga pauperes benignus.

[1] Edit. Main. habet *quam* (R. T.).
[2] Forsan legendum *magnalia* (R. T.).

ad hoc iniuriarum perfecta condonátio; coniugalis praeterea castitas, quam semper inviolatam servavit: quas, ceterasque omnes virtutes adeo mirifice coluit, ut proximis nedum exemplo, sed etiam admirationi esset, qui videntes opera eius bona, glorificabant Deum Patrem, qui in caelis est.

Coniugalem castitatem servat.

Plura signa per illum operatur Deus.

§ 3. Quam vero validum et inconcussum fuerit fundamentum fidei, quo eius virtutes innitebantur, pluribus et admirabilibus signis Altissimus comprobavit.

In arido aquam suscitat.

§ 4. Atque illud in primis memorabile fuit: nam, cum mediâ aestate dominus agri, quem vir Dei Isidorus colebat, eo sitibundus accessisset, ipsumque rogasset, ut ubi aliquid aquae reperiretur ostenderet, locum ad vicinum montem demonstravit: quo cum ille perrexisset, atque omnia arentia, ac solis ardoribus exusta repperiisset, cum indignatione quasi delusus ad eum revertitur. At vir sanctus statim ad eumdem locum redire suadet, eumque comitatur, et fide fortiter animatus, instar Moysis, stimulo quem gerebat percussit terram, et statim fluxerunt in sicco perennes aquae: duratque admirandus ille fons nullis unquam ardoribus arefactus usque ad praesentem diem, et magnâ populorum frequentiâ celebratur, ob innumera miracula, quae in sanitatem gentium meritis Beati Isidori per eius aquae usum Omnipotens operatur.

Angeli pro eo agrum colunt.

§ 5. Accusatus fuerat a vicinis Isidorus apud agri dominum, quod, orationi plurimum intentus, minus quam par erat in culturâ fundi laboraret: cumque ad eum severe castigaturus dominus accurrisset, agrum suum triplici iugo bovum arari prospexit; duobus quidem ab adolescentibus, candidis vestibus indutis, actis, tertio vero ab Isidoro; cum appropinquasset autem dominus, solum Isidori iugum cernit, reliqua non vidit; intellexitque demum verissimum esse, quod Dei servus saepe affirmaverat, non perire ipsi tempus, quod in obsequium Dei impenderetur.

Asinam a lupi faucibus oratione liberat.

§ 6. Orabat vir Dei in Ecclesiâ sanctae Mariae Magdalenae, cum ad eum accessere quidam nunciantes asinam eius in faucibus lupi iam esse, nec servari posse nisi propere subveniret: at ille, qui iactabat in Domino cogitatum suum, nec minimum quidem commotus, pacato vultu respondit: *Ite in pace filii, fiat voluntas Dei.* Ceterum, precibus expletis, ecclesiamque egressus, asinam vivam, lupum vero divinitus percussum, et iuxta eam mortuum invenit.

Cibos multiplicat in auxilium pauperum.

§ 7. Magnifice etiam testatus est Deus misericordiarum, quam acceptus ei fuerit servus suus in misericordiis pauperum: saepius enim panes et edulia, ad refectionem egenorum ab eo comparata, in manibus eius multiplicavit; quodam enim die, cum omnia, quae in cibos pauperum paraverat, distribuisset, pauper supervenit eleemosynam efflagitans: at vir sanctus uxorem suam iussit inspicere, si quid cibarii in ollâ remansisset, atque ad illum deferre; cumque illa quicquam superfuisse negaret, Isidorus, fide fervens et charitate exaestuans, rursus instetit, ut iterum inspiceret; quod cum fecisset, vas, quod vacuum relictum erat, mirabiliter pulmento plenum repertum est, atque ita egenus abunde saturatus. Rursus, cum quodam festo die de more a piis nonnullis sodalibus convivium ageretur, Dei servus, orationi intentus, in Ecclesiâ diutius commoratus est, nec ac convivium accessit, nisi illo peracto, adducens secum numerosum pauperum gregem; cumque de tanto egenorum numero socii indignarentur, cum nihil quod illis apponere possent, praeter unicam partem Isidoro reservatam, superesset, vas, in quo ea reposita erat, adeo redundans invenerunt, ut non solum abunde praesentibus sufficeret, sed

et portio eius non modica pro absentibus pauperibus seposita fuerit. Nec solum hominum genus misericordiâ complexus est, sed illud praetergressus, etiam volucres caeli eâ inundavit. Cum enim hyemali tempore omnia nive cooperta essent, ipseque columbarum ingentem numerum vidisset non invenientium cibum, misericordiâ motus super eas, ad illius imitationem qui dat iumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum, terram manu detersit, eamque tritico, quod ad molendum deferebatur, abundantem conspexit. Quem commiserationis excessum miraculo Deus insignire voluit: tritico, quod superfuerat, ad pristinae mensurae modum, stupentibus sociis, mirabiliter aucto.

Atque etiam pro volucrum alimonia.

Moritur.

§ 8. Adveniente demum tempore, quo tamquam bonus certator coronam iustitiae sibi repositam consequuturus erat, post humillimam peccatorum confessionem, et sacrum viaticum summâ cum devotione susceptum, hortatus domesticos, quantum potuit, ad dilectionem Dei et proximi, plenus bonorum operum, sanctitate et miraculis admirabilis, terrenis vinculis, quod diu concupierat, ut cum Christo esset, exolutus, ad caelestem patriam evolavit anno a salute mundi millesimo centesimo septuagesimo.

Corpus eius incorruptum manet.

§ 9. Corpus eius in sancti Andreae coemeterio depositum cum per quadraginta annos fuisset omnibus caeli iniuriis expositum, nihilominus, qui capillorum capitis sanctorum suorum numerum custodit, ab omni corruptione illaesum praeservavit. Nam quadragesimo anno elapso, cum amicus eius, deinde matrona per visum admoniti fuissent, ut decentius in ecclesiâ conderetur, corpus eius integrum et incontaminatum, incorruptis velaminibus, quibus erat involutum, suavissimum odorem spirans, repertum est, ac honorifico sepulchro datum, in quo deinde anno MDCXIII cum eâdem integritate et odorum suavitate inventum fuit, cum mandato delegatorum sanctae Sedis Apostolicae, ut visitaretur et inspiceretur, inde fuit extractum.

Miracula quamplurima, cum transferretur.

§ 10. Dies vero translationis eius, vere dies insignis solemnitatis et laetitiae divinitus effectus est; effusi enim sunt abundanter super populum fidelem eius intercessionibus thesauri miserationum Domini in curationibus et sanitatibus. Ad contactum enim pulveris sepulchri eius, oculi caecorum aperti sunt, surdorum aures patuerunt, et claudi, consolidatis basibus, ambulaverunt, et variis languoribus vexati sanitatis gratiam impetrarunt; omnibus Dominum in sanctis eius et in multitudine virtutis eius collaudantibus. Quin etiam et ecclesiarum campanae, quamdiu processio translationis duravit, per universum oppidum nullo impellente sonuerunt.

Alia etiam post translationem.

§ 11. Quamvis autem eius sanctitatis fama per universam Hispaniam iam antea penetrasset, et memoria illius apud omnes illas gentes in benedictione esset, post translationem tamen corporis eius, tot magnalibus a Deo decorata, illustrior et gloriosior haberi cepit. Sed et sequentibus temporibus frequenter dignatus est Dominus Deus noster per intercessionem servi sui notam facere multitudinem misericordiae suae, ingentia beneficia tribuens fideliter petentibus, quorum aliqua insigniora praesentibus litteris inserenda decrevimus.

Lumen caeco restitutum.

§ 12. Quodam enim die, cum sacrum eius corpus publice in ecclesiâ ad pluviam a Deo eius precibus impetrandam expositum fuisset, caecus, Benedictus nomine, qui curationem caecitatis suae a Sancto devote efflagitaverat, repente e mediâ multitudine exiliens, se videre exclamavit, benedicens Deum in sanctis suis admirabilem, qui beati Isidori meritis oculos suos illuminasset.

Catharina

§ 13. Gravi et lethali ulcere in crure

Fernandez ulcere in crure sanata.

Catharina Fernandez laborabat, saevisque doloribus affligebatur, nec aliam opem adversus mortem a medicorum industriâ sperare poterat, nisi per totius cruris abscissionem: quamobrem, oculis ad caelum levatis, imploravit intercessionem huius electi Dei, indeque auxilium invenit; admotis enim corabiis, qui sacrum corpus tetigerant, dolore statim libera, tridui spatio absque alio medicamento convaluit.

Nonnulli e parietis ruinis eruti.

§ 14. Cum ingens parietis ruina Balthasaram Ortiz praegnantem, unâ cum tribus filiis et ancillâ, oppressisset et graviter laesisset, beati Isidori patrocinio, cui se commendarunt, omnes incolumes, eo protegente, mirabiliter evasere: et, ne cui dubium esset, tam insigne beneficium divinitus beati Isidori suffragiis impetratum fuisse, sex a ruinâ mensibus elapsis Balthasara peperit filium vivum tres profundas vulnerum cicatrices, quasi miraculi testimonium, in capite habentem.

Adolescens quidam saluti restitutus.

§ 15. Vexabatur gravissimo morbo Hadrianus adolescens, tribus carbunculis adeo gutture obstructo, ut non solum cibo, potuique, sed et respirationi via intercluderetur. Cumque in extremo vitae discrimine constitutus, divinâ misericordiâ fretus, ad imaginem beati Isidori conversus incolumitatem devote efflagitasset, repente per quietem[1] de vitâ, saluteque a Deo impetratâ ab Isidoro admonitus, melius habere cepit, nec multo post integram consequutus est sanitatem.

Herniosus a nativitate sanatus.

§ 16. Puer Didacus, a nativitate herniosus, post vota Deo in honorem Isidori a matre nuncupata et reddita, nullo alio medicamine adhibito, sanus effectus est.

Morti proximus saluti redditur.

§ 17. Alter item quatuor annorum puer, Alphonsus nomine, continuis febribus, ac dysenteriâ plane oppressus, iamque vitali calore destitutus, ac animam agens, a patre Isidoro cum lachrymis commendatus, in ipsâ horâ utroque morbo liberatur, ac pristinae restituitur valetudini.

Nonnulli, cum in praeceps raperentur, a periculo liberati.

§ 18. Accesserunt orationis causâ ad eremum sancti Isidori, curru vecti, quem mulae duae trahebant, nonnulli, cum domesticis feminis puerisque, omnes ad duo de viginti. Dum vero domum revertuntur, currus magno impetu in declive in crepidinem incidit altissimae ac praecipitis rupis fluvio imminentis; tum altera mula collapsa ac solo prostrata, altera e rupe pependit, et currus iam iam in praeceps abiturus[1] saxis adhaesit: cumque omnes, in extremo vitae periculo, clamore et eiulatu beatum Isidorum invocarent, adfuit ipse in auxilio opportuno: et currus quidem, eius patrocinio suffultus, praeruptis illis saxis tandiu immobilis haesit, donec omnes incolumes desilirent, et, funibus praecisis, alterâ mulâ tantum in praeceps delapsâ, cetera divino beneficio servarentur.

Cibi in pauperum sustentatione multiplicati.

§ 19. Thesaurarius confraternitatis, quae Matriti in honorem divi Isidori instituta est, daturus solemni quodam die de more pauperibus convivium, cibaria et vina, quae viginti tantum reficiendis satis essent, comparaverat; sed cum trecenti ferme pauperes ad mensam assedissent, implorato Isidori praesidio, adeo multiplicata sunt quae apposuit, ut non modo omnes affatim saturarentur, sed et plurima, quae superfuerant, collecta fuerint fragmenta.

Miracula per fontem, quem beatus Isidorus fecit, patrata.

§ 20. Sed ut omnibus innotescat abundantia gratiarum, quas iugiter meritis servi sui super invocantes eum misericors Dominus effundit, insigniora quaedam beneficia per admirabilem illum fontem, quem e terrâ stimulo percussâ subito erupisse memoratum est, fidelibus impertita his litteris duximus memoranda.

Desperatâ corporali salute, continuis febribus et diarrheâ Catharina de Villa Sancte laborabat, cum, invocato Isidori patrocinio, sanitati restituta est.

1 Nisi legendum sit *per visum* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *habiturus* (R. T.).

Eâdem fide munitus Hilarius Cimbren, post trium mensium dysenteriam cum aethicâ febri, recepto extremae unctionis sacramento, ac animam agens, clamavit ad Dominum, et ad servum eius Isidorum, et exauditus est: poculo enim fontis eius hausto, convaluit, stupentibus omnibus et Deum in mirabilibus eius laudantibus.

Sed et eamdem virtutem expertus est Augustinus de Fuente advocatus Matriti, qui, desperatâ sanitate ex acuto morbo, et iam in faucibus mortis constitutus, omni humanâ ope frustra tentatâ, ad divinam conversus, fusisque ad Deum precibus et implorato Isidori subsidio, eâdem aquâ sumptâ, incolumis evasit.

Quin etiam Alphonsus Gallo, pestilenti febri et mentis stupore correptus, medicis omnem spem vitae deponendam esse contestantibus, conversus ad Deum, et ad Sanctum eius, misericordiam consequutus est. Nam solo aquae potu, quam, deceptus a matre, fontis eius esse credebat, momento temporis restitutus est sanitati.

Processus super eius Sanctitate et miraculis ordinaria auctoritate formati,

§ 21. Igitur, cum tot, tantisque signis mirificaret Dominus Sanctum suum, et fama sanctitatis Isidori ac miraculorum quae per eius intercessionem fiebant coruscaret, et procedente tempore maiora susciperet incrementa, et consequenter fidelium devotio ac veneratio erga ipsum in dies augeretur, fuerunt auctoritate ordinariâ formati processus super eiusdem vitâ ac miraculis, et a clarae memoriae Philippo III Hispaniarum rege catholico pro canonizatione ipsius apud felicis recordationis Paulum V, praedecessorem nostrum, actum, qui, precibus catholici regis benigne auditis, commisit tribus sacri palatii apostolici causarum auditoribus, nempe bonae memoriae Francisco Peña decano, et bonae memoriae Horatio Lancellotto, postmodum sanctae Romanae Ecclesiae cardinali, et dilecto filio Alphonso Manzanedo, ac deinde in priorum loco subrogatis dilecto filio nostro Francisco archiepiscopo Damasceno, tunc auditoris locumtenenti, nunc sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali, ac dilecto etiam filio Ioanni Baptistae Coccino decano, ut acta reciperent, cum facultate, si videretur, novos processus auctoritate apostolicâ conficiendi.

Instante Philippo III Hispaniarum rege,

A Paulo V tribus S. R. auditoribus traditi, ut examinarentur:

Qui novos processus auctoritate apostolica conficiendos esse censuerunt,

§ 22. Auditores, re diligenter ac mature perpensâ, novos processus auctoritate apostolicâ conficiendos censuerunt, eademque processuum confectio bonae memoriae Bernardo de Roras sanctae Romanae Ecclesiae cardinali, et archiepiscopo Toletano, et venerabili fratri Francisco episcopo Canariensi, et dilecto filio Ioanni de Hores canonico et thesaurario ecclesiae carthaginensis delegata fuit;

Iisque visis, ad ulteriora in canonizatione beati Isidori posse procedi.

§ 23. Qui, cum de mandato munere diligenter perfuncti fuissent, omnia eiusmodi acta ad eosdem auditores transmiserunt: qui, omnibus summâ cum diligentiâ, prout rei magnitudo exposcebat, consideratis et examinatis, retulerunt eidem Paulo V praedecessori, satis iustificari excellentiam vitae, sanctitatis, ac miracula servi Dei Isidori, omniaque abunde constare, quae pro canonizatione eiusdem a sacris canonibus requiruntur, posseque ad ulteriora procedi.

Negocium commissum congregationi sacrorum rituum.

§ 24. Utque eâ maturitate, quae in re tantâ requirebatur, negotium ageretur, idem Paulus dilectis filiis nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacris ritibus praefectis de more dedit in mandatis, ut memoratos processus quam diligentissime inspicerent, ac de totâ huiusmodi causâ accurate cognoscerent.

Quae commissio a Gregorio XV fuit renovata.

§ 25. Deinde eodem Paulo, sicut Altissimo placuit, viam universae carnis ingresso, cum humilitas nostra ad apostolatus apicem, licet nullis nostris exigentibus meritis, sed solâ divinae misericordiae dignatione, vocata esset, ad honorem Dei, et decorem domus eius summopere per-

tinere existimavimus, ut negotium huiusmodi canonizationis promoveretur. Si enim, ut de omnipotentis Dei benignitate sperabamus, iuxta desiderium cordis nostri prospere processisset, magnum devotionis augmentum erga Deum et electos illius omnibus christifidelibus futurum cernebamus. Mandavimus itaque praedictis cardinalibus, ut, quod illis a praedecessore nostro praedicto olim iniunctum fuerat, quamprimum exequerentur.

Cardinales in consistorio secreto ad canonizationem procedendum esse censent.

§ 26. Quod cum illi accurate perfecissent, ac pro sancti viri canonizatione omnes unanimes censuissent, venerabilis frater noster Franciscus Maria episcopus Portuensis cardinalis de Monte totius processus summam, ac suam, collegarumque sententiam coram nobis in consistorio nostro secreto exposuit. Quibus auditis ac perpensis, reliqui cardinales, qui aderant, omnes ad ulteriora procedendum censuerunt.

Praemissis denique orationibus aliisque piis operibus,

§ 27. Cum itaque publico sequenti consistorio pro eius canonizatione dilectus filius Faustus Caffarellus, aulae nostrae consistorialis advocatus, apposite dixisset, ac nomine charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, ut ad eam procedere dignaremur, humiliter supplicasset; nos de re tantâ venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et episcopos in curiâ praesentes consulturos esse respondimus: atque interim cardinales et episcopos, qui aderant, vehementer in visceribus Iesu Christi hortati sumus, ut eleemosynas operantes, et corda sua in ieiuniis et orationibus coram Deo nobiscum effundentes, humiliter exposcerent a Patre luminum, ut Spiritum Sanctum suum de caelo in nos mittere dignaretur, qui mentis nostrae oculos divinae gratiae splendore illuminaret, ut voluntatem eius agnoscere et perficere valeremus.

Accedentibusque omnium suffragiis,

§ 28. Sed cum semipublico consistorio, quod deinde ex more celebratum fuit, vocatis cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis in Urbe tunc praesentibus, nostrisque et Sedis Apostolicae notariis, ac sacri palatii apostolici causarum auditoribus, multa a nobis proposita fuissent de vitâ et miraculis beati Isidori, singulorumque rogatae sententiae, omnes concorditer, benedicentes Deum amicos suos clarificantem, beatum Isidorum canonizandum esse, et in Sanctorum Confessorum catalogum referendum, apertis suffragiis censuerunt.

Statutum est ad canonizationem devenire.

§ 29. Quorum omnium unanimi consensu audito, repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione, quia magnificaverit Dominus facere nobiscum, et Ecclesiam suam novo decore augendam et illustrandam decreverit. Canonizationis itaque constituimus diem, et orationibus apud Deum, a quo omne donum perfectum est, ut instarent omnes admonuimus, ut in tanto opere peragendo humilitati nostrae per spiritum suum assistere dignaretur.

Quod actum est in basilicâ vaticanâ die XII martii.

§ 30. Denum cum omnia, quae ex sanctorum patrum decretis et Romanae Ecclesiae consuetudine agi et observari in talibus consueverunt, perfecta essent, hodie in sacrosanctâ Principis apostolorum basilicâ, ubi solemni ritu cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, nec non patriarchis, archiepiscopis et episcopis praedictis, Romanae curiae praelatis, officialibus et familiaribus nostris, clero seculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ convenimus, post repetitas pro canonizationis decreto petitiones nomine eiusdem charissimi in Christo filii nostri Philippi regis catholici a dilecto filio nostro Ludovico tituli sanctae Mariae Transpontinae cardinali Ludovisio, nostro secundum carnem nepote, per dilectum filium Nicolaum Zambecarium advocatum, decantatis sacris precibus ac litaniis, ac Spiritus Sancti gratiâ devote

ac humiliter imploratâ, ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ac fidei catholicae exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ, de venerabilium fratrum nostrum[1] sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum consilio ac unanimi consensu, bonae memoriae Isidorum Agricolam de Matrito, de cuius vitae sanctitate, fidei sinceritate, et miraculorum excellentiâ plene constabat et constat, Sanctum esse definivimus, ac Sanctorum Confessorum non pontificum catalogo adscribendum decrevimus: prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, illumque omnes christifideles tamquam vere Sanctum honorare et venerari mandamus; statuentes, ut, ab universali Ecclesiâ in eius honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari et consecrari, et singulis annis, die quo ad caelestem patriam migravit, eius officium, ut de Sancto Confessore non pontifice, ad praescriptum romani breviarii[2] celebrari, possint.

Propositae indulgentiae eius sepulchrum visitantibus.

§ 31. Eâdemque auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis eodem festo die ad sepulchrum, in quo corpus eius requiescit, visitandum devote accesserint, unum annum et unam quadragenam; iis vero, qui in eiusdem festi octavâ, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet debitis poenitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus. Postremo, cum gratias egissemus Deo, qui Ecclesiam suam meritis et intercessione sancti Isidori clarificare dignatus esset, in hymnis et confessionibus maiestatem eius collaudantes, ut misericordias suas super populum suum iugiter effunderet, solemni oratione Confessorum in sancti Isidori honorem decantatâ, humiliter precati sumus, atque ad altare Principis apostolorum missam celebravimus, cum eiusdem Sancti Confessoris commemoratione; omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessimus.

Orationes ad Deum effundendae.

§ 32. Dignum igitur et congruum est, ut omnes uno ore glorificemus Deum et unicum filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, qui, quamvis, peccatis nostris exigentibus, calamitosis hisce temporibus Ecclesiam suam adeo affligi a contrariis potestatibus patiatur, misericordiam tamen suam non dispergit a nobis, et abundare facit in omni tribulatione et pressurâ consolationes nostras, cum apud thronum gratiae suae talem intercessorem et advocatum pro nobis manifestavit, quo suffragante placatus, flagella suae indignationis ab Ecclesiâ suâ avertat, eamque super capita inimicorum suorum exaltet, et in diebus nostris populo suo Dominus Deus noster pacem misericorditer concedat et tranquillitatem.

Transumptis danda fides.

§ 33. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri; volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales.

§ 34. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decreti, adscriptionis, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

1 Nisi malueris legere potius de more solito *nostrorum* (R. T.).

2 Nescio an hic desint haec verba: *recitari et missa respective* (R. T.).

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXI, quarto idus martii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 martii 1621, pontif. an. I.

Pontificis subscriptio.

✠ EGO GREGORIUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Perfice gressus meos in semitis tuis.

Et subscriptiones cardinalium.

† Ego Antonius cardinalis Saulius decanus.

† Ego Franciscus Maria cardinalis de Monte episcopus Portuensis.

† Ego Octavius episcopus Praenestinus sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Bandinus.

†

†

†

†

†

† Ego Dominicus Ss. Apostolorum presbyter cardinalis Gymnasius.

† Ego Carolus tit. S. Caesarei presbyter cardinalis Madrutius.

†

†

† Ego S. tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Burghesius.

† Ego M. tituli S. Honuphrii presbyter cardinalis Barberinus.

† Ego Ioannes Garzia tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbyter cardinalis Millinus.

†

† Ego M. tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Lantes.

† Ego F. tituli S. Augustini presbyter cardinalis Verallus.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Ceciliae presbyter cardinalis Lenius.

†

†

† Ego Dominicus tituli S. Martini in Montibus cardinalis Rivarola.

† Ego Philippus tituli S. Mariae de Populo cardinalis Philonardus.

†

†

†

† Ego G. tituli S. Crucis in Hierusalem cardinalis Borgia.

†

† Ego R. cardinalis Ubaldinus tituli sancti Alexii.

†

†

†

†

†

†

†

† Ego S. presbyter cardinalis S. Susannae S. R. E. bibliothecarius.

†

†

†

†

† Ego Guido tituli S. Ioannis ante Portam Latinam cardinalis Bentivolius.

†

† Ego P. tituli S. Salvatoris in Lauro presbyter cardinalis Valerius.

† Ego Itelius Fridericus tituli sancti Laurentii in Pane et Perna, presbyter cardinalis de Zolleren.

†

†

† Ego F. R. Desiderius tituli S. Clementis presbyter cardinalis de Cremona.

†

† Ego Ludovicus cardinalis Ludovisius tituli Sanctae Mariae Transpontinae S. R. E. camerarius.

†

† Ego F. tituli S. Matthaei in Merulana cardinalis Sacratus.

†

† Ego M. A. tituli S. Eusebii cardinalis Gozzadinus.

†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†

II.

Privilegia et indulta pro conclavistis, qui interfuerunt conclavi, in quo Gregorius XV pontifex electus fuit.

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex ex suâ circumspectâ providentiâ eas consuevit personas condignis praecipue complecti favoribus et gratiis, quas sibi et Apostolicae Sedi devotas et obsequiosas, ac plurimis cognoscit meritis adiuvari.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Hinc est quod nos, dilectos filios conclavistas, qui in conclavi, in quo, divinâ favente clementiâ, ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, nobis et fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, uti familiares et continui commensales, inserviendo interfuerunt, quique eâ de causâ labores, vigilias et incommoda plura subierunt, habitâ ratione obsequiorum, favoribus, gratiis et privilegiis pro cuiuscumque meritis exornare volentes,

Absolutio a censuris ac donatio decem millium scutorum aureorum pro conclavistis.

§ 2. Ipsosque conclavistas, et quemlibet eorum, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, etiamsi in illis per annum continuum insorduerint, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad ipsorum conclavistarum, seu alicuius eorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex nostrâ merâ liberalitate, conclavistis praedictis scuta decem millia auri in auro stamparum, per tres ex praedictis cardinalibus singulatim in quolibet ordine antiquiores inter ipsos conclavistas, et per capita singulorum conclavistarum, non autem per singulas cellulas, aequis portionibus distribuenda, gratiose et irrevocabiliter apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, donamus:

Creantur nobiles, cives, ac familiares Papae.

§ 3. Ipsosque conclavistas in veros, indubitatos et non fictos familiares, continuos commensales nostros; ac eos, qui ex illis clerici existunt, seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres huiusmodi cardinales gradu, nobilitate, et aliis meritis dignos tali dignitate iudicaverint, in nostros et Apostolicae Sedis notarios, sine tamen praeiudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium, recipimus; ac tam illos, quam alios conclavistas singulos, qui sigillatim ab eisdem tribus cardinalibus digni tali honore approbati fuerint, sacri palatii et aulae Lateranensis comites et milites, ac tam illos, quam omnes, et quoscumque alios conclavistas indistincte, qui nobiles non sunt, nobiles, quique Urbis, vel alicuius alterius ex civitatibus temporali dominio et dictae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, cives esse voluerint, singulos in eâ ipsâ civitate, quam sigillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem tribus cardinalibus se admitti

petierit, veros cives ad instar, et nullâ prorsus differentiâ inter eos et singulos alios veros originarios et antiquissimos, etiam nobiles et participantes, cives ipsius Urbis vel civitatis, ita ut ipsum ius civitatis ad quoscumque illorum haeredes eodem modo transeat, creamus, constituimus et assignamus, et nobilitatis et civilitatis titulo, honore et insignibus decoramus, aliorumque familiarum, continuorum commensalium, nobis actu in palatio nostro apostolico inservientium, ac illius tinello comedentium et bibentium, ac nostrorum et Sedis praedictae notariorum, palatiique et aulae praedictorum comitum, militum, et nobilium, ac civium huiusmodi originariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris, indubitatis, et non fictis familiaribus, continuis commensalibus, ac notariis nostris, comitibus, militibus, nobilibus et civibus deinceps haberi et reputari volumus ac mandamus:

Eorumque privilegiis et indultis donantur, cum privilegio, ut litterae sub his nominibus impetratae subreptionis vitio careant.

§ 4. Eisque, ut in quibuscumque impetrationibus, concessionibus, et litteris, tam gratiam quam iustitiam concernentibus, se familiares, continuos commensales nostros, comites, milites, nobiles, et cives etiam originarios nominare, nec propterea impetrationes, concessiones, et litterae ipsae subreptionis vitio subiaceant, sed validae et efficaces existant; ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus et quibuscumque ac prorsus similibus antelationum[1], anticipationibus, praerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac iuribus, quibus alii nostri familiares tempore dictae assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem, ac quibus alii eiusdem Sedis notarii, etiam de numero participantium existentes, etiam si habitum et rochettum notariorum ipsius Sedis non deferant, palatiique et aulae praefatorum comites, milites, et nobiles etiam originarii ac antiquissimi cives eiusdem Urbis vel civitatis, quam, ut praefertur, elegerint, quique ex utroque parente vere nobili et cive originario et antiquissimo procreati, de iure, statuto, consuetudine, vel aliàs ex aliquo speciali privilegio, seu aliàs quomodolibet, etiam quoad assequutionem quorumcumque beneficiorum, etiam ecclesiasticorum, etiam per quascumque litteras seu constitutiones apostolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum, in iudicio et extra, sine tamen eorumdem notariorum de numero participantium praeiudicio, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant realiter et integre, in omnibus et per omnia (etiam si in Urbe et civitate huiusmodi non habitaverint) perinde ac si de vere nobili genere ex utroque parente nobili originario, et antiquissimo[1] cius procreati forent, et huiusmodi praerogativae, privilegia, exemptiones, gratiae, favores, concessiones, indulta et iura, quae pro aliis nobilibus et civibus originariis emanarunt, et quae ratione nobilitatis et civilitatis naturalis et originariae aliis competunt, pro eisdem conclavistis in specie emanassent, seu emanarent[2], et eis naturaliter de iure, statuto, consuetudine, fundatione, vel aliàs, competerent, auctoritate et tenore similibus indulgemus:

A solutione decimarum eximit.

§ 5. Singulosque conclavistas praedictos a solutione et exactione decimarum ecclesiasticarum ubique locorum et ex quacumque quantumvis urgentissimà et inexcogitabili causà et occasione, etiam ad instantiam imperatoris, regum, et rerumpublicarum, etiam Venetiarum, ac quo-

1 Videretur legendum *antelationibus* (R. T.).

1 Forsan deest vox *cive* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *emanarunt* (R. T.).

rumcumque aliorum principum impositarum, et imponendarum pro tempore, liberamus et eximimus, liberosque et exemptos fore et esse decernimus:

Remittit fructus male perceptos ob non recitationem horarum canonicarum.

§ 6. Ipsisque conclavistis singulis quoscumque fructus, redditus et proventus ecclesiasticos, etiam occasione pensionum annuarum ipsis vel eorum alicui reservatarum, ratione omissionis recitationis horarum canonicarum indebite perceptos, cuiuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus et condonamus:

Dispensatque super inhabilitate ad sacros Ordines.

§ 7. Ac cum eis super inhabilitate, per eos propterea quomodolibet contractâ, vel etiam ex eo quod censuris huiusmodi ligati missas et alia divina officia, dummodo tamen non in contemptum clavium, celebraverint, aut aliàs in divinis se immiscuerint, ut, illâ et aliis praemissis non obstantibus, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus ordines aliàs rite promoveri, et in illis, ac in susceptis per eos aliàs rite ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare, etiam libere et licite valeant, dispensamus[1]:

Ab eis omnem natalium maculam abstergit.

§ 8. Ac eosdem conclavistas, si qui eorum defectum natalium ex quocumque damnato et illicito coitu[2], etiamsi ex nobilissimis parentibus et vilibus feminis forsan procreati sint, etiamsi legitimati aliàs existant, legitimamus, omnemque ab illis geniturae huiusmodi maculam sive notam abstergimus et abolemus, ac natalibus restituimus;

Ac habilitat ad successiones et haereditates.

§ 9. Et cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis et maternis, et aliorum consanguineorum, seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, sine tamen praeiudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seu aliàs de iure validâ dispositione succedere, et illa donationis vel alio quovis titulo consequi et habere, ac ad aequales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia iura, legitimas successiones, ex testamento vel ab intestato haereditates, legata, libertates restituendo et reintegrando realiter et cum effectu,

Necnon ad honores et dignitates.

§ 10. Ac ad dignitates, honores, et quaecumque alia officia secularia, publica vel privata, etiam assumi, illaque gerere et exercere, in omnibus et per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis impedimentum non obsistat, ut clericali charactere, qui illo nondum insigniti, ac ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, si nondum ad illos promoti sint, promoveri, ac postmodum charactere et ordinibus huiusmodi, illorumque privilegiis, uti, ac in eisdem ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecumque, et qualiacumque, cum curâ et sine curâ, beneficia ecclesiastica, etiamsi personatus, administrationes et officia, etiam curata et electiva in cathedralibus et metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, seu parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae, ac canonicatus et praebendae, dignitates, non tamen principales, in collegiatis ecclesiis huiusmodi fuerint, si sibi aliàs canonice conferantur[1], aut ipsi eligantur, praesententur, vel aliàs assumantur ad illa, et instituantur in eisdem, recipere et retinere libere et licite valeant[2]:

Expeditio litterarum apostolicarum pro conclavistis gratis facienda.

§ 11. Omnesque et quaecumque gratiae, provisiones, commendae, et quaevis aliae litterae apostolicae, etiam in formâ Brevis, pro illis expediendae[3], gratis ubique expediantur, tam de capiendâ possessione nomine camerae apostolicae, quam in formâ litterarum apostolicarum, ubi illis su-

1 De aetate et qualitate promovendorum ad Ordines habes in *Concilio Tridentino*, sess. XXII, cap. II et XII.

2 Videtur deesse verbum *contraxerint* (R. T.).

1 Edit. Main. habet *conferant* (R. T.).

2 Subintellige *dispensamus* (R. T.).

3 Edit. Main. habet *expediendis* (R. T.).

per provisionibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum dari poterunt, prout nostris familiaribus continuis commensalibus, etiam gratis dentur et concedantur, ac dari et concedi omnino debeant, praecipimus et mandamus:

Indulta circa pensiones transferendas usque ad summam scutorum centum auri de camera.

§ 12. Ac eisdem conclavistis, et eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel canonici metropolitanarum seu aliarum ecclesiarum, aut personae quaecumque ecclesiasticae, tam in Romanâ curiâ quam extra eam, ad id per eos et eorum singulos eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas eis et eorum singulis super quibuscumque fructibus, redditibus et proventibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum regularium, seu fructus, redditus et proventus huiusmodi beneficiorum reservatos, seu reservandos, etiamsi aliâs semel vel pluries translatae seu translati fuerint, usque ad summam centum ducatorum auri de camerâ similium, in toto vel in parte, ac etiam in mortis articulo, cassare et extinguere; et, postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus et proventus huiusmodi, usque ad summam praedictam, uni vel pluribus aliis personis ecclesiasticis, per eosdem conclavistas et eorum singulos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, similiter eis, quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo et formâ, quibus eisdem conclavistis reservatae seu reservati fuerint, etiam absque beneficia ipsa obtinentium consensu, integre persolvendas, ac per eos propriâ auctoritate percipiendas, exigendas et levandas, reservare, constituere, concedere et assignare valeant; atque in possessione dictas pensiones exigendi, in qua ipsi conclavistae tempore translationis per eos praesentium vigore faciendae, existebant, in omnibus et per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus et indulgemus; etiamsi similem gratiam a praedecessoribus nostris aliâs forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, illius effectu cumulative eos gaudere et potiri volumus; decernentes, ipsas translationes et novas reservationes, constitutiones et assignationes pensionum, seu fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi, plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus et proventibus reservatae fuerint, obtinentes, ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore:

Habitum clericalem gestare non teneantur ob dictas pensiones summam scutorum ducentorum non excedentes imo in contracto semel matrimonio vivere possint.

§ 13. Ac cum eisdem conclavistis, quod, ratione quarumcumque pensionum annuarum eis et eorum cuilibet super quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, ut praefertur, vel aliâs quomodolibet qualificatis (non tamen ultra summam ducentorum ducatorum parium pro quolibet) nunc et pro tempore reservatarum et reservandarum, habitum et tonsuram clericales gestare, et in illis, dummodo aliâs ipsi habitum decentem et honestum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam desuper cogi, seu compelli; minusque aliquas sententias, censuras, etiam privationis seu cessationis ipsarum pensionum poenas, occasione praemissorum, incurrere possint; sed easdem pensiones ad praedictam summam ducentorum ducatorum ascendentes, et reservatas ut praefertur, etiamsi matrimonium contraxerint, cum unicâ tamen et virgine, recipere et retinere;

[illegible]

§ 14. Postremo, quod bona quaecumque ad dictos conclavistas et eorum quemlibet spectantia, et per eos (etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam canonicatuum, et praebendarum, ac dignitatum, etiam maiorum et principalium, etiam speciali notâ et ex-

pressione dignarum quarumcumque, per eos aliàs obtentorum et obtinendorum, aut aliàs quomodolibet, et quovis quaesito colore vel ingenio, seu eorum industriâ, licite tamen) acquisita et acquirenda, etiam in Urbe, eiusque districtu, et ubique existentia[1], spoliis minime subiaceant; sed conclavistae praefati, etiam si Religioni[2] alicuius militiae, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum, etiamsi curiales esse desierint, et in quocumque loco quantumvis remoto eos decedere contigerit, testari et aliàs disponere, iisque; ab intestato decedentibus, legitime eorum haeredes quicumque succedere libere et licite valeant, simili modo concedimus et indulgemus;

Exequutores deputat.

§ 15. Praecipientes ac mandantes dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus S. R. E. camerario, thesaurario, praesidentibus clericis camerae nostrae apostolicae, et quibusvis aliis spoliorum huiusmodi collectoribus, et subcollectoribus, ac militiarum praefatarum officialibus, aut prioribus, ne in huiusmodi bonis manus apponant, neque haeredes praefatorum conclavistarum desuper molestare audeant seu praesumant: ac etiam decernentes donationes per viam testamenti et codicillorum, per ipsos conclavistas de eorum bonis huiusmodi faciendas, semper et perpetuo validas et efficaces fore;

A registro camerae eximit.

§ 15. Nec eosdem conclavistas, eorumve aliquem, ad praesentes litteras in dictâ camerâ insinuandum aut admitti et registrari petendum teneri, nec illas, etiamsi illae intra tempus legitimum insinuatae, admissae, seu registratae non fuerint, propterea minus validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere;

Clausulas praeservativas apponit.

§ 17. Ac easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis et constitutionibus apostolicis, similium gratiarum revocatoriis, vel quae eas limitarent seu moderarent, quae a nobis, et dictâ Sede pro tempore, et ex quibusvis causis, etiam urgentissimis, etiam in favorem fidei, ac divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel aliàs, quavis auctoritate hactenus, vel in posterum emanaverint, minime comprehensas esse, sed quoties illae emanabunt, toties easdem praesentes in pristinum statum restitutas, repositas et reintegratas esse censeri;

§ 18. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, in quavis causâ et instantiâ (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate), ubique iudicari et definiri debere, irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari:

Iussio quod dictae litterae gratis expediantur.

§ 19. Et insuper dilectis filiis rescribendario et computatori litterarum apostolicarum, et aliis ad quos spectat, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenâ indignationis nostrae, motu simili, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine per apostolica scripta mandamus, ut litteras apostolicas praedictas super praemissis omnibus et singulis, tam coniunctim quam separatim, ac pro singulis quibus concessa fuerunt, ac seorsum et separatim, cum omnibus et quibuscumque derogationibus, decretis et clausulis in eis contentis, gratis de mandato nostro ubique, in omnibus officiis, etiam abbreviatorum, sollicitatorum, secretariorum, plumbique et registri, absque aliquâ pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis faciendâ, omni contradictione et dilatione cessantibus, signent, expediant et expedire faciant.

Contrariis derogat.

§ 20. Non obstantibus praemissis, ac

1 Idest *bona*; ed. Main. legit *existentium* (R. T.).
2 Erronee edit. Main. legit *Religionis* (R. T.).

decreto de eorumdem notariorum numero, etiam si ad illum nondum sit deventum, cui per hoc aliàs non intendimus derogare, ac unâ de insolescentibus et alterâ nostris de praestando consensu in pensionibus, ac felicis recordationis Pii Papae IV de similibus vel dissimilibus gratiis in camerâ apostolicâ infra tres menses praesentandis et registrandis, ac Pii V, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, contra illegitimos, necnon Pictaviensis concilii, et aliis apostolicis, ac etiam in universalibus, provincialibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, ac etiam Urbis Romanae, et aliarum civitatum, oppidorum, terrarum, et camerae praedictae, ac quarumvis universitatum (eiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis, decretis, etiam novis reformationibus et legibus, tam pontificiis quam imperialibus, regiis et ducalibus, et sacris canonibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, ac locis quibuscumque, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam in vim[1] contractus et statuti perpetui continentibus, ac etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, et aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis (illis praesertim, quibus inter alia caveri dicitur expresse, quod beneficia Urbis nonnisi personis, sub certis modo et formâ inibi qualificatis, et oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum et militiarum expresse professis conferri et commendari possint disponentibus); quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque: aut si aliquibus, communiter aut divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 21. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, et sigillo ac manu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis et subscriptis, eadem fides tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nomina autem conclavistarum, qui in conclavi huiusmodi interfuerunt sunt haec, videlicet:

Venerabilis frater noster Ioannes Vincentius Spinula Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini episcopus Tagastensis, sacrista, et dilecti filii Paulus Alaleo, canonicus, Ioannes Baptista etiam Alaleo, et Carolus Antonius Vaccarius, clerici respective, perpetui beneficiati, beneficiatus et clericus respective nuncupati basilicae Principis apostolorum de Urbe, et Petrus Ciammariconus perpetuus beneficiatus ecclesiae Lateranensis magistri caeremoniarum; Mutius Riccerius Camerinensis canonicus ecclesiae sancti Angeli

1 Nisi legendum sit *etiam vim* (R. T.).

in Foro Piscium, collegii S. R. E. cardinalium secretarius; Raphaël Pinchiarius presbyter Bononiensis, et Livius Sonantius Reatinus clericus, nostri etiam dum cardinalatus honore fungebamur: Stephanus Racanus Spoletanus, Hortensius Balestrerius Fanensis dioecesis presbyter, et Ioannes Caesar Troianus de Paliano clericus, seu laicus, Antonii Ostiensis Sauli; Franciscus Fuccius Tifernas, et Ioannes Iacobus Baldinus de Apiro Camerinensis dioecesis clerici, Benedicti Portuensis Iustiniani; Matthaeus de Zannis laicus Bononiensis, et Angelus Orius clericus Anconitanus, Francisci Mariae Praenestinensis a Monte; Sebastianus Brussatus clericus Casalensis, et Cambius Artosinus Foroliviensis, miles militiae Ss. Mauritii et Lazari, Francisci Tusculani Sfortiae; Caesar Melottus canonicus ecclesiae sancti Laurentii in Damaso de Urbe, et Rodulphus Mancinus clericus Perusinae dioecesis, Alexandri Albanensis de Monte Alto, venerabilium fratrum nostrorum episcoporum; Alphonsus Carandinus clericus coniugatus Mutinensis, et miles militiae Iesu Christi, Petrus de Castro Toletano, et Tobias Aldinus Caesenatensis clerici, Odoardi nuper sanctae Marie in via lata Farnesii; Franciscus Cavalcantes perpetuus commendatarius monasterii sancti Petri de Laderchia, aliàs de Riolo Imolensis dioecesis, et Ioannes Baptista Buttus clericus Assisiensis, Octavii S. Laurentii in Lucina Bandini; Hieronymus Signorellus perpetuus commendatarius monasterii sancti Petri Vallis Dasinae Nucerinensis dioecesis, Iustinus Iacoponus Camerinentis, et Palmerius de Palmeriis Tiburtinae dioecesis clerici, Bartholomaei sanctae Mariae in Transtyberim Coesii; Petrus Calabrinus Mutinensis, et Stephanus de Rosis Cathacensis presbyter, Bonifacii sancti Petri ad Vincula Bevilacquae; Bandinus de Nores Nicosiensis, Antonius Doctus Ferrariensis, et Augustinus Mongardus, clerici Montis Politiani, Roberti sanctae Praxedis Bellarminii; Fabius Tanianus Pistoriensis, Gherardus Gherardus Urbevetanus, et Nicolaus Accursinus de sancta Flora, clerici Ioannis Baptistae sanctorum Marcellini et Petri Deti; Aemillius Sperellus Assisiensis, et Franciscus Tedeschius, laici Imolensis Dominici Ss. XII Apostolorum Gymnasii; Ioannes de Zunega Pacensis, et Gabriel Pratus, clerici Astenses, Antonii sanctae Balbinae Zappatae; Iacobus Antonius Rigottus canonicus Tridentinus, et Iacobus Francischinus, clerici Veronenses, Caroli sancti Caesarei Madrutii; Iacobus Benedictus Nicosiensis, et Iulius Saracenus Vicentinus, presbyteri, ac Franciscus Lambertus clericus Florentinus, Ioannis sancti Marci Delphini; Octavius Baccius canonicus Ecclesiae sanctae Mariae Maioris, etiam de Urbe, et Carolus Falcinellus presbyter Perusinus, Scipionis sancti Chrysogoni Burghesii; Franciscus Adrianus Ceva Montis Regalis, et Antonius Crisolinus, clerici a sancta Sophia, Maffaei sancti Honuphrii Barberini; Franciscus Ferentillus nullius, seu Spoletanae dioecesis, et Petrus Roncius clerici a Campagnano Nepesinae dioecesis, Ioannis Garziae Ss. Quatuor Coronatorum Millini; Ioannes Ferrarinus Regiensis et Franciscus Baruffaldus Cremonensis clerici, Marcelli Ss. Quirici et Iulittae Lantes; Claudius Ruthy Bisuntinae dioecesis et Blasius Factorius presbyteri Ariminensis, Michaëlis Angeli S. Bartholomaei in insula Nazareth; Alexander Biffius Florentinus et Ioannes Crisentus laici Corrigiensis, Fabritii sancti Augustini Veralli; Claudius Susannius perpetuus commendatarius monasterii sancti Michaëlis de Pola Polensis dioecesis, S. Benedicti seu alterius Ordinis, et Franciscus Landus presbyter Tyburtinus, Ioannis Baptistae S. Ceciliae Lenii; Alexander Viola presbyter Aqui-

lanus et Ioannes Paulus Leonardus clericus seu laicus Beneventanus, Decii Ss. Ioannis et Pauli Caraffae; Augustinus Ioiosius presbyter Sancti Severini et Gaspar Morellus Romanus, Dominici S. Martini in montibus Rivarolae; Sigismundus Thadeus Florentinus et Iosephus Trullier Lingensis, et Carolus Gurgas clerici Bitterrensis, Ioannis sancti Eusebii Bonsii; Bernardinus Zampa clericus de Sarnano Camerinensis dioecesis et Lauretus de Franchis presbyter Neapolitanus, Philippi sanctae Mariae de Populo Philonardi; Cornelius Henricus Notmanus Leodiensis et Bartholomaeus Iunchettus de Mutiliano clerici Faventinae dioecesis, Petri Pauli Ss. Nerei et Achillei Crescentii; Ioannes Alphonsius presbyter Ianuensis et Ioannes Antonius Pasiadescus laicus seu clericus Albiganensis dioecesis, Iacobi S. Mariae de Pace Serrae; Rainaldus Magnus Sarsinatensis, canonicus praedictae ecclesiae sancti Laurentii in Damaso, et Petrus Antonius Pugliolus presbyter Mutinensis, Augustini S. Mariae in Aracaeli de Aracaeli; Didacus de Savedra canonicus Compostellanus et Ioannes de Roias clericus Seguntinus, Gasparis S. Crucis in Hierusalem Borgiae; Franciscus Maria Costacutus Ianuensis et Petrus Riccius presbyteri Romanus, Felicis sancti Laurentii in Pane et Perna de Asculo; Alexander Minerbetus Florentinus et Horatius Piccinardus clerici Romanus, Roberti sanctae Pudentianae Ubaldini; Timotheus Vannius Viterbiensis et Aurelius Martignonus clerici Mediolanensis, Tyberii S. Priscae Muti; Petrus Palla Reatinae dioecesis et Paulus Vicarellus clerici Urbevetanus, Iulii sanctae Sabinae Sabellii; Michaël Angelus Anchianus clericus Lucensis et Antonius Botta clericus seu laicus Camerinensis, Petri sancti Thomae in Parione Camporei; Simon Brunus Nonantulanus, Sanctes Foroso clerici Veronensis et Tyberius Fonsius laicus Eugubinus, Matthaei sancti Hieronymi Illyricorum Priuli; Gaspar Lusiganus Constantinopolitanus et Delius Cornices clerici Narniensis dioecesis, Scipionis sanctae Susannae Cobellutii; Antonius Benedellus presbyter Nonantulanus et Ioannes Thomas Guglielmus laicus seu clericus Pisaurensis dioecesis, Petri Sancti Salvatoris in Lauro Valerii; Bernardinus Saracinellus Urbeventanus et Petrus Franciscus Busca laici seu clerici, Iulii sanctae Mariae supra Minervam Romae; Antonius Grassellus clericus Nucerinae dioecesis et Flaminius Maggius laicus, Caesaris S. Petri in monte Aureo Gherardi; Lazarus Carafinus Cremonensis et Ioannes Bonus clerici Astensis, Desiderii sancti Clementis Scaliae; Dionysius Damianus Narniensis et Franciscus Bevolus clerici Tifernas, Stephani sanctae Mariae in Via titulorum presbyterorum Pignatelli nuncupatorum; Petrus Franciscus Bonioannes presbyter Firmanus praedictae ecclesiae sanctae Mariae Maioris praepositus et Franciscus Fracassinus laicus Urbevetanus, Andreae sanctae Mariae in Vialata Peretti; Iosephus Fontanella Regiensis et Petrus Paulus Mecis clerici coniugatus Campanensis dioecesis, Alexandri sancti Eustachii Estensis; Clemens Merlinus clericus Foroliviensis et Paulus Boscus laicus seu clericus Bononiensis, Caroli Emanuelis sancti Nicolai in carcere Pii; Ioannes Restius Ragusinensis et Petrus Paulus Palmutius laici seu clerici Tudertinus, Aloysii sancti Angeli in Foro Piscium Caponii; Everardus Medius Florentinus et Octavianus de Lotto clerici coniugatus, et miles praedictae militiae sancti Stephani, Caroli sanctae Mariae in Dominica Medices; Dominicus Fedinus canonicus praedictae ecclesiae sanctae Mariae Maioris et Emilius Feus miles eiusdem militiae S. Stephani, Alexandri S. Mariae in Cosmedin Ursini diaconorum S. R. E. cardinalium etiam nuncupatorum; Laurentius Bernardinus Lucensis, Bernardinus de Lupis de sancto Ore-

sto presbyteri nullius dioecesis et Angelus Colius laicus seu clericus Senensis, bonae memoriae Petri episcopi Sabinensis Aldobrandini; Urbanus Paleonus Civitatis Realis Reatinae dioecesis et Gregorius de Benedictis clerici Maceratensis, Iacobi sancti Stephani in Monte Caelio Sannesii; Franciscus Maria Sinibaldus Forosemproniensis, Antonius Ghirlandarius Florentinus et Pompeius Normilla clerici coniugatus Venafrus, Ladislai nuper eiusdem sanctae Mariae supra Minervam similiter titulorum eiusdem S. R. E. presbyterorum cardinalium defunctorum; Frater Christophorus Fucciarinus Perusinus, Ordinis sancti Augustini, magister in theologia cum dicto Ioanne Vincentio episcopo, frater Ferdinandus Astoricensis dioecesis de Matre Dei Ordinis Carmelitarum Discalceatorum confessarius; Cynthius Clemens Senogalliensis, canonicus praedictae ecclesiae Lateranensis, et Camillus Gorus clericus coniugatus physici; Prosper Cecchinus chirurgus, Caesar Magnolus aromatarius, Ioannes Baptista Gallus Urbinatensis et Ioannes Maria Lolius Urbevetanus eius adiutores; Linus Blasinus de sancto Oretto nullius dioecesis, custos fontis; Gabriel Renzonus, Fesulanae dioecesis, secretarii eiusdem collegii adiutor; Antonius Pacificus, Camplenae dioecesis, magistri caeremoniarum adiutor; Blasius Zucchius et Riccius Tonsius barbitonsores; Andreas Boccalinus et Alexius Mollia, eorum adiutores; Antonius Bernasconus caementarius; Ioannes Volpetta faber lignarius; Ioannes Augustini Mediolanensis, Ioannes Sorcius, Ioannes ad Rotundam, Ioannes de Remedio, Antonius Mecus, Dominicus Covaia, Hieronymus Tamansinus et Felicionus, scopatores conclavis.

Decretum poenale.

§ 22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, donationis, receptionis, creationis, constitutionis, assignationis, decorationis, aggregationis, liberationis, exemptionis, remissionis, condonationis, dispensationis, legitimationis, abstersionis, abolitionis, restitutionis, decretorum, concessionum, indultorum, praeceptorum, mandatorum, derogationis voluntatum, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXX, idibus martii, pontif. nostri anno I.

Dat. die 15 martii 1621, pontif. an. I.

III.

Indictio universalis iubilaei ad divinum auxilium initio pontificatus implorandum [1].

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
Universis christifidelibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa edicti huius iubilaei.

Spiritus Domini, cuius inenarrabili providentiâ regimur et gubernamur, se neminem suorum spernere, hoc tempore praecipue, demonstravit; cum abundantiam misericordiae suae in humilitatem nostram derivare dignatus, in supremâ B. Petri Sede nos collocando, universi gregis sui curam, nullo meritorum suffragio, nobis commisit. In quo, ut divina agnoscimus dona, ita etiam formidamus iudicia. Quoties enim creditum munus mentis oculo circumspicimus, toties oneris gravitas nos terret, virium nostrarum infirmitatis conscientia conturbat. Gregem siquidem innumerabilem, per universum orbem sparsum, nobis creditum cernimus, et gregem quidem non auro aut argento, sed aeterni

1 Huiusmodi iubilaeum omnes Pontifices solent indicere in primordiis sui regiminis, nonnullasque constitutiones legere est in nostrâ collectione.

Patris unigeniti Iesu Christi Domini nostri sanguinis pretio acquisitum, non paucis in locis non solum pastoribus, sed pascuis etiam destitutum; hinc luporum insidiae non cessantes, illinc praedonum et hostium violentia mactare et perdere adnitentium. Quapropter ad Dominum cum propheta clamare compellimur: *Exaltatus, humiliatus sum et conturbatus; terrores tui conturbaverunt me, circumdederunt me sicut aqua, totâ die circumdederunt me simul;* ac nisi eius auxilium, qui nostris humeris tantum pondus imposuit, nobis adfuturum confideremus, animo plane concideremus [1]. Sed quoniam benignus est Dominus, et non derelinquit sperantes in se, infirmitatem nostram, licet tanto oneri longe imparem, gratiae suae virtute confortabit ac tribuet, ut sufficere valeamus. Id vero ut impetrare ab Æterno Pastore mereamur, ad vestras orationes et bona opera confugere ex more Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum decrevimus. Vos enim, quibus nostra pastoralis impendenda est sollicitudo, apud Deum pro nobis intercedendo, non vestram minus, quam nostram procurabitis spiritualem utilitatem. Quamobrem, ut maiori cum fructu administrationi nostri officii suffragari ad divinum auxilium consequendum possitis, de thesauro Ecclesiae, cuius nos dispensatores sumus, abundanter erogando, ad veram poenitentiam et pia opera vos incitandos duximus. Dignos itaque fructus poenitentiae faciamus, animas nostras Domino humiliemus, et in hoc sacro quadragesimali tempore, ubi, eo durante, publicatae hae nostrae litterae fuerint, ad pensum sanctae institutionis aliquid addamus, corda nostra scindamus, et in oratione, ieiunio ceterisque pietatis operibus unanimiter perseveremus.

1 Erronee edit. Main. legit *nisi ... nobis adfuturum consideremus, animos plane consideremus* (R. T.).

Indictio iubilaei de quo in rubricâ.

§ 1. Quapropter in hac almâ Urbe nostrâ a cappellâ nostrâ publicâ palatii apostolici ad basilicam Principis apostolorum in Vaticano, necnon ab ecclesiâ S. Mariae Angelorum nuncupatâ ad basilicam sanctae Mariae Maioris, proximâ hebdomadâ, quae erit post quartam dominicam quadragesimae, quartâ et sextâ feriâ respective, solemnes processiones de more indicimus, ad quas basilicas nos, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis atque episcopis, quos in Romanâ Curiâ adesse contigerit, ac christianorum regum et principum oratoribus apud nos existentibus, aliisque praelatis atque officialibus Romanae curiae, universoque clero et populo comitante, accedere, dictasque processiones celebrare statuimus. Ut autem divinam opem efficacius imploremus, et simul effusis multorum precibus fructuosius exaudiamur, omnes et singulos utriusque sexus christifideles ubique existentes enixe in Domino hortamur, et paternâ charitate monemus, ut, qui in hac almâ Urbe sunt, dictâ hebdomadâ, aut saltem alterâ sequenti, qui vero extra Urbem in quibusvis orbis terrarum locis existunt, proximâ aut alterâ sequenti hebdomadâ post praesentium notitiam, pias ad Deum preces effundant, ut Ecclesiam suam sanctam tueatur et protegat, haereses undique evellere et extirpare, fidem sanctam catholicam adaugere et propagare, pacem et veram concordiam largiri dignetur; nobis vero vires tribuat, quibus susceptum onus ad eius nominis gloriam, fideliumque et animae nostrae salutem, administrare valeamus. Et ii quidem, qui in eâdem Urbe hic praesentes sunt, praedictas Principis apostolorum ac sanctae Mariae Maioris basilicas, vel unam ex eis quam maluerint, qui vero alibi extra Urbem erunt, ecclesiam seu ecclesias per locorum Ordinarios, seu eorum vicarios, aut de eorum mandato, aut

iis deficientibus per eos, qui inibi curam exercent animarum, deputandam seu deputandas, quocumque sibi beneviso eiusdem hebdomadae die vel diebus, saltem semel devote visitent. Omnes praeterea quartâ et sextâ feria et sabbato eiusdem vel alterius sequentis hebdomadae ieiunent, et, quantum pro suo quisque arbitrio iudicaverit, eleemosynas erogent, atque intra hoc ipsum tempus sacerdotibus ab Ordinario approbatis peccata sua confiteantur, et die dominico dictum sabbati diem proxime subsequente, vel alio dictae sequentis hebdomadae die, arbitrio confessarii, sanctissimae Eucharistiae sacramentum devote percipiant. Qui autem in navigatione vel itinere fuerint, eo peracto, haec ipsa faciant et exequantur; qui vero regulares utriusque sexus in claustris perpetuo degunt, vel in carcere, aut captivitate detinentur, vel propter corporis infirmitatem, aut aliud quodcumque impedimentum, superius expressa seu eorum aliqua facere seu adimplere nequiverint, sacerdotis confessarii approbati ab Ordinario, quem elegerint, arbitrio, praedicta omnia et singula vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, vel in aliud tempus, proximum tamen, differre valeant.

Concessio plenariae indulgentiae.

§ 2. Quae omnia, ut eo libentius praestare studeant, quo uberius spiritualibus muneribus et gratiis a nobis se refectos esse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam Deus nobis licet indignis contulit, omnibus et singulis praedictis, qui praedicta adimpleverint, plenissimam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur. Necnon eisdem fidelibus etiam cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti regularibus utriusque sexus facultatem impertimur eligendi sibi presbyterum confessarium tam secularem quam cuiusvis Ordinis vel instituti regularem, ex approbatis ab Ordinariis locorum, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quovis modo vel causâ latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam in casibus tam locorum Ordinariis, quam nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi consuetis, atque aliàs etiam per quascumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodolibet reservatis, in foro tantum conscientiae, hac vice dumtaxat absolvere, et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis tantummodo exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare (iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis casibus poenitentiâ salutari, ac aliis iniungendis) possint et valeant.

Iubilaeum ubique locorum publicandum.

§ 3. Mandantes insuper venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis quibuscumque ecclesiarum praelatis et locorum Ordinariis, in virtute sanctae obedientiae, ut, cum harum litterarum transumpta aut exempla acceperint, illa statim per suas provincias, ecclesias, dioeceses publicent et publicare faciant, cleroque et populo sibi subiecto solemnes processiones, sicut nos in praedictâ Urbe indiximus, indicant et celebrent. Per praesentes autem, super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate aut inhabilitate quomodolibet contractâ non intendimus, nec etiam in foro conscientiae, dispensare, neque ullam facultatem tribuere dispensandi. Ac declaramus has ipsas praesentes,

quoad absolutionem in foro conscientiae et poenitentiali tantum, non autem in foro fori seu contentioso, consequendam, neque etiam quoad dictum forum conscientiae iis qui ab aliquo iudice excommunicati, suspensi vel interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, neque pariter haereticis aut schismaticis specialiter declaratis seu condemnatis ullo modo suffragari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus absolvendi facultas, in certis tunc expressis casibus, ita specialiter Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei, indulgentiarum aut facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari valeat, necnon quorumcumque Ordinum, congregationum et institutorum regularium (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut expressio habenda vel quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac formam in illis traditam penitus pro servatâ habentes, hac vice specialiter et expresse ad effectum praesentium derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique gentium et locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXX, decimosexto kalendas aprilis, pontificatus nostri, anno I.

Dat. die 17 martii 1621, pontif. anno I.

IV.

Confirmatio litterarum Clementis VIII et Pauli V super regimine et visitatione monasteriorum monialium Ordinis Carmelitarum Discalceatarum in regno Galliae[1].

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam

Quae a Clemente VIII et Paulo V circa moniales Ordinis Carmelitarum Discalceatarum regni Franciae statuta sunt recenset.

Cum pridem (postquam felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster monasterium monialium Ordinis Carmelitarum Discalceatarum[2] noviter tunc in civitate Parisiensi erectum, eiusque abbatissam, seu priorissam, et conventum ab Ordinarii loci iurisdictione et superioritate exemerat, ac Sedi Apostolicae immediate, ac visitationi et correctioni commissarii generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum subiecerat, et, ex eo quod Ordo praedictus Carmelitarum Discalceatorum in regno Franciae tunc nondum introductus erat, volueral, ut donec Ordo praedictus in dictum regnum introduceretur, monasterium praedictum visitationi et correctioni prioris generalis Ordinis Carthusiensis, ac administrationi trium virorum in litteris apostolicis super ipsius monasterii erectione expeditis nominatorum subiectum esset[3]) per recolendae memoriae Paulum Papa V, etiam praede-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Edit. Main. legit *Discalceatorum* (R. T.).

3 Hae Clementis VIII litterae desunt; vide tam de hisce rebus in tom. XI, pag. 352 seq. (R. T.).

cessorem nostrum, accepto, quod dictus generalis in vim decreti in capitulo generali posterioris Ordinis celebrato facti, onus huiusmodi recusaverat, idem Paulus praedecessor, ne monasterium praedictum aliquod in spiritualibus detrimentum pateretur, de prudentiâ, fide, et integritate dilecti filii nostri Maphaei tituli sancti Honuphrii presbyteri cardinalis Barberini nuncupati, tunc in minoribus constituti, et tunc archiepiscopi Nazareni ac Apostolicae Sedis apud clarae memoriae Henricum Francorum regem christianissimum nuncii, plurimum in Domino confisus, eidem Maphaeo cardinali, et pro tempore dictae Sedis nuncio in regno praedicto commoranti, ut singulis trienniis (donec aliud circa praemissa ab Apostolicâ Sede mandatum foret, et etiam si dicti fratres Carmelitae Discalceati tunc iam forsan Parisiis, vel alibi, in dicto regno conventus obtinerent, aut imposterum assequerentur) aliquem presbyterum secularem aetate gravem ac vitae et probitatis spectatae[1] (ex duobus sibi per praedictos administratores nominandis ac praesentandis) in visitatorem dicti et aliorum monasteriorum monialium Carmelitarum Discalceatarum in dicto regno eatenus erectorum et deinceps erigendorum deputare, ac illum sic deputatum[2] eius arbitrio etiam infra triennium revocare, ac, finito triennio, ad aliud triennium, et non ultra, confirmare, auctoritate apostolicâ, posset et valeret, facultatem et auctoritatem concesserit et impertitus fuerit; ac visitatori sic, ut praefertur, deputato, ut[3] praedictum, nec non alia quaecumque monasteria monialium primodicti Ordinis in toto regno praedicto tunc et pro tempora erecta, eorumque superiores, abbatissas seu priorissas, et moniales, ceterasque personas in eis degentes visitare, ac tam in capite quam in membris corrigere, reformare ac in singularum vitam, mores, ritus et disciplinam inquirere, nec non (evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum decretis, et sanctorum patrum traditionibus, ac regularibus dicti Ordinis institutis inhaerendo) quaecumque mutatione, correctione, reformatione, renovatione, innovatione, aut etiam ex integro editione indigere cognosceret, immutare, corrigere et reformare, emendare, revocare et de novo constituere, abusus quoscumque tollere, bonas et laudabiles institutiones, et in primis divinum cultum ac monasticam disciplinam et regularem observantiam, ubicumque excidissent, modis congruis restituere, ipsasque moniales et alias personas praedictas ad regularis clausurae formam, ac debitum et honestum vitae modum reducere, et, si aliquas in aliquo delinquentes reperiret, eas iuxta canonicas sanctiones et regularia dicti Ordinis instituta punire et castigare, graviora vero quaecumque in scriptis redacta ad eumdem Paulum praedecessorem diligenter deferri facere, ac quascumque rebelles et praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescere[1], ac, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravare, interdictum ecclesiasticum apponere, ac etiam, si opus foret, auxilium brachii secularis invocare, omniaque alia, quae visitationem et reformationem concernerent, et[2] pro dictorum monasteriorum eorumque monialium prospero statu dirigendo necessaria et opportuna forent,

1 Aptius in loco parallelo Const. Pauli V legitur *vitae probitate spectatum* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *deputatae, ac deputandae* (R. T.).

3 Particula *ut* nos addimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *compescendo* (R. T.)

2 Particulam *et* nos addimus (R. T.).

facere et exequi posset et valeret, similiter facultatem concesserit et impertitus fuerit[1]; subinde vero dictus Paulus praedecessor, qui in praedicto Galliae regno Congregationem Clericorum Oratorii nuncupatam (in cuius generalem praepositum dilectum filium Petrum Berulle presbyterum Parisiensem, virum pietate et vitae probitate fide dignis testimoniis commendatum deputavit) erexit et instituit[2] (per ipsum par iteraccepto, quod Congregatio praedicta ex presbyteris pietate et doctrinâ conspicuis, aetate gravibus, zeloque erga religionem catholicam et Sedem[3] Apostolicam praestantibus composita erat, et uberes fructus in vineâ Domini producebat, ut sperandum esset, Petrum et futuros dictae Congregationis praepositos cum multo abbatissae, seu priorissae, et conventus eiusdem, ac aliorum primodicti Ordinis monasteriorum monialium spirituali fructu circa praemissa, si id oneris sibi apostolicâ auctoritate demandaretur, vacaturos esse), motu proprio, non ad dicti Petri, aut Congregationis, aut abbatissae, seu priorissae huiusmodi, vel aliorum primodicti Ordinis monasteriorum eatenus in dicto regno erectorum instantiam, sed ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione suis, deque apostolicae potestatis plenitudine, facultatem Maphaeo cardinali, et pro tempore existenti Apostolicae Sedis nuncio in regno Franciae, deputandi, confirmandi et revocandi visitatorem, ac eidem visitatori sic deputato et confirmato circa primodicti ac aliorum primodicti Ordinis monasteriorum, illorumque abbatissarum, seu priorissarum, et monialium, aliarumque illorum personarum visitationem, aliaque praemissa, per ipsum, ut praefertur, concessam et attributam (circa praemissa eatenus gestorum[1] revocavit ac viribus evacuavit; nec non primodictum, ceteraque primodicti Ordinis monasteria, tam eatenus in universo Franciae regno erecta, quam deinceps perpetuis futuris temporibus erigenda, curae, visitationi, correctioni et superioritati dicti Petri ac pro tempore existentis praepositi generalis eiusdem Congregationis [qui huiusmodi monasteria, eorumque superiores, abbatissas, seu priorissas, et moniales et alias personas in eis degentes visitare, ac, tam in capite quam in membris, corrigere et reformare, ac in singulorum vitam, ritus, mores et disciplinam diligenter inquirere, nec non (evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum decretis, ac Ss. Patrum traditionibus, ac regularibus primodicti Ordinis institutis inhaerendo) quaecumque mutatione, correctione, reformatione, emendatione, revocatione, et renovatione indigere cognosceret, mutare, corrigere, reformare, emendare, revocare, renovare, et de novo sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis, regularibusque dicti Ordinis institutis non contraria concedere[2], abusus quoscumque tollere, nec non bonas et laudabiles institutiones, ac in primis divinum cultum, disciplinam, regularemque observantiam, ubicumque excidissent, modis congruis restituere, ac ipsas moniales et alias personas praedictas ad regularis clausurae formam ac debitum et honestum vitae modum iuxta sacri Concilii Tridentini decreta reducere, et, si aliquas in aliquo delinquentes reperiret, eas iuxta canonicas sanctiones et regularia primodicti Ordinis instituta punire, corrigere, et castigare, quaecumque vero graviora reperiret, ea in scriptis redacta ad Romanum Pontificem pro tem-

1 Vide Pauli V Const. LIV in tom. XI, p. 352 (R. T).

2 Huius Congregationis institutio legitur supra pag. 206 huius tom. (R. T.).

3 Edit. Main. habet *fidem* (R. T.).

1 Quae parenthesi inclusi, non intelligo (R. T.).

3 Edit. Main. habet *concedere* (R. T.).

pore existentem deferri facere, ac quascumque rebelles, et praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescere, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas aggravare et reaggravare, interdictum ecclesiasticum apponere, ac, si opus esset, auxilium brachii secularis invocare, nec non omnia et singula in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria facere et exequi libere et licite posset et valeret] ad Sedis Apostolicae beneplacitum subiecit et supposuit, prout in ipsius Pauli praedecessoris in simili formâ Brevis sub die XVII aprilis MDCXIV[1] desuper expeditis litteris plenius continetur[2].

Atque etiam confirmata.

§ 2. Ac demum pro parte charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi eidem Paulo praedecessori exposito, quod dictus Petrus regimini et gubernio monialium primodicti Ordinis cum multo illarum spirituali fructu ac christifidelium aedificatione vacaverat; idem Paulus praedecessor, motu, scientiâ, deliberatione, ac apostolicae potestatis plenitudine paribus, litteras praedictas, ac omnia et singula in eis contenta, sub certis modo et formâ tunc expressis, approbavit et confirmavit, prout in aliis eiusdem Pauli praedecessoris in eâdem formâ Brevis sub die XIV martii MDCXX desuper expeditis litteris plenius similiter continetur[3].

Reclamantibus tamen monialibus et Ordinis Carmelitarum superioribus.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, idem Paulus praedecessor, per eum similiter accepto, quod eius litterae praedictae non solum a fratribus, et ab omnibus monialibus Discalceatis dicti Ordinis non observatae, sed nonnulla potius contra earum tenores attentata fuerant; et propterea dictus Paulus de iis, quae a monialibus ad suum favorem allegabantur, nec non de praetensis eorumdem fratrum iuribus informatus, sicut ab earum procuratore exposita, et coram dilectis filiis nostris S. R. E. cardinalibus, quibus negocium audiendum et sibi referundum commiserat, deducta fuerunt et sibi relata, easdem litteras modo et formâ infrascriptis observanda decreverat;

§ 4. Verum, superveniente illius obitu, litterae desuper expeditae non fuerint:

Et Pauli superveniente obitu litterae apostolicae minime expeditae fuerunt.

§ 5. Nos, qui subinde divinâ disponente clementiâ ad summi apostolatus apicem assumpti sumus, volentes easdem litteras, et in eis contenta quaecumque, tam a dictis fratribus, quam ab omnibus monialibus Discalceatis huiusmodi de cetero inviolabiliter observari, earumdemque monialium quieti et statui, quantum cum Domino possumus, consulere, de omnibus et singulis praemissis supra allegatis et praetensis similiter, ut praefertur, informati, nec non dictarum litterarum veriores et totos tenores, perinde ac si insererentur, praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, motu proprio et ex certâ ac merâ scientiâ et deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine litteras praedictas, ac omnia et singula in eis contenta, tenore praesentium, etiam approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Gregorius primus Pauli litteras ratas habet.

§ 6. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae fratribus, ac omnibus et singulis abbatissis, seu priorissis, et monialibus Discalceatis Ordinis praedicti, aliisque personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, ac quavis auctoritate et potestate fungentibus, ne per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, ex quacumque causâ, titulo aut quaesito colore vel ingenio, contra litterarum praedictarum continen-

Easque praecipit observari.

1 Erronee edit. Main legit *1714* (R. T.).
2 Hae litterae Pauli V desunt (R. T.).
3 Ne istae quidem in *Bullario* leguntur (R. T.).

tiam et tenorem venire, aut quicquam aliud moliri, intentare, aut innovare quoquo modo audeant vel praesumant: quinimo dictae abbatissae, seu priorissae, et moniales omnes et singulae eidem Petro moderno, et pro tempore existenti dictae Congregationis Oratorii praeposito generali, et aliis duobus praedictis, tamquam suis superioribus iuxta praesentium litterarum tenorem pareant et obtemperent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Clausulae.

§ 7. Decernentes nihilominus praedictas, et praesentes litteras, et omnia et singula in illis contenta, valida firma et efficacia esse et fore, ac ab omnibus et singulis praedictis inviolabiliter observari, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Paulus praedecessor in eisdem litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX martii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 martii 1621, pontif. an. I.

V.

Monasteria monialium reformatarum Ordinis sancti Benedicti in regno Franciae committuntur curae cardinalis de Rez, archiepiscopi Senonensis, et superioris monachorum reformatorum eiusdem Ordinis sancti Benedicti[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

Ad militantis Ecclesiae regimen, divinâ dispositione, meritis licet imparibus evecti, illud prae ceteris curandum proposuimus, ut religiosorum Ordines ad pristini cuiusque regularis eorum instituti normam, quantum cum Domino possumus, reduceremus; et propterea, qui suâ sponte religionis et arctioris vitae zelo ducti pristinae regulae, quam suae religionis auctores susceperunt, observantiam amplecti et de cetero sectari desiderant, eosdem non solum in eorum proposito confovere, sed etiam opportunis favoribus et gratiis prosequi solemus.

Nonnula monasteria Ordinis sancti Benedicti in Gallia reperiebantur commissa curae abbatis generalis Congregationis Fuliensis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus, quod non ita pridem unum monasterium monialium reformatarum nuncupatarum Ordinis sancti Benedicti sub illius primitivâ regula in Pictaviensi, et successive ad illius instar aliud in Andegavensi, ac aliud in Leonensi civitatibus, nec non reliquum in oppido *della Val* Cenomanensis dioecesis monasteria erecta, ac curae et gubernio dilectorum filiorum abbatis generalis et monachorum congregationis beatae Mariae Fuliensis etiam nuncupatae Cisterciensis Ordinis commissa fuerunt, nec non ad monasteria huiusmodi quondam Antonia de Orléans, dum vixit, priorissa monasterii monialium de Lencastro Ordinis Fontis Ebraldi sub regulâ sancti Benedicti Pictaviensis dioecesis, ac diversae aliae dicti monasterii moniales melioris vitae studio ductae, de licentiâ Sedis Apostolicae, se transtulerunt.

[illegible] postea huiusmodi curam ab eodem abbate Ludovicus rex aliis viris petit demandari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, cura et gubernium dictorum monasteriorum regularibus eorumdem monachorum institutis adversetur: et propterea his et aliis certis de causis abbas et monachi huiusmodi curae et gubernio

praedictorum et aliorum pro tempore erigendorum monasteriorum dictarum monialium vacare non possint, et trium primodictorum monasteriorum moniales curae, regimini, iurisdictioni et administrationi dilecti filii nostri Henrici sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis de Rez nuncupati, ac venerabilis fratris Ioannis archiepiscopi Senonensis, nen non superioris monachorum reformatorum Ordinis sancti Benedicti in regno Franciae se se submittere, ac multae aliae, simili studio accensae, illarum vestigia sequi desiderent; curam vero et gubernium huiusmodi Henricus cardinalis, et Ioannes archiepiscopus, nec non superior monachorum reformatorum dicti Ordinis in regno Franciae praedicti suscipere parati sint; nobis propterea dictus Ludovicus rex, ne tam salutare in Ecclesiâ Dei opus imperfectum remaneat, humiliter supplicari fecit, ut super praemissis modo et formâ infrascriptis, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Committit Pontifex cardinali de Rez, archiepiscopo Senonensi et superiori monachorum Reformatorum Ordinis sancti Benedicti.

§ 3. Nos igitur, qui pro nostri pastoralis officii debito sanctimonialium statui prospere dirigendo libenter intendimus, pium dicti Ludovici regis desiderium plurimum in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut praedicta et alia quaecumque monialium monasteria in regno Franciae pro tempore canonice erigenda Ordinis sancti Benedicti regulam et primitiva instituta cum pristino illo rigore suscipere et observare, et praedictorum superiorum curae et regimini se subiicere, de consensu tamen Ordinariorum, libere et licite valeant (cum hoc tamen, ut dictorum monasteriorum, postquam regulam et instituta huiusmodi susceperint, priorissae triennales esse debeant, in eodem tamen priorissae officio, ad aliud triennium dumtaxat, confirmari possint), auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus: ac ex nunc primodicta quatuor (praeviâ illorum a curâ, gubernio, et administratione abbatis et monachorum Congregationis huiusmodi, quatenus opus sit, opportunâ abdicatione) et quaecumque alia monialium primitivam Ordinis sancti Benedicti regulam amplecti volentium monasteria, cum eorum omnibus bonis, mobilibus et immobilibus, cuiuscumque generis, speciei, valoris, naturae, quantitatis et qualitatis existentibus, curae, regimini, administrationi et iurisdictioni Henrici cardinalis et Ioannis archiepiscopi praedictorum, quoad vixerint et eorum quilibet vixerit, ac pro tempore existentis in dicto regno superioris monachorum reformatorum dicti Ordinis sancti Benedicti subiicimus, supponimus et submittimus, illisque, vel illorum cuilibet in aliorum duorum absentiâ, dictarum monialium visitatorem, qui ad triennium duret, ac pro primâ vice dumtaxat superiorem ex dictis monachis reformatis eligendi et deputandi (ita tamen, ut, si Henrici cardinalis, aut Ioannis archiepiscopi praedictorum vitâ durante superior, ut praefertur, electus et nominatus non fuerit, omnis auctoritas et superioritas ad praedictorum monachorum reformatorum superiorem tunc existentem devoluta esse censeatur, et talis superior tunc omnimodâ seu ordinariâ auctoritate in dictas moniales polleat) ipsisque Henrico cardinali et Ioanni archiepiscopo necnon superiori coniunctim, vel duobus eorum in alterius absentiâ, omnes et singulas constitutiones et statuta praesertim a dictâ Antoniâ pro observatione primitivae regulae huiusmodi condita, sacris tamen canonibus et conciliis non contraria, ut praefertur, approbandi, et etiam alia similiter non contraria, ut praefertur, condendi: insuper, quod antiqua dicti Ordinis monasteria, in quibus vera ipsius sancti Benedicti regula observabitur, accedente consensu Ordinariorum locorum,

sub quorum iurisdictione existent, dictae Congregationis privilegiis gaudere: quodque in eiusdem Ordinis non reformati monasteriis (etiamsi illa Henrico cardinali, ac Ioanni archiepiscopo, ac superiori praedictis non subsint subiecta), pro spirituali eorumdem monasteriorum consolatione, aliquae reformatae huiusmodi moniales capaces et idonae, pro primitivae huiusmodi regulae sancti Benedicti introductione, recipi libere et licite possint et valeant, licentiam et facultatem, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et impertimur.

Iis monasteriis ceterorum monasteriorum privilegia concedit.

§ 4. Praeterea omnibus et singulis dictorum monasteriorum monialibus, et personis pro tempore existentibus, ac monasteriis, et locis regularibus, eorumque bonis et rebus, quod omnibus et singulis privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus, praerogativis et aliis gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alia dicti Ordinis sancti Benedicti monasteria et loca regularia, eorumque personae, de iure vel consuetudine aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, pari modo uti, potiri et gaudere possint et valeant, etiam perpetuo concedimus et indulgemus.

Monialibus indulgentias nonnullas elargitur.

§ 5. Postremo omnibus et singulis dictis monialibus, die quo habitum susceperint et professionem in eâdem Congregatione emiserint regulares, si vere poenitentes et confessae sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; iisque, in cuiuslibet earum mortis articulo, si vere poenitentes et confessae, ac sacrâ communione refectae, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contritae nomen Iesu ore, si potuerint, sin autem corde, devote invocaverint, etiam plenariam; ac tam ipsis monialibus, quam quibuscumque aliis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui monasteriorum dictae Congregationis ecclesias in secundo Paschatis Resurrectionis, ac Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, necnon Assumptionis beatae Mariae Virginis festis diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die festivitatum praedictarum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac in omnibus, ad quos nunc spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter, ac inconcusse observari et adimpleri debere: irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 martii 1651, pontif. an. I.

VI.

Privilegia, indulta, gratiae, facultates et exemptiones concessae cubiculariis, qui Sanctitati Suae inserviebant.

Gregorius Papa XV

Venerabili fratri Galeatio archiepiscopo Barensi, domus et palatii nostri praefecto, ac dilectis filiis Petro Pavonio Ariminensi cubiculi nostri praefecto, Clementi Leoni Bononiensi, pincernae; Francisco Volparae Bononiensi, dapifero; Marco Antonio Gozzadino Bononiensi; Mario Bovio

Bononiensi, eleemosynario secreto; Attilio Ariosto Bononiensi fratri hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, forerio maiori; Carolo Lilio Romano, Iosepho Simoni Lucanensi, Bernardino Castellano Albensi, medico; Francisco Cecchino Romano, Paulo Ataleoni Romano, Ioanni Antonio Pavonio Ariminensi, Ernesto Adalberto ab Harrach Viennensi, Raphaeli Pinchiaro Bononiensi, caudatario; Stephano Pinchiaro Bononiensi, Hippolyto Boncompagno Romano, Michaëli Angelo Castello Bononiensi, cappellanis segretis: Livio Sonantio Reatino; Thomae Scribanario Bononiensi, Iacobo Domenichino Bononiensi, coniugato, Augustino Mirono Tyburtinae dioecesis, etiam coniugato, necnon Gaspari Palonio Romano, secretario nostro domestico, ac respective cubiculariis et familiaribus continuis commensalibus nostris clericis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Circumscripta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos et fideles suos, illos praesertim, qui grata familiaritatis obsequia iugiter ei impendunt, ac quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris et famae amplioribus praeconiis ac praeclaris dignitatum titulis decorare et ornare, necnon specialis benevolentiae favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire.

Pontifex cubiculariis concedit privilegia subsequentia, scilicet eos creat notarios Sedis Apostolicae sine praeiudicio participantium:

§ 1. Hinc est, quod nos ad grata familiaritatis obsequia, quae vos, qui etiam continui commensales nostri existitis, et quilibet vestrum nobis hactenus impendistis, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, necnon vitae ac morum honestatem[1], aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personas vestras etiam familiari experientiâ iuvari percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras peculiaris favoris gratiâ, ac specialis honoris et excellentiae dignitatis titulo sublimare volentes, vos et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ liberalitate et certâ scientiâ nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, vos et quemlibet vestrum respective in nostros et Sedis Apostolicae notarios (sine tamen praeiudicio dilectorum filiorum nostrorum notariorum de numero participantium) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, recipimus;

Et comites, equites, nobiles et cives declarat:

§ 2. Ac sacri palatii et aulae Lateranensis comites, necnon auratae militiae equites, ac nobiles Romanos, et urbis Romae, omniumque et singularum aliarum civitatum, terrarum, et locorum Romanae Ecclesiae mediate[1] subiectorum cives, cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, praerogativis et insignibus debitis et consuetis, creamus ac constituimus; ac in numerum et consortium aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum, necnon palatii et aulae huiusmodi comitum, equitum et nobilium Romanorum, aliorumque civium civitatum, et terrarum praedictarum, referimus et conscribimus;

Eorumque privilegiis praeter hic descripta etiamsi habitum non deferant, utantur.

§ 3. Vobisque (etiamsi habitum et rocchettum notariorum dictae Sedis iuxta decreta Lateranensis concilii novissime celebrati non deferatis, aut civitates huiusmodi non incolueritis, nec umquam in eisdem civitatibus domicilium habueritis) ut omnibus et quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus ceteri omnes notarii nostri,

1 Edit. Main. legit *honestas*, sed ex syntaxi *honestatem* esse legendum quisque perspicit (R. T.).

1 Legendum foret *mediate vel immediate* (R. T.).

etiam de numero participantium, ac comites, equites et nobiles (citra tamen exemptionem a Concilio Tridentino sublatam, ac facultates legitimandi, ad gradus promovendi, notarios, seu tabelliones creandi, aliaque huiusmodi privilegia a notariis et comitibus praefatis praetensa, ita ut illis uti nullibi valeatis, ac irritum et inane existat quicquid secus per vos, aut quemlibet vestrum, respective attentari contigerit)

Etiam in assequutione beneficiorum ecclesiasticorum.

§ 4. Necnon cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum ac secularium, etiam ex personis Romanorum civium originariorum vacantium, assequutione et exercitio, tam in Urbe quam in civitatibus praedictis, et aliàs ubique locorum et gentium, necnon sessionum et conventuum, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae et indulta huiusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri et gaudere, ac in omnibus et singulis apostolicis aliisque litteris, instrumentis et scripturis publicis et privatis deinceps nomine vestro conficiendis, vos notarios, comites, equites, et nobiles ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanae et aliarum civitatum et terrarum praedictarum cives, prout libuerit, inscribere, et vos illis subscribere valeatis, ac pro veris, et non fictis notariis, comitibus, equitibus, et nobilibus, ac civibus habeamini, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis expressionibus subreptitium, aut obreptitium, vel invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur, necnon honoris causâ insignia gentis nostrae, sive integre, sive cum vestris respective composita, gestare possitis, prout vobis placuerit, concedimus.

Exemptio a decimis et aliis impositionibus.

§ 5. Et insuper vos, vestraque beneficia et officia ecclesiastica quaecumque, quotcumque et qualiacumque, illorum fructus, res et iura, ubicumque locorum, regnorum et provinciarum, nec non in Urbe, civitatibus, terris et locis eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis consistentia, praedia, domos, possessiones et bona patrimonialia, aliaque temporalia, mobilia et immobilia ac semoventia, nec non actiones et iura praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et naturae, et cuiusvis etiam annui valoris, fructus, redditus et proventus huiusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quaecumque a vobis vendenda, ac pro vestris et familiarum vestrarum usibus emenda, ab omnibus et quibuscumque decimis, quartis et dimidiis partibus, subsidiis etiam caritativis, nec non vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, et quocumque alio modo nuncupatis, angariis, perangariis, ceterisque oneribus et contributionibus, tam urbanis quam rusticis, ordinariis et extraordinariis, realibus, personalibus et mixtis, etiam ratione munitionum, moenium et pontium, portarum, moliturarum et mercium cuiuscumque generis transitus seu passus et vecturae, etiam in aliud territorum seu provinciam, terrâ, mari et flumine, nec non equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis seminarii ecclesiastici, aut quacumque aliâ quantumvis gravi, etiam gravissimâ causâ (pro subventione contra infideles dumtaxat exceptâ) nunc et pro tempore impositis; ita quod vos et quemlibet vestrum nihil omnino horum aut aliorum similium subire teneamini, nec per camerae apostolicae aut alios commissarios, seu vectigalium et tributorum huiusmodi redemptores, conductores et exactores, quocumque privilegio, exemptione et facultate suffultos, aliàs quam ut praefertur, valeatis coarctari (quamdiu

servitiis nostris insteteritis dumtaxat) eximimus et liberamus:

Dispensatio ad duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis.

§ 6. Ad haec vobiscum, et cum quolibet vestrum respective, ut quaecumque duo dissimilia vel simplicia similia, sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium, etiam metropolitanarum, aut aliarum ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum curâ, aut dignitas etiam maior, et principalis canonicatus et praebenda, personatus, administratio, vel officium fuerit et ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium huiusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, si alicui vestrum aliàs canonice conferantur, aut quisque vestrum eligatur, praesentetur, aut aliàs assumatur ad illa, et instituatur in eis, recipere, et dummodo illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixeritis retinere,

Nec non a residentiâ durante servitio Pontificis cum perceptione omnium fructuum, distributionibus quotidianis exceptis.

§ 7. Nec non etiam, quamdiu nobis inservieritis tantum, in beneficiis ecclesiasticis, etiam curatis, non tamen parochialibus, nec curatis curâ animarum parochianorum, per vos pro tempore respective obtentis, etiam de iure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in cathedralibus etiam metropolitanis maiores, ac collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneamini, nec ad id per locorum Ordinarios, aut ecclesiarum earumdem capitula, seu quosvis alios, ad residendum interim in illis inviti compelli possitis, omnesque et singulos vestrorum beneficiorum obtentorum fructus, redditus et proventus, durante servitio praedicto, cum eâ integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperetis, si in eisdem ecclesiis, sive locis, personaliter resideretis, percipere, exigere et levare;

Facultas recipiendi ordines etiam sacros a quocumque catholico antistite, etiam extra tempora et sine licentia Ordinarii.

§ 8. Ac interim, vel postmodum si volueritis, hic in Romanâ curiâ, vel extra eam, a quocumque malueritis catholico antistite gratiam et communionem eiusdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines aliquibus tribus dominicis, vel aliis festivis diebus, etiam extra tempora a iure statuta, proprii Ordinarii, aut cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, si aliàs idonei ad id reperti fueritis, super quo antistitis conscientiam oneramus, promoveri, et in illis promoti etiam in altaris ministerio ministrare,

Indultum audiendi leges et eas docendi, necnon iudicis, advocati et procuratoris officium in causis ecclesiasticis et civilibus tantum exercendi.

§ 9. Nec non, etiamsi presbyteri fueritis, ac dignitates et officia obtinueritis, leges et iura civilia etiam publice, in scholis et universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigesimum aetatis annum non excesseritis, audire, et, si habiles et sufficientes reperti fueritis, etiam ad doctoratus gradum in huiusmodi facultate vos promoveri facere, ipsaque iura etiam publice docere, atque iudicis, advocati et procuratoris officium in causis ecclesiasticis civilibus tantum exercere libere et licite possitis et valeatis, auctoritate et tenore praedictis, de specialis dono gratiae dispensamus.

Licentia eligendi sibi confessarium cum facultatate eos ab omnibus hic expressis absolvendi.

§ 10. Liceat quoque vobis et cuilibet vestrum aliquem idoneum et ab Ordinario approbatum presbyterum secularem vel cuiusvis Ordinis regularem in vestrum eligere confessorem, qui vitâ eius comite vos et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, et per vos incursis, et quibus vos etiam apostolicâ auctoritate illaqueari contigerit, etiamsi absolutio nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter vel generaliter reservata

existat, et quorumcumque votorum, et Ecclesiae praeceptorum transgressionibus, homicidii casualis, manuum violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas (non tamen episcopos vel alios superiores praelatos) de praeterito iniectionibus, seu consilii vel favoris ad id praestationibus, ieiuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum canonicarum, aliorumque divinorum officiorum) et denique ab omnibus et quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus et excessibus, ac delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus, propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, videlicet a contentis in litteris die Coenae Domini publicari consuetis, semel tantum in vità et mortis articulo; in reliquis vero dictae Sedi quomodocumque reservatis, aliisque quibusvis casibus, semel in anno, confessionibus vestris diligenter auditis (sine tamen alicuius praeiudicio) praedictà auctoritate apostolicà absolvere et vobis pro commissis poenitentiam iniungere salutarem,

Ac vota commutandi.

§ 11. Nec non vota quaecumque (visitationis liminum ultramarinorum, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, castitatisque, ac religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare,

Indultum transferendi pensiones etiam in mortis articulo usque ad summam trecentorum ducatorum auri de camera.

§ 12. Vobisque ulterius et cuicumque vestrum respective, ut, ultra quascumque alias similes facultates à nobis vel Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris vobis concessas, quicumque loci Ordinarii, vel canonici metropolitanarum, seu aliarum ecclesiarum, autpersonae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in dictâ curiâ quam extra eam, ad id per vos respective coram notariis[1] et testibus fide dignis eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas vobis super mensarum abbatialium seu capitularium ac episcopalium et archiepiscopalium, ac quorumcumque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum et militiarum regularium, etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, quomodocumque et qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus, etiam quotidianis, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta, vobis nunc et pro tempore assignata et reservata ac reservanda, pro summâ videlicet trecentorum ducatorum auri de camerâ, quoad singulos vestrum, quandocumque alicui vestrum respective placuerit, simul vel successive, in toto vel in parte, etiam in cuiuslibet vestrum mortis articulo, cassare et extinguere, ac postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta huiusmodi, usque ad summam et quantitatem praefatam, uni vel pluribus aliis personis, etiam per vos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, seu clericali charactere insigniri volentibus, etiam eis, quoad vixerint, vel eorum procuratoribus ad id ab eis speciale mandatum habentibus, iisdem modo et formâ, quibus vobis assignatae, aut reservari seu assignari concessae seu concessi fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas vel illa aliàs cassari et reservari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac pensiones et fructus, redditus, proventus, iura, obventiones ac distributiones et emolumenta huiusmodi eisdem pluries cassatae, et de novo assignatae fuerint, usque ad summam et quantitatem praedictam, etiam litteris apostolicis super reservationibus et assigna-

1 Edit. Main. legit *notarios* (R. T.).

tionibus huiusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus et cautelis, ac etiam censuris et poenis, in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et contentis, integre persolvendas reservare, constituere et assignare valeant, auctoritate et tenore praedictis, de speciali gratiâ indulgemus.

Facultas testandi ad favorem etiam consanguineorum, vel aliorum, etiam per privatam scripturam, usque ad summam sex millium ducatorum auri de camera.

§ 13. Nec non etiam vobis, ut de omnibus et singulis domibus, praediis, possessionibus, terris et locis, ac iurisdictionibus, ceterisque bonis mobilibus et immobilibus (quae tamen non sint altaris, vel altarium ecclesiarum vobis commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui, seu usui deputata) seque moventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus, ac iuribus et actionibus ad vos ratione ecclesiarum, etiam cathedralium, etiam metropolitanarum, quibus vos praeesse forsan contigerit, nec non monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, dignitatum, et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum regularium, quae etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinueritis, obtinetis et obtinebitis, ac fructuum, redditum et proventuum ecclesiarum loco pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus et proventibus vobis reservatorum et assignatarum, ac reservandorum et assignandarum, quos et quas perceperitis, percipitis et percipietis in futurum, nec non emolumentorum quorumcumque Romanae curiae officiorum, et aliàs quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, redditibus et pensionibus annuis, nec non vestrâ et cuiuslibet vestrum industriâ et labore quomodolibet et undecumque, licite tamen, acquisitis et acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus et officiis, quae exercueritis, et vos exercere contigerit, et aliâ quavis occasione vel causâ seu contemplatione ad vos perventuris, etiamsi in pecuniâ numeratâ et iocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dictâ curiâ quam extra eam, ubique locorum et penes beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates et veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quae in generali appellatione bonorum et suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus, ac si specifice et singillatim exprimerentur et denominarentur, pro sufficienter expressis et declaratis haberi volumus) usque ad summam sex millium ducatorum auri de camerâ, ac etiam de ipsis fructibus, redditibus, proventibus et pensionibus debitis et debendis, ac nondum perceptis et exactis, etiamsi illorum solutionis aut perceptionis terminus nondum advenerit, pro illâ ratâ quae vobis debita erit (constitutione et declaratione super fructibus et pecuniis non exactis, quae forsan ad successores in ipsis beneficiis spectare et pertinere debeant, non obstantibus) etiam cumulative cum quibusvis aliis similibus vel dissimilibus facultatibus habitis et habendis, usque ad summam quadringentorum ducatorum similium dumtaxat, tam pro decentibus et honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum qui vobis viventibus servierint, etiam ultra servitii meritum, ac in vestrorum consanguineorum et affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem et usum, aliàs pro arbitrio et voluntate vestris et cuiuslibet vestrum absolutis, testari et testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tam inter vivos quam causâ

mortis et aliis quibuscumque modis et titulis, scripturâ etiam minus solemni, coram duobus vel tribus testibus, aut etiam cedulâ solâ manu vestrâ scriptâ, vel subscriptâ, et aliàs in omnibus et per omnia, prout et quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsâ curiâ, et in mortis articulo, etiam nullâ factâ mentione praesentis, vel aliarum vobis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velitis et intendatis, semel atque iterum aut pluries disponere, statuere et ordinare; ita ut quicquid testatum, gestum, aut ordinatum, seu aliàs dispositum a vobis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs, omni meliori modo valeat et servari debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata et statuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, et alia de novo edere libere et licite valeatis, auctoritate apostolicâ et tenore praemissis, plenam et liberam concedimus facultatem.

Supplementum omnium defectuum super his sequutorum vel sequendorum.

§ 14. Et insuper statuimus, ordinamus, vobisque indulgemus, quod si contigerit vos ab intestato, et sine ullâ, vel minus validâ bonorum et rerum, ac fructuum, reddituum et proventuum praefatorum dispositione, in dictâ curiâ vel extra eam, ac etiam extra vestra beneficia vel alia loca debitae a vobis residentiae personalis, etiam nullâ subsistente causâ, ab humanis decedere, omnia et singula bona, res et iura, etiam ut praefertur qualificata, nec non spolia cuiuscumque quantitatis et valoris existentia, etiam ex praefatis et aliàs undecumque provenientia, ad cameram apostolicam, seu in dictis beneficiis successores, non pertineant, sed ad haeredes vestri sanguinis integre deveniant, et, illis deficientibus, inter familiares vestros, arbitrio personae, seu personarum, quas ad id scripto nominaveritis, distribuantur, nisi de aliâ dispositione vel intentione vestrâ scripturâ etiam minus solemni secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsae personae, vel alii iudices, seu exequutores, omnino exequi et adimplere, illique sese conformare in omnibus et per omnia debeant; et nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones et alia forsan aliàs a vobis, etiam nullâ aut minus sufficienti facultate suffultis, de huiusmodi bonis, iuribus, ac actionibus, fructibus, pecuniis, iocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum et affinium praedictorum, et aliàs quomodolibet facta, cum omnibus inde sequutis, ac etiam ea, quae per vos in futurum quomodolibet fient, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, approbamus et confirmamus, omnesque et singulos iuris et facti, ac solemnitatum omissarum et omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint, aut intervenerunt in eisdem, etiamsi tales sint, vel fuerint, quod specialis et specifica de illis mentio praesentibus habenda esset, supplemus.

Inhibitio contra molestantes.

§ 15. Districtius inhibentes quibusvis archiepiscopis, episcopis, aut aliis ecclesiarum praelatis, necnon camerae praefatae praesidentibus et clericis, ac eorum necnon fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe et cruciatae sanctae, et aliis collectoribus et subcollectoribus, ceterisque cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate et potestate fungentibus, sub excommunicationis maioris, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ne universitates, collegia, ac loca et legatarios, haeredes, personas, necnon testamentorum, voluntatum et ordinationum huiusmodi exequutores praefatos, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare audeant quoquo modo, vel perturbare:

Clausulae praeservativae.

§ 16. Ac decernentes praedicta omnia et singula, praesentesque litteras, et testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones et alia quaecumque, necnon quae in praemissis facta sunt, aut fieri contigerit, tam vigore praesentis, quam etiam aliarum concessionum vobis factarum, ac deinceps in genere et in specie faciendarum, cum inde sequutis et sequuturis (etiam si vos intra[1] curiam aut quâcumque aliâ mundi parte extra ecclesias et beneficia, personalem residentiam requirentia, qualitercumque qualificata, per vos nunc et pro tempore obtenta, etiam pro vestrâ solâ voluntate et nullâ subsistente causâ residentes ab humanis decedere contigerit) sub litteris felicis recordationis Pii Papae IV[2] praedecessoris nostri contra quoscumque episcopos, archiepiscopos et alios praelatos, necnon parochialium ecclesiarum rectores, ceterosque residentiae personali praedictae adstrictos, extra illam quomodocumque decedentes, septimo kalendas decembris, pontificatus sui anno V, aut alio veriori tempore, emanatis[3], et sub quibuscumque aliis constitutionibus, aut revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus apostolicis, cancellariae apostolicae regulis, ex quibusvis causis, quantumcumque maximis, urgentibus et inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei et divini cultus augmentum, ac consistorialiber, etiam a nobis et Sede praefatâ hactenus vel nunc et pro tempore factis et editis, minime comprehendi, sed semper ab illis excepta, et quoties emanatae fuerint, toties in pristinum et validissimum statum (et etiam sub datâ posteriori, etiam cum derogationibus, et regulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis per vos eligendâ apponendis et latissime specificandis) reposita, restituta et plenarie reintegrata, ac de novo concessa, validaque et efficacia fore, necnon perpetuâ firmitate subsistere, suosque plenarios et omnes effectus, qui de iure, stylo, consuetudine, aut aliàs quomodocumque sortiri poterunt, aut vim veri, legitimi, iurati, stipulati, validi et efficacis contractus inter vos ex unâ, ac nos et cameram praedictos ex alterâ partibus habere, nec etiam per promotionem ad ecclesiam cathedralem etiam metropolitanam, aut translationem, vel aliam status et personae vestrae mutationem, nec per similes vel dissimiles gratias vobis concessas et concedendas confundi, sed ipsis cumulative in omnibus et per omnia uti, et si quid in unâ ex facultatibus huiusmodi defecerit, per aliam suppleri debere; nec haeredes, legatarios, ac loca, ad quos seu quae bona, iura et actiones devenient, vel quibus relinquentur, aut exequutores praedictos ad tertiam, seu aliam eorum partem (quam etiam ex nunc vobis, ac locis, haeredibus legatariis, ac donatariis praefatis liberaliter concedimus et donamus) camerae, vel fabricae, aut beneficiis praefatis, etiam pro expeditione contra infedeles et quibusvis aliis quantumlibet piis usibus solvendum, ac cum iis desuper componendum, vel vos ad aliam particularem licentiam, sive indultum, aut informationem praesentium a nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in aliâ simili gratiâ, sive eius confirmatione, vobis quomodocumque concedendâ, de praesenti mentionem aliquam faciendam minime teneri, nec ad id ullâ unquam necessitate cogi posse;

1 Nisi legendum sit *extra* (R. T.).

2 Erronee edit. Main. legit *Pii Papae III*, qui paucos tantum dies regnavit (R. T.).

3 Litterae huiusmodi Pii Papae IV leguntur in *Bullario*, tom. VII, pag. 332 (R. T.).

1 Inutiliter edit. Main. hic repetit voce *vobis* (R. T.).

Clausula sublata.

§ 17. Et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam palatii apostolici causarum auditores, et eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, necnon pro tempore existentes eiusdem camerae camerarium, praesidentes et clericos in quavis causâ et instantiâ (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum huius constitutionis deputatio.

§ 18. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Bononiensi et episcopo Ariminensi et dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus motu simili, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestrâ desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac vos illis omnibus pacifice frui et gaudere, non permittentes vos per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, contra praesentium earumdem tenorem quomodolibet indebite molestari, inquietari, vel perturbari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, ac, alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 19. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et in concilio generali de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, necnon Lateranensis concilii etiam novissime celebrati, et de certo notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogatum non intendimus, ac de consensu praestando in pensionibus, et quibuscumque aliis etiam per nos et Sedem praedictam editis vel imposterum edendis cancellariae apostolicae regulis, ac stylo in similibus hactenus observato, ac recolendae memoriae Alexandri VI tertiam partem bonorum ecclesiasticorum camerae praefatae deberi inter alia disponente, necnon eiusdem Bonifacii VIII per quam concessiones[1] fructus in absentiâ percipiendi sine praefinitione temporis fieri prohibentur, necnon piae etiam memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae concernentibus in dictâ camerâ infra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis (ita quod praesentes in eâdem camerâ nullo unquam tempore registrare teneamini), ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et quibusvis aliis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, nec non legibus, etiam imperialibus et aliis municipalibus, tam Urbis, quam aliarum civitatum et locorum, in quibus cives originarii creati existitis, et quorumvis ecclesiarum, monasteriorum, ordinum et hospitalium praedictorum, necnon quorumvis collegiorum et officiorum dictae curiae et regnorum, provinciarum et Urbis ac aliarum civitatum et locorum ac camerae praefatorum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis

1 Heic delemus coniunctionem *et* praeter rem interpositam (R. T.).

firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis (etiamsi de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, nec etiam ab alio vel aliis impetratis aut aliàs quomodolibet concessis utendo, vos, per vos, vel procuratores vestros, praestiteritis forsan hactenus, vel vos imposterum praestare contigerit iuramentum) privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis ecclesiis, monasteriis, ordinibus et hospitalibus, illorumque praesulibus, seu oratoribus et superioribus, ac magistris, praeceptoribus, prioribus, militibus, etiam antianis, capitulis, conventibus, civitatibus et locis, aliisque praedictis, illorum communitatibus et universitatibus, aliisque personis et particularibus, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum et onerum exactoribus et appaltatoribus, et aliorum onerum redemptoribus, necnon archiepscopis, episcopis et aliorum Ordinariis, etiam eisdem cardinalibus, ac dictae curiae officialibus, illorumque collegiis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos et Sedem praedictam, etiam consistorialiter, ac de eorumdem cardinalium consilio, etiam per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientiâ similibus, deque apostolicae potestatis plenitudine, vel ad imperatorum, regum, reginarum, ducum, marchionum et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, etiamsi in eis, ac statutis et stabilimentis praefatis, caveatur expresse, vel tacite, quod beneficia Urbis nonnisi originariis civibus romanis ac civium eorumdem filiis conferantur, quodque nonnullarum ecclesiarum beneficia, nisi per personas illustres, seu nobiles, ac etiam originarios cives, aut aliàs certo modo in illis expresse qualificatos, obtineri non possint, et nulli in cives Urbis, ac civitatum, oppidorum, terrarum et locorum huiusmodi, admitti, seu illarum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis, terris et locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possederint, ipsique exactores et appaltatores decimas, pedagia et onera huiusmodi etiam ab exemptis exigere et illos ad solutionem seu contributionem cogere et compellere possint seu debeant; quodque praeceptoriae et alia beneficia quaecumque dicti hospitalis, tam ex eius institutione, quam ex stabilimentorum praedictorum dispositione, pensionibus clericis secularibus et aliis personis etiam apostolicâ auctoritate reservandis gravari non possint; quodque stabilimentis et privilegiis praefatis, etiam vigore implicitae derogationis latissime extendendae, etiamsi per quascumque litteras apostolicas et quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas clausulas, derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio huiusmodi de consilio cardinalium eorumdem fiat, et tum demum ad id magistri et conventus praedictorum accedat assensus, sintque litterae derogationis huiusmodi etiam per dictum magistrum subscriptae, ac illi et praedictis conventui, per diversas in formâ Brevis aut alias litteras diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas, intimatae, et non aliàs, nec alio modo, et semper in omnibus, quae sic fient, etiam de simili consilio derogationes, seu apposita clausula, quod illorum effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praedictorum, non aliàs et alio modo. Quibus omnibus (illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum

inserentur, praesentibus pro expressis habentes), illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, in genere et in specie, ad effectum praesentium, sufficienter et expresse derogamus et derogatum esse decernimus; quodque vos primam non feceritis in ecclesiis huiusmodi personalem residentiam consuetam, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 20. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XXII marti MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 martii 1621, pontif. an. I.

VII.

Decernitur in Ordine sancti Antonii de sancto Antonio Viennensi non admitti posse novitios, nisi iuramentum praestiterint de servandâ reformatione, quam abbas generalis induxerit[1].

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio ad ea sedulo intendimus, per quae regulares, sub suavi iugo Deo famulantes, in regularium et salutarium institutorum observatione non modo conserventur, sed ad illa observanda modis congruis inducantur.

Decretum, de quo in rubricâ.

§. 1. Cum itaque, sicut dilectus filius modernus abbas generalis Ordinis sancti Antonii de sancto Antonio Viennensi nobis nuper exponi fecit, ipse reformationem in suo Ordine, benedicente Domino, introducere intendat; nos, laudabile ipsius moderni abbatis propositum plurimum in Domino commendantes, ac quo reformationis introductio huiusmodi, sublatis quibuslibet obstaculis, felicem sortiatur effectum providere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, eidem moderno et pro tempore existenti dicti Ordinis abbati generali in virtutae sanctae obedientiae, et sub excommunicationis poenâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, ne de cetero aliquos in religione huiusmodi novitios recipiat, seu iam receptos ad professionem admittat, nisi prius sic recipiendi seu admittendi in manibus praedicti abbatis se reformationem regulae eiusdem Ordinis, quam, ut praefertur, idem abbas generalis introducere intendit, amplexuros, et sub eâ victuros, iuraverint, ita tamen, ut iam professi, nullo modo ad iuramentum huiusmodi cogantur, quodque de cetero in recipiendis novitiis supradicti Ordinis constitutio felicis recordationis Sixti V et decreta Clementis VIII ac Pauli V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum desuper edita omnino serventur.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die II aprilis MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 aprilis 1621, pontif. an. I.

VIII.

Universo Ordini Eremitarum sancti Augustini, etiam utriusque sexus, indul-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tum conceditur celebrandi festum sancti Thomae de Villanova cum officio et missa [1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Paulus V edidit Constitutionem citatam in rubricâ.

Aliàs a felici recordatione Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *In supremo,* etc.

§ 1. Cum autem, sicut pro parte clarae memoriae dicti Philippi regis tunc in humanis agentis ac prioris generalis, necnon superiorum et fratrum, ac deputatorum, electorum et syndicorum praedictorum nobis nuper expositum fuit, ipsi, pro eo quem erga dictum beatum Thomam gerunt respective devotionis affectu, plurimum cupiant concessiones et indulta praedicta ad omnes utriusque sexus religiosos eiusdem Ordinis ubique terrarum existentes per nos, ut infra, extendi:

Hic Pontifex eam ampliavit.

§ 2. Nos, piis eorum votis in praemissis annuere, illosque amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, quod ab omnibus utriusque sexus religiosis eiusdem Ordinis, ubique terrarum existentibus, officium et missa de eodem beato Thoma a Villanova, servatâ aliàs in omnibus et per omnia litterarum praedictarum formâ et tenore, recitari et celebrari respective libere similiter et licite possit et valeat, eâdem auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, etiam concedimus et indulgemus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Paulus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 4. Volumus similiter, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV maii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 maii 1621, pontif. an. I.

1 Hunc Thomam Bb. Albo adscripsit Paulus V in Constit. CCCXXI, *In supremo*, ut supra p. 453.

IX.

De facultatibus S. R. E. cardinalis camerarii [1].

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanum decet Pontificem in his partes pastoralis officii sui interponere, per quae ecclesiasticae personae, praesertim sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, quos sancta Sedes apostolica sacrae purpurae decore alios antecellere voluit, quotiescumque ad aliquod officium exercendum deliguntur, speciali gratiarum, atque indultorum praerogativâ, ut eo facilius et felicius perfungi possint, benignâ liberalitate prae aliis decorentur.

Cardinalis Ludovisius sanctae Romanae Ecclesiae camerarius deputatur.

§ 1. Cum itaque nos, nuper nostri et eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerariatus officium, tunc per obitum bonae memoriae Petri episcopi Sabinensis car-

1 De camerario vide Const. LIII et LIV Pauli Papae III in tom. VI, pag. 371, seq. item Iulii III, Const. III ibid., pag. 406, et Const. XXIV Pii Papae IV in tom. VII, pag. 82 (R. T.).

dinalis Aldobrandini nuncupati vacans, dilecto filio nostro Ludovico tituli sanctae Mariae Transpontinae presbytero cardinali Ludovisio nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, per eum, quoad viveret, tenendum, regendum et administrandum concesserimus et assignaverimus, illique totum et integrum eiusdem officii pretium gratiose remiserimus et condonaverimus, ac illum in locum dicti Petri episcopi cardinalis, quoad dictum officium, illiusque exercitium in omnibus et per omnia substituerimus et subrogaverimus, prout in nostris desuper expeditis litteris plenius continetur;

Causam inter camerarium et camerae apostolicae clericos vertentem Gregorius nonnullis cognoscendam committit,

§ 2. Et licet aliàs felicis recordationis Urbanus VI, Bonifacius IX, Gregorius XII, Martinus V, et nonnulli alii Romani Pontifices praedecessores nostri, occurrentibus eiusdem officii camerariatus vacationibus, seu aliàs, ipsis camerariis inter alia specialiter et expresse facultatem et auctoritatem cognoscendi omnes et quascumque causas camerales super rebus et iuribus ad nostram cameram apostolicam pertinentibus, ac aliis negotiis ipsam quoquomodo tangentibus, concesserint; ipsosque camerarios, qui pro tempore fuerunt, praedictam facultatem semper, et usque in praesentem diem habuisse et exercuisse, illâque usos fuisse dignoscatur; nihilominus, ut ex quadam plurium fide dignorum insinuatione accepimus, quandoque inter camerarium ipsum, ac clericos, et praesidentes praedictae camerae, nec non forsan alias personas, super dictarum causarum cameralium cognitione nonnullae subortae fuerint controversiae, et forsan aliae in futurum suboriri dubitentur (quas quidem controversias nos e medio omnino tollere desiderantes, negotium huiusmodi dilectis filiis nostris Bartholomaeo sancti Laurentii in Lucina, Caesio et Mapheo sancti Honuphrii Barberino, ac Aloysio sancti Blasii de Annulo titulorum Capponio nuncupatis, presbyteris cardinalibus, per eos videndum, considerandum et examinandum, et quid de eo sentirent nobis referendum vivae vocis oraculo commisimus,

Qui ut infra declarandum censuerunt.

§ 3. Qui quidem cardinales, visis videndis, ac consideratis considerandis, vocatisque etiam et pluries auditis clericis et praesidentibus praedictis in voce et in scriptis, nec non etiam habitâ plenâ informatione ab eiusdem camerae notariis, tam modernis quam antiquis, ac etiam visis eorumdem notariorum attestationibus et scripturis, veras pendentias et cognitiones causarum huiusmodi concernentibus, nobis retulerunt se reperiisse et iudicavisse, ac iudicare, nedum congruum et consonum, sed imo expediens et opportunum fuisse et esse, quod praedictus Ludovicus cardinalis modernus et pro tempore existens dictae Romanae Ecclesiae camerarius, infrascriptis iurisdictionibus et facultatibus gaudere debeat; ac ita per nos declarandum et statuendum esse censuerunt):

§ 4. Quamobrem nos, omnem controvertendi viam praecludere, ac dicti Ludovici cardinalis, et eius in dicto camerariatus officio successorum quieti et tranquillitati consulere volentes, ac supradictas Urbani, Bonifacii, Gregorii et Martini et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum desuper editas constitutiones, quarum omnium etiam veriores et totos tenores ac data praesentibus haberi volumus pro expressis, harum serie confirmantes et approbantes, ac illas innovantes, motu proprio, non ad eiusdem Ludovici cardinalis, seu alterius pro eo nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex nostrâ merâ deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine decernimus et declaramus, omnes et singulas causas camerales huiusmodi et ab eis quomodolibet dependentes cumulative cognoscendi facultatem praedicto Ludovico car-

Facultas cumulativa inter ca-

merarium, thesaurarium, ac clericos et praesidentes camerae quoad cognitionem causarum cameralium et ab eis dependentium;

dinali moderno et pro tempore existenti camerario competere debere, nec illum ullo unquam tempore desuper a quoquam, cuiuscumque qualitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, auctoritatis, praerogativae, et praeeminentiae fuerit, seu etiam ab ipsius camerae clericis praesidentibus, vel aliis personis cameralibus, molestari, perturbari aut inquietari posse.

§ 5. Et insuper, eumdem Ludovicum cardinalem amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, ei, et pro tempore existenti camerario huiusmodi, ut, ultra iurisdictiones et facultates in concessione officii camerariatus huiusmodi sibi concessas, etiam omnibus infrascriptis facultatibus, indultis et gratiis uti, frui et gaudere libere et licite possit, auctoritate apostolicâ praedictâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; videlicet: quod dictus Ludovicus cardinalis modernus et pro tempore existens camerarius, officii camerariatus huiusmodi ratione, camerae praedictae et ubique praesidere, ac omnium et quarumcumque congregationum pro rebus cameralibus pro tempore faciendis, et praesertim annonae et triremium, caput esse debeat;

Praesidendi tamquam caput omnibus congregationibus cameralibus, ac praesertim annonae et triremium;

§ 6. Nec non proventus, pecunias, res, et cetera omnia eiusdem camerae procurare; rationes acceptorum et impensarum habere, atque computa rationum praedictarum a quibusvis personis illas exhibere debentibus, praevio iuramento, iuxta morem cameralem recipere, illaque solidari mandare; credita exigere, debita solvere, arcibus, praesidiis et munitionibus omnibus praeesse, exactores, castellanos, et alios officiales, et ministros quoscumque infra nominatos et specificatos, tam in Urbe quam in omnibus provinciis, terris et locis, tam Sede Apostolicâ plenâ, quam vacante, constituere, toties quoties opus fuerit, ac aliàs ei videbitur et placuerit, ac etiam per nos et praedecessores nostros, aut alios de mandato nostro, sive praedictorum praedecessorum nostrorum, quomodolibet et ubilibet, ut supra, constitutos, revocare, et alios subrogare, seu de novo constituere, toties quoties opus fuerit, ut supra;

Recipiendi iuramenta computorum, illaque solidari mandandi;

Praesidendi arcibus et constituendi castellanos et alios ministros illosque etc., revocandi et alios subrogandi;

§ 7. Militiam pro usu Status et Reipublicae eiusdem Romanae Ecclesiae, ac Sedis Apostolicae, ubicumque opus fuerit, instituere, milites conscribere, ac officiales quoscumque desuper necessarios et opportunos pro interesse camerae praedictae deputare, ac eius arbitrio revocare, stipendia assignare, statuta condere, et condita, salvis tamen infrascriptis reformationibus, mutare, vices suas in toto vel in parte delegare, et pro libito revocare, ac prorsus omnia et quaecumque alia facere, ordinare et exequi; eamdemque et omnimodam iurisdictionem in omnibus causis et negotiis ad eius officium camerariatus et cameram praedictam quomodolibet pertinentibus, privative quoad alios, habere et exercere;

Instituendi militiam, ac conscribendi milites, ac deputandi officiales;

Condendi statuta et condita mutandi;

Vices suas in toto vel in parte delegandi, ac suo libito revocandi;

Causasque ad suum officium pertinentes cognoscendi;

§ 8. Ac omnia et singula alia, quae praedictus Petrus episcopus cardinalis et omnes alii, qui ante eum fuerunt camerarii, de iure, statuto, usu, consuetudine, privilegiis, fundatione, et aliàs quomodocumque facere, ordinare et exequi potuerunt, seu etiam debuerunt, etiamsi talia forent, quae facultatem et mandatum exigerent magis speciale quam praesentibus est expressum, facere, ordinare et exequi, nec non omnibus praedictis et quibuscumque aliis privilegiis, facultatibus, praerogativis, praeeminentiis, antelationibus, exemptionibus, immunitatibus, iuribus, iurisdictionibus, emolumentis, gratiis et indultis, quibus praedictus Petrus episcopus cardinalis, et alii eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerarii, qui hactenus fuerunt, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet, tam Sede Apostolicâ praedicta plenâ, quam vacante, usi, po-

Privilegiis antecessorum gaudendi;

titi et gavisi, tam antiquis quam modernis temporibus, fuerunt, ac uti, potiri et gaudere possent, et etiam deberent (sive de illis per litteras apostolicas, sive per patentes, aut scripturas, aut libros camerales, aut decreta cameralia, seu quaecumque alia publica vel privata documenta, vel per usum, consuetudinem, aut aliàs quomodolibet appareat), similiter et pariformiter, ac absque ullâ prorsus differentiâ, uti, potiri et gaudere;

Emolumenta percipiendi;

§ 9. Nec non omnia et singula regalia, proventus et iura, etiam antiqua, tam ex sigillo, custodiis, praefecturis, officiis, exactionibus, taxis et quibuscumque aliis rebus, et praesertim in litteris facultatum praedicti Petri episcopi cardinalis et aliorum camerariorum enumeratis, quam etiam ex collectoriâ in regnis Hispaniarum, Lusitaniae et Neapolis, ac universâ Italia, vigesimâ nuncupatâ, obvenientia (quae ad rationem duorum pro centenario super spoliis, fructibus, iuribus et emolumentis omnibus dictarum et aliarum collectoriarum, ubicumque institutarum et instituendarum, ac etiam occasione decimarum impositarum et imponendarum quarumcumque, sive subsidiorum earum loco suppositorum et supponendorum, non obstante illius dismembratione a felicis recordationis Gregorio Papa XIII et aliis praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus forsan factâ, ac quibuscumque facultatibus nunciis apostolicis et collectoribus, in contrarium quomodolibet facientibus, concessis, eidem Ludovico cardinali et camerario harum serie assignamus, ac omnino persolvi volumus et mandamus, regalibus tantum et emolumentis unius pro centenario ex compositionibus congregationom regularium, et dimidii pro centenario ex vigesimâ hebraeorum, ac etiam dimidii pro centenario ex subsidio triennali exceptis) integre percipere, exigere et levare:

Facultas cogendi appaltatores, notarios et alios quoad emolumenta camerariatus, manu regiâ.

§ 10. Ac propriâ auctoritate quoscumque nuncios et collectores, appaltatores, depositarios, notarios, etiam auditores camerae, et alios officiales Romanae Curiae, etiamsi speciali notâ digni sint, et quavis auctoritate et dignitate etiam cardinalatus praefulgeant, ad iura, obventiones et alia quaecumque emolumenta sibi debita, et in futurum debenda, tradendum et consignandum, exequutive et manu regiâ procedendo, cogere et compellere; nec non, tam quoad ius percipiendi emolumenta praedicta, et alia iura sibi quomodolibet debita, quam quoad alia omnia et singula supradicta et infrascripta exequendum et ordinandum, non solum supradictâ auctoritate et facultate sibi a nobis per praesentes attributâ et concessâ, sed etiam omni et quacumque facultate et auctoritate, qua dictus Petrus episcopus cardinalis et quicumque eius in dicto officio camerariatus praedecessores usi fuerunt et uti potuerunt, pariformiter plenissime uti, frui et potiri libere et licite possit et valeat.

Obedientia ei praestanda.

§ 11. Mandantes in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis praesidentibus et clericis dictae camerae, ceterisque personis, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, conditionis, qualitatis et praeminentiae fuerint, necnon communitatibus, universitatibus, locis, illorumque officialibus et hominibus, ac aliis, ad quos spectat et pertinet, ac pro tempore spectabit et pertinebit, quatenus ipsi et eorum quilibet eidem Ludovico cardinali, et pro tempore existenti camerario, qui in praedicto camerariatus officio personam nostram et pro tempore existentis Romani Pontificis repraesentat, tamquam membra capiti obsequentes, ac reverentiam et obedientiam debitas exhibentes, eius monitis et mandatis omnino pareant et obediant, illique in regimine et administratione ipsius camerae, ac dicti officii camerariatus officio[1],

1 Verbum *officio* redundare videtur (R. T.).

ubicumque expediet, adsint, ac omnia officia debita praestare procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam ipse rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observare.

Facultas dandi absolutiones, quas vocant a transgressibus, hebraeis, cum limitationibus et reservationibus, etc.

§ 12. Praeterea volumus et ordinamus, quod ipse Ludovicus cardinalis ac pro tempore existens camerarius, absolutiones, quas vocant a transgressibus, hebraeis ad eum recurrentibus (dummodo fiant cum limitationibus et reservationibus introscriptis, videlicet lesae maiestatis, homicidii, sacrilegii, rebellionis, ac falsae monetae dumtaxat exceptis, et dummodo pro delictis delinquens non fuerit inquisitus, vel delicta ad officium inquisitionis non pertineant, ac habitâ pace et concordatâ parte, in casibus in quibus de iure venit concordanda, et nihilominus parti lesae iure civiliter agendi reservato),

Et licentias retinendi bona stabilia, illaque conducendi ad certum tempus privative;

§ 13. Insuper licentias retinendi bona stabilia et illa in locationem conducendi ad certum tempus (privative quoad omnes et singulos gubernatores et alios officiales etiam eiusdem S. R. E. cardinales de latere legatos, in quibuscumque provinciis, civitatibus, terris et locis, etiam in dictâ Urbe deputatos seu deputandos) hebraeis, necnon etiam exercendi artem nummularii seu bancherotti, etiam quoad permutationem auri et argenti, pro numero et conditionibus ipsi benevisis concedere possit.

Exercendi artem nummularii;

§ 14. Abstineat tamen perpetuis futuris temporibus a concedendo hebraeis extra Statum nostrum Ecclesiasticum licentias foenerandi, quas tolerantias vocant, nisi domini temporales locorum id postulaverint. In Statu autem Ecclesiastico praedicto, ubi hebraei commorantur, uti Avenione, Anconae et in legatione Ferrariae, ipsis hebraeis ibidem commorantibus concedere possit. In Urbe quoque numerum bancheriorum septuaginta, aliàs conventum, nisi ex aliquâ iustâ et rationabili causâ aliter sibi visum fuerit, non augeat. Tolerantias et privilegia praeiudicium christianorum concernentia, ac licentias medendi, erigendi synagogas, ducendi aliam uxorem vivente primâ, aliaque contra constitutiones apostolicas faciendi[1], licentias non concedat.

Prohibitio concedendi hebraeis recensitas hic licentias.

Atque etiam deferendi in Urbem monetas reprobatas;

§ 15. Non possit dare licentiam deferendi ad Urbem quatrenos aut monetas reprobatas. A concessione moratoriarum, sive dilationum, quarum prohibitionem innovamus, etiam abstineat.

Prohibitio dandi salvosconductus pro debitis contractis in Statu Ecclesiastico aut *non gravetur* contra mandata aliorum iudicum.

§ 16. Non det salvosconductus pro debitis in praedicto Statu Ecclesiastico contractis: pro debitis autem extra dictum Statum contractis concedat, iuxta solitum hactenus observatum. Neque cedulas *Non gravetur* nuncupatas, contra mandata ab aliis iudicibus relaxata, etiam sub praetextu depositi (nisi pro dictis, aut aliquo eorum, ordinem nostrum aut pro tempore existentis Romani Pontificis habeat, nisi sint personae privilegiatae et iurisdictioni illius subiectae ratione officiorum aut aliorum privilegiorum cameralium), concedat.

Et concedendi tractas frumenti, bladarum, leguminum, olei, aut animalium extra Statum;

§ 17. In concessionibus tractarum frumentorum, bladarum, leguminum, olei et animalium serventur constitutiones per praedecessores nostros Romanos Pontifices desuper editae, ipseque Ludovicus cardinalis, et pro tempore existens camerarius, nullo modo extra Statum Ecclesiasticum, necnon etiam ad civitates et loca Bononiae, Ferrariae, sine chirographo nostro, seu pro tempore existentis Romani Pontificis, tractas huiusmodi concedat; ubi autem aderit huiusmodi chirographum, sive sit pro certâ personâ vel universitate, sive pro incertis personis facultativum, et cuicumque directum, fiat expeditio per eumdem Ludovicum cardinalem et pro tempore existentem camerarium solum, et non per alium.

Expeditio dictarum tractarum extra Statum fiat per camerarium solum et non per alium.

1 Edit. Main. legit *facientia* (R. T.).

Quae registrari debent in libro *tractarum* unà cum chirographo.

§ 18. Ac istae, quae dicuntur *tractae* extra Statum, et ad civitates et loca de quibus supra, registrentur unâ cum chirographo huiusmodi in particulari libro nuncupando *liber tractarum*, pro quibus percipientur pro sigillo iulii undecim pro quolibet centenario rubrorum, non obstante reformatione piae memoriae Pauli Papae V, etiam praedecessoris nostri, et taxâ desuper factâ.

Extractiones frumentorum et aliorum intra statum et de loco ad locum fieri debent intra quadraginta milliaria per praefectum annonae nomine et sigillo camerarii.

§ 19. Extractiones autem de loco viciniori Urbi ad locum remotiorem intra quadraginta milliaria in Patrimonio, Tyberina, Latio et Campanea atque Maritima, quoad frumenta, bladas et legumina, non concedantur, nisi per praefectum annonae, cum participatione tamen, et sub nomine et sigillo praedicti Ludovici cardinalis, et pro tempore existentis camerarii, pro quo sigillo usque ad quinquaginta rubra, unus tantum, et usque ad centum, duo, ac ab inde supra, usque ad quamcumque summam, quinque iulii solvantur.

Extractio olei intra quadraginta milliaria fiat per grasciae praesidem nomine camerarii.

§ 20. Quoad oleum autem intra quadraginta milliaria et animalia in provinciâ Patrimonii non concedantur, nisi per praesidentem grasciae cum simili participatione camerarii, ac sub nomine et sigillo praedictis, pro quo sigillo solvatur iulius unus pro qualibet salmâ, prout aliàs consueverat, non obstante dictâ reformatione eiusdem Pauli praedecessoris nostri, et pro unâ salmâ tantum nihil omnino solvatur, et pro extractione animalium solvatur ut in reformatione dicti Pauli praedecessoris nostri dispositum est.

Quoad extractiones praedictas aliorum locorum non comprehensorum in locis concessis praefecto annonae et grasciae praesidi, facultas spectet eminentissimo camerario.

§ 21. Quo vero ad alia loca ultra supradicta praefecto et praesidenti concessa, circa frumenta, bladas et legumina, ac oleum et aliud genus grasciae, ipse solus camerarius provideat ut supra; et licentias opportunas, prout sibi videbitur, etiam a locis immediate praedictae Sedi subiectis ad loca mediate subiecta, concedere possit, non obstante constitutione dicti Pauli praedecessoris, et excommunicatione, aliisque poenis in eâ appositis; pro quibus licentiis solvatur pro sigillo ut supra dictum est de tractis frumentorum et olei respective; licentias quoque frumenta et bladas ultra usum accipiendi in solutum, ac olivas emendi, ad effectum infra breve tempus oleum et frumenta ac bladas praedictas ad Urbem conducendi, sub cautionibus eius arbitrio concedat.

Soluta rata nemo teneatur pro aliis.

§ 22. Ab indultis tamen, quod quis solutâ ratâ non teneatur pro aliis, nisi ad favorem conducentium grasciam ad Urbem, ac in casibus aliàs permissis, abstineat [1].

Aliae facultates.

§ 23. Necnon[2] permanendi Ægyptios, Cingaros nuncupatos, in praedicto Statu Ecclesiastico, et alterandi poenas statutarias ad favorem certarum personarum, et generaliter ab indultis et dispensationibus contra constitutiones apostolicas praedictas abstineat. Licentias vendendi stabilia universitatibus et accipiendi pecunias ad censum ex rationali et legitimâ causâ, nempe annonae procurandae et conservandae, ac se liberandi a maioribus et excessivis interusuriis, vel aliâ simili necessitatis causâ, ac indulta faciendi nundinas et mercatum, eius arbitrio etiam concedat. Patentes, licentias et privilegia emendi et vendendi, tam in plateâ Agonis, quam in foro boario, aut alio quocumque loco Urbis, contra bannimenta, et solitum, nisi ex iustâ et rationabili causâ non concedat.

Emolumenta pro sigillo camerarii in expeditionibus.

§ 24. Pro mandatis de excarcerando a carcerum praeside emanandis vigore decreti visitae, nihil pro sigillo solvatur; pro mandatis ratione grasciae et annonae, pro summâ, in qua non intrat captura personae, pro sigillo non solvatur nisi iulius unus; ubi vero intrat captura personae, usque ad summam vigintiquinque scutorum, solvantur bononeni vigintiseptem

1 Edit. Main. legit *abstineant* (R. T.).
2 Subintellige *a licentiis* (R. T.).

cum dimidio, et ab inde supra servetur taxa auditoris camerae.

Facultas deputandi commissarios et officiales in statu ecclesiastico pro regimine officii camerariatus,

§ 25. Commissarios et officiales, tam in Urbe quam in aliis civitatibus, terris et locis praedicto Statui nostro Ecclesiastico mediate et immediate subiectis, pro faciliori regimine, gubernio et administratione dicti officii camerariatus, et rerum illud concernentium, arbitrio suo, toties quoties opus fuerit, deputet.

Commissarium mundatorem plateae agonis cum emolumentis, etc.

§ 26. Officium commissarii mundatoris plateae Agonis nuncupatum habeat emolumenta omnia tempore recolendae memoriae Clementis VIII et dicti Pauli V, Romanorum Pontificum, ante annum Domini millesimum sexcentesimum decimum septimum exigi solita et consueta, tam ab habentibus locum certum in dictâ plateâ die mercati, quam ab adventitiis, venalia deferentibus, et in eâdem plateâ quibusvis in locis existentibus et vendentibus, etiam ante domos et ecclesias in eâ existentes, et super mattonatibus earumdem, incipiendo a muris ipsarum domorum et ecclesiarum, vel certum salarium quolibet mense, quod exigitur praeviâ taxâ per dictum Ludovicum cardinalem et pro tempore existentem camerarium praedictum faciendâ et exigendâ ab omnibus qui in dictâ plateâ res venales in dies deferunt et retinent.

Alium Ripettae.

§ 27. Similiter commissarium Ripettae, cum facultatibus opportunis ac emolumentis solitis ac aliàs eius arbitrio statuendis, deputare possit.

Item personam in causis criminalibus dependentibus a suo tribunali.

§ 28. Et insuper ipse Ludovicus cardinalis, et pro tempore existens camerarius, possit in causis criminalibus quoquo modo dependentibus a suo tribunali, et ad illud quomodolibet spectantibus, unam personam capacem sibi benevisam, iuxta casuum contingentiam, prout ante reformationem dicti Pauli praedecessoris fieri consueverat, etiam deputare possit [1].

[1] Vox *possit* inutiliter repetita (R. T.).

Item in enunciatis hic causis civilibus unum auditorem ad nutum amovibilem.

§ 29. Et quoad civilia pariter habeat proprium tribunal iuxta solitum cum uno auditore seu locumtenente ad eius nutum amovibili, cum salario eius arbitrio statuendo, qui omnes et singulas causas, in quibus tam active quam passive, et sive primario sive secundario, quomodolibet agi contigerit de interesse camerae, tam occasione appaltuum, bonorum et iurium cameralium, quam gabellarum, doganarum, exactionum, iurisdictionum, feudorum, concessionum, regaliorum, bonorum naufragatorum, decimarum, et aliorum quorumcumque iurium, necnon annonae, grasciae, viarum, aquarum, pontium, platearum, aquaeductuum, aedificiorum, riparum, zeccarum, archiviorum, et recursuum a gravaminibus inferendis a conservatoribus camerae, Urbis et aliis officialibus Capitolii, artificibus, tabernariis, laniis, salsamentariis, mercatoribus et aliis personis, tam vigore particularium sententiarum seu decretorum, quam vigore generalium dispositionum, etiam per viam bannimentorum editorum, necnon causas discussionum mercatorum seu aliarum personarum, cum quibus camera negotia vel interesse quomodolibet etiam insimul cum aliis habuerit, necnon similiter causas appellationum sive recursuum a sententiis seu decretis magistrorum viarum et eorum assessoris in ordinariis causis ad eos spectantibus vigore statuti Urbis de officio magistrorum viarum lib. III cap. XXIX, recipere et recognoscere possit

In his causis soli notarii camerae scribere possint.

§ 30. (In quibus causis soli notarii camerae scribere possint); necnon etiam causas tam motas quam movendas communitatum et universitatum, civitatum, terrarum, castrorum et locorum mediate et immediate Sedi Apostolicae praedictae subiectorum, causâ et occasione confinium, territoriorum, iurisdictionum, collectarum, gabellarum, exemptionum, fluminum decursionum, et derivationum aquarum, iuris

pascendi, lignandi, collectandi, venandi, piscandi, molendi et similium (sive camera apostolica in eis aut aliquâ ipsarum faciat partem, vel non, causae ipsae inter ipsas communitates, sive inter ipsas et earum dominos in temporalibus, vel inter alias particulares personas, communia et collegia, motae sint, vel eas moveri contingat) cognoscere possit.

Huiusmodi causae semper spectent ad eius tribunal.

§ 31. Et semper causae istae, vel similes, et aliae quovis modo comprehensae in aliis litteris facultatum camerariis pro tempore concessis, quas in omnibus et per omnia, quatenus praesentibus non non contrarientur, harum serie confirmamus et innovamus, sint et esse debeant sub iurisdictione et superioritâte eiusdem Ludovici cardinalis et pro tempore existentis camerarii, ipseque in eis procedere possit, tam vigore praesentium, quam aliarum quarumcumque facultatum per quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros aliis camerariis concessarum.

Aliarum facultatum concessio.

§ 32. Subhastationes pignorum, existentium penes hebraeos bancherios, fiant in Monte pietatis, in quo residuum pretii deponi consuevit, vel in domo notarii, cum decreto tamen eiusdem Ludovici cardinalis, et pro tempore existentis camerarii, sive eius auditoris, per acta eius notarii gratis: et in causis furti pignorum dictorum bancheriorum, ipse solus, privative quoad omnes alios, procedat, non obstante reformatione praedictâ: bannimenta, edicta et proclamata, ac alias quascumque expeditiones camerales super annonâ, grasciâ, et aliis supradictis omnibus ac singulis facere et publicare possit; et si quae a praesidentibus et clericis subscribantur in locis comprehensis tantum in eorum iusisdictione, ut supra, sub nomine et sigillo dicti Ludovici cardinalis, et pro tempore existentis camerarii, et cum illius participatione fieri debeant: necnon poenae, in eisdem bannimentis infligendae, eius et praesidentium, qui illa subscripserint, arbitrio cumulative apponantur; et in casu contraventionis et exequutionis illarum inter camerarium et praesidentes praedictos praeventio locum habeat, et bannimenta ultra loca in iurisdictione praesidentium constituta emananda per eumdem Ludovicum cardinalem et pro tempore existentem camerarium solum fiant et subscribantur. Similiter edicta super novis locationibus, seu, ut dicitur, appaltis, scilicet doganarum, thesaurariarum, gabellarum, et aliorum quorumcumque bonorum et iurium dictae camerae apostolicae, per eum fiant; et capitula desuper conficienda per thesaurarium coram camerario praedicto, seu in plenâ camerâ, et non aliàs firmentur. Tabellae communitatum praedicti Status nostri Ecclesiastici per praedictum camerarium subscribantur, et observari mandentur. Ipseque camerarius ordinationes et decreta, per congregationes super viis, aquis et flumine Tyberis, et demolitionibus domorum pro ampliandis, sternendis, seu dirigendis viis et plateis Urbis facienda, debitae exequutioni demandari faciat et exequatur. Et si casus evenerit, quod aliquis ex officialibus Populi Romani dictâ Sede Apostolicâ vacante moriatur, vel nolit aut non valeat deservire, seu munus suum obire, ipse auctoritate eius officii alium ex bussolâ extrahere possit. Concessiones situum et locorum publicorum in Urbe et aquarum Virginis et Felicis fiant per litteras patentes dicti Ludovici cardinalis, et pro tempore existentis camerarii. Notarii camerae apostolicae, et alii officiales, et ministri camerales in omnibus eorum causis, tam civilibus quam criminalibus et mixtis, sint et esse intelligantur subiecti iurisdictioni dicti Ludovici cardinalis, et pro tempore existentis camerarii, etiam privative quoad alios om-

nes iudices, cum facultate inhibendi, etiam sub censuris, et avocandi. Scripturarum omnium et singularum, quae in archivio eiusdem camerae apostolicae asservantur, tam in constructo apud bibliothecam Vaticanam, quam in alio inferiori, ubi regestra bullarum, et aliae scipturae, et libri camerales custodiuntur et reponuntur in dies, dictum Ludovicum cardinalem, et pro tempore existentem camerarium protectorem, et superintendentem harum serie facimus et deputamus; dantes eidem Ludovico cardinali, et pro tempore existenti camerario, dicti archivii curam, gubernium et administrationem cum facultate sumpta et transumpta ex dictis regestris, ut hactenus consuetum extitit, in authenticam formam quibuscumque personis ad eum recurrentibus et sibi benevisis concedendi; scripturas camerales, tam per notarios camerae, quam alias quascumque personas indebite detentas seu detinendas, ad ipsum archivium deferri faciendi et mandandi, ac alios ad id per iuris et facti remedia opportuna cogendi et compellendi; liberumque accessum ad ipsum archivium notario, custodi, ac aliis personis sibi benevisis patere faciendi et decernendi; dummodo copiae, sumpta ac transumpta materiarum interesse camerae praedictae concernentium, non dentur sine participatione et mandato suo, et pro tempore existentis camerarii. Volumus autem et decernimus, quod ipse in omnibus montibus, tam camerae praedictae, quam communitatum, et aliorum particularium, in quibus eiusdem S. R. E. camerarius protector datus existit, ipse protectoriam huiusmodi in eisdem omnibus habere et exercere possit; dantes sibi facultatem et auctoritatem omnes et singulas causas ab eisdem dependentes, privative quoad omnes alios, cognoscendi et terminandi, necnon officiales quoscumque necessarios et opportunos, toties quoties opus fuerit, deputandi, et in illis montibus, qui sub illius protectione non sunt, aut protectorem non habent, nihilominus auctoritatem habere debeat; et montistis, ceterisque ad illum recurrentibus, suum officium et beneficium impertiatur, et opportune provideat: non obstantibus quibuscumque dispositionibus apostolicis in contrarium forsan factis: quibus, earum singularum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, etiam harum serie ad effectum praedictum specialiter derogamus.

Facultas deputandi procamerarium tam ratione voluntariae, quam necessariae absentiae.

§ 33. Praeterea, si contingat eumdem Ludovicum cardinalem camerarium, tam ratione voluntariae quam necessariae absentiae, occasione residentiae in ecclesiis cathedralibus, etiam metropolitanis, quibus praeest, aut illum praeesse contigerit, ab Urbe recedere, sibi, ut ipse aliquem eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem procamerarium eius loco deputare, eique vices et voces suas, cum eisdem facultatibus et auctoritatibus ac indultis, quae ipsemet Ludovicus cardinalis camerarius habuerit, pariformiter, et absque ullâ prorsus differentiâ, delegare possit et valeat, pariter indulgemus, ac licentiam et facultatem opportunam illi desuper concedimus et impertimur.

Avocatio causarum camerariarum etiam a congregatione boni regiminis, et aliis quibusvis iudicibus, et remissio ad camerarium.

§ 34. Et quia, sicut accepimus, nonnullae causae camerales, quae coram camerario, seu in camerâ huiusmodi, coram illius praesidente et clericis cognosci debuissent, coram diversis iudicibus introductae reperiuntur, et adhuc indecisae pendent, nos, illas ad eumdem camerarium et cameram praedictam, tamquam eorum proprium tribunal, remitti volentes, harum serie, omnes et singulas causas praedictas, tam in congregationibus de bono regimine, seu super gravaminibus tollendis, quam coram aliis quibuscumque iudicibus introductas, et indecisas pendentes, in statu et terminis in quibus reperiun-

tur, ad nos harum serie avocantes, eidem Ludovico cardinali camerario, per se, vel alium, seu alios audiendas, cognoscendas et fine debito terminandas, committimus et mandamus: non obstantibus earum litis pendentià ceterisque contrariis quibuscumque.

Camerarius praeter suas ordinarias facultates tempore Sedis vacantis, in omnibus negociis debet interesse cum cardinalibus capitibus Ordinum.

§ 35. Insuper volumus, decernimus, et mandamus, quod ipse Ludovicus cardinalis camerarius (praeter ordinarias suas facultates tempore Sedis apostolicae vacantis sibi competentes) in omnibus et singulis rebus et negociis debeat interesse cum cardinalibus capitibus Ordinum, et cum eis insimul resolutiones capere, et, ubi opus fuerit, opportune providere.

Facultas deputandi fontanarium conclavis.

§ 36. Necnon ultra officiales, per alios camerarios deputari solitos, fontanarium conclavis deputare possit et valeat, non obstante constitutione recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris nostri desuper editâ.

Signatura iustitiae non potest apponere manus.

§ 37. Ad haec statuimus, quod de cetero Signatura Iustitiae non possit nec debeat, sive declarando aliquid in camerâ nostrâ, vel alibi in causis spectantibus ad ipsum Ludovicum cardinalem, uti camerarium et cameram praedictam, rescribere: et supplicationes, sive commissiones desuper signatae nullius sint roboris vel momenti, nullamque tribuant iurisdictionem, perinde ac si non emanassent.

Facultas vocandi et reassumendi causas a quibusvis iudicibus, etiam si agatur de obligatione camerali.

§ 38. Ac etiam decernimus licere Ludovico cardinali camerario et camerae praedictis omnes et quascumque causas ad camerariatus et camerae praedictorum tribunal quomodolibet, ut supra, spectantes, a quibuscumque iudicibus, etiam auditore camerae, etiamsi agatur de obligatione camerali, a thesaurario generali, palatii apostolici causarum auditoribus, et eiusdem Romanae Ecclesiae cardinalibus, libere avocare, et illas reassumere, iisdemque inhibere.

Nullus vero iudex possit reassumere causas a dicto camerario.

§ 39. Nullum vero ex praedictis, aut aliis quibuscumque iudicibus, etiam camerae praedictae clericis et praesidentibus, tam coniunctim quam divisim, posse causas praedictas a dicto camerariatus tribunali avocare aut reassumere, etiam sub praetextu, quod causae ad dictum tribunal camerarii non spectent: super quo non possit Signatura Iustitiae, vel camera ipsa cognoscere, aut aliquo modo rescribere, nec se ingerere; sed huiusmodi cognitio, an causae sint de iurisdictione camerariatus, pertineat ad eumdem Ludovicum cardinalem, et pro tempore existentem camerarium, qui cognoscere debeat, an sint eius iurisdictionis; et si partes huiusmodi declarationi non acquieverint, Signaturam nostram Gratiae tantum adire possint, et, citato commissario eiusdem camerae, commissiones proponi debeant. In causis vero, in quibus tam Ludovicus cardinalis, et camerarius, quam camera et praesidentes, et clerici praedicti procedere possunt, sit locus praeventioni inter ipsos: ita tamen, quod in causis ad praedictum Ludovicum cardinalem et pro tempore existentem camerarium specialiter et privative quoad alios, tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet spectantibus, camera, praesidentes, et clerici praefati nullatenus se ingerere aut intromittere possint; super quo, quatenus aliqua controversia oriatur, ipse camerarius cognoscere possit ad quem spectet, ut supra, reservato nihilominus iure Signaturam nostram Gratiae adeundi.

Signatura Iustitiae et camera non possit se ingerere.

Sed cognitio, an causae sint de iurisdictione camerariatus, pertineat ad ipsum camerarium.

Signatura tantum gratiae partes audire possit citato commissario camerae.

Inter camerarium, cameram et praesidentes et clericos sit locus praeventioni.

Et camera, praesidentes et clerici in spectantibus causis privative ad camerarium non possint se se ingerere.

Derogatio contrariorum.

§ 40. Non obstantibus assertà litis pendentià, illiusque determinatione, et aliis praemissis, ac nostrâ de non tollendo iure quaesito, quatenus opus sit, ac aliis cancellariae apostolicae regulis, necnon similis memoriae Symmachi, et Pauli II, ac Pauli IV, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, ac litteris

praedicti Clementis VIII, concessionis dicti officii camerariatus factae praedicto Petro episcopo cardinali, necnon Sixti V etiam Romanorum Pontificum, super prohibitione alienandi officia, seu iura, et emolumenta consistorialiter editâ sub data XVIII kalendas februarii, pontificatus sui anno V[1]; necnon praedictâ Pauli V super reformatione tribunalium Urbis editâ, in quantum praesentibus nostris contrarientur, ac praedicti Pii IV qua cavetur, quod gratiae et indulta interesse camerae praedictae concernentia infra certum inibi expressum tempus in dicta camerâ praesententur, sive registrentur, alioquin illae non valeant (ita quod ipse Ludovicus cardinalis ad easdem praesentes in dictâ camerâ praesentandum, seu registrari faciendum, nullo umquam tempore teneatur, nec ad id ullâ necessitate cogi aut compelli possit: et nihilominus illae valeant, sibique suffragentur in omnibus et per omnia, perinde ac si praesentatae et registratae fuissent), aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon camerae, et officii camerariatus praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis) statutis et consuetudinibus, usibus quoque et naturis, quantocumque tempore pacifice observatis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, collegio cardinalium, et dictae camerae thaesaurario, illiusque praesidentibus et clericis, ac notariis, et collectoribus per praedictos, et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et dictam Sedem, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, seu quasi, ac aliàs, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodocumque concessis, confirmatis, innovatis, extensis et moderatis. Quibus, ac omnibus aliis quae eisdem praesentibus quomodolibet obesse possent, etiamsi talia et tanta essent, quae sub concessonibus generalibus non venirent, sed specialibus omnino indigerent expressionibus, illorum ac supradictorum omnium veriores ac totos tenores etiam praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse ac amplissime, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ad effectum validitatis earumdem praesentium, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Officiales, vero per dictum Ludovicum cardinalem, et pro tempore existentem camerarium, ponendi et constituendi, sunt infrascripti, videlicet:

Officiales per camerarium deputandi qui sint.

Advocatus fiscalis nuntii Hispaniarum.
Advocatus fiscalis nuntii Neapolis.
Advocatus fiscalis camerae et pauperum Perusiae.
Advocatus fiscalis camerae apostolicae in civitate Fulginatensi.
Advocatus fiscalis Romandiolae.
Admiralius portus Anconae.
Auditor cardinalis camerarii.
Armarolus civitatis Anconitanae.
Armarolus palatii apostolici.
Archivista camerae apostolicae in civitate neapolitana.
Gustator vinorum Ripae.
Assaggiatores zecchae Urbis, numero duo.
Assaggiator zecchae Ferrariae.
Bidelli gymnasii Urbis, numero duo.
Bidelli gymnasii Perusiae.
Bidellus et curator bonorum defunctorum Perusiae ad nominationem illius communitatis.
Bullator mensurarum salariae Urbis.

1 Sub hac datâ habetur Const. Sixti V in tom. IX, pag. 145, sed alia a citatâ (R. T.).

Barigellus et custos domus Plani Perusiae.
Barigellus cardinalis camerarii et magistrorum viarum.
Custos turris Cavolinali.
Custos armariae Anconae.
Custodes sylvarum Tulphae, numero duo.
Custos seu cancellarius Turris portus Corneti.
Custos turris Flumicini.
Custos turris Bortaldae.
Custos armariae Ferrariae.
Custos turris Bellochii.
Custos funderiae arcis Sancti Angeli.
Custos palatii et massaritiarum Anconae.
Custos armariae arcis Sancti Angeli.
Custos armariae palatii apostolici Urbis.
Custos bonorum et viridarii palatii Camerini.
Custos portae marinae Ariminensis.
Custos cavae aluminum Tulphae.
Custos armarii Ravennae.
Custos cavae arenae prope propugnacula burgi et portae militum levis armaturae.
Custos lacus Transimeni.
Custos turris Magnavacca.
Custos arcis Camerini.
Custos armariae Bononiae.
Custos palatii Fulginii.
Custos fluminum Terracinae.
Custos turris Sancti Alberti Comaclensis.
Custos salariae Urbis.
Custos turris Primarae, Palatae Cerviensis.
Custos clavium ghetti hebraeorum Anconae.
Commissarius fluminum Umbriae.
Commissarius alumeriarum Tulphae.
Commissarius super extractione oleorum Marchiae.
Commissarius tractarum Patrimonii.
Commissarius et maresciallus fraudum in Urbe.
Commissarius super revisione librorum hebraeorum bancheriorum Anconae.
Commissarius super annotatione tractarum Fani.
Commissarius super naufragiis.
Commissarius super antiquitatibus Urbis.
Commissarii super grascià Campi Florae, numero quatuor.
Commissarii plateae Agonis.
Commissarii super exactione subsidii triremium.
Commissarius super annotationes granorum civitatis Vetulae.
Commissarius olei ad saponem Urbis, ad nominationem commissarii camerae apostolicae.
Commissarius super foveis puteolanae Urbis.
Commissarius super attergatione patentium cameralium Urbis.
Commissarius appretii in civitate Camerinensi.
Commissarius super exactione decimarum et subsidiorum.
Commissarii super annonà, grascià, viis, taxis, gertotis, aluminibus, vitriolis, doganis, gabellis et quibusvis appaltibus cameralibus.
Commissarius supra Ripam magnam.
Commissarius Ripettae.
Castellanus arcis Caesenae.
Castellanus arcis Nepesinae.
Castellanus arcis Ravennae.
Castellanus rocchae veteris civitatis Vetulae.
Castellanus Arquatae.
Castellanus Montis Falisci.
Castellanus Faventiae.
Castellanus arcis Urbis veteris.
Castellanus arcis portus Caesenatici.
Castellanus Imolae.
Castellanus et capitaneus terrae Lugi.
Computista muncii regni Neapolitani.
Computista camerae in civitate Anconitana.
Computista collectoriae Hispaniarum.
Computista salariae Urbis.
Computista Montis Quatrinorum.
Computista Montis Abundantiae.

Computista exercitus ecclesiastici.
Collateralis generalis dicti exercitus, etiam sede vacante.
Capitanaeus et factor Comachii.
Gabellariatus Fulginei.
Camerarius et custos orologii et fiscalatus Assisii.
Camerarius salinarum Cerviae.
Capserius vallium Comachii.
Confirmatio vicarii castri Genghae.
Carcerarius in civitate Neapolitana.
Chirurgus vulneratorum in civitate Anconae.
Depositarius Montis camerariatus.
Depositarius Montis cancellariarum.
Depositarius camerae apostolicae in terra Lugi.
Depositarii communitatum ad ipsarum nominationem.
Exactor creditorum thesaurariae Spoleti.
Funditor camerae apostolicae in civitate Ferrariensi.
Funditor tormentorum bellicorum Anconae.
Funditor tormentorum bellicorum castri Sancti Angeli.
Incisor typorum zecchae Urbis.
Locumtenens ad dandum gradum doctoratus in iure civili et canonico.
Locumtenens ad dandum gradum doctorum in philosophia, medicina et chirurgia.
Locumtenens in causis criminalibus cardinalis camerarii.
Magister actorum nuntii apostolici regni Neapolitani.
Mensurator salis ad grossum in salaria Urbis.
Mensuratores camerae apostolicae in Urbe, numero duo mensuratores et aestimatores fabricarum camerae in civitate Anconitana.
Mandatarius et subhastator pignorum hebraeorum bancheriorum Urbis.
Medicus carceratorum aegrotantium Perusiae.
Medicus carceratorum aegrotantium nuntii regni Neapolitani.
Maresciallus seu commissarius super fraudibus Urbis.
Maresciallus magistrorum viarum Urbis.
Magister viarum Anconae.
Magister viarum Nuceriae.
Magister viarum Caldarolae.
Magister viarum Marchiae.
Magister viarum Trevii.
Magister viarum Cassiae et aliorum locorum.
Magister tabellariorum Galliae.
Notarius camerae apostolicae in civitate Perusina.
Notarius pauperum in eâdem civitate.
Notarius camerae apostolicae in civitate Anconitana.
Notarius eiusdem camerae in civitate Fulginatensi.
Notarius cardinalis camerarii in Urbe.
Notarius subhastationum pignorum hebraeorum bancheriorum Urbis.
Notarius subhastationum pignorum hebraeorum bancheriorum Anconae.
Notarii Rotae Urbis, numero duodecim.
Officialis marozzi vallium Commachii.
Officialis cassettae ad Ripam magnam.
Officiales super coltis Camerini.
Officialis super fabricâ cesarum Fulginei.
Officium super lembo, seu naviculâ Urbis.
Provisor et commissarius fabricae portus Anconae.
Provisor palatii Perusiae.
Provisor arcis Anconae.
Pagator exercitus ecclesiastici etiam Sede vacante.
Provisor vallium Comachii.
Procurator fiscalis nuntii Hispaniarum.
Procurator fiscalis nuntii regni Neapolitani.
Procurator fiscalis Perusiae.
Procurator gymnasii Urbis.
Procurator gymnasii Bononiae.

Ponderator aluminum Tulphae in civitate Vetula.
Ponderator zecchae Urbis.
Ponderator aluminum Tulphae et Alumeriarum.
Praefectus bottinorum Aquae felicis.
Revisor pontium.
Revisor turrium et fortalitiorum Splaggiae Romanae.
Revisor mensurarum salis in salaria Urbis.
Revisor salinarum Ostiae.
Rincontrum doganae Fori Piscium.
Rincontra medaliarum salis ad minutum in salaria Urbis, numero duo.
Rincontrum salis ad grossum in salaria Urbis.
Rincontrum doganae.
Rincontrum terrae camerae in exercitu ecclesiastico.
Rincontrum doganae Ripettae.
Receptor aluminum in civitate Vetula.
Receptor bollectarum Comachii.
Resignator granorum Patrimonii et Campaneae.
Resignator generalis tractarum in provincia Romandiolae.
Suprastans retalii Bononiae.
Suprastans fontis S. Petri.
Suprastans zecchae Ferrariae.
Suprastantes zecchae Urbis, numero duo.
Suprastans ponderum in civitate Forolivii.
Suprastans murorum Burgi.
Suprastans palatii Perusiae, et medietatis factoriae Clusi.
Sepelitor mortuorum in civitate Perusiae.
Secretarius spoliorum Hispaniarum.
Secretarius officii camerariatus.
Secretarius Montis Quatrini.
Æstimator bonorum spoliorum.
Scutiferi populi Romani, numero quatuor.
Impressor cameralis Ferrariae.
Proxenetae civitatis Anconae.
Proxenetae Ripae, numero vigintiquinque.
Thesaurarius Montis Leonis ad nominationem communitatis.

Praeservatio aliorum iurium ad camerarium spectantium.

§ 43. Volumus autem, quod per praesentes nullum praeiudicium dicto Ludovico cardinali, et pro tempore existenti camerario, quoad alia officia ad ipsius collationem, seu concessionem spectantia, quoquomodo inferatur.

Clausulae.

§ 44. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatum, confirmationum, approbationis, innovantium decretorum, declarationis, concessionum, indultorum, mandatorum, ordinationis, factionis, deputationis, dationum, derogationum, impartitionis, avocationis, et communionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXI, pridie nonas[1] maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 maii 1621, pontif. an. I.

V. Dat. IOAN. BAPT. BOLOGNETTUS.
N. Odot., etc.

X.

Erectio Congregationis S. Mauri, Ordinis sancti Benedicti, in Galliis[2].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sacri apostolatus ministerio, nullo licet merito nostro, per abundantiam divinae gratiae praepositi, ad ea, per quae ecclesiasticorum et religiosorum Ordines quilibet ad pristini cuiusque regularis eorum instituti normam reducantur, mentis nostrae aciem sedulo intendimus, et propterea, qui suâ sponte religionis et arctioris

1 Ex notâ marginali edit. Main. ubi ponitur 13 maii, legendum potius *pridie idus* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

vitae studio ducti pristinae regulae, quam suae religionis auctores instituerunt, observantiam amplecti et de cetero sectari desiderant, eosdem non solum in eorum proposito confovere, sed etiam opportunis favoribus et gratiis prosequi solemus, prout pia catholicorum regum vota id exposcunt, et nos conspicimus salubriter in Domino expedire.

In nonnullis monasteriis Ordinis sancti Benedicti introducta reformatio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus, ac dilecti filii prioratus, seu collegii conventualis Cluniacensis nuncupati, Parisiensis priores, ac sancti Augustini Lemovicensis, et de Nohaliaco Pictaviensis, ac sancti Pharaonis Meldensis, et sancti Petri de Gemellis Rhotomagensis, et sanctae Mariae de Berneio Lenoviensis monasteriorum conventus et monachi, necnon domus regularis sancti Guilielmi Alborum Mantellorum nuncupatae, etiam Parisiensis, prior et conventus, Ordinis sancti Benedicti, quod, cum aliàs Sedis Apostolicae auctoritate in monasteriis Ordinis sancti Benedicti in Lotharingiae et Barriducis ducatibus, ac Metensi, Virdunensi, ac Tullensi civitatibus et dioecesibus consistentibus reformatio Congregationis Cassinensis seu sanctae Iustinae de Padua dicti Ordinis introducta, ipsaque monasteria reformata in unam Congregationem, quae sanctorum Vitonis et Hidulphi Virdunensis appellatur, redacta fuissent; nonnulli eiusdem Ordinis monachi Galli, perfectionis vitae zelo ducti, sanctam hanc reformationem amplexi in monasterio eorumdem sanctorum Vitonis et Hidulphi Virdunensis praedictae Congregationis Lotharingiae sese submiserunt, et in Galliam post sufficientem reformationis experientiam et tolerantiam de consensu superiorum secundodictae Congregationis reversi, ab iisque dimissi, vitae sanctimoniâ et reformationis observantiâ se adeo conspicuos reddiderunt, ut eorum bonae famae odor, in diversas Galliarum partes atque regiones diffusus, nonnullorum monasteriorum religiosos ad reformationem huiusmodi amplectendum excitaverit[1]; iamque monachi in prioratu, seu collegio conventuali Cluniacensi huiusmodi, necnon in praedictis, ac sancti Iodoci supra mare, sancti Petri Corbiensis, ac sancti Petri Solemniacensis oppidorum, seu locorum, Ambianensis et Lemovicensis respective dioecesum monasteriis praedicti Ordinis monachi[2] degentes vitam salutaribus agunt sancti Benedicti institutis conformem.

Eaque in congregationem redigi petitur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in singulis Galliae provinciis multa huiusce Ordinis monasteria fundata reperiantur, ac de Dei bonitate et misericordiâ tantum sperandum sit, quod, si non omnium, sed[3] sane plurimorum conventuum Religiosi, charismata meliora aemulantes, et ad eumdem sanctum Benedictum eorum patrem respicientes, hanc ipsam reformationem sinceris affectibus sint recepturi; ad felicem vero huiusce sancti operis progressum maxime expediat in Galliâ unam conventuum reformatorum huiusmodi Congregationem, adinstar praedictae Congregationis Cassinensis quae suum particularem superiorem habet, institui; illique domum regularem sancti Guilielmi Alborum Mantellorum nuncupatam Parisiensem praedictam (quae non in titulum, commendam, aut proprietatem obtineri, sed per priorem triennalem regi consuevit; cuiusque prior et religiosi, qui sancti Benedicti praedicti regulam iuxta antiquum eius institutum professi sunt, reformationi in praedictis conventibus reformatis, ut praefertur, introductae inhaerere intendunt[4]; quin imo etiam illam auspiciis di-

1 Ed. Main. habet *excitant*, sed syntaxis clare indicat legendum *excitaverit* vel *excitarit* (R. T.).
2 Vox ista *monachi* redundat (R. T.).
3 Edit. Main. legit *et* pro *sed* (R. T.).
4 Contra syntaxis rationem edit. Main. legit *intendant* (R. T.).

lecti filii nostri Henrici S. R. E. presbyteri cardinalis de Retz nuncupati, ecclesiae Parisiensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulis, iam ultro susceperunt) aggregari: nobis propterea tam Ludovicus rex, quam priores, ac conventus, et monachi praedicti humiliter supplicari fecerunt, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Gregorius Pontifex erigit congregationem sancti Mauri.

§ 3. Nos igitur, piis Ludovici regis, ac prioris et conventuum, ac monachorum eorumdem votis in praemissis annuere, ipsosque priores, et conventus, ac monachos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum consilio, unam prioratus, seu collegii [1], ac sancti Augustini, et de Nohaliaco, et sancti Pharaonis, nec non sancti Petri et beatae Mariae reformatorum praedictorum, atque etiam quorumvis aliorum monasteriorum praedicti Ordinis in Galliâ et omnibus provinciis praedicto Ludovico regi subditis consistentium conventuum et monachorum, qui deinceps reformationem huiusmodi recipere, seque illi submittere voluerint, Congregationem sancti Mauri Gallicanam Parisiensem nuncupandam, ad instar Congregationis montis Cassini, seu sanctorum Vitonis et Hidulphi, per unum vicarium generalem natione Gallum, seu ex loco temporali dominio dicti Ludovici regis subiecto oriun-

Per vicarium generalem triennalem regendam.

dum, a capitulo generali eiusdem Congregationis, ut infra erigendae, singulo quoque anno, vel biennio, aut triennio eligendum, regendam et gubernandam (ita tamen, ut ex huiusmodi erectione nullum prorsus praeiudicium censeatur illatum mensis abbatialibus, sed abbatiae ipsae in omnibus primaevam naturam et titulum collativum dignitatis abbatialis ipsorum monasteriorum retineant, perinde ac si erectio huiusmodi facta non esset; quodque deinceps, occurrente quorumcumque monasteriorum, tam eorum quorum conventus dictam reformationem iam amplexi sunt, quam eorum qui se deinceps illi submittent, vacatione, illorum collationes, seu provisiones, aut commendae ad Sedem Apostolicam ad nominationem pro tempore existentis eorumdem Francorum regis, prout prius, perinde ac si in illorum conventibus reformatio introducta, seu Congregatio ipsa erigenda erecta non fuisset, pertineant; ipsaque Congregatio, ut infra erigenda, in conventibus et mensis conventualibus, ac locis et portionibus monachalibus, nec non officiis claustralibus ipsorum, et pro tempore aggregandorum, dumtaxat locum habeat, ac salvis illaesis remanentibus titulis prioratuum et quorumcumque aliorum beneficiorum collativorum a praedictis monasteriis et eorum quolibet dependentia, ita ut illa deinceps prout antea conferri seu commendari debeant, absque ullâ prorsus differentiâ) apostolicâ auctoritate praedictâ, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Monasteria abbatialia per priores gubernanda.

§ 4. Ceterum (quia dignitates abbatiales monasteriorum, quorum conventus sunt et erunt reformati, sub Congregatione per praesentes erectâ non comprehendentur, sed ab illâ exemptae, et extra illam remanebunt) quod [1] ipsorum monasteriorum abbates titulares seu commen-

1 Forsan hic desunt verba *conventualis Cluniacensis nuncupati*, ut § 1 (R. T.).

1 Puto erron. in ed. Main. legi *quodque* (R. T.).

datarii cum conventibus et monachis reformatis nihil commune nihilque agendum habeant, sed illi a prioribus claustralibus iuxta reformationis seu Congregationis Cassinensis aut sanctorum Vitonis et Hidulphi huiusmodi ritus, statuta et consuetudines eligendis regantur et gubernentur, perpetuo statuimus et ordinamus.

Novae Congregationi privilegia omnia Congregationis Cassinensis, seu sanctae Iustinae, communicantur.

§ 5. Insuper Congregationi per praesentes erectae huiusmodi, illiusque conventibus, personis et bonis, nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis, indultis et indulgentiis dictae Congregationi Cassinensi illiusque conventibus, monasteriis et regularibus locis, et principaliter et particulariter, vel generaliter, aut accessorie, vel per viam communicationis et extensionis concessis (dummodo tamen sint in usu, nec revocata, aut sub illis revocationibus comprehensa, nec sacris canonibus, dictique concilii decretis contraria) uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant pariter ac pariformiter, perinde ac si illa Congregationi per praesentes erectae, illiusque conventibus, personis et bonis particulariter, specifice, expresse ac nominatim concessa fuissent, atque[1] etiam monachis Congregationis per praesentes erectae, donec numerus religiosorum et superiorum Congregationis per praesentes erectae auctus fuerit, suffragari, ut in priores[2], novitiorum magistros, praesidentes, seu superiores eligere, et ad ordines sacros suscipiendos, et, ad triennium tantum, quoscumque religiosos capacitatem et aetatem a sacris canonibus requisitas habentes praesentare possint, neque eam aetatem, quae per constitutiones et declarationes dictae Congregationis montis Cassini super vigesimoprimo capite regulae eiusdem sancti Benedicti praescripta reperitur, neque etiam quinque annorum spatium, quo durante novi professi sub magistris novitiorum morari debent, expectare teneantur, sed ad triennium tantum, et dummodo eligendi trigesimum saltem eorum aetatis annum expleverint, concedimus et indulgemus.

1 Edit. Main. habet *ad quae*; nos visum fuit opus emendationis (R. T.).

2 Turbatissime edit. Main. legit *suffragari auctus fuerit, in priores*, etc. (R. T.).

Monachis Congregationis sancti Vitonis pro hac vice tantum facultas datur manendi in nova Congregatione.

§ 6. Praeterea, ob superiorum penuriam, quae in Congregatione per praesentes erectâ in hoc institutionis eius primordio, ut asseritur, existit, religiosis illis, tam superioribus quam non superioribus, qui a dictâ Congregatione Lotharingiae, cui se submiserant, de ipsius superiorum licentiâ et consensu profecti et in Galliam dimissi fuerunt, quique sic dimissi in conventibus reformandis et reformatis praedictis sedulam et quidem fructuosam operam, ut accepimus, impenderunt, in Congregatione per praesentes erectâ, de consensu tamen Congregationis sanctorum Vitonis et Hidulphi huiusmodi, remanere possint, licentiam et facultatem impertimur, et[1] pro potiori eorum cautelâ, ac quatenus opus sit, eos a iuramentis, subiectione et obedientiâ per ipsos dictae Congregationi Lotharingiae praestitis et promissis (vero existente tamen, ut praefertur, consensu superioris eiusdem Congregationis Lotharingiae) absolvimus, eximimus et liberamus. Porro praedictam domum Sancti Guilielmi, eiusque conventum, priorem, et monachos, ac res et bona quaecumque, dictae Congregationi per praesentes erectae aggregamus. Denique in protectorem dictae Congregationis per praesentes erectae dictum Henricum cardinalem deputamus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties

1 Praep. *et* nos addimus, pucto deleto (R. T.).

illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam, sub quacumque posteriori datâ per vicarium generalem et monachos Congregationis per praesentes erectae quandocumque eligendâ, concessas esse et fore; sicque per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictorumque Ordinis et monasteriorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda esset, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Officia claustralia supprimuntur in monasteriis, in quibus reformatio fuerit introducta.

§ 9. Volumus autem, quod officia claustralia suppressa et extincta sint et esse censeantur, quatenus in ipsis monasteriis reformatio huiusmodi vere et realiter introducta fuerit, seu introducatur, et non aliàs, sicque suppressa et extincta remaneant, donec et quousque reformatio sic introducta in eis duraverit, et non ultra, ita ut in eventum, in quem illam cessare vel extingui quandocumque contigerit, officia praedicta in pristinum statum ipso iure revertantur, ita quod, ut prius in titulum conferri, et de illis eorumdem monasteriorum monachis respective provideri debeat.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 maii 1621, pontif. an. I.

XI.

Erectio hospitii et collegii Gregoriani in Urbe pro universis monachis sub regulâ sancti Benedicti militantibus, unâ cum privilegiorum concessione [1].

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Salvatoris nostri Iesu Christi, Dei Patris Unigeniti, qui, ut nos, religione claris vitae probatae exemplis comprobatâ, caelestis patriae cultores efficeret, de summis caelorum ad [2] huius mundi infima descendere et in arâ venerandissimae crucis in pretium immolari non abnuit, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices curas, quae nobis ex apostolatus officio incumbere dignoscuntur, illam per quam religio ipsa, praesertim sancti Benedicti, quae longâ et continuatâ multorum seculorum serie effloruit, multiplicatis illius cultoribus, quorum assiduis precibus et fructuosis operibus Deus ipse propitiatur, nostris temporibus amplificetur, eiusque religiosi, ad almam Urbem nostram pro negotiis confluentes, ab inopiâ et indecenti quaestu revocentur quantum cum Deo possumus libenter amplectimur; et, ut feliciter id subsequi valeat, eiusdem officii partes, ut piissimi pastoris est, favorabiliter impertimur: prout etiam nobis et Apostolicae Sedi devotarum personarum eiusdem religionis pia vota ad hoc tendere, et in Deo conspicimus salubriter expedire.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Praep. *ad* nos addimus (R. T.).

datarii cum conventibus et monachis reformatis nihil commune nihilque agendum habeant, sed illi a prioribus claustralibus iuxta reformationis seu Congregationis Cassinensis aut sanctorum Vitonis et Hidulphi huiusmodi ritus, statuta et consuetudines eligendis regantur et gubernentur, perpetuo statuimus et ordinamus.

Novae Congregationi privilegia omnia Congregationis Cassinensis, seu sanctae Iustinae, communicantur.

§ 5. Insuper Congregationi per praesentes erectae huiusmodi, illiusque conventibus, personis et bonis, nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis, indultis et indulgentiis dictae Congregationi Cassinensi illiusque conventibus, monasteriis et regularibus locis, et principaliter et particulariter, vel generaliter, aut accessorie, vel per viam communicationis et extensionis concessis (dummodo tamen sint in usu, nec revocata, aut sub illis revocationibus comprehensa, nec sacris canonibus, dictique concilii decretis contraria) uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant pariter ac pariformiter, perinde ac si illa Congregationi per praesentes erectae, illiusque conventibus, personis et bonis particulariter, specifice, expresse ac nominatim concessa fuissent, atque[1] etiam monachis Congregationis per praesentes erectae, donec numerus religiosorum et superiorum Congregationis per praesentes erectae auctus fuerit, suffragari, ut in priores[2], novitiorum magistros, praesidentes, seu superiores eligere, et ad ordines sacros suscipiendos, et, ad triennium tantum, quoscumque religiosos capacitatem et aetatem a sacris canonibus requisitas habentes praesentare possint, neque eam aetatem, quae per constitutiones et declarationes dictae Congregationis montis Cassini super vigesimoprimo capite regulae eiusdem sancti Benedicti praescripta reperitur, neque etiam quinque annorum spatium, quo durante novi professi sub magistris novitiorum morari debent, expectare teneantur, sed ad triennium tantum, et dummodo eligendi trigesimum saltem eorum aetatis annum expleverint, concedimus et indulgemus.

1 Edit. Main. habet *ad quae*; nos visum fuit opus emendationis (R. T.).

2 Turbatissime edit. Main. legit *suffragari auctus fuerit, in priores*, etc. (R. T.).

Monachis congregationis sancti Vitonis pro hac vice tantum facultas datur manendi in nova Congregatione.

§ 6. Praeterea, ob superiorum penuriam, quae in Congregatione per praesentes erectâ in hoc institutionis eius primordio, ut asseritur, existit, religiosis illis, tam superioribus quam non superioribus, qui a dictâ Congregatione Lotharingiae, cui se submiserant, de ipsius superiorum licentiâ et consensu profecti et in Galliam dimissi fuerunt, quique sic dimissi in conventibus reformandis et reformatis praedictis sedulam et quidem fructuosam operam, ut accepimus, impenderunt, in Congregatione per praesentes erectâ, de consensu tamen Congregationis sanctorum Vitonis et Hidulphi huiusmodi, remanere possint, licentiam et facultatem impertimur, et[1] pro potiori eorum cautelâ, ac quatenus opus sit, eos a iuramentis, subiectione et obedientiâ per ipsos dictae Congregationi Lotharingiae praestitis et promissis (vero existente tamen, ut praefertur, consensu superioris eiusdem Congregationis Lotharingiae) absolvimus, eximimus et liberamus. Porro praedictam domum Sancti Guilielmi, eiusque conventum, priorem, et monachos, ac res et bona quaecumque, dictae Congregationi per praesentes erectae aggregamus. Denique in protectorem dictae Congregationis per praesentes erectae dictum Henricum cardinalem deputamus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties

1 Praep. *et* nos addimus, pucto deleto (R. T.).

illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam, sub quacumque posteriori datâ per vicarium generalem et monachos Congregationis per praesentes erectae quandocumque eligendâ, concessas esse et fore; sicque per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictorumque Ordinis et monasteriorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda esset, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Officia claustralia supprimuntur in monasteriis, in quibus reformatio fuerit introducta.

§ 9. Volumus autem, quod officia claustralia suppressa et extincta sint et esse censeantur, quatenus in ipsis monasteriis reformatio huiusmodi vere et realiter introducta fuerit, seu introducatur, et non aliàs, sicque suppressa et extincta remaneant, donec et quousque reformatio sic introducta in eis duraverit, et non ultra, ita ut in eventum, in quem illam cessare vel extingui quandocumque contigerit, officia praedicta in pristinum statum ipso iure revertantur, ita quod, ut prius in titulum conferri, et de illis eorumdem monasteriorum monachis respective provideri debeat.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 maii 1621, pontif. an. I.

XI.

Erectio hospitii et collegii Gregoriani in Urbe pro universis monachis sub regulâ sancti Benedicti militantibus, unâ cum privilegiorum concessione [1].

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Salvatoris nostri Iesu Christi, Dei Patris Unigeniti, qui, ut nos, religione claris vitae probatae exemplis comprobatâ, caelestis patriae cultores efficeret, de summis caelorum ad[2] huius mundi infima descendere et in arâ venerandissimae crucis in pretium immolari non abnuit, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices curas, quae nobis ex apostolatus officio incumbere dignoscuntur, illam per quam religio ipsa, praesertim sancti Benedicti, quae longâ et continuatâ multorum seculorum serie effloruit, multiplicatis illius cultoribus, quorum assiduis precibus et fructuosis operibus Deus ipse propitiatur, nostris temporibus amplificetur, eiusque religiosi, ad almam Urbem nostram pro negotiis confluentes, ab inopiâ et indecenti quaestu revocentur quantum cum Deo possumus libenter amplectimur; et, ut feliciter id subsequi valeat, eiusdem officii partes, ut piissimi pastoris est, favorabiliter impertimur: prout etiam nobis et Apostolicae Sedi devotarum personarum eiusdem religionis pia vota ad hoc tendere, et in Deo conspicimus salubriter expedire.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Praep. *ad* nos addimus (R. T.).

Causae erectionis huius hospitii et collegii.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Constantini Caietani, abbatis monasterii sancti Baronti, Ordinis sancti Benedicti, Pistoriensis dioecesis, Congregationis Cassinensis, familiaris continui commensalis nostri, petitio continebat, quod (licet inter omnes disciplinae regularis ordines is maxime conspicuus esse dignoscatur, qui a sancto Benedicto abbate fundatus, saluberrimisque institutis excultus est; et quem olim tot imperatores, tot reges, tot duces, tot principes, regalibus sceptris, regnorumque, et provinciarum gubernaculis depositis, ingressos fuisse, vitamque monasticam in eo duxisse, ac ex quo tot religiosos in sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et praelatos assumptos, totque ad summi apostolatus apicem evectos fuisse constat, ut longâ et continuatâ multorum seculorum serie Ecclesia ipsa nullos alios, quam familiae Benedictinae alumnos, Summos Pontifices habuerit; ex eoque iam ab antiquissimis temporibus admirabili doctrinâ et sanctitate praediti viri prope innumerabiles prodierunt) nihilominus omnes monachi, sub vexillo dicti Ordinis sancti Benedicti militantes, non uni et eidem superiori subsunt, sed in aliquibus regionibus particularium monasteriorum abbatibus et prioribus, in aliis vero Cassinensis etiam, in aliis aliarum congregationum superioribus subsunt. Et hinc fit, ut, cum in almâ Urbe nostrâ nullum praefati Ordinis, nisi praefatae Congregationis Cassinensis coenobium seu regularis locus existat, eiusdem Ordinis monachi, qui ad illam, devotionis seu peregrinationis ac liminum apostolorum visitandorum seu etiam negotiorum vel studiorum causâ, ex omnibus christiani orbis partibus incessanter confluunt, si praefatae Congregationis Cassinensis non sunt[1], non modo secularium personarum more, eisque promiscui, in publicis hospitiis, atque etiam privatorum aedibus vivant; quin etiam plerique, consumptis in longinquis itineribus et peregrinationibus, sive negotiis, quas asportaverant, pecuniis, ad inopiam redacti, seu morbo aliquo correpti, ostiatim, ad singula privatarum aedium vestibula cum maximâ monachalis habitus atque status indecentiâ, sacerdotalisque dignitatis vilipendio, mendicare cogantur; alii etiam, quod peius est, ex rubore et verecundiâ proprii status et mendicitatis, religiosum habitum non sine gravi laicorum scandalo deponant. Quorum infelicem statum dictus Constantinus abbas, sic in almâ Urbe nostrâ residens, fraternâ atque christianâ charitate miseratus, tandem animi cogitationem ad operosiorem et diuturniorem immo vero perpetuam extraneorum illorum monachorum confratrum suorum subventionem attollens, his incommodis opportunâ ratione remedium afferri posse cogitavit, si in dictâ Urbe aliquod hospitium seu collegium (in quo omnes monachi dicti Ordinis quarumcumque exterarum regionum, Romam devotionis, seu negotiorum, vel studiorum causâ adventantes, recipiantur et convivant) instituatur.

Concessa facultas constituendi hospitium in Urbe domino Constantino abbati Caietano a cardinale Montalto, uti congregationis Cassinensis protectore per suas patentes litteras.

§ 2. Hocque suo consilio venerabilibus fratribus nostris, Alexandro episcopo Albanensi Montalto, praefatae Congregationis Cassinensis, necnon Octavio episcopo Praenestino Bandino nuncupatis, sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, Congregationis Bursfeldensis in Germania eiusdem Ordinis respective protectoribus, communicato, cum eos non approbatores modo, sed pii huiusce sui propositi laudatores habuisset, in eam rem alacriori studio sibi incumbendum ratus, ab eodem Alexandro episcopo cardinale litteras patentes obtinuit: quibus idem Alexander episcopus cardinalis ei, reservato tamen Sedis Apostolicae beneplacito, ut in quocumque

[1] Hac verba *non sunt* addenda censuimus (R. T.).

dictae Urbis loco et situ commodo et decenti sibi beneviso hospitium seu collegium, ad effectum recipiendi quoscumque monachos ex omnibus mundi partibus ad eamdem Urbem devotionis et negotiorum causâ accedentes, construere posset, facultatem concessit: ac omnia et quaecumque instrumenta super acquisitione situs ad id necessarii celebrata et celebranda approbavit: ac collegio seu hospitio sic construendo omnia bona, res, proprietates et eleemosynas ei relicta et relinquenda applicavit et appropriavit: ipsumque Constantinum abbatem collegii seu hospitii huiusmodi sic erigendi illiusque fabricae ministrum et curatorem, cum facultate illius redditus tunc praesentes, si qui essent, et futuros exigendi (citra tamen illius bonorum alienationem), illiusque lites et causas defendendi, et ad illas unum vel plures procuratores substituendi, constituit et deputavit.

Qui diversas domos et aedificia emit, suam supellectilem et libros aliaque supra dicto hospitio et collegio donat.

§ 3. Atque dictus Constantinus abbas, hac licentiâ fultus, sanctum hoc opus, piâ meditatione conceptum, re ipsâ aggredi statuit: datâque sibi certâ spe et fiduciâ, quod, si opus institutionis dicti hospitii seu collegii inchoaretur, quamplurimi Italiae, Galliae, Hispaniae, Germaniae, Portugalliae, atque Poloniae, necnon Lotharingiae, Flandriae, aliarumque regionum et provinciarum abbates, ad quorum notitiam dicti Constantini abbatis intentio, nonnullorum monachorum in Urbe degentium relatione, devenerat, fabricae opus promovere et pro stabiliendâ illius dote adiutrices manus porrigere intendebant, diversas domos et aedificia necnon situs acquisivit a dilectis in Christo filiabus Victoria, Laura et Lucretia quondam Laurentii de Castellanis, ac dilecto filio Tiberio quondam Pauli Alberini, tam per viam emptionis, quam perpetuae conditionis emphyteoticae, de pecuniis ex parsimoniâ atque industriâ seu licite acquisitis ad opus hospitii seu collegii. Ad quod, si instituatur, omnem suam supellectilem, omnesque libros, quos magnâ in quantitate, magnique valoris habet (ut monachi pro tempore in eo degentes studere, rudioresque ab eruditioribus, iuxta cuiusque captum seu capacitatem, tam publice quam privatim, doceri possint), aliaque omnia sua transportare, illaque ei donare et relinquere intendit, et ex nunc, prout postquam dictum collegium seu hospitium institutum fuerit, donat et relinquit.

Quidam christifideles cesserunt iuribus sibi competentibus in quadam domo.

§ 4. Et dilecti filii Ioannes Baptista et fratres quondam Marsilii e Mancinis, solâ pii huiusce operis, licet nondum inchoati, famâ ad charitatem excitati, iura sibi competentia supra unâ eorum domo contiguâ in eumdem Constantinum abbatem, nomine dicti Ordinis, cessionis titulo, gratis, et tam laudabilis operis intuitu trastulerunt; prout in diversis publicis instrumentis, seu aliis scripturis, dicitur contineri.

Pontifex approbat contractus emptionis, donationis, ac defectus supplet.

§ 5. Quare pro parte dicti Constantini abbatis (asserentis, se dictum Ordinem in monasterio sancti Nicolai de Arena Catanìensi expresse professum, et ex civitate Syracusana oriundum existere, ac primo dicto monasterio praesse) nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus hospitium seu collegium huiusmodi instituere, ac aliàs in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, quibus nihil umquam accidere potest optatius, nihil iucundius, quam dum intelligimus hisce nostris temporibus religiosos aliquos emergere, qui de eâ, quam professi sunt, religione non propagandâ modo, sed et exornandâ solliciti sunt, sanctum in primis et laudabile dicti Constantini abbatis propositum plurimum in Domino, gratiarum omnium auctore, commendantes, ipsumque Constantinum abbatem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure

vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, eumque paternâ benevolentiâ complectentes, ac sperantes quod, si dictum hospitium seu collegium instituatur, illius institutio non solum in divini cultus augmentum praefatique Ordinis ornamentum, ac illius monachorum subventionem, sed etiam in dictae Urbis nostrae ornatum, ac christifidelium spiritualem consolationem cessura sit; necnon situum, aedificiorum et locorum emptorum, conductorum, donatorum et cessorum respective situationes, confines, vocabula et denominationes praesentibus pro expressis habentes; nec non contractus emptionum et conductionum, atque donationes, seu cessiones, ut praefertur, factas, ac etiam emptiones et acquisitiones aliorum situum et bonorum ad usum fabricae dicti hospitii seu collegii pro tempore faciendas, ex nunc, prout postquam factae fuerint, ea approbantes et confirmantes; omnesque tam iuris quam facti ac solemnitatum, quantumvis substantialium, et circa praemissa requisitarum seu requirendarum, defectus, si qui iam intervenerint, aut pro tempore intervenisse apparuerint, harum serie supplentes, huiusmodi supplicationibus inclinati:

Facultatem domino Constantino abbati concedit, ut possit construere hospitium et collegium Gregorianum nuncupandum pro monachis totius Ordinis S. Benedicti ad Urbem accedentibus.

§ 6. Eidem Constantino abbati, ut in dictâ Urbe, ac sitibus, aedificiis et domibus, a dilecto filio nostro in dictâ Urbe eiusque districtu vicario in spiritualibus generali et dicto Alexandro episcopo cardinale prius approbandis et visitandis, unum hospitium seu collegium pro receptione monachorum extraneorum totius Ordinis sancti Benedicti, et sub eius regulâ militantium, ad Urbem devotionis seu negotiorum vel studiorum causâ pro tempore accendentium, unâ cum refectorio, dormitorio, cellis et partibus necessariis, construere, seu construi facere, libere et licite possit et valeat, licentiam et facultatem, apostolicâ auctoritate, concedimus et impertimur.

Collegii superiorem erigit in abbatem praesidentem eiusque vices gerentem nuncupari praepositum iubet.

§ 7. Illudque ex nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam constructum et ad convenientem formam, ita ut in eo monachi recipi et habitare possint, reductum fuerit, in hospitium seu collegium monachorum extraneorum dicti Ordinis Gregorianum nuncupandum; in quo adsit unus superior, qui abbas praesidens, unusque vicepraesidens, qui praepositus vocentur; et in quo monachi dicti Ordinis, ad eamdem Urbem devotionis seu studiorum vel negotiorum causâ accendentes, recipi, ibique (durante eorum in dictâ Urbe mansione) habitare, pernoctare, et, quoad illius redditus ferre poterunt, charitative tractari, eorum necessitates sublevari, et in casu infirmitatis curari possint et debeant; et quamdiu inibi fuerint, theologiae et iuris canonici, aliisque liberalium artium studiis, sub aliquibus eiusdem hospitii seu collegii professoribus, tam publice quam privatim, vacare possint; et sub curâ, gubernio et obedientiâ dicti abbatis praesidentis (qui in eos, aliasque dicti hospitii seu collegii personas et servientes superioritatem exerceat, illiusque bona gubernet, ac de redditibus in illius usum disponat) vivant, illique uti superiori obedientiam praestent, et aliàs, ad instar quorumcumque aliorum hospitiorum seu collegiorum quorumvis Ordinum tam in dictâ Urbe quam in quacumque aliâ mundi parte et regione institutorum, perpetuo, sine alicuius praeiudicio, erigimus et instituimus.

Quaedam bona per dictum Constantinum abbatem relicta et per alios christifideles relinquenda pro onerum supportatione applicat.

§ 8. Illique sic erecto et instituto, pro onerum illi incumbentium supportatione, omnia et singula, res, proprietates et bona, in quibusvis rebus consistentia, illi tam per dictum Constantinum abbatem iam relicta, ad valorem annuum centum scu-

torum monetae circiter ascendentia, quam deinceps per quoscumque alios dicti Ordinis abbates et conventus ac alios christifideles, quocumque intuitu, etiam per viam testamenti, codicillorum, donationis etiam inter vivos et causâ mortis, seu cuiuscumque alterius dispositionis, ac etiam in eleemosynam, vel aliàs quandocumque et qualitercumque reliquenda, elargienda, donanda et eroganda, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam relicta, elargita, donata et erogata fuerint (ita quod liceat pro tempore existenti dicti hospitii seu collegii abbati praesidenti, et ab eo deputatis, illorum omnium corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios, nomine dicti hospitii seu collegii, propriâ auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere; fructusque, iura, obventiones et emolumenta exinde provenientia, nec non oblationes et eleemosynas eidem collegio seu hospitio elargienda percipere, colligere, levare, arrendare et locare; ac in dicti hospitii seu collegii et monachorum in eo pro tempore degentium usus et utilitatem ac necessitates convertere, vicarii Urbis huiusmodi vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, dictâ auctoritate etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Collegium, abbatem, praesidentem, monachos et alias personas a iurisdictione, correctione, etc. vicarii Urbis et superiorum congregationis Cassinensis eximit.

§ 9. Nec non hospitium seu collegium, ac eius abbatem, praesidentem, praepositum et monachos, aliasque personas et bona, tam mobilia, quam immobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis existentia, ac ubilibet consistentia, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate praefati nostri, et pro tempore existentis in eâdem Urbe vicarii, ad instar aliorum locorum regularium in dictâ Urbe existentium, ac Ordinis seu Congregationis Cassinensis huiusmodi superiorum (ita tamen quod singulis annis ab uno seu duobus ex procuratoribus generalibus congregationum dicti Ordinis in Urbe praefatâ degentibus, qui si quid correctione aut reformatione dignum invenerint, eiusdem hospitii seu collegii protectori pro tempore existenti quamprimum referant, per turnum visitari debeat),

Collegium liberat a contributione et solutione decimarum, aliorumque onerum.

§ 10. Necnon a praestatione, contributione et solutione decimarum et quorumcumque aliorum onerum ordinariorum et extraordinariorum ex quacumque causâ impositorum et imponendorum, penitus et omnino eximimus et liberamus.

Sub Sedis apostolicae protectione suscipit.

§ 11. Et sub beati Petri Apostoli, ac nostrâ, et Sedis Apostolicae protectione inviolabili conservatione suscipimus; ac correctioni et omnimodae iurisdictioni in spiritualibus et temporalibus dicti Alexandri episcopi cardinalis et protectoris pro tempore existentis (qui etiam illius defensor, conservator, ac iudex ordinarius existat, et coram quo, seu praelato ab eo in viceprotectorem deputando dumtaxat, omnes et singulae lites, quaestiones et molestiae civiles et criminales ac mixtae super hospitii seu collegii huiusmodi bonis, rebus, iuribus, actionibus et personis movendae, cum omnibus earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, privative quoad omnes alios dictae Urbis iudices ordinarios, eorumque tribunalia, cognosci et decidi debeant) submittimus et subiicimus.

Statuit abbatem praesidentem eligendum ex monachis eiusdem collegii, vel ex locis aliis ordinis sancti Benedicti ad quinquennium.

§ 12. Statuentes et ordinantes, quod dicti hospitii seu collegii abbas praesidens a monachis in eo pro tempore degentibus, ex eorum gremio, seu ex quocumque alio eiusdem Ordinis monasterio, in perpetuum, servatis de iure servandis, eligi; eiusque officium ad quinquennium tantum durare; ac, perpetuis futuris temporibus, omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, quibus praefati Ordinis et Congregationum ac praesertim Cassi-

nensis abbates utuntur, fruuntur et gaudent, similiter et aeque principaliter et absque ullâ prorsus differentiâ, uti, frui et gaudere debeat; hac primâ vice dumtaxat exceptâ, qua eumdem Constantinum abbatem uti fundatorem et pii huius operis auctorem, in gratiam fundationis huiusmodi et laborum, quos illius causâ suscepit, ut peculiari quadam praerogativâ se a nobis cohonestatum fuisse laetetur, tenore praesentium in perpetuum praesidentem et superiorem dicti hospitii seu collegii ad eius vitam, etiam cum facultatibus, privilegiis, atque honoribus, quibuscumque aliis similium locorum et hospitiorum seu collegiorum superioribus concessis et competentibus, eâdem auctoritate constituimus et deputamus.

Dat facultatem protectori, quod possit cogere convicinos ad venditionem domorum et situum, soluto illorum pretio tantum.

§ 13. Ipsique, ac pro tempore existenti dicti hospitii seu collegii protectori, ut (attento, quod illius constructio non solum in divini cultus augmentum, sed etiam in ornatum Urbis cedit), si pro perfectione et ampliatione illius fabricae aliis sitibus et aedificiis seu fundis contiguis opus fuerit, ipsorum situum, fundorum et aedificiorum dominos ad illorum venditionem sibi, ad effectum illa dictae fabricae incorporandi, faciendam, mediante solutione pretii a peritis aestimandi, et non ultra, cogere possint, facultatem impertimur.

Collegium, illius situs et aedificium a fideicommissis hypothecis, etc. eximit, illisque derogat.

§ 14. Et ne contingat, tempore procedente, hospitium seu collegium praefatum, vel ipsum Constantinum abbatem, et pro tempore existentes illius abbates praesidentes et monachos, occasione situum et bonorum pro dictâ fabricâ acquisitorum et acquirendorum, aliqua damna seu molestias pati, omnia et singula situs, domos, fundos, aedificia et loca, in dictam causam empta et emenda, ab omnibus et quibuscumque fideicommissis, substitutionibus, devolutionibus, hypothecis et vinculis, tam notis quam non notis, purificatis et purificandis, si quibus quomodolibet subiecta sint, aut esse, dici, censeri, vel apparere possint, penitus et omnino eximimus et liberamus: ipsisque fideicommissis ad effectum praemissum (cum hoc quod pretia bonorum emendorum in emptionem tot bonorum stabilium seu locorum montium non vacabilium de Urbe convertantur, et loco bonorum fideicommissariorum[1] ad favorem institutorum, substitutorum, et aliàs quomodolibet vocatorum succedant, et fideicommissum, seu hypothecam, aut alia iura super dictis bonis pro dictâ fabricâ emptis et emendis habentes, aut praetendentes, non ad illa, sed ad bona aut loca montium ex illorum pretiis emenda, agere, et actiones suas dirigere possint) specialiter et expresse derogamus.

Cardinalem Montaltum collegio deputat protectorem cum facultate decidendi causas, absolvendi a censuris et condendi statuta quaecumque.

§ 15. Ceterum eumdem Alexandrum episcopum cardinalem, ac pro tempore existentem protectorem dicti Ordinis, in eorum et dicti hospitii seu collegii protectorem (qui omnes illorum causas antedictas audiat et decidat; cum facultate quos, quibus, ubi, quando et quoties opus fuerit, citandi et inhibendi, sub censuris ecclesiasticis ac pecuniariis poenis, aliaque necessaria et opportuna faciendi; necnon quaecumque statuta et ordinationes, capitula et decreta ipsius hospitii seu collegii, illiusque bonorum et personarum directionem, administrationem, gubernium et receptionem monachorum extraneorum, eorumque vivendi normam concernentia, ac alia utilia et necessaria, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus, decretisque Concilii Tridentini, et institutis ipsius Ordinis minime contraria, faciendi et condendi; ac quoties pro rerum, temporum et personarum qualitate, seu aliàs expediens videbitur, immutandi, corrigendi, alterandi, moderandi, reformandi et alia etiam ex integro condendi; quae, postquam correcta et condita fuerint, eo ipso apostolicâ auctoritate ap-

1 Vel potius legendum *fideicommissorum* (R. T.).

probata et confirmata esse censeantur) pari auctoritate deputamus.

Indulget dicto hospitio et collegio, ut possit gaudere privilegiis universo Ordini sancti Benedicti eiusque Congregationibus et praecipue Cassinensi concessis.

§ 16. Denique eidem collegio seu hospitio, eiusque abbati praesidenti et personis, ut omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, peccatorum remissionibus, ceterisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibusvis aliis Ordinis praefati et congregationum praesertim Cassinensis huiusmodi hospitiis, collegiis et monasteriis, tam in praedictâ Urbe quam in quibuscumque aliis mundi partibus, civitatibus et locis existentibus, eorumque personis, in genere vel in specie, etiam per viam simplicis communicationis, ac aliàs quomodolibet nunc et pro tempore concessis, et quibus illa et illae de iure, usu, statuto, consuetudine, privilegio aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possint, non solum ad eorum instar, sed pariter et pariformiter, ac aeque principaliter, et absque ullà prorsus differentiâ, in omnibus et per omnia perinde ac si illa dicto hospitio seu collegio, illiusque personis specialiter et expresse, ac in individuo concessa essent, aeque perpetuo indulgemus.

Dat facultatem aggregandi quaecumque Benedictinorum loca, iisque ea ipsa omnia privilegia communicandi.

§ 17. Illisque, ut quaecumque alia dicti Ordinis hospitia seu collegia, monasteria et regularia loca, hospitio seu collegio per praesentes erecto, de licentià illius protectoris pro tempore existentis, aggregare, illiusque omnia et singula, gratias, indulta et privilegia eis per praesentes concessa, et deinceps tam principaliter quam extensive et communicative concedenda, communicari possint, dictà auctoritate concedimus.

Inhibet ne libri amoveantur a collegii bibliotheca.

§ 18. Postremo autem, tam praefato Constantino abbati quam pro tempore existenti hospitii seu collegii abbati praesidenti, ceterisque personis tam regularibus quam secularibus, sub excommunicationis maioris poenâ, ne ullo unquam tempore libros aliquos, qui tam ab ipso Constantino abbate, quam quibusvis aliis eidem hospitio seu collegio pro illius monachorum usu donati et assignati, seu empti, et in particulari inventario, quod desuper fieri debeat, descripti et annotati fuerint, ex illius bibliothecâ, Anicianâ nuncupandâ, mutare, vendere, aut quoquomodo distrahere audeant seu praesumant, districtius inhibemus.

Decretum praeservativum.

§ 19. Decernentes praesentes litteras, sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, per nos vel alios Romanos Pontifices successores nostros, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, etiam motu proprio, seu ad quorumvis imperatorum, regum aut aliorum principum instantiam, pro tempore factis, minime comprehendi, sed tamquam pro loci pii ad divini cultus et piorum operum augumentum erectione concessas, ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum in quo antea quomodolibet erant statum, restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub datà per cardinalem pro tempore protectorem, necnon collegii seu hospitii huiusmodi abbatem praesidentem et monachos, quandocumque eligendà, de novo[1] concessas esse et fore, suumque plenarium effectum sortiri debere; sicque ab omnibus censeri, atque ita, et non aliàs, per quoscumque iudices, etiam palatii apostolici causarum auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales iudicari et definiri debere.

Derogatio contrariorum.

§ 20. Non obstantibus praemissis, ac nostris de indulgentiis et gratiis ad instar non concedendis, et, si opus sit, de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque vero valore, ac Lateranensis Concilii novissime

1 Voces *de novo* inutiliter repetitae (R. T.).

celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis; ac felicis recordationis Gregorii Papae XIII de solvendo augmento ex causâ retractus, vel iuris congrui, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Urbis et Ordinis praefatorum, illiusque monasteriorum et regularium locorum, ac Urbis praefatae, et quorumvis illius tribunalium (iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis, reformationibus, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dilectis filiis Ordinis illiusque monasteriorum regulariumque locorum huiusmodi superioribus, ac etiam Urbi et senatori, populoque romano, necnon vicario, gubernatori, senatori, conservatoribus, auditori camerae eiusdem nostrae Urbis, eorumque locatenentibus, vicesgerenti, vicariis, officialibus et quibusvis aliis iudicibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, ac nos, et Sedem praefatam, motu simili ac etiam consistorialiter, etiam iteratis vicibus, in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 21. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis et sigillo protectoris pro tempore existentis eiusdem hospitii seu collegii munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, ac ubique locorum, quae ipsis originalibus adhiberetur, si ostensae vel exhibitae forent.

Decretum irritans.

§ 22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, defectuum suppletionis, concessionum, impartitionis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, exemptionis, liberationis, susceptionis, constitutionis, deputationis, derogationum, indulti, inhibitionis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno incarnationis dominicae MDCXXI, undecimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 maii 1621, pontif. an. I.

XII.

Confirmatio sententiae latae favore camerae apostolicae in regnis Hispaniarum contra iudicem curiae archiepiscopalis Hispalensis iurisdictionem Sedis Apostolicae laedentem [1].

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

Facti series.

Cum, sicut nobis innotuit, in causâ et causis coram dilecto filio magistro Horatio de Oddis in utrâque signatura nostrâ referendario, dilecti filii nostri Francisci tituli sancti Marcelli presbyteri cardinalis tunc nostri et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncii auditore, et ab eodem Francisco cardinale ad infrascripta deputato et substituto, inter procuratorem fiscalem camerae apostolicae ex unâ, et dilectum fi-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

lium Antonium Covarruvias, olim curiae archiepiscopalis Hispalensis iudicem, ex alterâ partibus vertentibus, de et super eo, quod dictus Antonius iurisdictionem apostolicam et nuncii nostri huiusmodi impugnare et impedire, seu impugnari et impediri facere praesumpserit, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, idem Horatius sententiam tulerit, tenoris subsequentis, videlicet:

Auditoris nunciaturae sententia.

Dei nomine invocato. Pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam de iuris peritorum consilio ferimus in scriptis[1] in causâ et causis coram nobis in primâ seu aliâ veriori instantiâ vertentibus inter dictum fiscalem camerae apostolicae accusantem et querelantem ex unâ, et Antonium de Covarruvias, olim archiepiscopatus Hispalensis iudicem, de et super eo, quod dictus Antonius iurisdictionem apostolicam impugnare et impedire, ac impugnari et impediri facere, iurisdictionem quoque illustrissimi domini nuncii, illiusque iudicum delegatorum parvi facere, spernere oretenus et in scriptis, vexari, molestari, capi et carcerari facere, publice excommunicatus celebrare, ac divinis assistere officiis, aliosque excessus et delicta enormia committere ausus fuerit, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, et illorum occasione adversarium, partibus ex alterâ, dicimus, pronunciamus et definitive sententiamus, dictum Antonium reum accusatum de praemissis criminibus culpabilem et de iure punibilem repertum (firmo remanente decreto super solutione expensarum in hac causâ factarum, et salariorum, ac in illius exequutione subsequutâ obligationum et fideiussorum promissione, circa quam nihil innovatum per hanc nostram definitivam sententiam intelligimus et declaramus), ultra excommunicationes et censuras, ipso iure per eum incursas, et per nos declaratas, innodandum fore et esse, prout hac nostrâ definitivâ sententiâ condemnamus, in poenam privationis omnium et quorumcumque beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum et secularium, ac usus exercitii cuiuscumque iurisdictionis, tam civilis quam criminalis, tam ordinariae quam delegatae, ac privationis omnium et quorumcumque beneficiorum, dignitatum ac redituum ecclesiasticorum hactenus obtentorum, et incapacitatis ad omnia alia officia et beneficia ac dignitates in futurum obtinendum, necnon suspensionis a divinis per biennium; prout eumdem Antonium praedictis omnibus privamus, inhabilitamus et incapacem reddimus et suspendimus; et ulterius in poenam relegationis et exilii a civitate et dioecesi Hispalensi ad beneplacitum Sanctissimi, sanctaeque Sedis Apostolicae, sub poenâ reincidentiae ipso facto et iure incurrendâ in casu contraventionis dicti exilii; ac etiam in poenam duorum millium scutorum, quos ex nunc camerae apostolicae applicamus, incorporamus, ac pro applicatis et incorporatis haberi volumus et mandamus; necnon eumdem Antonium condemnamus in omnibus et quibuscumque expensis in hac causâ factis, et praesertim in salariis custodum post dictum decretum, promissionem, fideiussionem, et obligationem respective, quarum taxationem et liquidationem nobis, vel cui de iure, reservamus: et ita dicimus, pronunciamus, et definitive sententiamus, non solum praemisso, sed omni alio meliori modo.

Sententiam huiusmodi ratam habet Pontifex.

§ 2. Nos, sententiam huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, et debitae, ut par est, exequutioni demandari volentes, eamdem sententiam, et in eâ contenta quaecumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti et

1 Edit. Main. legit *in iis scriptis* (R. T.).

solemnitatum, ac alios quoscumque etiam quantumvis substantiales defectus, si qui in praemissis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici vel censeri aut allegari possint, etiamsi tales sint vel fuerint, de quibus (ad hoc ut suppleri possint) specialis et expressa mentio habenda foret, supplemus: eaque omnia et singula valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere;

Clausulae.

§ 3. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI maii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 maii 1621, pontif. an. I.

XIII.

Facultas clero regni Poloniae, et archiepiscopo Gnesnensi, ut regi subsidium praestare possint [1].

Venerabili fratri archiepiscopo Gnesnensi Gregorius Papa XV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Archiepiscopus Gnesnensis cleri nomine subsidium regi offert.

§ 1. Exponi nuper fecisti, quod, attentis praesentibus necessitatibus, periculisque regni Poloniae, cum universo illius clero te ad contribuendum subsidii nomine summam centum quinquaginta millium florenorum monetae illarum partium charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae et Svetiae regi illustri, sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, submisisti.

Ad id facultatem ei elargitur Gregorius.

§ 2. Nos, praedicti Sigismundi regis et dicti Poloniae regni huiusmodi necessitatibus consulere volentes, tibi ac clero praedictis, ut eidem Sigismundo regi, pro dictis necessitatibus regni, subsidium huiusmodi, sponte tamen pro unâ vice et summâ centum quinquaginta millium florenorum huiusmodi dumtaxat, tribuere, praedicto autem Sigismundo regi, eiusque ministris, quod huiusmodi subsidium petere et recipere absque conscientiae scrupulo ac censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu, libere et licite respective possitis et valeatis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam concedimus et impertimur: tibique, ut ad exactionem praedicti subsidii per personas ecclesiasticas tantum, et non alias, procedere debeas, eâdem auctoritate committimus et mandamus; contradictores ac solvere recusantes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, eâdem auctoritate compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tolluntur.

§ 3 Non obstantibus concilio Lateranensi, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum regni huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ac exemptionibus, immunitatibus etiam in corpore iuris clausis, quibusvis, generaliter vel specialiter concessis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem im-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

portantes, eis derogatum esse non censeatur, aut derogari videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro plene expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Pauperes clerici ab hoc subsidio praestando eximuntur.

§ 4. Volumus autem, ut pauperes clerici, qui in redditibus non habent nisi victum necessarium, ad contribuendum minime compellantur.

Transumptis danda fides.

§ 5. Praeterea volumus[1] praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra in omnibus et per omnia adhiberi, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII maii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 maii 1621, pontif. anno I.

XIV.

Sex decimae sex annis persolvendae in dominiis Caroli Emanuelis Sabaudiae ducis pro eodem duce indicuntur[2].

Venerabili fratri Petro Francisco episcopo Saonensi, nostro et Apostolicae Sedis apud dilectum filium nobilem virum Carolum Emanuelem Sabaudiae ducem nuncio.

Gregorius Papa XV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae praestandi duci subsidium.

§ 1. Praestantia dilecti filii nobilis viri Caroli Emanuelis Sabaudiae ducis et Pedemontium principis in nos et Apostolicam Sedem merita poscunt, ut illi, qui, pro catholicâ religione in suis dominiis tuendâ, gravissimis assidue sumptibus premitur, quibus suppeditandis ipsius redditus nequaquam sufficiunt, de aliquo subventionis auxilio ex Apostolicae Sedis benignitate libenter prospiciamus.

Sex decimae sexennio solvendae indicuntur.

§ 2. Motu igitur proprio, ac ex certâ scientiâ, maturâque deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, indicimus et imponimus sex integras decimas, intra sexennium ab initio currentis anni MDCXXI numerandum, unam scilicet quolibet anno, respective exigendas, omnium et singulorum fructuum, redditüum et proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum quorumcumque, tam certorum quam incertorum, secundum verum annuum valorem, quarumcumque cathedralium, etiam metropolitanarum, collegiatarum, et parochialium, aliarumque ecclesiarum, et monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium, et conventualium, prioratuum quoque, praepositurarum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium ac sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, Sylvestrinorum et quorumcumque aliorum Ordinum (non tamen Mendicantium), utriusque sexus, necnon congregationum regularium, ac hospitalium actu pauperum hospitalitatem non exercentium, ac militiarum quarumcumque (non tamen sanctorum Mauritii et Lazari et hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, quae pro sui tutelâ contra Turcas et alios infideles alienis auxiliis continuo egent) in universo ducatu Sabaudiae, et principatu Pedemontium, necnon Niceae Provinciâ nuncupatâ, et toto eius districtu ac territorio, et Statu Oneliae, ac in reliquâ temporali di-

1 Coniunctionem *quod* hic abolemus (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tione dicti Caroli Emanuelis ducis ultra et citra montes existentium, a venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus, canonicis, rectoribus, ceterisque personis ecclesiasticis, secularibus ac quorumvis Ordinum et militiarum regularibus, etiam exemptis ac nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectis, ecclesias, monasteria, et alia beneficia ecclesiastica, secularia vel regularia, etiam militaria supradicta, in titulum, commendam, administrationem, aut aliàs quomodolibet obtinentibus, necnon ab aliis etiam, quibus fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum supradictorum loco pensionum annuarum, aut super illis pensiones annuae, etiam a similium decimarum solutione quantumcumque libera et exempta, et sub quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae apostolicae, et iuramento, etiam de non contraveniendo ac fortasse etiam de non impetrando gratias apostolicas contra huiusmodi exemptiones et concessis non utendo, vallatae, reservatae fuerint, et intra sexennium praedictum dumtaxat reservabuntur, cuiuscumque praeeminentiae, dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existant (exceptis tamen S. R. E. cardinalibus; et quoad parochialium ecclesiarum, aliorumque beneficiorum personalem residentiam requirentium, quorum singulorum fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, et distributiones quotidianae [1], aliaque emolumenta, tam certa quam incerta, valorem annuum centum scutorum monetae illarum partium vere et realiter non excedunt, possessores arbitrio tuo remittimus, quos ab huiusmodi decimarum solutione liberos et exemptos esse volueris et declaraveris): quos omnes supradictos, unicâ singulis annis, dicto sexennio durante, solutione, intra terminum a fraternitate tuâ praefigendum, decimam huiusmodi persolvisse volumus [1], ita ut, qui pensiones solvere debent, etiam nomine pensionariorum decimas huiusmodi persolvant, et deinde in proximis terminis persolvendarum pensionum eam ratam sibi retineant, ad rationem decem pro centenario, nisi eiusdem decimae collectores aut subcollectores ab ipsismet pensionariis eam exigere voluerint.

1 Edit. Main. legit *quotidianas* (R. T.).

§ 3. Decernentes nullas omnino immunitates et exemptiones, etiam ex causâ resignationis, cessionis iurium, concordiae, conventionis, aut quacumque aliâ gravi et onerosâ occasione, quocumque modo concessas, et dicto sexennio durante concedendas (etiamsi possessores, usufructuarii, aut alii pensiones huiusmodi solvere habentes, iuri et actioni petendae vel retinendae portionis et ratae partis pensionarios contingentis iureiurando renunciaverint, et illa libere donaverint, ac facultati repetendi similiter renunciaverint, ac in formâ camerae apostolicae amplissimâ caverint), eosdem pensionarios aliquo modo excusare, seu integram solutionem huiusmodi minuere, vel impedire posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nullis suffragantibus exemptionibus, nisi iis, quae hic exprimuntur.

§ 4. Ut autem supradicta diligenter et fideliter exequutioni demandentur, fraternitatem tuam, cuius fides et prudentia nobis iam pridem cognita et probata existit, et pro tempore existentem nostrum et

Decimarum huiusmodi collector deputatur nuncius apostolicus.

1 Verbum *volumus* nos addimus, ut alibi (R. T.).

Apostolicae Sedis apud eumdem Carolum Emanuelem nuncium, generalem decimarum huiusmodi collectorem, cum omnibus privilegiis, iurisdictionibus et iuribus, huiusmodi collectoribus de iure vel consuetudine quomodolibet competentibus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus: mandantes tibi, ut huiusmodi decimas, a te vel subcollectoribus tuis iuxta declarationes infrascriptas deputandis exigendas, eidem Carolo Emanueli duci, vel ab eo deputato, integre consignari cures; dantes tibi plenam, liberam et absolutam potestatem et auctoritatem supradictos omnes, tam coniunctim quam divisim, ad integram huiusmodi decimae solutionem, etiam per edictum locis publicis affigendum, et sub censuris et poenis ecclesiasticis monendi et requirendi; non parentes, contumaces et fraudantes, in censuras et poenas incidisse declarandi; proprietates, fructus, res et bona ipsorum apprehendendi, et usque ad satisfactionem retinendi; contradictores, perturbatores, molestatores et rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte quovis quaesito colore praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praedictis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, nec non pecuniariis, ceterisque iuris et facti remediis opportunis compellendi; illasque etiam iteratis vicibus aggravandi; dignitatibus, beneficiis, et officiis omnibus privandi, et amovendi, et ad futura inhabiles faciendi; interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis, quandocumque opus fuerit, invocandi; ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi; super irregularitate forsan incursâ dispensandi, et ad pristinum statum omnino restituendi; praeterea collectores et subcollectores fide et facultatibus idoneos in universo ducatu Sabaudiae, ac principatu Pedemontium, nec non Niceae Provinciae nuncupatae, et toto eius districtu ac territorio, et Statu Oneliae, ac in reliquâ temporali ditione huiusmodi, quotquot videris expedire, cum simili vel limitatâ, non tamen absolvendi, potestate, ut infra dicitur, constituendi; eumque vel eos arbitrio tuo revocandi; negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios surrogandi quotiescumque tibi videbitur; in delinquentes et contumaces, per te, vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi, et meritis poenis puniendi; modos et formas in praedictis servandas praescribendi, dubia quaecumque in praemissis forte oritura declarandi, ac prorsus omnia et quaecumque circa ea necessaria et opportuna faciendi, statuendi, et exequendi; etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum. Verum, pro verificando vero valore singulorum beneficiorum, volumus et decernimus, ut locorum Ordinarii in suâ quisque dioecesi, vocato clero unâ cum duabus personis a praedicto Carolo Emanuele duce deputandis, declarare debeant, quantum cuiuscumque beneficii ratione pro huiusmodi decimâ debeatur. Si quis se super huiusmodi declaratione gravatum senserit, gravaminis cognitio ad te pertineat. Exactionem autem huiusmodi decimarum iuxta dictam declarationem in qualibet dioecesi a duobus collectoribus ab episcopo et clero nominandis, et a te per tuas patentes litteras deputandis, faciendam esse; pecunias autem penes personas fide et facultatibus idoneas per quemlibet episcopum deputandas curare, illasque postea, statutis solutionum temporibus, in manus tuas transmittere debere volumus et declaramus; tu vero pecunias praedictas eidem Carolo Emanueli duci aut ab eo deputato consignare curabis.

In unaquaque provincia non nisi decem millia scutorum exigenda.

§ 5. Ceterum (quia non intendimus eidem Carolo Emanueli duci ultra summam annuam decem millium scutorum auri in auro ratione huiusmodi decimarum ex qualibet ex dictis ditionibus, videlicet, ducatus Sabaudiae et principatus Pedemontium et Niceae cum Statu Oneliae, concedere) volumus, ut, si decimae in qualibet ex dictis ditionibus colligendae summam praedictam decem millium scutorum excesserint in notabili quantitate, tu illius ratam partem in qualibet dioecesi respective minuendo, ad dictam summam in qualibet ex dictis ditionibus reducas, ita tamen, ut si in alterâ ex dictis ditionibus decimae huiusmodi ad summam decem millium scutorum non ascenderint, et in alterâ eamdem summam excesserint, non debeant nec possint ex decimis unius excedentis suppleri decimae alterius ditionis deficientis. Ad huiusmodi autem decimarum solutionem beneficia etiam civitatis et dioecesis Salutiarum ad instar aliorum teneri volumus et declaramus.

Pensio collectori assignatur.

§ 6. Volumusque etiam, ut tu ex decimis in principatu Pedemontium et Niceae ac Statu Oneliae praedictis, non autem in ducatu Sabaudiae, ut praefertur exigendis, postquam exactae fuerint, decimam partem pro tuâ provisione retinere possis, ita tamen, ut clerus nihil ratione huiusmodi procurationis, aut aliâ quavis de causâ, ulterius solvat, quam integras decimas supradictas; tu vero ex singulis decem per te, pro tuâ decimâ parte, ut supra exactis, duo nostro et S. R. E. Camerario cum effectu persolvas.

Contraria tolluntur.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, nec non ecclesiarum, monasteriorum, et Ordinum, congregationum, hospitalium, militiarum, et locorum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis; quodque praelatis et personis praedictis, eorumque ecclesiis et locis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto, necnon personis, earumque nominibus, cognominibus, ecclesiis, monasteriis, ordinibus, et locis huiusmodi, mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus in genere et in specie quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; et solutionem decimarum aliter quam secundum antiquam taxam, et nisi in universali decimarum per orbem impositione, fieri prohibentibus; nec non promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis, quibus per impositionem decimae huiusmodi neminem teneri, neque eas quoad praemissa contra quemquam locum habere declaramus; aliisque indultis et litteris apostolicis generalibus et specialibus cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa, aut omnino non inserta, effectus earum impediri quomodolibet valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis; quae omnia contra praedicta nolumus cuiquam suffragari, ceterisque contrariis quibuscumque.

Concilii Viennensis statuta servanda.

§ 8. In percipiendâ vero decimâ praedictâ constitutionem piae memoriae Clementis Papae V etiam praedecessoris nostri in concilio Viennensi editam (et praesertim quod ad monetam currentem exigi, quodque nec calices, nec libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta divino cultui di-

câta, aliaque supellex ecclesiastica ex causâ pignoris capi, recipi vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant) observari volumus[1]; quinimo volumus, ut illius occasione ecclesiae, monasteria, aliaque pia et sacra loca quaecumque debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac divinis in iis cultus Altissimo famulantium et ministrorum numerus nullatenus minuatur, neque eis quoquo modo iniuncta onera aut pia quae exerceri solent opera et officia ullo modo minuantur seu negligantur, sed illorum congrue supportentur onera consueta; nec quisquam, etiam plura aut fortasse beneficia aut pensiones quanticumque valoris obtinens, pro quietantiâ ultra vigesimam partem unius aurei nummi persolvere cogatur;

Transumptis danda fides.

§ 9. Praesentium vero litterarum exempla, etiam impressa, notarii publici manu subscripta, ac tuo sigillo obsignata, eamdem in iudicio et extra illud ubique locorum fidem facere, quam ipsae originales facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII maii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 maii 1621, pontif. anno I.

XV.

Confirmatio nonnullarum litterarum apostolicarum, quibus statuitur, ut ecclesiastici, tam seculares quam regulares, civitatis Bononiensis, ad opera publica concurrant[2].

Gregorius Papa XV, ad futuram rei memoriam.

Recenset Pontificum Constitutiones, quibus statuitur, ut ecclesiastici Bononienses ad publica opera concurrant.

§ 1. Cum aliàs felicis recordationis Gregorius XIII per suas sub die XI iulii MDLXXIII[3], et Clemens VIII, Romani Pontifices praedecessores nostri, etiam per suas sub die X martii MDC in simili formâ Brevis expeditas litteras[1], decreverint et ordinaverint, ut ad refectionem et reparationem, constructionemque pontium, viarum, aggerum, fluminum, aquaeductuum et aliorum similium operum, in publicum, commune, aut privatum beneficium factorum, omnes religiosi regulares et seculares, Mendicantes et non Mendicantes, et quaecumque domus, hospitalia, monasteria, et alia loca pia, et omnes aliae personae quantumvis privilegiatae et exemptae civitatis nostrae Bononiensis, quae ex dictis operibus utilitatem, commodumque consequuntur, pro ratâ concurrere deberent; idemque tempore felicis etiam recordationis Pauli Papae V, etiam praedecessoris nostri, causâ cognitâ, per litteras de illius ordine emanatas servari debere omnino mandatum fuerit:

Easque confirmat.

§ 2. Nos, harum praedictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, omnia et singula in dictis litteris contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV iunii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 iunii 1621, pontif. an. I.

XVI.

Exemptiones nonnullae legatis et vicelegatis, et gubernatoribus civitatis Bononiensis conceduntur[2].

1 Verba *observari volumus* nos addimus, ut sup. pag. 463 *a;* et 481 *b* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.
3 Quas non puto legi in *Bullario* (R. T.).

1 Hae quaque Clem. VIII litterae desunt (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

Gregorius XIII certas exemptiones legato et vicelegato concessit in nonnullis cibariis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, a felicis recordationis Gregorio Papa XIII praedecessore nostro per suas in simili formâ Brevis expeditas literas fuerit ordinatum, pro exemptione piscium pro usu dilectorum filiorum nostrorum, et Sedis Apostolicae in civitate et comitatu nostris Bononiensibus de latere legatorum, et eorum familiis, singulo mense quinque a camerâ Bononiensi eisdem persolvi, et pro carnium exemptione libras sex pariter quolibet mense; ipsis vero legatis absentibus, pro vicelegatorum et gubernatorum usu pro dimidiâ tantum earumdem summarum praestari debere, et quod nihil ulterius pro exemptionibus praetendere quovis alio praetextu possent aut deberent;

Sed cum excessum aliqua in parte fuerit.

§ 2. Retroactis vero temporibus valde excessum fuerit in maximum camerae praedictae praeiudicium, et in dies magis, nisi opportune provideatur, excedetur;

Gregorius summas pro legatis, vicelegatis et gubernatoribus duplicat, et quidquam ultra exigi vetat.

§ 3. Nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, attentâ etiam mutatione et qualitate temporum, summas praedictas in eorumdem legatorum, aut vicelegatorum, aut gubernatorum respective usum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, duplicamus, declarantes et ordinantes, ut nihil ultra, quovis modo, aut quavis ratione vel causâ, pro dictis aut aliis exemptionibus, petere aut praetendere possint, et in reliquis praedictas Gregorii praedecessoris litteras, auctoritate et tenore praedictis, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iunii MDCXXI pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 iunii 1621, pontif. an. 1.

XVII.

Causae ecclesiasticorum et locorum piorum civitatis et dioecesis Bononiensis in primâ instantia in foro archiepiscopali cognoscendae [1].

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiarum praelatos, praesertim sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, qui universalis Ecclesiae servitio assistentes assiduos nobiscum pro eâ labores suscipiunt, specialibus favoribus et gratiis libenter prosequimur, prout conspicimus salubriter in Domino expedire.

Statutum, de quo in rubrica.

§ 1. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ et merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in foro archiepiscopali ecclesiae Bononiensis (cui dilectus filius noster Ludovicus tituli sanctae Mariae Transpontinae presbyter cardinalis Ludovisius nuncupatus sanctae Romanae Ecclesiae camerarius, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, ex concessione et dispensatione apostolicâ praeesse dignoscitur) omnes et quaecumque causae personarum ecclesiasticarum utriusque sexus ac piorum locorum civitatis et dioecesis Bononiensis, cuiuscumque qualitatis causae ipsae existant, et ad quamcumque summam ascendentes, tam civiles quam criminales et mixtae, et tam activae quam passivae, contra quoscumque, tam ecclesiasticos quam laicos, tam seculares quam cuiusvis Ordinis et instituti regulares, etiam privative quoad eorum conservatores, necnon etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere le-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

gatos, et quoscumque alios, tam ordinariam quam delegatam iurisdictionem habentes, in primâ istantiâ, tam hactenus motae quam in futurum movendae in curiâ et foro archiepiscopali (in quo forte, ut asseritur, extat consuetum, quod clerici actores trahunt laicos reos, per officiales et iudices ab ipso Ludovico cardinale, ac eius in dictâ ecclesiâ successoribus[1], pro tempore deputatos, unâ cum earumdem causarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totisque negociis principalibus, audiri, cognosci et fine debito, prout iuris fuerit, terminari, et debitae exequutioni demandari omnino debeant, quodque duae sententiae conformes in causis praedictis faciant rem iudicatam, nec ab eis apppellari, restitutio in integrum seu reductio ad arbitrium boni viri peti, seu quocumque alio modo reclamari possit, tenore praesentium statuimus et ordinamus.

Archiepiscopis datae facultates.

§ 3. Dictoque Ludovico cardinali et eius in dictâ ecclesia successoribus praedictis, et ab eo et illis pro tempore deputatis officialibus et iudicibus huiusmodi, omnes et singulos, nec non universitates, collegia, et loca etiam pia, ius et interesse habentia, aut habere quomodolibet praetendentia, citandi, etiam per edictum publicum, constito summarie de non tuto accessu, ac eisdem sub censuris et pecuniariis, aliisque eius arbitrio imponendis, applicandis et moderandis poenis inhibendi, aliaque omnia et singula in praemissis, et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, earumdem tenore praesentium, plenam et amplam facultatem impertimur.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, praesentes literas de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu, praetextu, occasione, vel causâ, etiam ex eo quod regulares huiusmodi, seu eorum procuratores auditi, vel causae, propter quas praesentes emanarunt, examinatae non fuerint, notari, impugnari, rescindi, seu revocari, in ius vel controversiam adduci, easque sub similium, vel dissimilium gratiarum, et concessionum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, factis seu faciendis, minime comprehendi, sed semper validas, firmas et efficaces existere et fore, neque quod idem Ludovicus cardinalis facultatibus per praesentes concessis, etiamsi pluries casus evenerit, usus non fuerit, opponi posse; sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non civitatis et dioecesis Bononiensis huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, nec non quibusvis conservatoriis[1], privilegiis quoque pro electione conservatorum, indultis et litteris apostolicis, nec non quibusvis conservatoriis, quibusvis ordinibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium prae-

1 Edit. Main. legit *successores* (R. T.).

1 Haec verba, quae iterum postea leguntur, vel primâ vel secundâ vice redundant (R. T.).

missorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua, non autem per clausulas generales idem importante, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII iunii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 iunii 1621, pontif. an. I.

XVIII.

Facultas vicelegato Avenionensi eligendi tres viros pro decisione controversiarum inter civitatem Avenionensem et homines burgi de Noves et alios Provinciales vertentium, ratione confinium et iurisdictionis, quam Francorum rex super flumine Durentiae sibi asserit[1].

Venerabili fratri Guillelmo archiepiscopo Seleuciensi, in civitate Avenionensi ac comitatu nostris Venayssino vicelegato, Gregorius Papa XV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas, de qua in rubrica.

Cupientes lites et differentias inter subditos civitatis Avenionensis et comitatus nostrorum Venayssini ex unâ, et subditos charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi burgi de Noves et Provinciales ex alterâ partibus, occasione limitum et confinium territorii Avenionensis et fluminis Durentiae e regione Provinciae, ac etiam ratione iurisdictionis, quam dictus Ludovicus rex super dicto flumine, illiusque alveo, et insulis in eodem alveo sitis praetendit, vertentes terminari et decidi, ac de tuâ fide, prudentiâ, doctrinâ, integritate, ac in rebus agendis experientiâ plurimum in Domino confisi, tibi tres personas, quae insimul cum commissariis seu deputatis a dicto Ludovico rege de litium et differentiarum praedictarum determinatione et decisione agant, eligendi, aliaque omnia et singula in praemissis, et circa ea necessaria et opportuna, etiamsi talia forent, quae mandatum requirerent magis specialem, similiter faciendi, gerendi et exequendi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXVI iunii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 iunii 1621, pontif. an. I.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

XIX.

Episcopis Indiarum occidentalium conceditur facultas lauream doctoratus iis concedendi, qui in scholis collegiorum Societatis Iesu per quinquennium scientiis operam dabunt, ubi studiorum desunt universitates[1].

Gregorius Papa XV, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In supereminenti Apostolicae Sedis speculâ, meritis licet imparibus, Domino disponente constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes, quantum ex litterarum studiis catholica fides augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas cognoscatur et iustitia colatur, ad ea libenter intendimus, per quae litterarum huiusmodi studiis operam sedulo navantes laborum suorum fructus et praemia, sublatis impedimentis quibuslibet, consequi possint.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Concessio facultatis de qua in rubrica.

§ 2. Hinc est, quod nos, supplicationibus charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum consilio, venerabilibus fratribus archiepiscopis atque episcopis Indiarum occidentalium, et, sede illarum vacante, cathedralium ecclesiarum capitulis, ut gradibus baccalaureatus, licentiaturae, magisterii et doctoratus insignire valeant quotquot annis quinque studuerint in collegiis formatis presbyterorum Societatis Iesu insularum Philippinarum, ac de Chile, Tucuman, Fluvii de Plata et novi regni Granatensis, aliarumque provinciarum et partium earumdem Indiarum, ubi non sunt universitates studii generalis, quae a publicis universitatibus ducentis saltem milliaribus distant, ita ut gradus huiusmodi ubique locorum suffragentur (dum tamen iidem, ut praefertur promovendi, prius gesserint actus omnes, qui in universitatibus generalibus fieri consueverunt pro his gradibus adipiscendis, atque a rectore et magistro collegii approbationem obtinuerint), quodque tempus, quo quis in praedictis collegiis studuerit, computetur, et prosit ad effectum lucrandi, quos vocant, cursus in universitatibus Indiarum occidentalium, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derorogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque universitatum generalium (iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque rectoribus, magistris, clericis et personis, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, etiam iteratis vicibus, concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facta[1] foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et sufficienter insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX iunii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 iulii 1621, pontif. anno I.

XX.

Erectio officii perpetui, ad instar aliorum officiorum Romanae Curiae, vacabilis pro uno notario, specialiter deputato ad formandum, privative quoad alios quoscumque notarios, processus coram S. R. E. cardinalibus super qualitatibus promovendorum a Summo Pontifice ad cathedrales ecclesias et monasteria consistorialia, eorumque statu, cum privilegiorum et gratiarum elargitione[2].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Consuevit Romanus Pontifex, in supremo apostolicae potestatis solio ex praepotentis

1 Potius lege *facienda* vel *habenda* (R. T.).

2 De formâ autem promovendi ad huiusmodi ecclesias et dignitates, et qualitatibus promovendorum, ultra disposita per sacros canones in cap. *Cum in cunctis* de election., et Conc. Trid. decreta, sess. VII, cap. I, et sess XXV, cap. I de Reform., vide etiam in Constit. XVII Gregorii XIV *Onus*, tom. IX, pag. 419.

Dei, cuius vices in inferiore hoc orbe gerit, providentiâ constitutus, qui suos actus providâ moderatione dirigit, si quid in publicum vel privatum praeiudicium aliquando processisse, ac etiam ex defectu debitae provisionis et animadversionis inveterasse comperit, id de medio tollere, ac in litteris etiam nonnunquam per novorum officiorum (viris fide, ingenio, industriâ, solertiâ et diligentiâ pollentibus, qui officia ipsa fideliter, ut convenit, exercere, et suo muneri respondere sciant, velint et valeant, committendorum creationem[1] ex debito sui pastoralis officii providere, et in his quoque eiusdem officii sui partes interponere, prout, rerum, temporum et personarum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Causa huius erectionis.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis innotuit, antea in formandis et instruendis processibus, qui super qualitatibus promovendorum per Romanos Pontifices pro tempore existentes ad quarumcumque cathedralium ecclesiarum pastorum solatio destitutarum ac monasteriorum consistorialium pro tempore vacantium regimina, ac ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi statu, hîc in curiâ coram sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, etiam pro tempore existentibus, formari et institui consueverunt, quod tamen maxime necessarium videtur, nullus certus hactenus deputatus seu destinatus fuerit notarius, sed ad hoc munus notarii plerumque in eo parum experti,[2] promovendorum ad ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi regimina libito, adhibiti fuerint:

Erectio officio de quo in rubrica.

§ 2. Nos, cui ab ipso nostri pontificatus initio cordi fuit abusus quoscumque ab ipsâ praesertim Romanâ Curiâ, quantum in nobis esset, extirpare atque evellere, et circa ea providâ animadversione, etiam per novorum officiorum, viris fide[3], ingenio, industriâ, solertiâ et diligentiâ, ut praefertur, pollentibus, committendorum erectionem, ubi id opportunum et conveniens fore censeremus, prospicere; motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et merâ deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, unum perpetuum notariatus officium ad instar aliorum Romanae Curiae officiorum vacabile (cuius concessio, et omnimoda alia dispositio, quoties illud per obitum, resignationem, privationem, aut aliàs quovis modo vacare contigerit, ad nos et Romanos Pontifices pro tempore existentes spectet et pertineat) pro uno notario, qui privative quoad alios quoscumque notarios in formandis et instituendis processibus, quos super qualitatibus promovendorum per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem ad quarumcumque cathedralium ecclesiarum pastorum solatio etiam pro tempore destitutarum necnon monasteriorum quorumcumque consistorialium similiter pro tempore vacantium regimina, ac ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi statu, hîc in curiâ coram S. R. E. cardinalibus, aut eorum auditoribus, formari et institui deinceps perpetuis futuris temporibus contigerit, ipsis cardinalibus seu eorum auditoribus assistere, et testium dicta et depositiones in scriptis, per se, vel substitutum idoneum, redigere teneatur ac debeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, erigimus et instituimus:

Dotis assignatio.

§ 3. Illique sic erecto et instituto pro eius congruâ dote omnia et singula emolumenta, regalia et iura per alios notarios, qui antea in formandis huiusmodi processibus eisdem cardinalibus, seu eorum auditoribus, ut praefertur, astiterunt, ac dicta et depositiones testium in scriptis redegerunt, percipi solita et consueta, eisque propterea debita, perpetuo applicamus et appropriamus.

1 Vocem *erectionem* nos addimus (R. T.).
2 Vocem *qui* delemus (R. T.).
3 Edit. Main. habet *fides* (R. T.).

Privilegiorum et gratiarum concessio.

§ 4. Et insuper officium notariatus huiusmodi pro tempore obtinenti, ut in quibuscumque sessionibus, processionibus, necnon equitationibus, etiam solemnibus, Romani Pontificis, et aliis quibuscumque, unâ cum ceteris Romanae curiae notariis, cuiuscumque gradus et conditionis existentibus, interesse, ac omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, antelationibus, aliisque praerogativis et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus camerae nostrae apostolicae notarii de iure, usu, consuetudine seu privilegio, aut aliàs, etiam quoad exemptionem vectigalium, gabellarum et pedagiorum, quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter, non solum ad eorum instar, sed aequaliter et principaliter, ac sine ullâ prorsus differentiâ, uti, frui et gaudere libere et licite possit et valeat, perinde ac si illa sibi per praesentes specialiter concessa fuissent, auctoritate et tenore praemissis perpetuo concedimus et indulgemus.

Electio Odoardi Tibaldeschi ad dictum officium.

§ 5. Et insuper, cupientes officium praedictum, sic per nos erectum, personae idoneae cum primum concedere, de fide, industriâ, solertiâ et diligentiâ, et non vulgari in arte notariatus huiusmodi peritiâ, dilecti filii Odoardi Tibaldeschi clerici Spoletanae dioecesis fide dignis testimoniis certiorati, motu simili, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus [1], officium praedictum a primaevâ illius erectione huiusmodi vacans, cum omnibus et singulis illius honoribus, oneribus, salariis et emolumentis universis, ordinariis et extraordinariis, undecumque ex illius exercitio provenientibus, et illi propterea debitis, praedicto Odoardo, qui, ob urgentes, quibus premimur, necessitates, in nostram et Sedis Apostolicae subventionem summam scutorum mille persolvit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et assignamus: ipsumque ad officium huiusmodi, illiusque liberum exercitium, honores et onera per eos, ad quos spectat et pertinet, spectareque et pertinere poterit, recipiendum et admittendum fore et esse, eique de eiusdem officii iuribus, regaliis, salariis et emolumentis solitis et consuetis integre responderi debere decernimus.

Clausulae praeservativae.

§ 6. Praesentesque, ad probandum plene quod eadem summa in nostram et Sedis Apostolicae subventionem conversa fuerit, aliaque praemissa, ubique tam in iudicio quam extra sufficere; nec ad id probationis alterius adminiculum requiri; neque ipsum Odoardum, eiusque in dicto officio successores, ad easdem praesentes in camerâ nostrâ apostolicâ (iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae IV praedecessoris nostri sub datum VIII idus augusti pontificatus sui anno VI editam [1], inter alia disponentem, quod impetrantes gratias interesse dictae camerae quomodolibet concernentes, illas in eâdem camerâ infra certum inibi expressum tempus praesentare seu registrari facere debeant) praesentandum seu registrari faciendum [2] teneri, neque ad id ullâ unquam necessitate cogi, nec propterea ipsas litteras viribus carere; sed eidem Odoardo, eiusque successoribus praedictis in omnibus et per omnia, perinde ac si iuxta constitutionem praedictam praesentatae seu registratae ac insinuatae, ac omnia ad id necessaria adimpleta fuissent, suffragari; nec non easdem praesentes litteras sub eâ (per quam in principio pontificatus cuiusvis Romani Pontificis cassantur facultates percipiendi pretium quorumvis Romanae curiae officiorum in toto vel parte,

1 Vocem *paribus* nos addimus (R. T.).

1 Hanc Pii IV Constit. vide in tom. VII, pag. 375 (R. T.).

2 Has voces *praesentandum seu registrari faciendum* nos addimus (R. T.).

ac quaevis dispositiones per quemcumque Romanum Pontificem praedecessorem de officiis vacantibus, etiam in vim contractus, et ex titulo oneroso, ac sub quacumque verborum formâ pro tempore factae) et omnino sub aliis quibusvis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis et declarationibus, generalibus et specialibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices, ac Sedem praedictam, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, et aliàs, quandocumque, et ex quibusvis causis etiam pro tempore factis, minime comprehendi, sed ab illis semper exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse, ac Odoardo et successoribus praedictis suffragari; nec non quemcumque eorum de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et cancellariae apostolicae regulis editis et edendis, ceterisque beneficiis, quorum possessores longi temporis aliàs gaudere possunt ac debent et solent, plenissime gaudere: praesentesque vim validi et efficacis contractus, solemni stipulatione interveniente, inter nos et dictam Sedem successoresque nostros et cameram praedictam ex unâ, nec non praedictum Odoardum ex alterâ partibus, etiam ex causâ onerosâ initi habere; nec illas (etiam ex eo quod dictus Odoardus, aut alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, aut aliàs quovis etiam enormis vel enormissimae laesionis praetextu, occasione, vel causâ, etiam gravissimâ et urgentissimâ, ac de necessitate exprimendâ) revocari, nec (etiam pro eo quod dicti officii pretium iuxta currentem illius valorem praestitum vel solutum [1], aut ex aliâ quacumque causâ) de subreptionis, vel obreptionis seu nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut alio quocumque defectu notari, neque propterea, seu aliàs, ad viam iuris reduci posse;

1 Vide annon desint verba *non fuerit* (R. T.).

Decretum irritans. § 7. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam camerarium, et eiusdem camerae praesidentes et clericos (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum. § 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito, aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Urbis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iulii MDCXXI, pontificatus nostri anno I [1].

Dat. die 16 iulii 1621, pontif. an. I.

XXI.

Confirmatio litterarum Nicolai V, Sixti IV et Clementis VII, quibus universitas studii generalis Trevirensis erigitur, concessisque privilegiis nonnullis, ei beneficia aliqua ecclesiastica uniuntur [2].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Universalis Ecclesiae regimini, nullo licet merito nostro, divinâ dispensatione

1 Aliam de hoc notario Constitutionem Pii V vide infra sub data VII decembris MDCXXI (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

praepositi, inter caeteras pastoralis sollicitudinis nostrae curas illam sedulo amplectimur, per quam litterarum studia propagantur, studiorumque generalium collegia et universitates, ad divini nominis laudem et gloriam, animarumque salutem instituta, maioribus in dies proficiant incrementis, ac propterea iis, quae a Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, collegiis et universitatibus huiusmodi concessa et indulta sunt, ut firma et illibata perpetuo subsistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis robur adiicimus, prout conspicimus salubriter in Domino expedire.

Summorum Pontificum litteras de Trevirensi universitate recenset.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Nicolao V, Sixto IV et Clemente VII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Litterae Nicolai Papa V quibus Trevirensis universitas erigitur, eique nonnulla privilegia conceduntur.

§ 2. *Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Inter ceteras felicitates, quas mortalis homo in hac labili vitâ ex domo Dei nancisci potest, ea non in ultimis computari meretur, quod per assiduum studium adipisci valet scientiae margaritam, quae bene, beateque vivendi viam praebet, ac peritum ab immerito, sui preciositate, longe facit excellere et similem Deo reddit. Hoc praeterea illum ad mundi arcana cognoscenda dilucide introducit, suffragatur indoctis, et in infimo loco natos evehit in sublimes. Et propterea Sedes Apostolica, rerum spiritualium et etiam temporalium provida ministratrix, liberalitatis honestae circumspecta distributrix, et cuiusvis commendabilis exercitii perpetua et constans adiutrix, ut eo facilius homines ad tam excelsum humanae conditionis fastigium acquirendum et acquisitum in alios transfundendum semper cum augmento quaesiti inducantur[1] (cum aliarum rerum distributio massam minuat, scientiae vero communicatio quanto in plures diffunditur, tanto semper augeatur et crescat), Sedes, inquam, Apostolica illos hortatur, eis loca praeparat, illos iuvat et fovet, ac favoribus prosequitur gratiosis. Cum itaque, sicut accepimus, venerabilis frater noster Iacobus de Sinch archiepiscopus Trevirensis, et prout etiam dilectus filius noster Arnoldus Heymerici de Clinis litterarum apostolicarum abbreviator et ipsius archiepiscopi secretarius ac in Romanâ curiâ procurator nobis retulit, idem archiepiscopus, non solum ad reipublicae, ac incolarum terrarum sibi subiectarum, sed etiam aliarum mundi partium utilitatem et prosperitatem intendens, in eius civitate Trevirensi tamquam loco insigniori et magis ad hoc accommodo et idoneo, in quo aëris viget temperies, victualium ubertas, ceterarumque rerum ad usum humanum pertinentium copia reperitur, desideret plurimum fieri et ordinari per Sedem Apostolicam studium generale in qualibet licitâ facultate, ut ibidem fides catholica dilatetur, erudiantur simplices, aequitas servetur iudicii, vigeat ratio, illuminentur mentes, et intellectus hominum illustrentur; nos, praemissa ac etiam eximiam devotionis sinceritatem, quam dictus archiepiscopus ad nos et Romanam gerit Ecclesiam, attente considerantes[1], summque laudabile propositum in Domino plurimum commendantes, ferventi studio ducimur, quod civitas ipsa scientiarum muniatur honoribus, ita ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum pollentes ornatibus, et diversarum facultatum dignitatibus eruditos, sitque inibi scientiarum fons irriguus, de cuius plenitudine hauriant universi litterarum cupientes imbui documentis. His igitur omnibus, et praesertim idoneitate dictae civitatis, quae etiam, ut accepimus, ad multiplicanda

[1] Perperam edit. Main. legit *indicantur* (R. T.).

[1] Erronee ibid. legitur *considerantem* (R. T.).

sanctae doctrinae semine, et germina salutaria producenda, valde accomoda existit, diligenti examinatione pensatis, ac ipsius archiepiscopi in hac parte supplicationibus inclinati, ad laudem Domini nominis[1], et eiusdem fidei propagationem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, in eâdem civitate studium generale erigimus: ac statuimus et ordinamus, quod illud inibi perpetuis temporibus vigeat, tam in theologiâ et iure canonico ac civili, quam in quavis aliâ licitâ facultate: quodque legentes et studentes ibidem omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, honoribus, exemptionibus et immunitatibus, etiam per viam et modum perpetuarum conservatoriarum, sub quibusvis modis et formis, concessis magistris, doctoribus, ac studentibus commorantibus sive residentibus in studio generali Coloniensi, gaudeant et utantur: quodque illi, qui processu temporis bravium meruerint[2] in facultate illâ, in qua studuerint, obtinere, ac docendi licentiam, ut alios erudire valeant, necnon magisterii seu doctoratus honorem petierint eis largiri, per doctorem seu doctores, magistrum seu magistros facultatis eiusdem, in qua examinatio fienda fuerit, archiepiscopo Trevirensi pro tempore existenti, et, Trevirensi ecclesiâ pastoris solatio destitutâ, vicario seu officiali in spiritualibus dilectorum filiorum capituli Trevirensis praesententur. Qui quidem archiepiscopus, vel vicarius seu officialis, aliis doctoribus et magistris in eâdem facultate ibidem tunc legentibus convocatis, promovendos eosdem in his, quae ad magisterii seu doctoratus honorem quomodolibet requiruntur, per se, vel alium, iuxta modum seu consuetudinem in talibus in dicto studio Coloniensi servari solitos, examinare studeat[1] diligenter, eisque, si ad hoc sufficientes et idonei reperti fuerint, huiusmodi licentiam tribuat et doctoratus, seu magisterii impendat honorem; illi vero, qui in eodem studio civitatis eiusdem examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam et honorem huiusmodi obtinuerint, ut praefertur, ex nunc, absque aliis examinatione et approbatione, deinceps docendi, regendi et legendi, tam in civitate quam singulis aliis studiis, in quibus regere[2] vel docere voluerint, plenam et liberam habeant facultatem. Praeterea, ut ipsorum magistrorum, doctorum et scholarium dispendiis obvietur, praefato et pro tempore existenti archiepiscopo Trevirensi, ac dilectis filiis abbati monasterii sancti Matthiae extra muros Trevirenses et praeposito Trevirensi necnon Metensis et sancti Florini Confluentiae Trevirensis dioecesis decanis ecclesiarum, ac priori domus sancti Albani extra dictos muros Trevirenses Carthusiensis Ordinis, mandamus, quatenus ipsi, vel duo, vel unus eorum, per se, vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca in quibus deputati sint, praefatis magistris, doctoribus et scholaribus efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittant eos contra huiusmodi privilegia, exemptiones et immunitates, vel super eorum bonis, rebus et iuribus quibuscumque indebite molestari, vel eis damna seu gravamina aut iniurias irrogari, facturi dictis magistris, doctoribus et scholaribus, cum ab eis, vel procuratoribus suis, aut eorum aliquo fuerint requisiti, de praedictis et quibuslibet molestiis, iniuriis, vel damnis praesentibus et futuris (in his videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, summarie et de plano sine strepitu et figurâ iudicii; in aliis vero, prout qualitas ne-

1 Vel potius *divini nominis*, ut in seqq. constit. (R. T.).

2 Edit. Main. legit *meruerunt* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *studeant* (R. T.).

2 Infra in loco parallelo Const. Clem. VII est *legere* (R. T.).

gotiorum exegerit) iustitiae complementum; occupatores, detentores, praesumptores, molestatores et iniuriatores, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis, extiterint, quandocumque et quotiescumque expedire viderint, auctoritate nostrâ per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, illâ praesertim, quae incipit *Statutum*, quod circa iudices, ac de duabus dietis in concilio generali, quodque conservatores de aliis, quam de manifestis iniuriis et violentiis, et aliis quae iudicialem requirunt indaginem poenis in eos, si secus egerint, et in id procuratores adiectis se nullatenus intromittant [1], ac nostris et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, et indulgentiis, et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in litteris nostris mentio specialis. Ceterum volumus, et apostolicâ auctoritate decernimus, quod quilibet ipsorum per nos deputatorum conservatorum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento praepeditus, quodque a datâ praesentium sit eis et cuilibet ipsorum in praemissis omnibus et singulis, coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore, eâque firmitate, in praemissis omnibus, coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, et pro illis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram eis coepta fuerint, stent, et iurisdictio eorum et cuiuslibet ipsorum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata, legitime existere, constitutione praedictâ super conservatoribus, et aliâ qualibet in contrarium editâ non obstante. Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, statuti, ordinationis, mandati, voluntatis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MCDLIV, quarto nonas februarii, pontificatus nostri anno VIII.

Altera eiusdem Nicolai Constitutio, qua praedictae universitati sex canonicatus et tres parochiales ecclesiae addicuntur.

§ 3. *Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Romanum decet Pontificem sic salubriter providère, quod litterarum studia viris litteratis decorentur, ut per eorum doctrinam optati fructus in Ecclesiâ Dei possint suo tempore provenire. Nuper siquidem, per nos accepto, quod venerabilis frater noster Iacobus de Serich archiepiscopus Trevirensis, non solum ad reipublicae ac incolarum terrarum sibi subiectarum, sed etiam ad aliarum mundi partium utilitatem et prosperitatem intendens, in eius civitate Trevirensi, tamquam loco insigniori et magis ad hoc accom-

1 Menda corrigat lector scius (R. T.).

modo et idoneo, in quo aëris viget temperies, victualium ubertas, ceterarumque rerum ad usum humanarum pertinentium copia reperitur; desiderabat plurimum fieri et ordinari per Sedem Apostolicam studium generale in qualibet licitâ facultate, ut ibidem fides catholica dilataretur, erudirentur simplices, aequitas servaretur iudicii, vigeret ratio, illuminarentur mentes, et intellectus hominum illustrarentur; nos, praemissa, ac etiam eximiam devotionis sinceritatem, quam dictus archiepiscopus ad nos et Romanam gerit Ecclesiam, attente considerantes, suumque laudabile propositum in Domino plurimum commendantes, ferventi studio ducti fuimus, quod civitas ipsa scientiarum muniretur honoribus, itaut viros produceret consilii maturitate conspicuos; praefatique archiepiscopi in eâ parte supplicationibus inclinati, ac etiam dilecto filio nostro Arnoldo Heymerici de Clibis litterarum apostolicarum abbreviatore et ipsius archiepiscopi secretario ac in Romanâ curiâ procuratore apud nos non mediocriter sollicitante, ad laudem divini nominis, et eiusdem fidei propagationem, auctoritate apostolicâ in eâdem civitate studium generale ereximus, ac statuimus et ordinavimus, quod illud inibi perpetuis temporibus vigeret, tam in theologiâ ac iure canonico et civili, quam in quavis aliâ licitâ facultate, prout in aliis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cupientes igitur, ut doctores et magistri in eodem studio manuteneri ac statum suum decenter tenere possint, eiusdem archiepiscopi etiam in hac parte supplicationibus inclinati, ac dicto Arnoldo id apud nos incessabiliter promovente, sex canonicatus, et totidem praebendas, ac etiam tres parochiales ecclesias, vel earum perpetuas vicarias, ad ipsius archiepiscopi, seu quorumcumque aliorum collatorum vel collatricum, secularium seu regularium, eiusdem civitatis ac dioecesis Trevirensis, communiter vel divisim, pertinentes, quos et quas idem archiepiscopus duxerit nominandos seu nominandas, universitati dicti studii Trevirensi auctoritate apostolicâ tenore praesentium perpetuo incorporamus, annectimus et unimus; ita quod simul vel successive cedentibus vel decedentibus aliquibus ex canonicis ecclesiarum, in quibus ipsi canonicatus et praebendae fuerint, seu suas inibi praebendas [1], ac rectoribus parochialium ecclesiarum huiusmodi, aut ipsas parochiales ecclesias aliàs quomodolibet dimittentibus, liceat rectori dicti studii Trevirensis pro tempore existenti (si illos et illas per se vel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum acceptandos et acceptandas duxerit) per se, vel alium, seu alios, canonicatuum et praebendarum ac parochialium ecclesiarum huiusmodi corporalem possessionem auctoritate propriâ libere apprehendere, ac illorum et illarum fructus, redditus et proventus in doctorum et magistrorum legentium huiusmodi usus, utilitatemque convertere, et perpetuo retinere, Dioecesani loci et cuiuscumque alterius super hoc licentiâ minime requisitâ. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam per nos editis, illâ praesertim, per quam voluimus, quod semper uniones committantur ad partes, onerando conscientias illorum quibus committuntur, et quod tam uniendorum, quam illorum, quibus uniri petitur, beneficiorum fructus exprimantur, alioquin unio non valeat, cui hac vice dumtaxat derogamus; necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus canonicatus et praebendae huiusmodi forsan fuerint, iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, contrariis quibuscumque: aut si aliqui

1 Subintellige *dimittentibus* quod postea sequitur (R. T.).

apostolicâ vel aliâ quavis auctoritate, in dictis ecclesiis in canonicos sint recepti, vel, ut recipiantur, insistant; seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et praebendis dictarum ecclesiarum, ac huiusmodi, speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus, generales Apostolicae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eos ad inhibitionem, reservationem, et decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum; quas quidem litteras (etiamsi motu proprio et ex certâ scientiâ, et cum quibusvis praerogativis et declarationibus, etiam ad instar nonnullorum familiarium nostrorum in certo libro cancellariae apostolicae descriptorum, et aliis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, vel aliàs effectui praesentium quomodolibet obviantibus, seu praeiudicantibus, etiamsi de illis specialis et expressa mentio praesentibus habenda foret), necnon processus habitos per easdem, et inde sequuta quaecumque, ad praedictos uniendos canonicatus et praebendas ac parochiales ecclesias volumus non extendi; sed nullum per hoc eis, quoad assequutionem canonicatuum et praebendarum aut beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque[1] totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi divinus cultus in dictis ecclesiis non diminuatur, nec animarum cura in eisdem parochialibus ecclesiis negligatur, sed illarum ac canonicatuum et praebendarum huiusmodi et consueta onera congrue supportentur. Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae incorporationis, annexionis, unionis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MCDIV, pridie idus februarii, pontificatus nostri anno VIII.

1 Edit. Main. legit *quorumcumque* (R. T.).

Sixti IV litterae quibus designantur canonicatus et parochiae eidem universitati uniendae.

§ 4. *Sixtus Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* In supremae dignitatis speculâ, licet immeriti, divinâ dispositione constituti, ad universas fidelium regiones, earumque profectus et commoda, tamquam universalis gregis dominici[1], pastoralis speculationis aciem extendentes, fidelibus ipsis ad quaerenda litterarum studia, per quae divini nominis gloria, fideique catholicae cultus protenditur, iustitia colitur, tam publica quam privata res utiliter geritur, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur, libenter favores impendimus, et opportunae commoditatis auxilia, cum a nobis petitur, liberaliter impartimur, et his, quae propterea processisse noscuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, apostolici muniminis adiicimus firmitatem. Dudum siquidem, felicis recordationis Nicolao Papae V praedecessori nostro exposito, quod bonae memoriae Iacobus archiepiscopus Trevirensis, non solum ad reipublicae ac incolarum terrarum sibi subiectarum, sed etiam ad aliarum mundi partium utilitatem et prosperitatem intendens,[2] in eius civitate Trevirensi, tamquam in loco insignori et magis ad hoc

1 Videretur addenda vox *pastor* (R. T.).
2 Vocem *quod* hic delemus (R. T.).

accomodo et idoneo, in quo aëris viget temperies, victualium ubertas, ceterarumque rerum ad usum humanum pertinentium copia reperitur, desiderabat plurimum fieri et ordinari per Sedem Apostolicam studium generale in qualibet licitâ facultate, ut ibidem fides catholica dilataretur, erudirentur simplices, aequitas servaretur, iudicii vigeret ratio, illuminarentur mentes, et intellectus hominum illustrarentur; idem praedecessor praemissa, ac etiam eximiam devotionis sinceritatem, quam dictus Iacobus archiepiscopus ad Romanam gerebat Ecclesiam, attente considerans, ac suum laudabile propositum[1] in Domino plurimum commendans, ferventi studio ductus, quod civitas ipsa scientiarum muniretur honoribus, ita ut viros produceret consilii maturitate conspicuos, praefati Iacobi archiepiscopi in eâ parte supplicationibus inclinatus, ad laudem divini nominis, et eiusdem fidei propagationem, auctoritate apostolicâ in eâdem civitate studium generale erexit; ac statuit et ordinavit, quod illud inibi perpetuis temporibus vigeret, tam in theologiâ ac iure canonico et civili, quam in quavis aliâ licitâ facultate, prout in litteris ipsius praedecessoris inde confectis plenius continetur. Quare pro parte tam venerabilis fratris nostri Ioannis archiepiscopi Trevirensis, quam dilectorum filiorum universorum doctorum, magistrorum, et scholarium universitatis dicti studii (asserentium, quod praefatus Nicolaus praedecessor sex canonicatus, et totidem praebendas, ac tres parochiales ecclesias, vel earum perpetuas vicarias ad ipsius Iacobi archiepiscopi, seu quorumcumque collatorum et collatricum dictae civitatis et Trevirensis dioecesis collationem, provisionem, praesentationem, seu quamvis aliam dispositionem, communiter vel divisim, pertinentes, universitati studii huiusmodi per alias suas litteras perpetuo univit, et quod unio ipsa effectum consequuta non extitit) nobis fuit humiliter supplicatum, ut erectioni, statuto et ordinationi praedictis, pro illorum subsistentiâ firmiori, robur apostolicae confirmationis adiicere; et, ut doctores et magistri praedicti lectionibus intendere et onera eius incumbentia supportare commodius possint, in singulis sancti Simeonis Trevirensis, et sancti Florini, et sancti Castoris in Confluentia, ac in Munstermeinfeldt, et in Dichirchensi, ac in Palatiolo ecclesiis, unum canonicatum et unam praebendam primo vacaturos, necnon in Andernach, et Diedeuhoffen, et Epternach dictae dioecesis, et sancti Laurentii, et sancti Gaugolffi Trevirensis parochiales ecclesias, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, sub onere legendi in universitate huiusmodi, illis per archiepiscopum Trevirensem pro tempore existentem adiiciendo, dictae universitati pro illius doctoribus et magistris dumtaxat perpetuo unire, annectere et incorporare, eosque ex tunc per doctores et magistros praedictos, quibus de illorum fructibus, redditibus et proventibus respondeatur, regi facere, mandare, ac aliàs in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem, secundum communem existimationem, tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, universitatis, canonicatuum, et praebendarum, ac parochialium ecclesiarum huiusmodi veros valores annuos praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem, statutum et ordinationem praedicta, ac omnia et singula in dictis

1 Edit. Main. legit *praepositum* (R. T.).

prioribus litteris contenta, ac promotiones in quavis facultate in ipsâ universitate rite factas, et inde sequuta quaecumque, auctoritate apostolicâ praedictâ, tenore praesentium, approbamus, et plenum firmitatis robur obtinere decernimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; necnon canonicatus et praebendas ac parochiales ecclesias huiusmodi, cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis, universitati dicti studii, eisdem[1] auctoritate et tenore, perpetuo unimus, annectimus et incorporamus; ita quod liceat rectori dictae universitatis ipsorum canonicatuum, et praebendarum, ac parochialium ecclesiarum, cum illos simul vel successive per cessum, vel decessum, seu dimissionem, aut aliàs vacare contigerit, per se, vel alium, seu alios, corporalem possessionem auctoritate propriâ libere apprehendere, ac ipsis rectori et universitati illos ex tunc per doctores et magistros praedictos, quibus de illorum fructibus, redditibus et proventibus praedictis respondeatur, regi facere (servatis tamen congruis portionibus pro perpetuis vicariis dictarum parochialium ecclesiarum, de quibus commode sustentari, episcopalia iura solvere, et alia eius incumbentia onera supportare possint), cuiuscumque super hoc licentiâ minime requisitâ. Non obstantibus voluntate praedicta, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis et consuetudinibus collegiatarum ecclesiarum praedictarum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque; aut si aliqui apostolicâ vel aliâ quavis auctoritate in dictis collegiatis ecclesiis in canonicos sint recepti, vel, ut recipiantur, insistant; seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et praebendis dictarum ecclesiarum collegiatarum, ac huiusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis generales, praedictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, et decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum; quas quidem litteras, necnon processus habitos per easdem, et inde sequuta quaecumque, ad praedictos canonicatus, et praebendas, ac parochiales ecclesias volumus non extendi; sed nullum per hoc eis, quoad assequutionem canonicatuum et praebendarum aut beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Et insuper doctoribus et magistris praedictis, per rectorem et universitatem huiusmodi pro tempore ad tenendum et regendum canonicatus et praebendas ac parochiales ecclesias huiusmodi deputatis, quod ad solutionem aliquarum pecuniarum pro eorum receptione ad illos, et ad servandum annos expectantiae, et residendum, ac solutionem primorum fructuum, et ad alia onera, quemadmodum in aliis universitatibus illarum partium, minime teneantur, et ab oneribus huiusmodi sint liberi et immunes; ac ipsi universitati, quod omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis, concessionibus et favoribus, quibus Coloniensis et aliae universitates studiorum illarum partium gaudent et utuntur, uti et gaudere valeat[1]: necnon rectori et universitati praedictis, quod personas a iure prohibitas ad audiendum leges admittere possint, felicis recordationis Honorii Papae III, etiam prae-

1 Edit. Main. legit *eiusdem* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *valeant* (R. T.).

decessoris nostri, et quibuscumque aliis apostolicis constitutionibus in contrarium editis, non obstantibus, auctoritate apostolicâ praedictâ, tenore praesentium, indulgemus. Volumus autem, quod propter uniones huiusmodi, si effectum sortiantur, ipsorum canonicatuum et praebendarum consueta onera congrue supportentur. Praeterea ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, constitutionis, suppletionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, indulti et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MCDLXXIV, septimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno III.

Constitutio Clementis VII, praecedentes confirmans, nonnullas etiam addit gratias ac declarationes.

§ 5. *Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Quoniam per litterarum studia christifideles bonis moribus, virtutibusque ornantur, et in illis studiosi caelicuo[1] quodam rore respersi sapientiae et intellectus spiritum nacti non solum rebus gerendis bonum exitum parant, saepe etiam cunctis opem praestant consilii sanioris, et per eos fides catholica roboratur; dignum duximus his, quae in favorem studiorum huiusmodi a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris processerunt, ut firma perpetuo et illibata, ac inconcussa persistant, robur nostrae probationis adiicere, ac etiam eisdem studiis insistentes gratiis uberioribus decorare. Dudum siquidem felicis recordationis Nicolao Papae V praedecessori nostro pro parte bonae memoriae Iacobi archiepiscopi Trevirensis exposito, quod dictus Iacobus archiepiscopus, dum in humanis ageret, non solum ad reipublicae ac incolarum terrarum sibi subiectarum, sed etiam ad aliarum mundi partium utilitatem et prosperitatem intendens, in eius civitate Trevirensi, tamquam in loco insigniori et magis ad hoc accommodo et idoneo, in quo aëris vigebat temperies, victualium ubertas, ceterarumque rerum ad usum humanum pertinentium copia reperitur, desiderabat plurimum fieri et ordinari per Sedem Apostolicam studium generale in qualibet licitâ facultate, ut ibidem fides catholica dilataretur, erudirentur simplices, aequitas servaretur iudicii, vigeret ratio, illuminarentur mentes, intellectus hominum illustrarentur; idem Nicolaus praedecessor, praemissa[1] et etiam eximiae sinceritatis devotionem, quam dictus Iacobus archiepiscopus ad Romanam gerebat Ecclesiam, attente considerans, ac suum laudabile propositum in Domino plurimum commendans, ferventi studio ductus, quod civitas ipsa scientiarum muniretur honoribus, ita ut viros produceret consilii maturitate conspicuos, praefati Iacobi archiepiscopi in eâ parte supplicationibus inclinatus, ad laudem divini nominis, et eiusdem fidei propagationem, auctoritate apostolicâ, in eâdem civitate studium generale erexit; ac statuit et ordinavit, quod illud inibi perpetuis vigeret temporibus, tam in theologiâ ac iure canonico et civili, quam in quavis aliâ licitâ facultate; quodque legentes et studentes ibidem omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, honoribus, exemptionibus et immunitatibus, etiam per viam et modum perpetuarum conservatoriarum, sub quibusvis modis et formis concessis magistris, doctoribus et studentibus commorantibus et residentibus in studio generali Coloniensi, gauderent et uterentur; quodque illi, qui processu temporis bravium

1 Vel *caelico* vel *caelifluo* legendum (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *praemissis* (R. T.).

mererentur in facultate illâ, in qua studuissent, obtinere, ac docendi licentiam, ut alios erudire valeant, nec non magisterii et doctoratus honorem peterent eis largiri, per doctorem seu doctores, per magistrum seu magistros facultatis eiusdem, in qua examinatio fienda foret, archiepiscopo Trevirensi pro tempore existenti, et, Trevirensi ecclesiâ pastorum solatio destitutâ, vicario seu officiali in spiritualibus dilectorum filiorum[1] praesentarentur; qui quidem archiepiscopus, vel vicarius, seu officialis, aliis doctoribus et magistris in eâdem facultate ibidem tunc legentibus convocatis, promovendos eosdem in his quae ad magisterii seu doctoratus honorem quemlibet requiruntur, per se, vel alium, iuxta modum seu consuetudinem in talibus in dicto studio Coloniensi servari solitam, examinare studeret[2], qui eis doctoratus seu magisterii honorem impenderent: illi vero, qui in eodem studio civitatis eiusdem examinati et approbati essent, ac docendi licentiam et honorem huiusmodi obtinuissent, ut praefertur, et tunc[3], absque aliis examinatione et approbatione, deinceps docendi, regendi et legendi, tam in dictâ civitate, quam singulis aliis studiis, in quibus legere vel docere vellent, plenam et liberam haberent facultatem. Et deinde idem Nicolaus praedecessor, cupiens ut doctores et magistri in eodem studio manuteneri et statum suum decenter tenere possint, eiusdem Iacobi archiepiscopi supplicationibus inclinatus, sex canonicatus, et totidem praebendas, ac tres parochiales ecclesias, vel earum perpetuas vicarias, ad ipsius Iacobi archiepiscopi, seu quorumcumque aliorum collatorum et collatricum Trevirensis civitatis et dioecesis collationem, provisionem, praesentationem, nominationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, communiter vel divisim, pertinentes, universitati studii Trevirensis huiusmodi perpetuo univit, annexuit, et incorporavit. Et successive piae memoriae Sixtus PP. IV, ad supplicationem bonae memoriae Ioannis archiepiscopi Trevirensis, et universorum doctorum, magistrorum et scholarium universitatis studii Trevirensis huiusmodi, asserentium unionem praedictam tunc effectum consequutam non fuisse, erectionem, statutum et ordinatum praedicta, ac omnia et singula in litteris dicti Nicolai praedecessoris contenta, nec non promotiones in quavis facultate in ipsâ universitate Trevirensi rite factas, et inde sequuta quaecumque, approbavit, et plenum firmitatis robur obtinere decrevit, supplens omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem: necnon in singulis sancti Simeonis Trevirensis, et sancti Florini, et sancti Castoris in Confluentia, et in monasterio Menifeldt, Aindielerichen, ac in Palatiolo ecclesiis unum canonicatum et unam praebendam primo vacaturas[1], nec non in Andernach, Diedenhofren et Epsernach dictae dioecesis, ac sancti Laurentii et sancti Gandolffi Trevirensis parochiales ecclesias, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, dictae universitati Trevirensi pro illius doctoribus et magistris dumtaxat (reservatis tamen congruis portionibus pro perpetuis vicariis dictarum ecclesiarum parochialium) perpetuo univit, annexuit et incorporavit. Et insuper doctoribus et magistris, per dictam universitatem et illius pro tempore rectorem ad tenendum et regendum canonicatus et praebendas ac parochiales ecclesias huiusmodi deputatis, quod ad solutionem aliquarum pecuniarum pro eorum receptione ad illos, et

1 Adde *capituli Trevirensis*, ut pag. 560 *a* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *studerent* (R. T.).

3 Vel potius lege *ex tunc* (R. T.).

1 Potius *vacatura*: supra pag. 564 *b* legitur *vacaturos* (R. T.).

ad servandum annos expectantes, et residendum, ac solutionem primorum fructuum, et alia onera, quemadmodum in aliis universitatibus illarum partium, minime tenerentur, et ab oneribus huiusmodi essent liberi et immunes; ipsique universitati Trevirensi, quod omnibus et singulis libertatibus, privilegiis et immunitatibus, gratiis, concessionibus et favoribus, quibus nedum Coloniensis sed etiam aliae universitates studiorum illarum partium gaudebant et utebantur, uti et gaudere valeret [1]; nec non rectori et universitati Trevirensi praedictis, quod personas a iure prohibitas ad audiendum leges admittere possent [2], auctoritate apostolicâ indulsit, prout in singulis Nicolai et Sixti praedecessorum praedictorum desuper confectis litteris (in quibus, videlicet Sixti praedecessoris, quod dicta ecclesia in Diedenoffen dictae dioecesis erat [3] expressum) plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tam venerabilis fratris nostri Ioannis moderni archiepiscopi Trevirensis quam dilectorum filiorum universorum doctorum, magistrorum et scholarium dicti studii Trevirensis petitio continebat, dicta ecclesia in Diedenoffen non Trevirensis praedictae, sed Metensis dioecesis existit, et propterèa praefatus Ioannes modernus archiepiscopus Trevirensis, ac universi doctores, magistri et scholares dicti studii Trevirensis dubitent, litteras Sixti praedecessoris huiusmodi de subreptionis vitio notari, illarumque effectum frustrari posse tempore procedente; quare pro parte dictorum Ioannis moderni archiepiscopi, ac universorum doctorum, magistrorum et scholarium dicti studii Trevirensis (asserentium unionem, annexionem et incorporationem per Sixtum praedecessorem huiusmodi concessas solum quo ad sancti Simeonis et sancti Castoris ecclesiarum canonicatus et praebendas, et ad sancti Laurentii et sancti Gandolffi et in Epternach parochiales ecclesias praedictas effectum habuisse) nobis fuit humiliter supplicatum, ut singulas dictarum Nicolai et Sixti praedecessorum litteras praedictas, ac omnia et singula in eis contenta approbare et innovare, ac perpetuae firmitatis robur obtinere decernere; nec non unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi, quoad ea in quibus nondum effectum sortita fuerunt, adversus quascumque constitutionum, unionum, annexionum, et incorporationum effectum non sortitarum revocatorias, quae tam a nobis et Sede Apostolicâ, quam a Nicolao et Sixto et quibuscumque aliis Romanis Pontificibus etiam praedecessoribus nostris hactenus emanarunt, pro manutentione dicti studii Trevirensis, in pristinum et in eum statum, in quo ante constitutionum revocatorias ipsas erant, plenarie restituere et reintegrare, et aliàs revalidare, et etiam de novo concedere; nec non, pro uberiori doctorum et magistrorum praedictorum sustentatione, ad unum ex canonicatibus et unam ex praebendis singularum sancti Paulini extra muros Trevirensis in Lymburgh dioecesis, beatae Mariae Wesalia in Wetzflavia in Cardona, in Longwiono, et in Ivodio [1] dictae Trevirensis dioecesis ecclesiarum primo vacaturis extendere et ampliare; ac aliàs in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur (qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum communem aestimationem, tam beneficii uniendi, quam illius, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper

1 Edit. Main. legit *valerent* (R. T.).

2 Edit. Main. habet *possint* (R. T.).

3 Heic supplendum videretur vox *fuit* (R. T.).

1 De rectitudine nominum propriorum fidem facere non possumus (R. T.).

in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, et idem voluimus observari in confirmatione unionum iam factarum) praefatis Ioanni archiepiscopo, doctoribus, magistris et scholaribus, ne litterae Sixti praedecessoris huiusmodi frustrarentur effectu [1], providere volentes, ipsosque Ioannem archiepiscopum, doctores, magistros et scholares dicti studii Trevirensis, et eorum singulos a quibusque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac singulorum, tam priorum quam posteriorum, canonicatuum, et praebendarum, et parochialium ecclesiarum praedictorum fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus, et apostolicâ auctoritate concedimus, quod litterae Sixti praedecessoris huiusmodi, et processus habiti per easdem litteras, nec non unio et annexio et incorporatio praedictae, et inde sequuta quaecumque, a datâ praesentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus et per omnia (perinde ac si eisdem litteris dicti praedecessoris, quod dicta ecclesia de Diedenhoffen non Trevirensis, imo quod Metensis dioecesis praedictae erat, expressum fuisset); nec non praedictas et singulas dicti Nicolai praedecessoris litteras, ac omnia et singula in eis contenta, auctoritate apostolicâ praefatâ, tenore earumdem praesentium, approbamus et innovamus, ac perpetuae firmitatis robur obtinere decernimus [2]; nec non unionem, annexionem et incorporationem praedictas, quoad ea in quibus nondum effectum sortitae fuerunt, adversus dictas revocatoriasque ipsas in eum, in quo erant, statum plenarie restituimus et reintegramus, et aliàs revalidamus, ac cum omnibus et singulis in litteris praedecessoris Sixti huiusmodi contentis clausulis de novo concedimus; nec non, pro uberiori doctorum, magistrorumque praedictorum sustentatione, ad unum ex canonicatibus et unam ex praebendis singularum sancti Paulini extra muros Trevirensis in Lymburgh dioecesis, beatae Mariae in Wesalia in Wetzflavia in Cardona, in Longwiono, et in Ivodio, dictae Trevirensis dioecesis ecclesiarum [1] primo vacaturis, auctoritate apostolicâ et tenore praedictis [2], extendimus et ampliamus; ita quod liceat rectori dictae universitatis singulorum, tam priorum quam posteriorum, canonicatuum et praebendarum ac parochialium ecclesiarum praedictorum, cum illos et illas simul vel successive (etiam in aliquo ex mensibus ordinariis collatoribus per constitutiones nostras, vel alternativas, aut concordata principum nationis Germanicae, seu quaevis alia privilegia et indulta apostolica concessis) vacare contigerit, per se, vel alium, seu alios, corporalem possessionem propriâ auctoritate libere apprehendere, ac dictis parochialibus ecclesiis unitis per vicarios, per eum ad eius nutum ponendos et amovendos, deserviri, ac doctoribus et magistris praedictis de illarum fructibus, redditibus et proventibus, iuxta praefati Ioannis moderni archiepiscopi Trevirensis providam ordinationem desuper faciendam, responderi facere; nec non dictarum collegiatarum ecclesiarum capitula de omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus canonicatuum et praebendarum unitorum huiusmodi (quotidianis distributionibus

1 Edit. Main. legit *effectum* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *decrevimus* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *ecclesiis* (R. T.).
2 Pessime quoque ibi legitur *praedictarum* (R. T.).

dumtaxat exceptis), iuxta similem ordinationem eiusdem archiepiscopi pro tempore, inter doctores et magistros praedictos distribuendis statim post assequutionem possessionis canonicatuum et praebendarum huiusmodi (etiam absque aliquâ expectatione annorum carentiae, et statutorum solutione[1]) eidem rectori respondere teneantur; et ad hoc per eumdem Ioannem, eiusque successores archiepiscopos Trevirenses, per censuras ecclesiasticas, et alia iuris remedia, etiam inviti compelli possint, et debeant: quodque Ioannes archiepiscopus et successores praefati his omnibus superintendere; et ad eos singulorum ordinatio et correctio, emendatio et reformatio eorum, quae circa praemissa occurrere possint, iure ordinario spectare debeant; et (si dicta universitas, illiusque doctores, magistri et scholares in dictâ civitate contra eorum constitutiones et privilegia a praefectis et gubernatoribus seu civibus et incolis dictae civitatis ullo unquam tempore indebite gravarentur, seu aliàs minus civiliter tractarentur, ita quod Ioanni archiepiscopo et successoribus praefatis ex his vel aliis iustis causis et legitimis videretur studium commode in eâdem civitate continuari non posse) quod ex tunc, durantibus causis huiusmodi, liceat eidem Ioanni archiepiscopo et successoribus suâ ordinariâ auctoritate, tam universitatem, quam omnes illi annexos fructus, redditus et proventus ubicumque consistentes, ad aliquod oppidum insigne dictae Trevirensis dioecesis toties quoties transferre, et ibidem quandiu iis placuerit et visum fuerit, continuare, auctoritate apostolicâ et tenore praedictis, statuimus et ordinamus. Quodque unionem et annexionem et incorporationem sic revalidatas, illorumque extensionem et ampliationem praedictas, ad hoc ne de cetero sub aliquibus revocationibus vel suspensionibus in genere vel in specie, per nos et Sedem praedictam quomodolibet faciendis et edendis, comprehendantur, ex nunc vere et non ficte effectum sortitas, ipsique universitati plenum ius in re acquisitum fore, et eamdem universitatem solam fructuum perceptionem expectare, ac privilegio constitutionis nostrae, et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo ius quaesitum gaudere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos aut subdelegatos, et S. R. E. cardinales, et causarum palatii apostolici auditores, in quavis instantiâ, etiam primae et ulterioris appellationis, in romanâ curiâ vel extra eam sententiari, terminari, definiri et interpretari debere (sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliàs, et aliter sententiandi, terminandi, definiendi et interpretandi facultate, potestate et auctoritate); et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, fieri et attentari contigerit, irritum et inane decernimus. Non obstantibus priore voluntate nostrâ, et aliis praemissis, ac in favorem dictorum Ordinariorum editis, et alternativis, et concordatis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et dictarum metropolitanarum vel collegiatarum ecclesiarum statutis et consuetudinibus, etiam de servando amicos, expectando et faciendo primam annualem, continuam, personalem residentiam, ac de solvendo certam pecuniae quantitatem, seu certa alia iura in primâ receptione ad canonicatus et praebendas earumdem collegiatarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praefatis ordinariis et ecclesiis, earumque capitulis et personis, et per Nicolaum et Sixtum, et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine,

1 Edit. Main. legit *solutionem* (R. T.).

etiam consistorialiter, et sub quibusvis verborum formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam ad nullius instantiam et supplicationem concessis, ac per eos et nos, Sedemque praedictam, et iteratis vicibus, approbatis, innovatis et denuo etiam concessis. Quibus, ac statutis, alternativis, et concordatis, et aliis praedictis, etiamsi pro illorum omnium sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus plena et expressa, specialis, specifica et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus: necnon omnibus illis, quae in singulis litteris praedictis concessum fuit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, voluntatis, concessionis, decreti, approbationis, innovationis, restitutionis, reintegrationis, extensionis, ampliationis, statuti, ordinationis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDXXXII, octavo idus octobris, pontificatus nostri anno IX.

Praedicta omnia confirmari petit archiepiscopus.

§ 6. Cum autem, sicut venerabilis frater Lotharius modernus archiepiscopus Trevirensis, S. R. I. princeps elector, nobis nuper exponi fecit, ipse, ut gregem sibi a Deo commissum in orthodoxâ fide ac pace et tranquillitate melius conservare possit, universitatem Trevirensem praedictam restaurare, ac omnibus liberalibus artibus, disciplinis et facultatibus instruere et reintegrare intendat; et propterea litteras praedictas, omniaque et singula in eis contenta apostolicae nostrae confirmationis robore communiri plurimum desideret:

Confirmat Gregorius.

§ 7. Nos, pio et laudabili dicti Lotharii archiepiscopi desiderio, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, supplicationibus eiusdem nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes et singulas Nicolai, Sixti et Clementis praedecessorum praedictorum litteras, omniaque et singula in eis contenta (exceptis tamen, quoad parochiales ecclesias praedictas, iis, quarum uniones, annexiones et incorporationes, ut praefertur, factae[1], effectum sortitae non sunt) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 8. Decernentes, tam praeinsertas, quam praesentes litteras, et in eis contenta, ut praefertur, semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictaeque universitati, illiusque rectori et personis quibuscumque, quocumque nomine nuncupatis, in omnibus et per omnia plenissime suffragari debere; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae iidem praedecessores in suis litteris praedictis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. habet *facta* (R. T.).

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iulii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 iulii 1621, pontif. anno I.

XXII.

Regni Galliarum proceres sub excommunicationis poenâ admonet, ne rebellibus contra Ludovicum regem adhaereant, faveantque[1].

Gregorius Papa XV,

Universis et singulis principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, aliisque regni Franciae proceribus, nobilibus et personis rebellium haereticorum parti adhaerentibus, seu illos sequentibus, aut auxilium et opem aut favorem quomodolibet iis ferentibus contra charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum, spiritum consilii sanioris.

A laudibus Ludovici regis exordiens.

§ 1. Postquam Dominus, in cuius manu sunt omnes fines terrae, et per quem reges regnant et legum conditores iusta decernunt, eumdem Ludovicum regem sedere fecit in solio patris sui, et super florentissimum Franciae regnum adhuc puerum constituit, multis signis ostendit apposuisse erga eum cor suum, ut faceret illi magna, et exaltaret nomen suum per eum: siquidem dedit illi cor rectum, cor sapiens et intelligibile, cor diligens iustitiam et odio habens iniquitatem, multasque misericordias fecit cum eo, auferens bella de regno eius, et pacans illud in tempore opportuno, ut in pace et tranquillitate cresceret, et proficeret in sapientiâ et virtute coram se et hominibus, quemadmodum profecisse et proficere, benedicente Domino, in dies magis omnes sciunt, et laudant Deum caeli; apposuit enim manus suas ad fortia, et iustitiam suam notam fecit omnibus nationibus, ita ut iustus praedicetur[1] et iusti nomine honorificetur.

Qui rebelles regni sui profligavit.

§ 2. Cum vero omnes Franciae populi divinae bonitati gratias agere et Deum laudare deberent, quod talem rectorem et principem sibi dedisset, per quem ad optatam omnibus in Domino tranquillitatem et prosperitatem pervenire posse sperare liceret; nonnulli, qui in viâ veritatis non steterunt, sed aberrando a rectâ post vanitates et insanias falsas abierunt, haeresum diabolicâ fraude decepti, sicut Deum regem regum, ita et illum, qui per Deum regnat, posthabentes, patri suo diabolo auscultarunt, et pro eo ut diligerent tam pium iustumque regem, adversus eum cornua erexerunt, et arma impia sumentes, apertam rebellionem et bellum intestinum excitaverunt, quos tamen Ludovicus rex, divinâ pro eo pugnante dexterâ, sicut promeriti sunt, humiliare et prosternere feliciter cepit, et felicius[2] prosequitur, ac sperare in Domino licet brevi eos debellaturum, eorumque contritâ superbiâ, potestati suae subditurum: quod et nos, qui a Domino super gregem suum inscrutabili divinae sapientiae consilio constituti sumus et intimo cordis affectu Ludovicum regem diligimus, a Domino postulamus et precamur.

Nonnullos tamen eis favere dolet.

§ 3. Verum, ut hoc praetermittere pro nostri officii debito non debemus, ita etiam, quantum cum Domino possumus, providere tenemur, ne unde auxilium Ludovico regi esse oportet, inde existat incommodum et detrimentum, hostibus vero robur et praesidium, divino honori contumelia, fidelibus scandalum, et animarum aeternae salutis dispendium: ipseque Ludovicus rex optimo iure conqueri possit, *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, tu vero homo unani-*

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *praedicitur* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *felicitus* (R. T.).

mis, et notus meus. Siquidem non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus, non deesse ex catholicis regni Franciae, qui in his haereticorum motibus non solum a rege suo, ut ius et fas postulat, non stent, sed hostium iniquis partibus favere, iisque adhaerere non vereantur.

Quos ut ab iniquo resiliant proposito, admonens,

§ 4. Quos idcirco nos paterno affectu enixe in Domino hortamur, ut memores officii sui, et fidei quam regi suo debent, memores divinorum mandatorum et iudiciorum, contristare desinant Ecclesiam Dei matrem suam, quae sine dolore audire non potest, filios suos cum impiis partem habere adversus principem suum, et adversus Deum ipsum: *qui enim potestati resistit, Deo resistit;* tantoque gravius, quod haereticis, et a grege Christi segregatis, favent et opitulantur: *quae enim societas luci et tenebris, aut Christo et Belial.* Quod si non odio religionis hoc fieri praetendant, intelligant non idcirco apud Deum excusari, cuius valde offenditur et irritatur maiestas, quoties, cum regiae maiestatis offensione, haereticis favetur. Itaque iterum eos in Domino hortamur et monemus, ac sub interminatione divini iudicii requirimus per viscera Domini nostri Iesu Christi, ante cuius tribunal omnes nos manifestari oportet, reddituri de factis propriis rationem, ut ad cor redeant, ac privatos[1] omisso bono publico non anteponant, divinae voluntati terrena desideria, publicae utilitati privata studia, regni tranquillitati discordiarum et bellorum civilium tempestates et procellas, iustitiae iniquitatem, Deo denique hominem[2], et propriae saluti aeternam damnationem, et haereticos deserentes, ad castra Domini et ad regem suum revertantur.

1 Lege *privatum* nempe *bonum*, vel aliud legendum loco verbi quod sequitur *omisso* (R. T.).

2 Edit. Main. habet *homini*, et perperam legit *iustitiae iniquitatem Deo, denique homini* (R. T.).

Eis, nisi resipuerint intra quindecim dies, excommunicationem sibi reservatam proponit.

§ 5. Quod si indurato corde nostras huiusmodi paternas admonitiones et cohortationes parvipendentes, nostris huiusmodi mandatis, regique suo non obtemperaverint, sed per quindecim dies a praesentium intimatione, seu in loco infrascripto affixione, seu publicatione, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo, et quinque pro tertio et ultimo ac peremptorio termino illis praefigimus et assignamus, non resipuerint, auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, eorum singulos anathematis vinculo innodamus, et innodatos decernimus et declaramus, a quo nonnisi a nobis et Romano Pontifice, aut ab eo auctoritatem habente, praeterquam in mortis articulo, absolvi minime possint, aliasque poenas incurrere volumus a sacris canonibus haereticorum fautoribus impositas. Imposterum vero, ne quisquam similem excessum committere, et haereticis contra praedictum Ludovicum regem adhaerere, seu illis favorem, opem et auxilium vel consilium dare praesumat, sub similis excommunicationis, aliisque huiusmodi poenis ipso facto incurrendis, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Praesentium transumpta publicanda;

§ 6. Quia vero difficile foret, praesentes literas singulis eorum praesentari, et ad singula loca deferri ad quae oportet, volumus, ut illae in loco viciniori affixae et publicatae perinde omnes arctent et afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent; quodque, ut earum transumptis, etiam impressis, manu publici notarii, ac sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae obsignatis, eadem prorsus fides ubique gentium et locorum in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

iisque credendum.

Datum Romae, apud sanctam Mariam

Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 augusti 1621, pontif. anno I.

XXIII.

Facultas episcopo Luceoriensi reservandi tria beneficia ecclesiastica in singulis Gnesnensi, Uladislaviensi, Posnaniensi, Plocensi, Cracoviensi, Warmiensi ecclesiis, personis per regem Poloniae nominandis [1].

Venerabili fratri Andreae episcopo Luceoriensi

Gregorius Papa XV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas de qua in rubrica. § 1. Ut charissimus in Christo filius noster Sigismundus Poloniae et Svetiae rex illustris personis in fide catholicâ et unione sanctae Romanae Ecclesiae persistentibus, aliàsque sibi gratis et acceptis, sese nostrâ et huius sanctae Sedis operâ benignum praestare possit, fraternitati tuae[2] beneficia ecclesiastica in singulis Gnesnensi, Uladislaviensi, Posnaniensi, Plocensi, Cracoviensi et Warmiensi ecclesiis, civitatibus vel dioecesibus consistentia, etiamsi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes et officia, ac dignitates ipsae in praedictis post pontificales maiores, aut aliis ecclesiis praedictarum civitatum vel dioecesum principales fuerint, et ad illas, necnon personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, illaque omnia dispositioni apostolicae specialiter, vel ex quavis causâ (praeterquam ratione vacationis illorum apud Sedem praedictam, aut familiaritatis continuae commensalitatis nostrae, seu alicuius sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis viventis, cuius consensus requirendus foret) generaliter reservata, vel ex generali reservatione apostolicâ affecta, et cuiuscumque annui valoris illorum fructus, redditus et proventus extiterint, ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem venerabilium fratrum archiepiscopi Gnesnensis, nec non Uladislaviensis, Posnaniensis, Plocensis, Cracoviensis et Warmiensis episcoporum, ac dilectorum filiorum capitulorum ecclesiarum praedictarum, communiter vel divisim pertinentia, vacantia ad praesens, aut simul vel successive (etiam in mensibus in quibus vacantium beneficiorum ecclesiasticorum dispositio per constitutiones apostolicas aut cancellariae apostolicae regulas nobis generaliter reservata existit) vacatura, singula videlicet singulis personis ecclesiasticis, clericali saltem charactere insignitis, et aliàs idoneis, ac in fide catholicâ omni tempore constantibus, quas dictus Sigismundus rex duxerit nominandas (si quisque nominandorum, per se, vel procuratorem suum legitimum, infra unius mensis spatium, postquam vacatio huiusmodi innotuerit, beneficium vacans duxerit acceptandum), cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, auctoritate nostrâ apostolicâ, hac vice dumtaxat specialiter reservandi; necnon archiepiscopo et episcopis ac capitulis praedictis, ne de beneficiis huiusmodi, si vacant, aut cum vacaverint, ut praefertur, disponere quoque modo praesumant, districtius inhibendi; necnon quidquid secus per praedictos aut alios quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernendi;

§ 2. Et nihilominus singula beneficia praedicta, si vacant, aut cum vacaverint, ut praefertur, singulis personis nominandis praedictis, cum iuribus et pertinentiis Facultatum necessariarum concessio.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Heic deest numerus, qui legitur in rubricâ (R. T.).

huiusmodi ac plenitudine iuris canonici conferendi, et de illis etiam providendi; eosque seu eorum procuratores ipsorum nominibus in corporalem possessionem beneficiorum, iurium et pertinentiarum praedictorum inducendi, ac inductos defendendi; et easdem nominandas personas, vel pro eis procuratores praedictos ad praebendum huiusmodi, in singulis ecclesiis praedictis in canonicum et fratrem recipi, et stallo sibi in choro et loco in capitulo singularum ecclesiarum praedictarum cum dicti iuris plenitudine assignatis, necnon ad singula alia beneficia huiusmodi, ut moris est, admittendi, sibique de illorum ac canonicatuum et praebendarum praedictarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi faciendi; ac contradictores quoslibet, dictâ auctoritate nostrâ, appellatione postpositâ, compescendi; ceteraque in praemissis circa ea necessaria et opportuna faciendi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate apostolicâ, tribuimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsarum ecclesiarum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque: aut si aliqui apostolicâ praedictâ vel aliâ quavis auctoritate in dictis ecclesiis in canonicos sint recepti, vel, ut recipiantur, insistant; seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et praebendis, aut dignitatibus, personatibus, administrationibus et officiis dictarum ecclesiarum speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel aliâs quomodolibet sit processum (quibus omnibus personas praedictas in assequutione canonicatuum et praebendarum, dignitatum, administrationum, et officiorum et beneficiorum huiusmodi volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem dignitatum, personatuum, administrationum vel beneficiorum aliorum praeiudicium generari); aut si archiepiscopo et episcopis ac capitulis praedictis communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel praesentationem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint; quodque de canonicatibus et praebendis, aut dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis huiusmodi, aut aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, coniunctim vel separatim, spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet aliâ dictae Sedis indulgentiâ generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter insertam effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua, cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; seu si personae praedictae praesentes non fuerint ad praestandum, de observandis statutis et consuetudinibus dictarum ecclesiarum, solitum iuramentum, dummodo in absentiâ suâ per procuratorem idoneum, et, cum ad ecclesias praedictas accesserint corporaliter, illud praestent.

Beneficiorum redditum vigintiquatuor ducatorum excedentium expeditio in dataria facienda.

§ 4. Volumus autem, ut, si alicuius ex beneficiis per te vigore praesentium collatis fructus, redditus et proventus vigintiquatuor ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum excesserint, illi, quibus per te provisum de illis extiterit, infra sex menses, a die eis factarum provisionum huiusmodi computandos, novam provisionem super illis a dictâ Sede Apostolicâ impetrare, litte-

rasque in totum desuper expedire, ac iura camerae apostolicae propterea debita persolvere omnino teneantur[1], alioquin, sex mensibus elapsis praedictis, beneficia ipsa vacare censeantur eo ipso.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII augusti MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 augusti 1621, pontif. anno I.

XXIV.

Hortatur archiepiscopos et episcopos regni Franciae, ut assiduas preces pro felici regis successu contra haereticos fundant[2].

Gregorius Papa XV,

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in regno Franciae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Sacri apostolatus ministerio per abundantiam divinae gratiae, nullo licet merito nostro, praesidentes, inter graves sollicitudines, quibus pro apostolicae servitutis debito continue premimur, illa nos maxime sollicitos habet, quam praesentes haereticorum et rebellium in nobilissimo Franciae regno motus nobis merito conficiunt.

Causae peculiares preces ad Deum fundendi. § 1. Quamobrem, cum charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus eosdem haereticos, propitiante Domino Deo exercituum, debellare, et nefarios eorum conatus atque machinationes reprimere fortiter ceperit, ita ut sperare nos posse videamur, eumdem Ludovicum regem Deum elegisse ad ostendendam per eum misericordiam suam et faciendam[3] potentiam in brachio suo, pastoralis officii nostri partes praecipuas esse duximus, fraternitates vestras, quas in partem sollicitudinis nostrae vocavit Altissimus, paterne, enixeque, quod facimus, requirere et in Domino adhortari, ut temporalia eiusdem Ludovici regis arma vestris spiritualibus, videlicet orationibus et ieiuniis, coadiuvetis, greges vestrae curae divinitus commissos, ut corde contrito et humiliato assiduas pias ad Deum Patrem misericordiarum preces pro felici eiusdem Ludovici regis contra dictos haereticos successu, haeresum ipsarum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione et tranquillitate fundant, moneatis. Adhortatio, de qua in rubrica.

Oratio XL horarum indicenda cum indulgentiarum concessione. § 2. Nos enim, ut illi ad haec alacrius peragenda invitentur, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui orationi quadraginta horarum eâ de causâ in eiusdem regni ecclesiis a vobis deputandis et mandato etiam vestro instituendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint, et ibi, ut praefertur, ad Deum oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum. § 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, praesentibus pro hac vice tantum valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI augusti MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 augusti 1621, pontif. anno I.

1 Erronee edit. Main. legit *teneatur*.
2 Ex regest. in Secret. Brev.
3 Edit. Main. legit *faciendi* (R. T.).

XXV.

Facultas nuncio apostolico apud regem Hispaniarum confirmandi nonnullos iudices seculares ab eodem rege deputatos pro cognitione cuiusdam causae concernentis milites militiarum regnorum Hispaniarum[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili fratri Alexandro patriarchae Alexandrino, nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio,

Gregorius Papa XV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae concedendi facultatem de qua in rubricà.

§ 1. Cum, sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, in processu causae seu causarum moderni ducis Ossunae coram ceteris iudicibus ab eodem Philippo rege deputatis pendentium, nonnulli fratres milites militiae sancti Iacobi de Spatha culpabiles reperti sint, et fieri possit, ut etiam de Calatrava et Alcantara militiarum fratres milites in eodem processu similiter inditiati successu temporis reperiantur:

Concessio.

§ 2. Idcirco fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut iudicibus ab eodem Philippo rege, ut praefertur, deputatis, et in causâ seu causis huiusmodi pro tempore deputandis, contra omnes et singulos, tam praedictarum quam aliarum quarumcumque regnorum Hispaniarum militiarum, quarum dictus Philippus rex administrator apostolicâ auctoritate deputatus existit, fratres milites, legitimis praecedentibus indiciis, etiam ad carcerationem et rigorosum examen, procedendi, atque inquisitiones et processus fabricandi, et contra culpabiles repertos ad sententiam definitivam et illius exequutionem deveniendi, iuris ordine servato, aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna (etiamsi talia sint vel fuerint quae magis specialem et expressam requirerent commissionem) faciendi, gerendi et exequendi, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem, auctoritate nostrâ, concedas et impartiaris.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, nec non in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac praedictarum militiarum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissornm quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret) eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expressse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII augusti MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 augusti 1621, pontif. anno I.

XXVI.

Praefinitio nonnullarum ordinationum pro feliciori gubernio fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum in Italia.

Gregorius Papa XV, ad futuram rei memoriam.

Onerosa pastoralis officii sollicitudo meritis licet insufficientibus nobis ex alto commissa, crebro nos admonet ac inducit, ut, ad statum christifidelium quorumlibet, praesertim regularem vitam profitentium, salubriter dirigendum operosis studiis intendentes, ea, quae felici eorum gubernio, prosperaeque directioni profutura nos- Prooemium.

cuntur, provide statuamus et ordinemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Solus custos reformatorum accedat ad capitulum provinciale et vocem habeat activam.

§ 1. Ut igitur Ordo fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum per totam Italiam felicioribus in dies augeatur progressibus, motu proprio, non ad ipsorum fratrum Reformatorum instantiam, sed de merâ nostrâ maturâ deliberatione, volumus et mandamus, ut (ultra ea, quae disponuntur in constitutionibus felicis recordationis Gregorii XIII et Clementis VIII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum circa modum vivendi Reformatorum) fratres Observantes Reformati amplius ad capitulum provinciale non accedant, nisi solum ipsorum custos, qui etiam solus vocem activam tantum habeat.

Transitus Reformatorum ad Observantes, et viceversa quibus in causis permittendus.

§ 2. Non habeant in futurum praefati Reformati inter Observantes, seu de familiâ, aliquam dignitatem seu officium; et si aliqui de familiâ ob aliquam causam, et ob quodcumque privilegium, seu facultatem, transierint ad Reformationem, nullum officium et dignitatem habere possint, nisi per sex annos inter eos permanserint et laudabiliter cum eis vixerint. Et illi, qui transire voluerint a familiâ ad Reformatos, debeant hoc obtinere in congregatione, seu capitulo, prout modo observatur. Et illi, qui talem licentiam obtinebunt, debeant facere annum noviliatus integrum, prout alii Reformati faciunt. Intimetur omnibus Reformatis in congregatione, seu capitulo provinciali, ad deducendas causas, propter quas velint ad familiam transire, quibus assignetur annus ad deliberandum, quo elapso, nullus postea Reformatus ob quamcumque causam a Reformatis ad familiam transire possit.

Iurisdictio ministri generalis in Reformatos praeservatur.

§ 3. Quoad iurisdictionem ministri generalis in Reformatos, servetur constitutio eiusdem Gregorii praedecessoris.

Procurator et visitatores Reformatorum a cardinali protectore eligendi regularem observantiam curent.

§ 4. Procurator Reformatorum eligatur a cardinale protectore pro tempore existenti, qui debeat etiam deputare quatuor visitatores per totam Italiam de triennio in triennium, qui curent observari litteras piae memoriae Nicolai III et Clementis V Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, concernentes observantiam regularem, et delinquentes corrigant et puniant, prout eis magis expedire videbitur, certioresque faciant cardinalem protectorem et ministrum generalem Reformatorum, ut et ipsi, quod necessarium fuerit ad animarum salutem, procurent observari.

Ministri provinciales Observantium superioritatem non habeant in Reformatos.

§ 5. Ministri provinciales fratrum de familiâ nullam habeant iurisdictionem, potestatem et superioritatem in Reformatos.

Praemissa inviolabiliter observentur.

§ 6. Decernentes praemissa omnia et singula, perpetua, valida, firma et efficacia esse et fore, et per praefatos fratres Reformatos perpetuo observari debere;

Clausulae praeservativae.

§ 7. Praesentes quoque litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu notari, argui, seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas censeri; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum Ordinariis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus quicumque illo-

rum, per se, vel per alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum Reformatorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ipsisque fratribus Reformatis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere: non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari: contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides danda.

§ 10. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I septembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 septembris 1621, pontif. an. I.

XXVII.

Facultas nuncio apud regem Franciae affrancandi nonnulla bona ecclesiastica, pecuniasque, ex huiusmodi affrancatione provenientes, in sumptus belli contra haereticos ac rebelles erogandi[1].

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Militantis Ecclesiae regimini, divinâ disponente clementiâ, praesidentes, inter graves sollicitudines, quibus pro pastoralis officii et apostolicae servitutis debito continue premimur, ea nunc est praecipua, quam praesentes haereticorum in regno Franciae motus nobis merito conficiunt. Quamobrem libenter pastoralis officii nostri partes interponimus, cum ea a nobis postulantur, per quae catholicorum principum vires ad resistendum hostium verae fidei conatibus augentur, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Excitatis bellorum motibus per haereticos in Gallia,

§ 1. Sane, cum charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus, ob concitatos in eodem regno ad praesens per humani generis hostem motus, pro compescendis haereticis rebellibus gravia hactenus expensarum onera subierit, et ad praesens subeat, et, sicut accepimus, aliàs diversa bona ad ecclesias, monasteria, prioratus, et alia beneficia ecclesiastica regni Franciae spectantia et pertinentia, de licentiâ Sedis Apostolicae vendita et alienata fuerint, et ad certum tempus eisdem ecclesiis, monasteriis, prioratibus, et aliis beneficiis huiusmodi eadem bona sub certis modo et formâ affrancandi facultas concessa fuerit; nos idcirco, eidem Ludovico regi de aliquo subventionis auxilio, quacumque ratione possumus, providere cupientes sine cleri gravi dispendio, huiusmodi affrancationem bonorum fieri posse decrevimus.

Gregorius permittit pecunias ex affrancatione bonorum ecclesiasticorum provenientes in huiusmodi [illegible]

§ 2. His, aliisque gravissimis causis ad Dei gloriam sanctaeque eius Ecclesiae defensionem et exaltationem pertinentibus[1] adducti, supplicationibus eiusdem Ludovici

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Vocem *pertinentibus* addimus (R. T.).

regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de attributae nobis a Domino apostolicae potestatis plenitudine, venerabili fratri Octavio archiepiscopo Tarsensi, nostro et Apostolicae Sedis in dicto regno nuncio, ac aliis personis ecclesiasticis ab eo, si ei videbitur, ex dicto clero deputandis, ut omnia et singula bona, quae, ut praefertur, vendita vel alienata reperientur, residuo iusti pretii per emptores soluto, seu aliis honestis conditionibus, affrancare, omnesque pecunias, ex affrancatione huiusmodi provenientes, personae a dicto clero regni praedicti deputandae, per eam in praesentis belli, et non alios, usus convertendas et erogandas, consignari facere, nec non instrumenta, ac omnia et singula alia in praemissis, et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna (etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem) facere, gerere et exequi libere et licite possint et valeant, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Clausulae.

§ 3. Decernentes affrancationes vigore praesentium faciendas suam debitam roboris firmitatem obtinere, suosque plenarios effectus sortiri, et per ecclesias, monasteria, prioratus, et alia beneficia praedicta obtinentes, ac alios quoscumque, ad quos spectat et imposterum spectabit, inviolabiliter observari debere, neque archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, aliasque personas dignitates et alia beneficia praedicta obtinentes, a praemissis et aliis in vim praesentium faciendis quovis etiam enormissimae laesionis praetextu, aut ex quacumque aliâ etiam iustissimâ causâ, quomodolibet appellare, seu reclamare, ac illis aliqua privilegia etiam per Sedem Apostolicam quomolibet concessa suffragari [1] posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praesertim Symmachi, Pauli II, et Pauli IV Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, ac ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum quorumcumque beneficiorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XIII septembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 septembris 1621, pontif. an. I.

XXVIII.

Facultas apostolico nuncio apud Galliarum regem colligendi subsidium de-

[1] Particulam *non* delemus, etenim iam praecessit *neque* (R. T.).

cies centenorum millium scutorum ab ecclesiasticis, piisque locis regni eiusdem, quae in belli contra rebelles sumptus erogentur [1].

Venerabili fratri Octavio archiepiscopo Tarsensi, nostro et Sedis Apostolicae in regno Franciae nuncio,

Gregorius Papa XV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Militantis Ecclesiae regimini, divinâ disponente clementia, praesidentes, inter graves sollicitudines, quibus pro pastoralis officii et apostolicae servitutis debito continue premimur, ea nunc est praecipua, quam praesentes haereticorum in regno Franciae motus nobis merito conficiunt. Quamobrem libenter pastoralis officii nostri partes interponimus, cum ea a nobis postulantur, per quae catholicorum principum vires ad resistendum hostium verae fidei conatibus augentur, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ad praestandum regi pro bello contra rebelles auxilium.

§ 1. Sane, cum charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus, ob concitatos in eodem regno ad praesens per humani generis hostem motus, pro compescendis haereticis rebellibus gravia hactenus expensarum onera subierit, et ad praesens subeat, nos eidem Ludovico regi de aliquo subsidio ex ecclesiarum regni Franciae peculio, Christique Domini patrimonio providere decrevimus.

Pontifex apostolico nuncio facultatem concedit colligendi subsidium decies centenorum millium scutorum a clero et locis piis.

§ 2. His igitur et aliis gravissimis causis ad Dei gloriam sanctaeque eius Ecclesiae defensionem et exaltationem pertinentibus adducti, supplicationibus eiusdem Ludovici regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae subsidium unius millionis scutorum a quarumcumque, tam metropolitanarum quam cathedralium, ecclesiarum archiepiscopis, episcopis, necnon illarum et collegiatarum praepositis, decanis, capitulis et canonicis, ac parochialium et aliarum ecclesiarum in regno Franciae existentium dumtaxat et sitarum rectoribus, beneficiatis, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus, quaecumque alia beneficia ecclesiastica quomodolibet nuncupata, et qualitercumque qualificata, etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis vel aliàs quomodolibet obtinentibus (exceptis tamen, quoad curata, iis quorum centum, et quoad simplicia beneficia, iis quorum annui redditus summam viginti quatuor ducatorum auri de camerâ non excedunt), necnon etiam quorumcumque monasteriorum, domorum, et prioratuum conventualium, Cisterciensis, sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensis, Fontis Ebraldi, Praemonstratensis, Grandimontensis, Carthusiensis, Camaldulensis, Montis Oliveti, Vallisumbrosae, Cruciferorum sancti Hieronymi, et aliorum quorumcumque Ordinum, non tamen Mendicantium, ac etiam Cassinensis, sanctae Iustinae de Padua, sancti Bernardi, Vallischolarium, Lateranensis, et sancti Salvatoris, aliarumque congregationum, tam virorum quam mulierum, in regno praedicto similiter existentium et sitorum abbatibus, prioribus, commendatariis, abbatissis, priorissis, et aliis quibuscumque, quocumque nomine nuncupatis, superioribus, cuiuscumque conditionis, status, gradus, ordinis et qualitatis existentibus, ac immunitatis, exemptionis vel alio quocumque privilegio gaudentibus (iuxta taxam a te et personis a te, si videbitur, nominandis ex clero praedicto auctoritate nostrâ pro reddituum et proventuum quantitate faciendam, ac modum et formam, tempus, locumque solutionis praescribenda) petendi, exigendi, et imponendi; ac quascumque personas ecclesiasticas ad exactionem subsidii hu-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

iusmodi faciendam constituendi et deputandi, quodque[1] pecuniae, ex subsidii huiusmodi exactione provenientes, personae a dicto clero regni praedicti deputandae per eam in praesentis belli et non alios usus erogandae consignentur, mandandi et praecipiendi;

Cum auctoritate etiam renuentes compellendi.

§ 3. Contradictores quoslibet et rebelles, ac tibi in praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque apportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione, recursu et reclamatione prorsus remotis et postpositis, compescendi et compellendi; auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi; aliaque in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna (etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem) faciendi, dicendi, gerendi et exequendi;

Data etiam ecclesiasticis facultate beneficiorum suorum bona ad hunc effectum hypothecandi.

§ 4. Insuper omnibus et singulis personis ecclesiasticis supradictis, ut, in[2] faciliori subsidii huiusmodi solutione, ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum suorum ecclesiasticorum praedictorum bona, non tamen ultra quinquennium, obligare et hypothecare libere et licite valeant (ita tamen ut, finito quinquennio huiusmodi, eadem bona ab obligatione et hypothecâ huiusmodi omnino liberentur) concedendi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, plenam liberam et amplam facultatem, auctoritatem et potestatem concedimus et impertimur.

Inhibendo eisdem, ne dictum nuncium in hoc illo modo perturbent.

§ 5. Districtius inhibentes archiepiscopis, episcopis, praepositis, decanis, capitulis, canonicis, rectoribus, beneficiatis, necnon abbatibus, prioribus, commendatariis, abbatissis, priorissis, et superioribus, aliisque supradictis, sub excommunicationis maioris, a qua nonnisi per summum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, necnon privationis omnium et singulorum dignitatum, canonicatuum, et praebendarum, monasteriorum, officiorum, administrationum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum, inhabilitatisque ad illa et alia imposterum obtinenda, aliisque arbitrio nostro statuendis, moderandis et infligendis poenis, ne te super praemissis omnibus et singulis (etiam vigore quorumcumque privilegiorum, indultorum, immunitatum, exemptionum, aut aliarum gratiarum, eis vel eorum ecclesiis, ordinibus, monasteriis, domibus, prioratibus quomodolibet concessorum, confirmatorum, approbatorum, et innovatorum) impedire, perturbare, molestare, vel inquietare audeant seu praesumant.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulae.

§ 7. Non obstante felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, ac nostrâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universitatibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, necnon ordinum, congregationum, monasteriorum, domorum, et prioratuum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, legibus etiam municipalibus et institutis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorum- Obstantium derogatio.

1 Edit. Main. legit *quodque, ut* (R. T.).
2 Aptius legeretur *pro quam in* (R. T.).

que ecclesiis, bonis et beneficiis, ac superioribus et personis, etiam per viam legis aut statuti perpetui, ac etiam iuramento stipulati contractus, ac aliàs sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque eficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda foret) illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Servanda tamen Concilii Viennensis statuta de sacris suppellectilibus non distrahendis.

§ 8. Volumus autem, quod dictâ summâ unius millionis scutorum auri huiusmodi semel solutâ, praesens gratia nulla sit, neque exactioni amplius ullatenus sit locus, quodque etiam, iuxta ordinationem in concilio Viennensi super hoc editam, sacri calices, libri, et alia ornamenta ecclesiarum, beneficiorum, et aliorum supradictorum divino culti dicata, ex causâ pignoris vel aliàs, occasione solutionis summae huiusmodi, ullatenus[1] capiantur, distrahantur vel occupentur:

Fides danda transumptis.

§ 9. Et pariter, quod praesentium transumptis, sigillo alicuis praelati ecclesiastici, et publici notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCXXI, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 13 septembris 1621, pontif. an. I.

1 Aptius lege *nullatenus* (R. T.).

XXIX.

Eidem de causâ duae decimae in Galliae regno ab ecclesiasticis persolvendae indicuntur[1].

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Militantis Ecclesiae regimini, divinâ disponente clementiâ, praesidentes, inter graves sollicitudines, quibus pro pastoralis officii et apostolicae servitutis debito continue premimur, ea nunc est praecipua, quam praesentes haereticorum in regno Franciae motus nobis merito conficiunt. Quamobrem libenter pastoralis officii nostri partes interponimus, cum ea a nobis postulantur, per quae catholicorum principum vires ad resistendum hostium verae fidei conatibus augentur, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ad subsidium regi pro bello contra rebelles praestandum,

§ 1. Sane, cum charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus, ob concitatos in eodem regno ad praesens per humani generis hostem motus, pro compescendis haereticis rebellibus gravia hactenus expensarum onera subierit, et ad praesens subeat, nos eidem Ludovico regi de aliquo subsidio ex ecclesiarum regni Franciae peculio, Christique Domini patrimonio, cuius causa agitur, providere decrevimus.

Duae decimae super fructibus omnium ecclesiasticorum beneficiorum indicuntur.

§ 2. His igitur et aliis gravissimis causis ad Dei gloriam sanctaeque eius Ecclesiae defensionem et exaltationem pertinentibus adducti, supplicationibus eiusdem Ludovici regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de attributae nobis a Domino apostolicae potestatis ple-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

nitudine, tenore praesentium, indicimus et imponimus duas semel in unâ vel pluribus solutionibus, arbitrio collectorum infra deputatorum, persolvendas integras decimas, in usum praesentis belli contra haereticos tantum, et non in alios, erogandas, omnium et quorumcumque fructuum, redituum, proventuum, iurium, obventionum, emolumentorum ac distributionum quotidianarum omnium ecclesiarum archiepiscopalium, episcopalium, collegiatarum, parochialium, nec non monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum abbatialium, capitularium, tam cathedralium et metropolitanarum, quam quarumcumque collegiatarum ecclesiarum, nec non conventualium, prioratuum quoque, praepositurarum, canonicatuum, et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, etiam fabricae et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, Grandimontensis, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, non tamen Mendicantium, nec non congregationum, regularium (exceptis [1] tamen, quoad curata, iis, quorum centum, quo vero ad simplicia beneficia, iis, quorum annui redditus summam viginti quatuor ducatorum auri de camerâ non excedunt), et praeterea hospitalium, etiam pauperum, hospitalitatem non exercentium, seu bona et redditus, ultra usus infirmorum et alia pro quibus instituta sunt pia officia exercenda, possidentium, nec non beatae Mariae Theutonicorum, sancti Lazari, Templi Dominici, et aliarum Militiarum (hospitalis [2] sancti Ioannis Hierosolimytani, quae pro sui tutelâ contra Turcas et alios infideles alienis auxiliis quotidie indiget, dumtaxat exceptâ), in universo regno Franciae existentium, secundum communem aestimationem fructuum et aliorum praedictorum, ac similiter duas integras decimas omnium pensionum super praemissis assignatarum et assignandarum, semel tantum, ut dictum est, percipiendas et exigendas a quibuscumque archiepiscopis, episcopis, primatibus, praepositis, decanis, capitulis, canonicis, rectoribus, beneficiatis, abbatibus, prioribus, commendatariis, abbatissis, priorissis, fratribus militibus, et aliis quocumque nomine nuncupatis, secularibus et regularibus, ceterisque cuiuscumque dignitatis, status et conditionis existentibus, praedicta quocumque iure, modo, occasione, et titulo obtinentibus seu detinentibus et obtenturis, nec non oeconomis et administratoribus perpetuis, seu temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones res et alia quaecumque huiusmodi iura et bona; ex quacumque causâ, quavis auctoritate, in toto vel in parte, sibi reservata aut concessa habentibus vel habituris, secularibus et regularibus Ordinum, congregationum, militiarum et hospitalium praedictorum, nec non ab ipsis ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis, quocumque privilegio et exemptione reali, personali, et mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ, et continuatâ suffultis, quos omnes (exceptis supradictis), in unâ vel pluribus solutionibus, ut praefertur, collectoribus praedictis volumus decimas praedictas infra terminum ab eisdem collectoribus praescribendum persolvisse, ita ut, qui pensiones persolvere debent, etiam nomine pensionariorum decimas pensionum persolvant, et deinde in proximis terminis pensionum eam ratam sibi retineant ad rationem decem pro centenario, nisi iidem collectores ab ipsismet pensionariis eam exigere voluerint.

1 Male edit. Main. legit *acceptis* (R. T.).
2 Subintellige militiâ (R. T.).

Clausulae.

§ 3. Decernentes, nullas omnino exemptiones et immunitates exactionem huiusmodi impedire posse: sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nuncius apostolicus collector deputatur cum opportunis facultatibus

§ 4. Ut autem supradicta diligenter et fideliter exequutioni demandentur, venerabilem fratrem Octavium archiepiscopum Tarsensem, nostrum et Sedis Apostolicae in dicto regno nuntium, cuius integritas et prudentia nobis iampridem cognita est, et alias ecclesiasticas personas, si ita ei videbitur, ab eo nominandas, decimarum praedictarum collectorem, cum omnibus[1] quae aliis huiusmodi collectoribus de iure vel consuetudine quomodolibet competunt, auctoritate et tenore praedictis constituimus et deputamus: mandantes, ut quicquid inde per se, vel personas ecclesiasticas praedictas, seu subcollectores suos, exegerit, id omne personae a clero regni praedicti deputandae consignari, persona vero deputanda huiusmodi in usus praesentis belli tantum, nec aliàs, erogare curet et faciat: ac eidem Octavio archiepiscopo plenam, liberam, amplam et absolutam potestatem decimas huiusmodi ubique, per se, vel personas ecclesiasticas, ut praefertur, eorum arbitrio (habitâ tamen ratione communis aestimationis fructuum, ac etiam onerum cuique ecclesiae, aut loco sacro, vel pio, unde exigendae erunt, incumbentium) taxandi et exigendi, atque, ubi opus fuerit, moderandi et ad minorem summam reducendi; praedictos omnes, tam coniunctim quam divisim, ad integram illius solutionem, etiam per edictum locis publicis affigendum, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, monendi et requirendi; non parentes, contumaces et fraudantes, in censuras et poenas praedictas incidisse declarandi; proprietates, fructus, res et bona ipsorum apprehendendi, et usque ad satisfactionem retinendi; contradictores, perturbatores, molestatores, et rebelles quoscumque, eisque auxilium consilium vel favorem, publice vel occulte, quovis colore praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et Ordinis fuerint, praedictis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, nec non pecuniariis, ceterisque iuris et facti remediis opportunis, compellendi; illasque etiam iteratis vicibus aggravandi; dignitatibus, beneficiis et officiis omnibus privandi, et amovendi, et ad futura inhabiles faciendi; interdictum ecclesiasticum apponendi; auxiliumque brachii secularis quandocumque opus fuerit, invocandi; ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi; praeterea quascumque personas ecclesiasticas in collectores et subcollectores fide et facultatibus idoneos in omnibus civitatibus, dioecesibus, et provinciis regni praedicti, quotquot expedierit, cum simili aut limitatâ, non tamen absolvendi, potestate, constituendi; eumque vel eos arbitrio suo revocandi; negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios subrogandi; quotiescumque eis videbitur; in delinquentes et contumaces, per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi, ac meritis poenis puniendi; modos et formas in praedictis servandos praescribendi, dubia quaecumque in praemissis forte oritura declarandi.

Contraria tolluntur

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de dua

[1] Adde *facultatibus* vel simile (R. T.).

bus dictis, et aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, hospitalium et locorum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, quodque personis praedictis, eorumque ecclesiis et locis, vel quibusvis aliis communiter a praedictâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, et solutiones decimarum aliter, quam secundum antiquam taxam, et nisi in universali decimarum per orbem aut per universa regni Franciae praedicti loca impositione[1] fieri prohibentibus, necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis, quibus per impositionem decimarum huiusmodi neminem teneri, neque eas quoad praemissa contra quemcumque locum habere declaramus, aliisque indultis et[2] litteris apostolicis generalibus vel specialibus, cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa, aut totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis (quae omnia contra praedicta nolumus cuiquam suffragari, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clementis V Papa constitutio et Concilii

§ 6. In percipiendis vero decimis praedictis, piae memoriae Clementis Papae V, etiam praedecessoris nostri, in concilio Vienensi editam constitutionem (ac praesertim quod ad monetam currentem exigi, quodque nec calices, nec libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata, aliaque supellex ecclesiastica, ex causâ pignoris capi, recipi vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant), ubique praecipimus observari. Quinimo volumus ut, illius occasione, ecclesiae, monasteria, aliaque pia et sacra loca quaecumque debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac divinus in iis cultus et solitus Altissimo famulantium et ministrorum numerus nullatenus minuatur, nec eis quoquo modo iniuncta onera, aut pia quae exerceri solent opera et officia, ullo modo minuantur seu negligantur, sed eorum congrue supportentur onera consueta; nec quisquam, etiam plura fortasse beneficia aut pensiones cuiuscumque valoris obtinens, pro quietantiâ ultra vigesimam partem unius aurei nummi solvere cogatur;

Viennensis statuta observanda.

Transumptis danda fides.

§ 7. Praesentium vero litterarum exempla, etiam impressa, notarii publici manu subscripta, aut alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo obsignata, eamdem in iudicio et extra illud ubique locorum fidem facere, quam ipsae originales facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 septembris 1621, pontif. an. I.

XXX.

De decem mille ducatis fabricae S. Petri quotannis persolvendis ex eleemosynis, quae in regno Portugalliae ex privilegiis cruciatae colliguntur[1].

1 Edit. Main. legit *impositiones* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *in* pro *et* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Portugalliae et Algarbiorum regi catholico, Gregorius Papa XV.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset indulgentias et privilegia cruciatae a se prorogata.

§ 1. Hodie, per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras[1], indulgentias et gratias illas spirituales et temporales ad certum tempus publicandas et duraturas, clarae memoriae Philippo II et Philippo III Portugalliae et Algarbiorum regibus catholicis avo et genitori tuis respective, ac omnibus et singulis christifidelibus in Portugalliae et Algarbiorum regnis, aliisque terris et locis in dictis litteris expressis consistentibus, et ad illa declinantibus, qui certa munera adimplevissent, a felici recordationis Gregorio XIV, die XII aprilis, pontificatus sui anno I, et deinde a Clemente VIII ad triennium, postea a Paulo V, Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, die XXIII decembris MDXCV, per suas in eâdem formâ Brevis expeditas litteras[2] ad sexennium a dictâ die XXIII decembris inchoandum respective concessas, et ut praefertur, extensas et prorogatas, iustis et gravibus causis adducti ad sexennium a datâ litterarum nostrarum praedictarum inchoandum extendimus et prorogavimus[3] nec non eidem maiestati tuae, ac omnibus christifidelibus praedictis, indulgentias et gratias spirituales et temporales praedictas, cum omnibus et quibuscumque indultis, facultatibus, concessionibus, declarationibus, extensionibus, conditionibus, clausulis et decretis in Gregorii, Clementis et Pauli, praedecessorum nostrorum, ac nostris litteris contentis, ad sexennium auctoritate apostolicâ de novo concessimus et indulsimus, et aliàs, prout in dictis litteris nostris huiusmodi plenius continetur.

1 Quae, ut vides, hic non leguntur (R. T.).
2 Etiam praefatae litterae desunt (R. T.).
3 Edit. Main. legit *prorogamus* (R. T.).

Decem millia ducatos fabricae sancti Petri quotannis ex eleemosynis colligendis solvi praecipit.

§ 2. Ut autem fabrica basilicae Principis apostolorum de Urbe, quae in eiusdem apostolorum Principis honorem iam multis annis ingentibus sumptibus extruitur, parte aliâ[1] eorumdem fidelium eleemosynarum adiuvetur, volumus, et dictâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus, ut ex eleemosynis, quae causâ et occasione dictarum indulgentiarum et gratiarum erogabuntur, decem millia ducatorum auri de camerâ quotannis, a datâ praesentium incipiendo, eidem fabricae impertiri, ac pro eâ venerabili fratri Vincentio episcopo Albinganensi, spoliorum et iurium camerae apostolicae in praedictis regnis moderno et pro tempore existenti collectori, solvi omnino debeant.

Qui quidem exequutores collectori spoliorum solvi debent.

§ 3. Mandantes propterea dilecto filio Antonio Mascarenas praedictarum gratiarum exequutori et commissario a nobis deputato, et pro tempore exequutori et commissario deputando, omnibusque ad quos spectat et spectabit, ut praefertur, quod[2] pecuniarum summam collectori praedicto integre solvi faciant.

Contraria tolluntur.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI septembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 septembris 1621, pont. anno I.

XXXI.

Facultas officiali Metensi uniendi abbatiam S. Gorgonii primatui collegiatae ecclesiae B. M. V oppidi de Nancey Tullensis dioecesis[3].

1 Forsan legendum *aliquâ* (R. T.).
2 Coniunctionem *quod* nos addidimus (R. T.).
3 Ex Regest. in Secret. Brev.

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
Dilecto filio officiali Metensi,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Ex supremae maiestatis providentiâ in dignitatis sublimitate, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, votis illis, per quae dignitatum quarumlibet utilitatibus et commodis consulitur, libenter annuimus, et in his pastoralis officii partes, etiam per unionis aliarum dignitatum, ministerium impendimus, prout, locorum, temporum et personarum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa belli secularizationi fuit monasterium sancti Gorgonii Gorziensis et in collegiatam ecclesiam cum abbatia seculari erectum.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum nobis viri Henrici Lotharingiae et Barri ducis, et Caroli a Lotharingia clerici Tullensis dioecesis, petitio continebat, quod dudum monasterium sancti Gorgonii loci Gorziensis, Ordinis sancti Benedicti, Metensis seu nullius dioecesis, exorto in illis partibus inter potentissimos principes bello seu militari incendio, ad fundamenta usque conflagrarit, et eâ potissimum occasione monasterium ipsum, auctoritate apostolicâ, perpetuo suppressum et extinctum, illiusque ecclesia in secularem et collegiatam cum unâ abbatiâ, unoque decanatu, ac nonnullis canonicatibus et praebendis, etiam secularibus, certis modo et formâ tunc expressis eâdem auctoritate erecta fuit; dictaque abbatia in huiusmodi erectione omnia et singula proprietates, bona, iura, iurisdictiones et emolumenta, ad mensam abbatialem dicti monasterii ante suppressionem et extinctionem huiusmodi spectantia, in dotem, a mensâ capitulari dictae collegiatae ecclesiae separatam et distinctam, accepit, et ad praesens ultra praedictum locum de Gorziensi seu circiter alia loca territoriorum continua et coniuncta sub suâ iurisdictione temporali possidet:

Sed ingruentibus bellis periculum est, ne maiora damna etiam spiritualia illius subditi patiantur:

§ 2. Saepe vero, dum bellici tumultus in illis vel aliis ibi proximis partibus excitantur, copiae militares ad ipsa loca, uti iurisdictioni personae ecclesiasticae subiecta, divertere, et non solum in eorum habitatores saevire, eosque bonis et facultatibus spoliare, ac rapinas et caedes, aliaque maleficia perpetrare, sed etiam plerumque ipsa loca et aedificia incendiis et ruinis misere vastare et destruere, dictaeque abbatiae in bonis et redditibus suis gravia damna et detrimenta afferre solent; et annis proxime elapsis, repentino quodam ingruente bello, dilecti filii incolae et habitatores dictorum locorum, direptionem timentes, fugâ cum uxoribus et liberis suis arreptâ, domos et bona saevitiae militari exposita miserabili spectaculo relinquere coacti fuerunt; et, cum[1] abbas dictae collegiatae ecclesiae pro tempore existens haec mala et inconvenientia nec propriis viribus repellere, nec illis absque ope et auxilio potentis alicuius principis occurrere possit, [2] incolae et habitatores praedicti, omnem salutis suae rationem adversus calamitates bellicas huiusmodi in ope alienâ positam esse videntes, facile alicuius principis, in cuius dominiis haeresis toleretur, subsidium, etiam ipso abbate invito, implorabunt, et se illi, ipsaque loca tutanda committent; et, si id eveniet, dubium non est, quin ipsius haeresis venenum in dicta loca penetrare, et inde in Barri, in quo illa inclusa sunt, et, qui illis proximus est, Lotharingiae ducatus, magno religionis catholicae damno et salutis animarum periculo, sese diffundere debeat[3]: et nihil collegiatae ecclesiae et abbatiae ac locis praedictis in hoc misero eorum statu magis expedire videtur, quam illis auxilium eius principis conciliare, cui, pro conservatione iurium suorum, iniurias

1 Particula *cum* addendum censuimus (R. T.).
2 Coniunctionem *ac* delemus (R. T.).
3 Edit. Main. legit *debeant* (R. T.).

bella et militares direptiones a dictis locis arcere, et eorum incolas in avitâ religione catholicâ manutenere, necesse futurum sit:

In oppido vero de Nancey collegiata ecclesia beatae Mariae Virginis, immediate Sedi Apostolicae subiecta, erecta reperitur nonnullis que suffulta privilegiis, et cum primatu.

§ 3. In oppido vero Nancey Tullensis dioecesis (quod residentiâ ducum Lotharingiae, procerum et magnatum ac aliorum nobilium illius provinciae personarum concursu, populique frequentiâ celeberrimum est) una insignis collegiata ecclesia, sub invocatione et ad honorem Deiparae Virginis aliàs a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro erecta et Sedi Apostolicae immediate subiecta, in eâque unus primatus, dignitas inibi principalis, ac tres aliae dignitates, videlicet decanatus, cantoria, et scholastria, et tresdecim canonicatus, et totidem praebendae, et octo perpetuae sine curâ cappellaniae, vicariae nuncupatae, quae de iurepatronatus ducis Lotharingiae pro tempore existentis ex fundatione et dotatione existunt, adesse reperiuntur; et in limine erectionis ipsius collegiatae ecclesiae Deiparae Virginis, illius primati [1] etiam pro tempore existenti iurisdictio in dilectos filios eius capitulum, canonicos, cappellanos et alios ministros, ac personarum ad canonicatus et praebendas praedictos pro tempore praesentatarum institutio attributa, facultasque missam et alia divina officia pontificaliter et iure episcoporum celebrandi, populo benedictionem impendendi, paramenta et ornamenta ecclesiastica benedicendi, ac ecclesias pollutas reconciliandi; et successive fabrica ipsius ecclesiae Deiparae Virginis eleganti et sumptuoso admodum aedificio, impensâ dicti Henrici ducis, cepta fuit; hisque et aliis pluribus nominibus et titulis ecclesia [2] Deiparae Virginis et dignitas primatus praedicti in totâ illâ provinciâ maxime spectabiles et conspicuae existunt; ipse tamen primatus eos fructus et redditus annuos non habet, ex quibus eius pro tempore possessor statum suum, iuxta dignitatis huiusmodi exigentiam, dictique oppidi et aulae ducalis in eo versantis splendorem, decenter et commode manutenere possit:

Si abbatia illa isti primatui uniatur, bonum futurum:

§ 4. Verum si dicta abbatia, unâ cum eis annexis, ac iuribus, iurisdictionibus et pertinentiis suis universis, quae a mensâ capitulari dictae ecclesiae sancti Gorgonii distincta ac separata sunt, ut praefertur, praedicto primatui per nos et Sedem Apostolicam perpetuo uniatur et incorporetur, dictus primatus, cuius, dum pro tempore vacat, provisio et collatio, ad praesentationem dicti ducis faciendam, ad Sedem praedictam spectat, competentem fructuum subventionem inde recepturus, et dux ipse pro tempore existens, intuitu et contemplatione iurispatronatus quod illi in dicto primatu competit, defensionem bonorum et iurium dictae abbatiae tamquam ad ipsum primatum beneficio unionis huiusmodi spectantium libenter suscepturus, ac devastationem et direptiones militares a dictis locis pro viribus propulsaturus, ipsaque loca imposterum ab eisdem devastationibus et reparationibus [1], direptionibus, aliisque bellorum iniuriis, praesertim a labe haeresis, protectione et ope dicti Henrici ducis tuta futura, nec inde divini cultus in dictâ ecclesiâ sancti Gorgonii, apud quam illius abbas pro tempore existens ex defectu habitationis nudam prorsus residentiam hactenus facere consuevit, aliquod detrimentum passurus sit:

Itaque Henricus Lotharingiae dux petit dictam sancti Gorgonii abbatiam primatui ecclesiae beatae Mariae Virginis de Nancey uniri.

§ 5. Quare pro parte Henrici ducis et [2] (qui, ut asseritur, praedictam abbatiam obtinet, et dilecto filio Antonio de Lenoncourt moderno primati dictae ecclesiae Deiparae Virginis coadiutor perpetuus et irrevocabilis in regimine et administratione dicti primatus, cum futurâ in eodem

1 Edit. Main. legit *primati* (R. T.)

2 Edit. Main. legit *ecclesiae* (R. T.)

1 Vox *reparationibus* minus apta videtur (R. T.)

2 Edit. Main. legit *eo* sed perperam (R. T.)

successione, apostolicâ auctoritate deputatus reperitur) Caroli praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus abbatiam huiusmodi dicto primatui unire, annectere et incorporare, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex officiali Metensi facultatem concedit ad huiusmodi unionem deveniendi.

§ 6. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, statuimus et ordinavimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, teneantur[1] exprimere verum annuum valorem, secundum communem aestimationem, tam beneficii uniendi, quam illius, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, certam de praemissis notitiam non habentes, ac Henricum ducem et Carolum praedictos, eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon aliarum unionum et applicationum dicto primatui hactenus quomodolibet factarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, de praemissis omnibus et singulis, horumque circumstantiis universis, auctoritate nostrâ te diligenter informes, et, si per informationem eamdem ita esse repereris, abbatiam praedictam (cuius, et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus ad mille quingentos florenos auri in libris camerae apostolicae taxati reperiuntur), cum primum illam per cessum, etiam ex causâ permutationis, etiam in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem, seu amissionem, seu matrimonii contractum praedicti Caroli, seu et religionis ingressum, etiam apud Sedem Apostolicam, et in aliquo ex mensibus, nobis, et eidem Romano Pontifici pro tempore existenti, Sedique praedictae per quascumque constitutiones apostolicas aut cancellariae apostolicae regulas editas et edendas nunc et pro tempore reservatis, aut ordinariis collatoribus etiam per easdem vel quasvis alias constitutiones apostolicas aut regulas seu litteras alternativarum vel alia privilegia et indulta concessis hactenus et imposterum concedendis, aut iure ordinario vel aliàs competentibus et competituris, vacare contigerit (etiamsi actu nunc praemisso, aut alio quovis modo, et ex alterius cuiuscumque personâ, seu per liberam resignationem dicti Caroli, vel cuiusvis alterius, de illâ in Romanâ curiâ vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus, sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Ioannis Papae XXII praedecessoris, quae incipit *Execrabilis*, aut assequutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis autoritate collati, vacet), etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, ipsaque abbatia dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservata existat, et ad illam consueverit quis per electionem assumi, eique cura iurisdictionalis immineat animarum, et super eâ inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum annexis huiusmodi ac iuribus etiam beneficia ecclesiastica (non tamen nobis, aut Romano Pontifici pro tempore existenti quomodolibet reservata vel affecta) conferendi, et personas idoneas ad ea, cessantibus etiam reservationibus et affectionibus apostolicis, praesentandi vel nominandi, iurisdictionibus, bonis, proprietatibus

1 Edit. Main. legit *quod ... teneri* (R. T.).

et pertinentiis suis universis (dummodo tamen deinceps perpetuis futuris temporibus de eodem primatu, occurrente illius vacatione, primo tamquam liberae collationis, et deinde ad praesentationem ducis pro tempore existentis praedicti, et sic in perpetuum[1] alternis vicibus, per Romanos Pontifices clerico tantum seu presbytero capaci et idoneo, qui vere et non ficte in loco, dominio temporali eiusdem ducis subdito, oriundus sit, provideri, ac in singulis provisionibus huiusmodi de alternativâ provisionis, sic, ut praefertur, faciendae, specialis, seu specifica, et expressa mentio fieri debeat, aliàs provisiones in contrarium faciendae nullius sint roboris et momenti, nec etiam coloratum titulum possidendi illis, quibus factae fuerint, tribuere possint), ita quod liceat dicti primatus possessori pro tempore existenti, corporalem, realem et actualem illorum omnium possessionem, per se, vel alium, seu alios, eius ac dicti primatus nomine, propriâ auctoritate apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta ex eis provenientia quaecumque percipere, exigere, levare, recuperare, administrare, locare et arrendare, ac in suos necnon primatus et abbatiae praedictorum usus et utilitatem convertere, Dioecesani loci, vel cuiusvis alterius, licentiâ desuper minime requisitâ, cum hoc tamen, quod ipsi primates nunc et pro tempore existentes apud dictam ecclesiam Deiparae Virginis solummodo residentiam facere teneantur, auctoritate nostrâ perpetuo unias, annectas et incorpores.

Quod si fecerit, ratum habet, praesentesque litteras perpetuum vigorem vult habere.

§ 7. Nos enim, si unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi per te vigore earumdem praesentium fieri contigerit ut praefertur, easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, seu alios Romanos Pontifices successores nostros, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori datâ per dictum Henricum ducem et successores suos Lotharingiae duces pro tempore existentes quandocumque eligendâ, concessas, ac semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet spectat et spectare poterit quomodolibet in futurum, perpetuo, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 8. Non obstantibus prioribus voluntate, statuto et ordinatione nostris praedictis, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis aliisque apostolicis, etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, ac dictarum collegiatarum ecclesiarum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmi-

1 Edit. Main. legit *in perpetuam* (R. T.).

tate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, illis, illorumque capitulis, canonicis, aliisque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, ac aliàs in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret) eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXI, XVI kalendas octobris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 septembris 1621, pontif. an. I.

XXXII

Pampilonensis universitatis erectioni, cui ceterarum universitatum privilegia conceduntur[1].

Gregorius episcopus
servus servorum Dei.
ad perpetuam rei memoriam

Exordium

Caelestis Patris providentiâ ad summi apostolatus apicem evecti, tamquam de excelso monte ad ima agri irrigui militantis Ecclesiae nostrum dirigentes intuitum, ac considerantes, quod per litterarum studia ad bene, beateque vivendum via praebetur, adeptâque scientiarum cognitione iustitia colitur, suum cuique tribuitur, ac belli et pacis tempore, domi forisque, res aequitate geruntur, ac omnis humanae conditionis prosperitas augetur, fides atque religio propagatur, et divini nominis cultus protenditur, ad ea, per quae studia ipsa florere valeant, libenter intendimus, et in his apostolicae providentiae partes conferimus, prout catholicorum regum vota exposcunt, et nos, locorum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Proceres regni Navarrae Philippo III supplicant pro erectione studii generalis Pampilonae.

§ 1. Sane, carissimus in Christo filius noster Philippus IV Hispaniarum rex catholicus, suo et dilectorum filiorum syndicorum et deputatorum regni Navarrae nominibus, nobis nuper exponi fecit, quod, cum aliquot iam ante annos deputati et syndici dicti regni Navarrae gloriosae memoriae principi Philippo III Hispaniarum regi catholico totius regni nomine exposuissent, quod, licet regnum illud florentissimum, illiusque incolae in litterarum studia et scientiarum cognitionem propensissimi essent, quia tamen nullum in eo aderat studium generale, in quo scientiarum omnium lectiones haberentur, quamplurimi praestantissimorum ingeniorum adolescentes, praecipue pauperes, et virorum tenuioris fortunae filii, gustato humanarum litterarum et disciplinarum fructu, et de his iam benemeriti, ad graviora philosophiae, iurisprudentiae, theologiae et medicinae studia aspirantes, deficientibus eis facultatibus, ad remotas universitates, in quibus harum scientiarum doctrinae incumbitur, studiis vacandi gratiâ, se conferre non valentes, pedem sistere, et in obscuro et tenebris iacere cogebantur

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

proindeque ab eodem Philippo III rege in civitate Pampilonae unam studii generalis universitatem institui supplices petiissent;

Rex proregi dat in mandatis, locum opportunum eligat.

§ 2. Idem Philippus III rex, etsi honorificis illis subditorum suorum votis regio animo gratulabatur, atque[1] eâ in re, quam et ipse (pro eo quod regna et dominia omnia temporali suo dominio et gubernio summâ cum potestate subiecta, eorumque incolas, amore prosequebatur) summopere desiderabat, facile exorari passurus esset, nihilominus tamen, quia, ad felicem huius rei successum, loci selectum non parum conducere arbitrabatur, suo tunc in dicto regno proregi et capitaneo generali atque consiliariis commisit, ut cum assistentiâ sui procuratoris fiscalis et patrimonialis eiusdem regni, ad[2] eum de loci opportunitate, aliisque ad statum universitatis stabiliendum requisitis, referrent:

Prorex Pampilonam eligit.

§ 3. Quorum relatione cum accepisset[3], civitatem Pampilonensem, utpote amplissimam et in medio regni sitam, opportunissimum locum, ubi talis universitas fundari posset, iamque pro illius fundatione, tum ab universo regno, tum a particularibus personis, duodecim mille ducatos huius fundationis principio inservituros oblatos fuisse, et quondam Martinum de Abaurrea suo testamento conventui fratrum Ordinis sancti Dominici dictae civitatis sex mille ducatos eâ conditione reliquisse, ut, si in dictâ civitate universitas institueretur, duas cathedras seu lectiones, artium nempe unam, et theologiae alteram, facere tenerentur; ipsamque civitatem eo opportuniorem esse, quod in eâ iam adesset unum collegium religiosorum Societatis Iesu, in quo iidem religiosi pro laudabili eorum instituto iuventutem humaniores litteras et disciplinas edocebant, a quingentis et amplius scholaribus continuo frequentatum; atque relationi praesenti prorex et consiliarii quaedam capitula seu statuta et constitutiones ab eis exarata, quae in ipso institutionis dictae universitatis primordio, rerum et temporum atque etiam loci qualitatibus pensatis, proponenda et observanda iudicaverant, modum legendi, docendi, scholas frequentandi, gradus conferendi, et recipiendi salaria, et iura solvendi, et alia felix regimen et gubernium futurae universitatis concernentia, adiunxissent, illaque ad eumdem Philippum III regem transmisissent;

Philippus rex suis commissariis mandat, studium generale ibi erigant.

§ 4. Praedictus Philippus rex III, illis accurate perspectis, et proinde considerato[1] quantum ex litterarum studiis catholica fides, tenebrosâ ignorantiae caligine expulsâ, augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur, iustitia colatur, reliquaeque virtutes illustrentur, ac bene beateque vivendi via paretur, ut praedicti sui regni adolescentes, adeptâ humanarum litterarum cognitione, ad excelsum doctrinae fastigium aspirantes, eo facilius illud attingere possent, quo praesentiorem haberent studendi commoditatem, praedictis deputatis et syndicis unam universitatem studii generalis, in quo philosophia, ius civile et canonicum, ac medicina et theologia docerentur, et in quâ capitula, statuta et constitutiones antedicta, quae etiam ipse confirmavit, observarentur, in dictâ civitate instituendi facultatem concessit, seque ac successores suos Hispaniarum reges catholicos illius patronos et protectores constituit, illamque[2] sub suâ et eorum regiâ protectione suscepit; in illius vero cancellarium episcopum Pampilonensem tunc et pro tempore existentem deputavit;

§ 5. Ipsique universitati, illiusque can-

Necnon illaque

1 Pessime edit. Main. legit *teque* pro *atque* (R. T.).
2 Praeter rem ibidem legitur *et* pro *ad* (R. T.).
3 Erronee quoque ea ed. hab. *accessisset* (R. T.).

1 Sic duximus legendum aptius quam *consideratis* prout legit edit. Main. (R. T.).
2 Edit. Main. legit *illaque* (R. T.).

tate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, illis, illorumque capitulis, canonicis, aliisque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, ac aliàs in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret) eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXI, XVI kalendas octobris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 septembris 1621, pontif. an. I.

XXXII

Pampilonensis universitatis erectioni, cui celerarum universitatum privilegia conceduntur[1].

Gregorius episcopus
servus servorum Dei.
ad perpetuam rei memoriam

Exordium

Caelestis Patris providentiâ ad summi apostolatus apicem evecti, tamquam de excelso monte ad ima agri irrigui militantis Ecclesiae nostrum dirigentes intuitum, ac considerantes, quod per litterarum studia ad bene, beateque vivendum via praebetur, adeptâque scientiarum cognitione iustitia colitur, suum cuique tribuitur, ac belli et pacis tempore, domi forisque, res aequitate geruntur, ac omnis humanae conditionis prosperitas augetur, fides atque religio propagatur, et divini nominis cultus protenditur, ad ea, per quae studia ipsa florere valeant, libenter intendimus, et in his apostolicae providentiae partes conferimus, prout catholicorum regum vota exposcunt, et nos, locorum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Proceres regni Navarrae Philippo III supplicant pro erectione studii generalis Pampilonae.

§ 1. Sane, carissimus in Christo filius noster Philippus IV Hispaniarum rex catholicus, suo et dilectorum filiorum syndicorum et deputatorum regni Navarrae nominibus, nobis nuper exponi fecit, quod, cum aliquot iam ante annos deputati et syndici dicti regni Navarrae gloriosae memoriae principi Philippo III Hispaniarum regi catholico totius regni nomine exposuissent, quod, licet regnum illud florentissimum, illiusque incolae in litterarum studia et scientiarum cognitionem propensissimi essent, quia tamen nullum in eo aderat studium generale, in quo scientiarum omnium lectiones haberentur, quamplurimi praestantissimorum ingeniorum adolescentes, praecipue pauperes, et virorum tenuioris fortunae filii, gustato humanarum litterarum et disciplinarum fructu, et de his iam benemeriti, ad graviora philosophiae, iurisprudentiae, theologiae et medicinae studia aspirantes, deficientibus eis facultatibus, ad remotas universitates, in quibus harum scientiarum doctrinae incumbitur, studiis vacandi gratiâ, se conferre non valentes, pedem sistere, et in obscuro et tenebris iacere cogebantur

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

proindeque ab eodem Philippo III rege in civitate Pampilonae unam studii generalis universitatem institui supplices petiissent;

Rex proregi dat in mandatis, locum opportunum eligat.

§ 2. Idem Philippus III rex, etsi honorificis illis subditorum suorum votis regio animo gratulabatur, atque[1] eâ in re, quam et ipse (pro eo quod regna et dominia omnia temporali suo dominio et gubernio summâ cum potestate subiecta, eorumque incolas, amore prosequebatur) summopere desiderabat, facile exorari passurus esset, nihilominus tamen, quia, ad felicem huius rei successum, loci selectum non parum conducere arbitrabatur, suo tunc in dicto regno proregi et capitaneo generali atque consiliariis commisit, ut cum assistentiâ sui procuratoris fiscalis et patrimonialis eiusdem regni, ad[2] eum de loci opportunitate, aliisque ad statum universitatis stabiliendum requisitis, referrent:

Prorex Pampilonam eligit.

§ 3. Quorum relatione cum accepisset[3], civitatem Pampilonensem, utpote amplissimam et in medio regni sitam, opportunissimum locum, ubi talis universitas fundari posset, iamque pro illius fundatione, tum ab universo regno, tum a particuraribus personis, duodecim mille ducatos huius fundationis principio inservituros oblatos fuisse, et quondam Martinum de Abaurrea suo testamento conventui fratrum Ordinis sancti Dominici dictae civitatis sex mille ducatos eâ conditione reliquisse, ut, si in dictâ civitate universitas institueretur, duas cathedras seu lectiones, artium nempe unam, et theologiae alteram, facere tenerentur; ipsamque civitatem eo opportuniorem esse, quod in eâ iam adesset unum collegium religiosorum Societatis Iesu, in quo iidem religiosi pro laudabili eorum instituto iuventutem humaniores litteras et disciplinas edocebant, a quingentis et amplius scholaribus continuo frequentatum; atque relationi praesenti prorex et consiliarii quaedam capitula seu statuta et constitutiones ab eis exarata, quae in ipso institutionis dictae universitatis primordio, rerum et temporum atque etiam loci qualitatibus pensatis, proponenda et observanda iudicaverant, modum legendi, docendi, scholas frequentandi, gradus conferendi, et recipiendi salaria, et iura solvendi, et alia felix regimen et gubernium futurae universitatis concernentia, adiunxissent, illaque ad eumdem Philippum III regem transmisissent;

Philippus rex suis commissariis mandat, studium generale ibi erigant.

§ 4. Praedictus Philippus rex III, illis accurate perspectis, et proinde considerato[1] quantum ex litterarum studiis catholica fides, tenebrosâ ignorantiae caligine expulsâ, augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur, iustitia colatur, reliquaeque virtutes illustrentur, ac bene beateque vivendi via paretur, ut praedicti sui regni adolescentes, adeptâ humanarum litterarum cognitione, ad excelsum doctrinae fastigium aspirantes, eo facilius illud attingere possent, quo praesentiorem haberent studendi commoditatem, praedictis deputatis et syndicis unam universitatem studii generalis, in quo philosophia, ius civile et canonicum, ac medicina et theologia docerentur, et in quâ capitula, statuta et constitutiones antedicta, quae etiam ipse confirmavit, observarentur, in dictâ civitate instituendi facultatem concessit, seque ac successores suos Hispaniarum reges catholicos illius patronos et protectores constituit, illamque[2] sub suâ et eorum regiâ protectione suscepit; in illius vero cancellarium episcopum Pampilonensem tunc et pro tempore existentem deputavit;

§ 5. Ipsique universitati, illiusque can- Sequitur...

1 Pessime edit. Main. legit *teque* pro *atque* (R. T.).
2 Praeter rem ibidem legitur *et* pro *ad* (R. T.).
3 Erronee quoque ea ed. hab. *accessisset* (R. T.).

1 Sic duximus legendum aptius quam *considerantis* prout legit edit. Main. (R. T.).
2 Edit. Main. legit *illaque* (R. T.).

eidem concedit privilegia.

cellario, lectoribus, doctoribus, graduatis, scholaribus, ministris, et aliis personis, omnia privilegia, libertates et exemptiones, immunitates et gratias, quibuscumque universitatibus studiorum generalium regnorum Hispaniae, tam per ipsum quam per eius praedecessores reges concessa, attribuit, cum hoc tamen quod doctores, lectores, graduati, scholares, ministri, et aliae dictae universitatis personae praetextu privilegiorum huiusmodi, seu quia in ipsâ universitate matriculati essent, proprium forum et[1] eorum iudicum competentium iurisdictionem declinare non poterunt, sed, illis non obstantibus, suis legitimis superioribus clerici et presbyteri, nempe Ordinario loci et ecclesiasticis, laici[2] vero secularibus et laicis iudicibus subiecti remanerent, et aliàs, prout in eiusdem diplomate regio plenius continetur.

Philippus IV praedicta omnia auctoritate apostolica petit confirmari.

§ 6. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Philippus IV rex (cui probe innotescit, quod Philippus III rex eius genitor, non multo ab hinc tempore rebus humanis exemptus, praedictam universitatem apostolicâ auctoritate erigi desiderabat, iamque desuper felicis recordationis Paulo Papae V praedecessori nostro scripserat), huiusce charissimi sui genitoris, qui et praedicto diplomate regio et ipsi eius filio praedictam universitatem commendavit, intentionis conscius, et per eius vestigia incedere intendens (ut, quod ipse iam animo conceperat et morte praeventus tempore assequi non potuerat, ipso eius filio quasi in ipso suscepti haereditariorum regnorum et dominiorum gubernaculi principio procurante, nostris auspiciis ad effectum perducatur), plurimum cupiat perpetuam universitatem per nos, ut infra, erigi; quare pro parte dicti Philippi IV regis, nominibus praedictis, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Iterum erigit universitatem Gregorius.

§ 7. Nos igitur, quibus nihil magis cordi est, quam, ut temporibus nostris litterarum studia florescant, praedictum Philippum IV regem, et dictorum syndicorum et deputatorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, in praedictâ civitate Pampilonensi universitatem studii generalis, in qua philosophia, medicina, ius civile et canonicum, atque theologia doceantur, et in his facultatibus publicae lectiones habeantur, et cuius cancellarius sit et esse debeat venerabilis frater noster modernus et pro tempore existens episcopus Pampilonensis, qui, in casu absentiae aut impedimenti, unum ex canonicis professis ecclesiae Pampilonensis in vicecancellarium[1] deputare possit, apostolicâ auctoritate, ad instar Salamantinae, Complutensis, et aliarum Hispaniae universitatum, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus:

Illique ceterarum universitatum privilegia elargitur.

§ 8. Illique sic erectae et institutae, ac eius pro tempore existentibus cancellario, vicecancellario, rectori, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, graduatis, scholaribus, bidellis, nunciis, et aliis officialibus ac personis, necnon membris et subditis, quod omnibus et singulis indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, honoribus ac praeeminentiis Salamantinensi et Complutensi, ac quibusvis[2] aliis Hispaniae

1 Praep. *in* delemus (R. T.).
2 Perperam edit. Main. legit *loci* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *vicecancellario* (R. T.).
2 Sic corrigimus loco *quibus* (R. T.).

universitatibus praedictis, illarumque pro tempore existentibus cancellariis, vicecancellariis, lectoribus, magistris, doctoribus, praeceptoribus, graduatis, scholaribus, procuratoribus, bidellis, nunciis, aliisque officialibus ac personis, nec non membris et subditis, in genere et specie, tam apostolicâ, quam imperiali et regiâ auctoritatibus, aut aliàs quomodolibet, concessis, seu legitime praescriptis, aut in posterum concedendis, ac quibus illae et illa utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum (cum hoc, quod, praetextu privilegiorum huiusmodi, seu quia in ipsâ universitate matriculati fuerint, proprium forum et eorum iudicum competentium iurisdictionem declinare non possint, sed, illis non obstantibus, suis legitimis superioribus, clerici et presbyteri nempe Ordinario et ecclesiasticis, laici vero secularibus et laicis iudicibus subiecti remaneant), uti, potiri et gaudere[1]; necnon iis qui in praedictâ, atque etiam iis qui in quavis aliâ universitate, disciplinis et facultatibus praedictis studere inceperint, ut studia sua in eâ continuare, et, qui in universitate per praesentes erectâ huiusmodi per tempus debitum studuisse et in scientiâ ac moribus idonei comperti fuerint, in artibus et medicinâ, philosophiâ, theologiâ, nec non iuribus et facultatibus praedictis, baccalaureatus, etiam formati, et licentiaturae, nec non doctoratus et magisterii, et quosvis alios ipsius universitatis solitos gradus earum scientiarum, in quibus studuerint, a cancellario, seu vicecancellario, nec non rectore et doctoribus universitatis per praesentes erectae, seu[2] ab his ad quos spectabit, recipere, et ipsorum graduum solita insignia sibi exhibere facere, et, postquam huiusmodi gradus et illorum insignia susceperint, scientias, in quibus graduati fuerint, docere et interpretari, ac in eis disputare, nec non quoscumque actus gradui seu gradibus per vos[1] concessis benemeritis[2] facere et exercere, aliisque omnibus et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in Salamantinensi et Complutensi, ac quibusvis aliis Hispaniarum universitatibus approbatis iuxta illarum constitutiones et mores promoti de iure, usu, consuetudine, aut aliàs, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, etiam uti, frui et gaudere possint, in omnibus et per omnia, perinde ac si gradus huiusmodi in Salamantinensi, seu Complutensi, aut aliis universitatibus praedictis iuxta illarum constitutiones et consuetudines huiusmodi suscepissent; nec non moderno et pro tempore existenti episcopo Pampilonensi huiusmodi universitatis per praesentes erectae futuro cancellario, ut per se, vel alios, quos ad id duxerit deputandos, ultra praedicta, quaecumque alia pro dictae universitatis per praesentes erectae directione et conservatione, ac rectorum, magistrorum, lectorum, praeceptorum, bidellorum, nunciorum, ac aliorum officialium electione, scholarium promotione, quaecumque statuta et ordinationes (licita tamen et honesta, ac sacris canonibus, praecipue vero Concilii Tridenti decretis non contraria) facere, edere, ac, pro rerum, temporum et personarum qualitate et varietate, mutare, corrigere, alterare, ac reformare, cassare, et alia de novo condere, ac super illorum observatione quascumque poenas imponere, libere et licite valeant[3], dictâ apostolicâ auctoritate concedimus et indulgemus.

§ 9. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod interesse habentes seu

Clausulas pro praesentium litterarum firmitate apponit.

1 Subintellige *possint*, *concedimus et indulgemus*, uti postea sequitur in fine § (R. T.).

2 Vocem *seu* nos addimus (R. T.).

1 Potius lege sit *per nos* vel *per eos* (R. T.).

2 Vide annon desit *competentes* (R. T.).

3 Potius legeretur *valeat* (R. T.).

praetendentes ad hoc vocati non fuerint, nec praemissis consenserint, aut quocumque alio praetextu, seu aliàs ex quavis causâ, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quovis alio defectu, impugnari, invalidari, et ad terminos iuris reduci, in ius vel controversiam revocari, seu adversus illas quodcumque iuris, facti vel quodvis remedium impetrari [1] non posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus quandocumque et sub quibuscumque tenoribus et formis pro tempore emanatis, comprehendi; et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo antequam emanarent erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, sub quacumque etiam posteriori datâ, quandocumque eligendâ, de novo concessas, validasque et efficaces fore et esse, ac suos plenarios et integros effectus sortiri, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod singuli magistri, doctores et lectores universitatis per praesentes erectae huiusmodi, in principio cuiuslibet anni, seu renovatione studiorum, factâ prius per ipsorum et eorum quemlibet in manibus Ordinarii catholicae fidei professione, iuxta articulos a Sede Apostolicâ propositos, se nihil, quod illi quovis modo repugnet, aut sit contra bonos mores, lecturos, docturos, aut interpretaturos solemni iuramento se adstringere debeant; in hoc quoque idem Ordinarius sedulam operam iuxta dicti concilii decreta adhibere teneatur.

Clausulae poenales.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, concessionis, indulti, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXI, sextodecimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 septembris 1621, pontif. an. I.

XXXIII.

Revocatio quarumcumque electionum iudicum conservatorum hactenus factarum, et nova de eis eorumque electionibus in posterum faciendis dispositio [1].

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster D. Gregorius divinâ providentiâ Papa XV, ex certis rationalibus causis animum suum moventibus, et de voto venerabilium fratrum suorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, partim felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris sui vestigiis inhaerendo,

Pontifex revocat omnes et quascumque electiones conservatorum hactenus factas.

§ 1. Revocavit, ac nullas et invalidas decrevit, omnes et quascumque iudicum conservatorum electiones, nominationes

1 Edit. Main. legit *impetrare* (R. T.).

1 De hac materiâ vide dispositionem Bonifacii VIII in cap. XI *De rescript.* num. 6, et etiam cap. I et XV *De offic. deleg.* num. 6; necnon Concil. Trid. sess. XIV, cap. V *De ref.*, et Leonis X Constit. XXIV, tom. V, pag. 685, et Clem. VIII Const. V, tom. IX, pag. 524.

seu deputationes, tam in vim litterarum conservatoriarium iuxta formam in quinterno cancellariae descriptam, quam in vim quorumcumque privilegiorum perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum, apostolicâ auctoritate concessorum, seu aliàs quocumque iure vel titulo hactenus factas, pro quibuscumque conventibus, capitulis, militiis, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, congregationibus, collegiis, ordinibus, monasteriis, hospitalibus, aut aliis quibusvis piis, tam secularibus quam cuiusvis Ordinis, etiam Mendicantium, seu instituti vel societatis regularibus, locis quantumvis exemptis, etiam de necessitate exprimendis, seu illorum personis, cuiusvis qualitatis seu conditionis existant.

Statuit huiusmodi electiones de cetero fieri ut hic.

§ 2. In futurum vero Sanctitas sua hac generali et perpetuo valiturâ constitutione statuit et decrevit, ut iudices conservatores huiusmodi, sive principales sive subrogati, eligi, nominari aut deputari non possint, nisi, non solum habeant qualitates requisitas et descriptas in constitutione similis recordationis Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris sui, quae incipit *Statutum*, ita ut vel dignitate ecclesiasticâ praediti, vel personatum obtinentes, vel ecclesiarum cathedralium canonici existant, sed etiam in conciliis provincialibus aut dioecesanis, iuxta decretum concilii praedicti, iudices electi seu designati sint.

Ac conservatores aliter eligi vetat.

§ 3. Quodque deinceps litterae conservatoriae, per Sedem Apostolicam concedendae, infrascriptis tantum dirigantur, et si quae litterae aliter expedientur, illae, ac deputationes huiusmodi, omniaque exinde sequendâ, nullius sint roboris vel momenti.

Eligentibusque poenas infligit.

§ 4. Et nihilominus qui secus, quam iuxta formam superius praescriptam, conservatores huiusmodi cum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis uti ausi fuerint, regulares quidem voce activâ et passivâ sint ipso iure privati, adeo ut habilitationem a nemine, praeterquam a Romano Pontifice, consequi valeant; reliqui vero aliis poenis arbitrio Sanctitatis suae coërceantur, et praedictorum omnium conventus, monasteria, ac loca huiusmodi, eorumque personae ac bona, careant conservatore ad annum, ita ut illorum causae interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognosci ac diffiniri debeant.

Personas eligibiles in conservatores in synodis provincialibus ab Ordinariis certo modo designari decernit.

§ 5. Ceterum, ut latius pateat conservatorum huiusmodi deligendorum facultas, Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in synodis provincialibus aut dioecesanis quamplures personas, ex habentibus qualitates in praedictâ constitutione eiusdem Bonifacii praedecessoris contentas et alioquin ad id aptas, designari procurent, et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio capituli alium in eius locum usque ad futuram provincialem aut dioecesanam synodum.

Tempus ad eligere huiusmodi conservatores praefinit.

§ 6. Insuper Sanctitas sua, inhaerendo hac in parte decreto similis recordationis Gregorii Papae XIII, etiam praedecessoris sui, statuit et ordinavit, ut regulares ac personae huiusmodi, in Italia infra duos, extra Italiam vero infra sex menses a die publicationis in Urbe praesentis constitutionis inchoandos, debeant sibi eligere seu assumere conservatores, iuxta formam superius propositam.

Electionesque factas in actis curiae Ordinariorum exhiberi mandat.

§ 7. Eiusque electionis seu assumptionis documentum infra tempus huiusmodi penes acta curiae Ordinariorum exhibere et dimittere teneantur, alioquin, eo termino elapso, quamdiu conservatores secundum formam praesentis constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conveniantur.

Nec non electos infra quinquennium mutari prohibet.

§ 8. Quodque conservatores huiusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitimâ causâ, a Sede Apostolicâ aut locorum Or-

dinariis, prout iisdem regularibus et aliis supradictis libuerit, approbandâ, durante quinquennio a die deputationis amoveri aut mutari nullatenus possint aut valeant.

Conservatorum iurisdictionem declarat.

§ 9. Ad haec statuit Sanctitas sua, ut coram ipsis conservatoribus regulares ac personae suprascriptae conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios convenire, aut trahere non possint; ita ut memorati conservatores in causis, in quibus regulares et alii actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in iis tantum, in quibus rei exiterint, neque extra civitates, seu dioeceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere praesumant.

Controversias inter conservatores et Ordinarios per arbitros decidi iubet.

§ 10. Si qua[1] vero inter iudices conservatores huiusmodi et locorum Ordinarios controversia super competentiâ iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causâ procedatur, donec per arbitros in formâ iuris electos super iurisdictionis competentiâ fuerit iudicatum.

Conservatorum et litigantium suos limites excedentium iuxta Bonifacii VIII Constitutionem poenas declarat.

§ 11. Quod si qui conservatores, sive in hac parte sive aliàs quomodolibet, suos limites excesserint, per annum ab officio conservatoris huiusmodi suspensi sint, et pars, quae hoc fieri procuraverit, sententiam excommunicationis incurrat, iuxta formam alterius Constitutionis eiusdem Bonifacii praedecessoris, quae incipit *Hac constitutione*, quam Sanctitas sua in omnibus, quae praesenti constitutioni non adversantur[2], innovavit et innovat.

Iudices non suspecti, quando a principibus peti possint explicat.

§ 12. Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quominus regulares et alii supradicti in casibus a iure permissis petant iudicem non suspectum a principibus seu magistratibus secularibus; dum tamen haec tria copulative concurrant, videlicet, ut regulares et alii praedicti sint actores, non autem rei, utque agant contra laicum, non autem contra ecclesiasticum vel aliàs a iurisdictione seculari exemptum, atque ut causa, in qua iudex deputatur, fuerit profana, non autem ecclesiastica, et in eâ iuxta sacrorum canonum dispositionem laicus, ut praefertur eligendus, iudex competens existat.

Observantiam praemissorum praecipit cum decreto irritanti.

§ 13. Quae omnia et singula in praesenti constitutione contenta Sanctitas sua voluit inviolabiliter observari, decernens sic in iis ceterisque omnibus praemissis per quoscumque, etc., etiam sacri palatii apostolici auditores, nec non S. R. E. cardinales (sublatâ, etc.) iudicari, etc., nec non irritum et inane, etc.

Contrariis quibuscumque plenissime derogat.

§ 14. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac litteris conservatoriis, quas omnes ad formam praesentis constitutionis reduxit, in favorem quorumcumque Ordinum, tam Mendicantium quam non Mendicantium, militiarum, etiam sancti Ioannis Hierosolimitani, congregationum, societatum, aut cuiusvis alterius instituti etiam necessario exprimendi, collegiorum, capitulorum, ecclesiarum, monasteriorum, ac piorum quorumcumque, tam secularium quam regularium, locorum, necnon illorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, etiam ex causâ et titulo oneroso, indultis et litteris apostolicis, etiam marimagno, seu bullâ aureâ, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus et formis specialis et

1 Edit. Main. legit *si quae* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *adversatur* (R. T.).

individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ et observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habens), quibus[1], quoad ea quae praesentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogavit, ceterisque contrariis quibuscumque.

Hanc legem in locis solitis et in cancellaria publicari et in illius quinterno describi mandat.

§ 15. Ceterum, ut praesens constitutio facilius omnibus innotescat, Sanctitas sua voluit et mandavit, ut non solum in cancellariâ apostolicâ, sed etiam ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe, et in acie campi Florae publicetur, illiusque exempla in iisdem locis affixa dimittantur, ac in quinterno cancellariae inter constitutiones perpetuas describatur et adnotetur.

Papae suscriptio.

Placet publicetur et describatur A.

Publicatio in cancellaria die XX septembris MDCXXI.

Lecta et publicata fuit supradicta constitutio in cancellariâ apostolicâ ab altero ex reverendis PP. DD. maioris praesidentiae abbreviatoribus, die XX *mensis septembris, anno Incarnationis Dominicae* MDCXXI, *pontificatus vero praelibati Sanctissimi Domini Nostri D. Gregorii Papae XV anno* I.

Descriptio in illius quinterno.

Et postmodum die et anno supradictis in quinterno eiusdem cancellariae inter alias constitutiones apostolicas descripta et adnotata fuit.

NICOLAUS URSINUS Procustos.

Publicatio in Urbe die XX septembris MDCXXI Pontificatus anno I.

In Dei nomine Amen. Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXI, *indictione quarta, die vero* XX *septembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri Gregorii divinâ providentiâ Papae XV, Pontificatus sui anno* I, *retroscripta constitutio apostolica affixa ac publicata fuit in valvis basilicae Principis apostolorum de Urbe, et in acie campi Florae per me Augustinum Braccherium apostolicum cursorem.*

OCTAVIUS SPADA Magister Cursorum.

1 Vox *quibus* ante parenth. ponenda (R. T.).

Sequitur quoddam dubium super istâ Constitutione exortum, cum suâ declaratione.

Dubium.

In Constitutione de conservatoribus editâ a sacrae memoriae Gregorio XV, ex sententiâ sacrae Congregationis Concilii, inter cetera statutum est, ut coram conservatoribus regulares conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios convenire aut trahere non possint, ita ut memorati conservatores in causis, in quibus regulares et alii actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in iis tantum, in quibus rei extiterint.

Dubitatur nunc, an per haec verba sublata sit facultas, quam habent conservatores, defendendi regulares, et alios a manifestis iniuriis et violentiis, quae illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus deiiciuntur, et propriis bonis uti ac frui impediuntur.

Resolutio dubii.

Sacra congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit eiusmodi verbis minime sublatam fuisse facultatem quam habent conservatores defendendi regulares a manifestis iniuriis ac violentiis, dummodo observent formam praescriptam a constitutionibus Innocentii IV, et Bonifacii VIII relatis in cap. I, et in fin. *De offic. deleg.* in VI.

C. Card. DE TORRES.

PROSPER FAGNANUS S. Congr. Secr.

XXXIV.

Ecclesiasticis regni Siciliae permittitur ut nonnullas pecunias loco donativi regi Philippo IV offerant[1]

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico Gregorius Papa XV.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiastici regni Siciliae quasdam pecunias regi offerunt donandas si Sedis Apostolicae consensus accesserit.

§ 1. Exponi nobis nuper fecisti, quod, cum nuper dilecti filii tres hominum Status, seu tria brachia, ecclesiasticum, militare et demaniale nuncupata regni Siciliae ultra pharum, cuius tu rex existis, quibusdam rationalibus de causis animos eorum moventibus, de offerendo tibi, ac dilecto filio nobili viro Francisco de Castro duci Taurisani, eiusdem regni proregi, certas pecuniarum summas, donativa nuncupatas, sub certis terminis et modo et formâ exigendas, inter se tractaverint; venerabiles fratres archiepiscopi, episcopi, ac dilecti filii archimandrita et aliae personae ecclesiasticae dicti regni certam ratam sponte suâ obtulerunt et dare statuerunt in parlamentis ordinariis habitis de anno praesenti, ipsique archiepiscopi, episcopi et archimandrita, ac aliae ecclesiasticae personae eorum ratam huiusmodi, accedente ad hoc nostro et Apostolicae Sedis beneplacito, persolvere obtulerunt, et forsan etiam persolverunt.

Philippus rex pro huiusmodi consensu supplicat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ex eo quod per Lateranense concilium novissime celebratum, diversasque alias canonicas sanctiones, sub certis censuris et poenis caveatur expresse, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniarum summam sive subventionem recipiant, maiestas tua ac tui illius regni ministri necnon dictus Franciscus prorex dubitetis ratam praedictam recipiendo censuras et poenas praedictas incurrere, et forsan incurrisse, et nobis propterea humiliter supplicari feceris, pro tuae et dictorum ministrorum et Francisci proregis conscientiae quiete, quatenus praemissis nostram et huius sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur:

Praestat Pontifex.

§ 3. Nos, huiusmodi supplicationibus inclinati, oblationi, et forsan praestationi, necnon solutioni per archiepiscopos, episcopos et archimandritam, ac alias ecclesiasticas personas factis, pro hac vice tantum, nostram et Sedis praedictae auctoritatem interponimus per praesentes. Et nihilominus archiepiscopis, episcopis et archimandritae, et aliis ecclesiasticis personis praedictis, ut ratam huiusmodi, per eos, ut praefertur, oblatam et promissam persolvere, ac maiestas tua, et tui ministri, dictusque Franciscus prorex eam petere et recipere absque conscientiae scrupulo, seu censurarum et poenarum praedictarum incursu, libere et licite valeant, concedimus et indulgemus: ipsosque archiepiscopos, episcopos et archimandritam, ac alias personas ecclesiasticas et earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint, aut solverint, necnon eamdem maiestatem tuam, et tuos ministros, ac Franciscum proregem praedictum, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis propterea quomodolibet incursis, eâdem auctoritate absolvimus, et absolutos fore censemus et declaramus.

Ac in huiusmodi subsidio pensionarios quoque vult comprehendi.

§ 4. Decernentes, quod omnes et singuli pensionarii, seu ii, quibus, loco pensionum, fructus in totum vel in partem reservati existant, cuiuscumque dignitatis vel conditionis sint (exceptis tamen S. R. E. cardinalibus) ad huiusmodi ratae solutionem in omnibus et per omnia, perinde ac si nominatim ratam eamdem se soluturos obtulissent (clausulis et decretis in litteris apostolicis reservationum pensionum et fructuum huiusmodi etiam consistorialiter appositis, etiam quod dictae pensiones ab omni decimâ, subsidio etiam charitativo, ac quovis alio onere, tam or-

dinario quam extraordinario, quavis auctoritate, etiam pro expeditione, tam offensivâ quam defensivâ, contra Turcas et alios infideles, ac reipublicae christianae ab illorum conatibus defensione, seu inexcogitabili causâ a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam ad imperatorum, regum, ducum et aliorum instantiam, illorumque contemplatione et intuitu, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ impositis et imponendis, aut aliàs qualitercumque, exemptae sint, nequaquam obstantibus[1]) teneantur et efficaciter obstricti sint; ipsique archiepiscopi, episcopi, archimandrita et aliae personae, quarum ecclesiae, monasteria, et alia beneficia ecclesiastica annuis pensionibus auctoritate apostolicâ assignatis gravata et onerata sunt, ratam pensionariorum huiusmodi, seu eorum quibus fructus huiusmodi sunt reservati, solvere[2], et illud, quod pro ipsis pensionariis, seu iis quibus fructus huiusmodi sunt reservati, vere et realiter, ac quacumque fictione cessante, persolverint, suâ propriâ auctoritate postmodum penes se retinere possint, nec propterea sententias, censuras et poenas in eisdem pensionum reservationibus contentas incurrant.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibusvis generaliter vel specialiter concessis, necnon litteris reservationum, pensionum et fructuum huiusmodi, ac quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae, etiam cum iuramento et censuris et mandatis exequutivis susceptione[1] vel aliàs desuper factis (etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes, eis derogatum esse non censeatur, aut derogari non videatur nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis); quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Pauperes ecclesiasticos gravari vetat.

§ 6. Ceterum volentes providere, ne pauperes ecclesiastici ad contributionem huiusmodi graventur, Franciscum proregem praedictum hortamur attente, ac in virtute sanctae obedientiae illi mandamus, quatenus pauperes ecclesiasticos, qui in redditibus annuis nihil, aut parum etiam usque ad valorem decem unciarum, scuta vigintiquinque monetae illius regni constituentium, inclusive habent, ad contributionem praedictam per quescumque, quavis auctoritate fungentes, cogi aut compelli nullo modo permittat.

Pecuniasque per ecclesiasticos exigi iubet.

§ 7. Volumusque, quod exactio pecuniarum huiusmodi contra personas ecclesiasticas per personas etiam ecclesiasticas a dictâ maiestate tuâ seu dicto Francisco prorege deputandas fieri debeat, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: quod si secus in aliquo praemissorum factum fuerit, qui contravenerint, in poenas et censuras incurrant, perinde ac si praesentes litterae[2] non emanassent.

Eam cuique transumptis fidem adhiberi.

§ 8. Praeterea volumus, praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in

1 Contra rationem syntaxis edit. Main. legit *obstare* (R. T.)

2 Subintellige *teneantur* (R. T.).

1 Nescio an legendum *mandati exequutivi susceptione* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *litteras* (R. T.).

dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra in omnibus et per omnia adhiberi, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 septembris 1621, pontif. an. I.

XXXV.

Praevià confirmatione litterarum Pauli Papae V, quibus canonissis ecclesiae sancti Petri oppidi Romaricomontis, nullius seu Tullensis dioecesis, facultas conceditur monasticam emittendi professionem, statuitur, ut canonicatus et dignitates, quas imposterum vacare contigerit, iis, quae professionem emisere, conferantur[1].

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Pauli Papae V litterae. *Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.* Cum, sicut accepimus (dum coram dilectis filiis nostris Ioanne Garzia sanctorum Quatuor Coronatorum Millino, Marcello sancti Alexii Senensi, ac Horatio sancti Salvatoris in Lauro titulorum S. R. E. presbyteris cardinalibus Lancellotto nuncupatis a nobis deputatis, super statu et qualitate ecclesiae sancti Petri oppidi Romaricomontis nullius seu Tullensis dioecesis, quae nobis et Apostolicae Sedi immediate subiecta existit, et cuius, ut asseritur, abbatissa dumtaxat Ordinem sancti Benedicti profiteri consuevit, discutitur), interim contingere possit, ut aliquae dictae ecclesiae canonissae pro religionis zelo professionem huiusmodi etiam emittere cupiant; propterea nos, laudabili illarum desiderio, quantum cum Domino possumus, benigne consulere volentes, motu proprio, et ex certà scientià ac maturà deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis dictae ecclesiae canonissis nunc et pro tempore existentibus, quae dictum Ordinem profiteri voluerint, ut professionem, quam abbatissa huiusmodi emittere solet, in eiusdem abbatissae manibus (ita tamen ut in loco debito et convenienti clausurà munito eamdem clausuram iuxta formam Constitutionis felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri super clausurà monialium editae observent) expresse emittere libere et licite possint et valeant, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. Declarantes omnes et singulas sic professas omnium praerogativarum, ceterorumque iurium, quibus gaudent et potiuntur, vel gaudere et potiri possent in futurum, gavisuras et potituras sine aliquà diminutione. Et nihilominus abbatissae, atque iis omnibus, quae realiter et cum effectu professionem, ut supra, emiserint, omnes et quascumque indulgentias, gratias, indulta et privilegia religiosis sub dicti sancti Benedicti regulà viventibus a nobis, vel quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, in genere vel in specie, concessa, motu simili concedimus et indulgemus. Volumus autem, ut per praesentes litteras dictae ecclesiae status nullatenus immutatus vel in aliquo alteratus censeatur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae (etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem ecclesiae, illiusque abbatissae et canonissis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam dero-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

gatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Per praesentes autem non intendimus statum dictae ecclesiae in aliquo approbare [1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI martii MDCXVIII, pontificatus nostri anno XIII.

Confirmatis huiusmodi litteris, Gregorius decernit, canonicatus alia-que dignitates vacaturas iis, quae professionem emiserint, esse conferendas.

§ 2. Nos autem, qui pium canonissarum dictae ecclesiae desiderium, quantum cum Domino possumus, promovere cupimus, easdem canonissas specialibus favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, ex voto dilectorum filiorum nostrorum Ioannis Garziae Ss. Quatuor Coronatorum Millini, Fabritii sancti Augustini Veralli, ac Francisci sancti Matthaei in Merulana titulorum presbyterorum cardinalium Sacrati nuncupatorum, praedictas litteras et omnia et singula in illis contenta approbantes, illisque in suâ firmitate et robore remanentibus, ut de cetero quotiescumque abbatissatum, decanatum, sacristiam, celerariam, eleemosynariam, ac thesaurariam dictae ecclesiae, aut illarum aliquam, per cessum vel decessum, aut aliàs quomodolibet, vacare contigerit, si tunc aliqua seu aliquae canonissae eiusdem ecclesiae, iuxta dictarum litterarum formam, Ordinem praedictum professae, et quibus aliquod canonicum non obstiterit impedimentum, reperiantur, dignitates praedictae, ut supra vacantes, nulli alteri, quam canonissis Ordinem huiusmodi professis per nos aut successores nostros Romanos Pontifices, nec non quoscumque alios collatores, conferri valeant, aut de illis sic vacantibus provideri possit, et aliter factae de illis aut illarum aliquâ electiones, provisiones et dispositiones nullius sint roboris vel momenti, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Paulus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Obstantia tollit.

§ 4. Per praesentes autem non intendimus statum dictae ecclesiae in aliquo approbare.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die ultimâ septembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 septembris 1621, pontif. an. I.

XXXVI.

Religiosis Societatis Iesu indultum conceditur officium recitandi ac missam celebrandi de communi Confessoris non Pontificis die XXI *iunii de beato Aloysio Gonzaga.*

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In Sede Principis apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, a Do-

1 Vide annon foret legendum potius *alterare* vel *immutare* (R. T.).

mino constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis suis honorificetur[1], libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Ad preces Societatis Iesu.

§ 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum praepositi generalis ac presbyterorum Societatis Iesu nobis nuper expositum fuit, quod ipsi, pro eo quem erga beatum Aloysium Gonzagam, eiusdem Societatis, dum vixit, religiosum, gerunt devotionis affectum, officium et missam de eo, ut infra, recitari posse summopere desiderant; quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eorum votis huiusmodi annuere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit religiosis dictae Societatis officium et missam de beato Aloysio Gonzaga celebrent.

§ 2. Nos igitur, praepositum generalem ac presbyteros praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut de dicto beato Aloysio Gonzaga die XXI iunii, quo ex hac vitâ migravit ad caelum, ab omnibus eiusdem Societatis religiosis ubique terrarum existentibus iuxta rubricas breviarii et missalis romani de communi Confessoris non Pontificis officium recitari et missa celebrari respective libere et licite valeat, necnon etiam confluentibus ad eorumdem religiosorum ecclesias missam in illis de eodem beato Aloysio Gonzaga, ut supra, celebrare liceat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

1 Cherub. de more legit *honorificatur* (R. T.).

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, secretarii ipsius Societatis vel notarii publici manu subscriptis, et personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae vel pro tempore existentis praepositi aut vicarii generalis eiusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die II octobris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 octobris 1621, pontif. an. I.

XXXVII.

Suppressio et extinctio parochialis ecclesiae sanctae Caeciliae de Urbe in Monte Iordano, cum animarum curae translatione ad ecclesias circumpositas, et ex eius proventibus duorum canonicatuum in ecclesiâ sancti Laurentii in Damaso erectione; ac eiusdem reductio ad profanos usus; nec non eiusdem concessio Congregationi Oratorii Urbis pro ampliori sacristiae ac oratorii aedificatione, et propriae domus dilatatione[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.
Dilecto filio nostro in Urbe eiusque districtu vicario in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Cum ad uberes fructus, quos presbyteri Congregationis Oratorii in agro mi-

1 Oratorii Congregationem a sancto Philippo Nerio institutam approbavit Greg. XIII, eique concessit parochialem ecclesiam beatae Mariae in Vallicella de Urbe, in Const. CLXXXVI *Copiosus*, tom. VIII, pag. 541 illiusque instituti regulas approbavit Paulus V ut supra Const. CXCII, pag. 36 huius tomi.

litantis Ecclesiae producere non desistunt, nostrae considerationis dirigimus intuitum, dignum ducimus, ut ea, quae pro dictae Congregationis, illiusque domorum et oratoriorum ornatu et usibus necessaria esse noscuntur, favorabiliter concedamus, et aliàs desuper nostri officii partes, etiam per concessionem ecclesiarum, interponamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Preces Congregationis Oratorii pro facultate propriam aedem dilatandi.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum praepositi et presbyterorum Congregationis Oratorii, in ecclesiâ beatae Mariae Virginis et sancti Gregorii in Vallicella de Urbe dudum a beato Philippo Nerio fundatae, petitio continebat, quod ipse praepositus et presbyteri, amplioris loci spatio pro eorum oratorii, sacristiae, et etiam propriae domus dilatatione aut novâ constructione indigentes, in vim facultatis a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro eis concessae, omnes fere domos in utraque insula, maiori videlicet et minori, Montis Iordani intus plateam dicti montis et ecclesiam praedictam sitas, magnâ eorum impensâ emerunt, et alias in ipsis insulis per eos nondum emptas domos vigore eiusdem facultatis emere, ibique amplam aedificationem, eorum usibus et necessitatibus congruentem, quamprimum facere proposuerunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, in dicto situ parochialis ecclesia sanctae Caeciliae posita, et a tribus partibus seu lateribus ab eisdem domibus, hinc inde, circumsepta reperiatur, et eapropter dictae aedificationis operi et ornatui haud parum incommodum et impedimentum allatum sit, huicque incommodo et impedimento aliàs, quam per dictae ecclesiae sanctae Caeciliae demolitionem provideri non possit; ipsa autem fonte baptismali careat, et in suis structuris satis angusta, et cura animarum illi imminens non valde numerosa existat; curaque huiusmodi ad alias parochiales ecclesias circumvicinas transferri, et ab earum rectoribus commode exerceri possit: pro parte praepositi et presbyterorum huiusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Gregorius mandat cardinali vicario, ut ab ecclesiae sanctae Caeciliae animarum curam, proprietates, fructus, cum consensu diaconi cardinalis sancti Laurentii in Damaso, abdicet, separet, ac dismembret.

§ 2. Nos igitur (qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret; idemque servaretur in quibusvis dismembrationibus, concessionibus et applicationibus de quibuscumque fructibus et bonis ecclesiasticis praedictis), praepositum, eiusque ac presbiterorum huiusmodi singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon aliarum concessionum et assignationum praefatae Congregationi hactenus quomodolibet factarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, te de praemissis diligenter informes, et, si per informationem eamdem ita esse repereris, a dictâ ecclesiâ sanctae Caeciliae, quae ab ecclesiâ sancti Laurentii in Damaso de dictâ Urbe tamquam eius matrice dependet, et quam dilectus filius Angelus Baldus ipsius ecclesiae sanctae Caeciliae rector ad praesens obtinet (cuiusque fructus, redditus et proventus centum et viginti ducatorum auri de camerâ, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedunt, ut asseritur),

ex nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam illa per cessum, etiam permutationis causâ, etiam in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis, vel decessum, seu privationem vel amissionem aliam quamcumque, aut religionis ingressum dicti Angeli, seu aliàs quovis modo, etiam apud Sedem Apostolicam, etiam in aliquo ex mensibus nobis et eidem Romano Pontifici pro tempore existenti, Sedique praefatae, per quascumque constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas editas et edendas, nnnc et pro tempore reservatis, aut collatoribus ordinariis, etiam per easdem, vel quasvis alias constitutiones aut regulas, seu litteras alternativarum, vel alia privilegia indulta hactenus concessis et imposterum concedendis, aut iure ordinario vel aliàs competentibus, vacare contigerit, seu si in aliquo ex praemissis, vel alio quovis modo, et ex alterius cuiuscumque personâ, seu per liberam resignationem dicti Angeli vel cuiusvis alterius de illâ in Romanâ Curiâ aut extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem piae memoriae Ioannis Papae XXII etiam praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assequutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collativâ[1], et etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem praedictam legitime devoluta, ipsaque ecclesia sanctae Caeciliae dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservata existat, et super eâ inter aliquos lis, cuius statum etiam praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, omnimodam animarum dilectorum filiorum illius parochianorum curam, illaque iura, officia et onera parochialia universa, et illorum exercitium, necnon etiam omnia et singula illius proprietates, fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, in quibusvis rebus consistentia, et undecumque provenientia, de consensu dilecti filii nostri Alexandri sancti Laurentii in Damaso diaconi cardinalis de Montealto nuncupati[1], sine tamen aliquo dicti Angeli praeiudicio, praesertim quoad universa iura parochialia ipsius ecclesiae sanctae Caeciliae, liberamque et omnimodam tam illius quam bonorum eiusdem administrationem, quae praefato Angelo, quoad vixerit et eamdem ecclesiam sanctae Caeciliae obtinuerit, plene cedere et competere valeant, auctoritate nostrâ perpetuo abdices, ac respective separes ac dismembres;

Distributionemque onerum parochialium ecclesiis circumvicinis arbitrio dicti cardinali sancti Laurentii faciendam iubet.

§ 3. Necnon curam, iura, officia et onera parochialia, illorumque exercitium huiusmodi, cum utriusque sexus parochianis praedictis, pro eâ parte videlicet, quae ambas insulas praedictas complectitur, ad dictam ecclesiam beatae Mariae et sancti Gregorii, pro residuo vero ad alias parochiales ecclesias circumvicinas, iuxta distributionem a dicto Alexandro cardinali seu pro tempore existente ipsius sancti Laurentii in Damaso diacono cardinali, pro libero et absoluto eius voluntatis arbitrio, faciendam,

Ecclesia sancti Laurentii tamquam matrix singulis annis, modo hic expressa, recognoscenda.

§ 4. (Ita quod ipsa ecclesia beatae Mariae et sancti Gregorii, et praedicti moderni ac pro tempore existentes praepositus et presbyteri dictae Congregationis ecclesiam S. Laurentii praedictam ratione parochianorum dictas duas insulas pro tempore incolentium dumtaxat in matricem ad instar aliarum similium ecclesiarum recognoscere, et ad illam perpetuis futuris temporibus in signum recognitionis huiusmodi singulis annis die sabbati hebdomadae sanctae parochum seu alium presbyterum, qui ibi ad olei sancti benedictionem, ut moris est, assistat, mittere teneantur) dictâ auctoritate etiam perpetuo transferas.

1 Alibi solet legi *collati* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *nuncupatis* (R. T.).

Necnon duos canonicatus ad instar aliorum canonicatuum in dicta ecclesia sancti Laurentii cum consensu capituli, ac duas praebendas sacerdotales erigat et instituat.

§ 5. Ac in dictâ ecclesiâ sancti Laurentii duos canonicatus et duas praebendas sacerdotales pro totidem canonicis, qui apud eamdem ecclesiam sancti Laurentii personaliter residere, ac stallum in choro, locumque et vocem in capitulo habere, ac omnibus et singulis privilegiis, quibus eiusdem ecclesiae sancti Laurentii canonici utuntur, similiter uti possint et valeant, de consensu dictorum filiorum capituli praedictae ecclesiae sancti Laurentii, dictâ auctoritate erigas et instituas[1];

Cum dotis assignatione hic descriptâ.

§ 6. Illisque sic erectis et institutis, pro illorum dote ac illos pro tempore obtinentium substentatione, omnia et singula dictae parochialis ecclesiae sanctae Caeciliae proprietates, fructus, redditus et proventus, bona, canones, census et alia quaecumque (non tamen emolumenta ex exercitio curae animarum provenientia, et exceptis tot bonis stabilibus seu legatis pro celebratione infrascriptarum missarum et anniversariorum eidem ecclesiae sanctae Caeciliae, seu ipsius rectori, factis seu relictis, ex quibus centum scuta monetae annuatim percipi possint, quae ecclesiis, ad quas missas et anniversaria infrascripta transferri contigerit, applicari debent), auctoritate praedictâ applices et appropries.

Facultatem quoque concedat dicti sancti Laurentii diacono cardinali ut omnes missas, preces, orationes et alia suffragia quaecumque in dicta ecclesia sanctae Caeciliae quomodolibet fundata ad alias ecclesias sibi benevisas transferat.

§ 7. Ceterum, quia, ut asseritur, in dictâ ecclesiâ sanctae Caeciliae septingentae missae, vel forsan plures, celebrandae a diversis fidelibus fundatae reperiuntur, eidem Alexandro, seu pro tempore existenti sancti Laurentii in Damaso diacono cardinali, tam missas huiusmodi, cuiuscumque numeri illae existant, et etiamsi aliquae earum in cantu celebrari debeant, quam omnia et quaecumque anniversaria, orationes, preces et alia suffragia in eâdem ecclesiâ sanctae Caeciliae hactenus quomodolibet fundata, ad quaslibet alias ecclesias sibi benevisas transferendi, et illis pro arbitrio suo applicandi, dummodo tamen piae ipsorum fundatorum dispositiones inde in aliquo non laedantur, licentiam et facultatem impertiaris.

Ipsamque ecclesiam sanctae Caeciliae ab omnibus oneribus liberam, ac sine bonis, dictae Congregationis clericis concedat et assignet.

§ 8. Porro ipsam ecclesiam sanctae Caeciliae, sic ab huiusmodi curâ, officiis, oneribus et exercitiis parochialibus, missarumque, anniversariorum, precum, orationum et aliorum suffragiorum huiusmodi celebrationibus et recitationibus liberam et exemptam, ac sine bonis et fructibus remanentem, dictae Congregationi (ita quod liceat illius praeposito et presbyteris praedictis, nunc et pro tempore existentibus, corporalem, realem et actualem possessionem ipsius ecclesiae sanctae Caeciliae apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ), de consensu eiusdem Alexandri cardinalis, itidem eâdem auctoritate similiter perpetuo concedas et assignes.

Cardinali vicario licentiam tribuit dictam ecclesiam sanctae Caeciliae (sublatis prius defunctorum ossibus, ac in ecclesiam sanctae Mariae et sancti Gregorii collatis) profanandi

§ 9. Postremo autem tibi et pro tempore existenti dictae Urbis vicario (quotiescumque et quandocumque post factum abdicationi, dismembrationi, concessioni et assignationi, aliisque praemissis locum a praeposito et presbyteris dictae Congregationis desuper requisiti fueritis) ipsam ecclesiam sanctae Caeciliae (extractis tamen prius ex eâ omnibus defunctorum ibi sepultorum ossibus et corporibus, iisdemque ad dictam ecclesiam beatae Mariae et sancti Gregorii translatis, et in eâ decenter reconditis), servatis de iure servandis, profanandi, et ad profanos, non tamen sordidos, usus reducendi;

Et clericis praedictis eam demoliendi, ac de novo aedificandi.

§ 10. Praeposito vero et presbyteris eisdem illam sic profanatam demoliendi, et ligna, lapides, aliaque rudera et materialia inde provenientia in novas aedificationes praedictas, aut alios quoscumque eorum usus convertendi, et in et super solo seu situ ipsius ecclesiae sanctae Caeciliae, sic profanatae et demolitae, fabricari faciendi:

[1] Edit. Main. legit *institutas* (R. T.).

Cum onere erigendi in oratorio altare maius sub invocatione sanctae Caeciliae et sancti Philippi Nerii.

§ 11. (Cum hoc tamen, quod, in signum profanatae et demolitae ecclesiae huiusmodi, in oratorio, per dictam Congregationem de novo construendo, altare maius in honorem et sub invocatione sanctae Caeciliae ac beati Philippi Nerii fieri et[1] illius icone imago eiusdem S. Caeciliae a parte dextrâ collocari debeat) licentiam pariter et[2] facultatem eâdem auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

Clausulae praeservativae huius Constitutionis.

§ 12. Decernentes, praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, seu alios Romanos Pontifices successores nostros, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, ac cum quibusvis clausulis, decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori datâ per praepositum et presbyteros eiusdem Congregationis quandocumque eligendâ, concessas, ac semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet spectat et spectare poterit in futurum, perpetuo firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri;

Decretum irritans.

§ 13. Sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, et de latere legatos et vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum abrogatio.

§ 14. Non obstantibus priori voluntate nostrâ et singulis praemissis, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis[1], aliisque apostolicis, ac in provincialibus, synodalibus, et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, dictaeque ecclesiae sanctae Caeciliae, ac missarum orationum, precum, et suffragiorum huiusmodi fundationibus, eiusdemque Urbis, quatenus opus sit (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis) statutis et consuetudinibus, ceeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXI, septimo kalendas novembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 octobris 1621, pontif. an. I.

XXXVIII.

Confirmatio decreti sacrae congregationis episcoporum et regularium pro elevatione Congregationis Presbyterorum Matris Dei ad statum Religionis cum tribus votis solemnibus[3].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In supremo apostolatus solio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, ad ea vigilantiae nostrae partes libenter interponimus, per quae piae praesbyterorum congregationes in Ecclesiâ Dei, ad illius laudem et gloriam provide san-

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

2 Etiam hic addimus particulam *et* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *prohibentes* (R. T.).

2 Tum edit. Main. tum edit. Cherub. ad marg. notant 1 octobris, cum tamen in textu legerint VII kal. novembris (R. T.).

3 Ex Regest. in Secret. Brev.

cteque institutae, in perseverantiâ laudabilium operum incitentur, ac maioribus in dies proficiant incrementis.

Instante rectore generali,

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Iosephus Matrai rector generalis Congregationis presbyterorum Matris Dei de Urbe nobis nuper exponi fecit, presbyteri eiusdem Congregationis tria simplica paupertatis, scilicet, castitatis, et obedientiae vota emittant; cumque perfectioris vitae studio ducti simplicia vota praefata per nos solemnia declarari nobis humiliter supplicassent, venerabiles fratres nostri sanctae Romanae Ecclesiae cardinales negociis episcoporum et regularium praepositi, quibus negocium huiusmodi mature examinandum, et nobis referendum commisimus, praefatam Congregationem nuncupatam Matris Dei, olim Lucae primitus erectam et in ecclesiâ sanctae Mariae in Porticu de Urbe modo degentem, iuxta constitutiones suas, aliàs per bonae memoriae Caesarem cardinalem Baronium visas, et ab ipso de ordine felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri probatas, et deinde per recolendae memoriae Paulum Papam V, etiam praedecessorem nostrum, instauratas, in religionem trium votorum solemnium approbari posse censuerint, prout in decreto desuper sub die XXXI augusti proxime praeteriti facto dicitur contineri:

Congregatio episcoporum et regularium Congregationem presbyterorum Matris Dei ad statum religionis cum votis solemnibus elevari posse censet.

Decretum huiusmodi confirmat Pontifex.

§ 2. Nos, piis Iosephi et presbyterorum praefatorum votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praefatum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique[1] perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac Iosepho et presbyteris praefatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III novembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 novembris 1621, pontif. anno I.

XXXIX.

Confirmatio quarumdam litterarum apostolicarum et privilegiorum pro collegio et universitate studii generalis civitatis Elborensis, quod ab archiepiscopi iurisdictione liberum declaratur[2].

1 Edit. Main. legit *illisque* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Henricus cardinalis Portugalliae, fundato prius collegio Societatis Iesu in Urbe Elborensi,

Cum, sicut accepimus, olim per clarae memoriae Henricum tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbyterum cardinalem tunc infantem Portugalliae nuncupatum, qui postmodum etiam Portugalliae et Algarbiorum rex fuit, felicis recordationis Pio Papae V praedecessori nostro exposito, quod aliàs ipse Henricus cardinalis unum collegium sumptuosis aedificiis in civitate Elborensi, cuius tunc archiepiscopus erat, propriis suis sumptibus et expensis pro divini cultus et religionis augmento erexerat et instituerat, illudque dilectis filiis religiosis Societatis Iesu per eos tenendum, regendum et gubernandum concesserat et donaverat; et deinde considerans, quod civitas praedicta una ex insignibus dicti regni et ad universitatem studii generalis manutendā capax et idonea erat, et a civitate Colimbriensi, ubi universitas studiorum generalium vigebat, nimium distabat, ita ut cives eiusdem civitatis Elborensis, aliique incolae eius districtus et aliorum circumvicinorum locorum absque longi itineris dispendio litteris incumbere, divinum cultum augere, ac bona quae ex litterarum scientiâ proveniunt in Dei laudem et honorem adipisci non valeant[1], collegium praedictum in universitatem studii generalis, in qua omnes licitae scientiae[2] et facultates (praeter medicinam et ius civile, ac tam partem iuris canonici quae ad forum contentiosum pertinet) doceri, legi et interpretari possent, et in qua scientiis seu facultatibus praedictis omnes etiam magisterii et doctoratus gradus, ad instar Colimbriensis et aliarum universitatum regni Portugalliae, rigoroso examine praecedente, ac iuxta earumdem universitatum morem, his, qui idonei forent, per rectorem universitatis, vel alias personas idoneas per eumdem Henricum cardinalem deputandas, conferrentur, erigi et institui, illamque et illius curam, regimen et administrationem dilecto filio praeposito generali dictae Societatis et religiosis praedictis, universitatis vero huiusmodi ac scholarium in eâ pro tempore existentium iurisdictionem et correctionem, salvis privilegiis ipsius Societatis, sibi, eiusque vicario, quoad viverent, et deinde successoribus suis archiepiscopis Elborensibus, seu similis memoriae Sebastiano Portugalliae et Algarbiorum regi, tunc in humanis agenti, eiusque successoribus, prout idem Henricus cardinalis expedire iudicasset, iuxta providam desuper per eum faciendam ordinationem, perpetuo, apostolicâ auctoritate, committi, aliaque fieri, statui, concedi, indulgeri, ac decerni obtinuerat;

Studiorum quoque universitatem in eo erigendam curavit,

Et apostolica auctoritate confirmari.

§ 2. Et in eâdem expositione subiuncto, quod ipse Henricus cardinalis, de prospero ac felici successu et directione salutari universitatis huiusmodi anxius et sollicitus, re per eum maturius perspectâ et consideratâ, censuerat et iudicaverat eidem universitati, illiusque optato progressui et augmento valde consultum iri, si non solum omnimoda illius cura, regimen et administratio praeposito generali et religiosis praedictis, ut praefertur, verum etiam illius ac scholarium in eâdem universitate pro tempore existentium iurisdictio et visitatio, quoad ea videlicet quae eorumdem religiosorum constitutionibus non repugnarent, eisdem praeposito generali et religiosis ex tunc in perpetuum committeretur, demandaretur, concederetur et assignaretur, ita quod nec ipse Henricus cardinalis de cetero quoad viveret, si ei placuisset ius sibi competens ex tunc a se abdicare, nec post eius obitum archiepiscopus Elborensis aut Portugalliae rex praedicti, vel alia quaevis persona, in iurisdictione, correctione aut

Obtinuit etiam declarari omnimodam super ea universitate, eiusque membris iurisdictionem ad praepositum generalem Societatis Iesu pertinere.

1 Aptius legeretur *valerent* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *licite scientiam* (R. T.)

visitatione praedictis, nullo[1] umquam tempore se valerent intromittere;

Quae omnia Pius Papa rata habuit, nonnulla etiam peculiaria concedens privilegia.

§ 3. Ac per praedictum Henricum cardinalem eidem Pio praedecessori humiliter supplicato, quatenus eius pio desiderio annuere, ac aliàs in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaretur; idem Pius praedecessor, illius praecibus tunc annuens, praeposito generali et religiosis praedictis non solum omnimodam curam, regimen et administrationem universitatis praedictae, prout aliàs illis commissa et concessa erat, verum etiam illius ac scholarium in eâdem universitate pro tempore existentium iurisdictionem, correctionem et visitationem, quoad ea videlicet quae eorum constitutionibus non repugnarent, in perpetuum auctoritate praedictà commiserit, concesserit, demandaverit et assignaverit, ipsumque Henricum cardinalem, ut praefertur, et, si ei placuisset ius sibi competens a se abdicare, ex tunc de cetero, aut, post eius obitum, Sebastianum et pro tempore existentem Portugalliae et Algarbiorum regem, seu archiepiscopum praedictos, vel aliam quamvis personam, cuiuscumque status, gradus et conditionis existeret, in iurisdictione, correctione, et visitatione praedictis, omnibusque et singulis aliis ad eamdem universitatem, illiusque religiosos, scholares, officiales, lectiones in eâ perlegendas, aut bona, privilegia, gratias, libertates et exemptiones illorum spectantibus[2] et pertinentibus se intromittere, aliquam superioritatem, iurisdictionem, correctionem aut visitationem, seu visitandi aut ea regendi ius habere nullatenus posse, sed praemissa omnia ad eosdem praepositum et religiosos plenarie spectare et pertinere debere, nec super illis a praedictis aut quibusvis aliis personis molestari, perturbari aut impediri posse, etiam perpetuo statuerit et ordinaverit et mandaverit; nihilominus, pro potiori cautelâ, universitatem seu collegium, illiusque religiosos, officiales, personas, res et bona quaecumque, necnon scholares in eâ pro tempore existentes, ab ipsius Henrici cardinalis et Sebastiani regis ac archiepiscopi et successorum praedictorum iurisdictione, correctione et visitatione ex tunc similiter perpetuo exemerit et liberaverit, illaque omnia praepositi et religiosorum praedictorum curae, regimini, administrationi, iurisdictioni, correctioni et visitationi, quoad ea videlicet quae eorum constitutionibus non repugnarent, pariter perpetuo supposuerit, submiserit et subiecerit; sicque per quoscumque commissarios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decreverit[1];

Repugnante vero regulis Societatis exercitio iurisdictionis civilis et criminalis,

§ 4. Et insuper (quia iurisdictionis civilis et criminalis exercitium eorumdem religiosorum constitutionibus repugnabat, et pro salubri scholarium et eiusdem universitatis directione plurimum expediebat, quod ministri, tam ecclesiastici quam seculares, qui iurisdictionem huiusmodi in civitate Elborensi exercerent, rectoris ipsius universitatis voluntatem etiam circa punitionem scholarium diligenter exquirerent, et generaliter res studiorum, cum ab eorum rectore illis forent commendatae, condigno favore suo prosequerentur) eosdem ministros ut id diligenter ac benigno animo praestarent in Domino hortatus fuerit et rogaverit, ipsisque, ne quempiam ex scholaribus praedictis intra scholas et claustra eiusdem universitatis contra rectoris voluntatem, pro quavis

Illud ministris Elborensibus ad placitum tamen rectoris universitatis, exercendum commisit.

1 Lege potius *ullo*, nam praecessit *nec* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *spectantia et pertinentia* (R. T).

1 Edit. Main. legit *decrevit* (R. T.).

causâ civili aut criminali, alioque quocumque praetextu, capere, apprehendere, et ad carceres deducere, aut aliquam vim seu violentiam inferre, sub excommunicationis poenâ, quam contrafacientes eo ipso absque aliâ declaratione incurrerent, inhibuerit;

Sixtus deinde V universitatis rectori facultatem concessit, alios conservatorem designandi.

§ 5. Et deinde idem Henricus cardinalis, legitimis, ut asserebat, causis adductus, statuerit, ut scholasticorum clericorum in sacris ordinibus constitutorum, aut beneficiatorum, et in dictâ universitate studentium conservator esset unus ex duobus inquisitoribus haereticae pravitatis in dictâ civitate Elborensi deputatis, aut protector Elborensis, quem scilicet nominasset ipsius universitatis rector; et successive, pro parte dilectorum filiorum rectoris collegii et universitatis huiusmodi ac provincialis eiusdem societatis in dicto regno, piae memoriae Sixto Papae etiam V, similiter praedecessori nostro, etiam exposito, quod idem Henricus cardinalis, qui antea collegium et universitatem huiusmodi fundaverat, illaque nec non eorum collegiales et scholares tam ecclesiasticos quam seculares ab huiusmodi iurisdictione et superioritate pro tempore existentis archiepiscopi Elborensis per dictum Pium praedecessorem perpetuo eximi obtinuerat, pro tempore existentem officialem Elborensem sive alterum ex inquisitoribus praedictis, quem rector universitatis huiusmodi pro tempore duxisset eligendum seu nominandum, in conservatorem ecclesiasticum collegialium et scholarium collegii et universitatis huiusmodi qui sacris ordinibus initiati seu beneficiati essent, sufficienti ad id a Sede Apostolicâ facultate suffultus, constituerat, ordinaverat et deputaverat, et ordinationis et deputationis huiusmodi vigore diversi conservatores ecclesiastici a rectoribus collegii et universitatis praedictorum catenus nominati fuerant, conveniens tamen non erat, ut collegii et universitatis ac collegialium nec non scholarium praedictorum, a iurisdictione dicti archiepiscopi exemptorum, ipsius archiepiscopi officialis conservator existeret, cum etiam ratione exemptionis praedictae possent inter archiepiscopum et exemptos praedictos aliquae differentiae verisimiliter exoriri, dicti vero inquisitores aliis praepediti negotiis ad ea, quae erant collegii et universitatis huiusmodi, non commode, et prout conveniebat, attendere poterant, ac proinde operae pretium erat, alios eorum loco conservatores subrogare, seu illis adiungi; Sixtus praedecessor praedictus, supplicationibus pro rectoris et universitatis ac provincialis praedictorum parte sibi desuper tunc porrectis inclinatus, rectori et provinciali praedictis tunc et pro tempore existentibus et ipsorum collegii[1], eum vel eos in dignitate ecclesiasticâ constitutos, tam seculares quam quorumvis Ordinum regulares, decretorum doctores, vel in theologiâ magistros, vel licentiatos, quem seu quos rector sive provincialis ipse duxissent nominandos et eligendos, assumere possent et valerent, itidem perpetuo concesserit et indulserit; eisdemque, ut praefertur, in conservatores nominatis et electis, commiserit et mandaverit, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, etiamsi forent extra loca, in quibus iudices et conservatores, ut praefertur, deputati essent, eisdem rectori, collegio, universitati et singularibus illorum personis efficacis defensionis praesidio assistentes, non permitterent rectorem, collegiales et scholares praedictos super bonis ac iuribus ad collegium et universitatem huiusmodi spectantibus, ac privilegiis et exemptionibus, immunitatibus, facultatibus et indultis, eis communiter vel divisim pro tempore quomodolibet concessis, eorumque usu et

1 Lege *ut ips. collegii conservatores*, ut § 12 (R. T.)

pacificâ possessione, a quibusvis personis indebite molestari, aut eis gravamina, damna vel iniurias desuper irrogari, acturi collegio et universitati, illorumque collegialibus et scholaribus ac personis huiusmodi, cum ab eis, eorumque protectore forent requisiti, super praemissis, in iis quae iudicialem requirerent indaginem, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, in aliis vero, prout qualitas negociorum exigeret, iustitiae complementum, occupatores seu detentores, praesumptores et innovatores huiusmodi, nec non contradictores quoslibet ac rebelles, cuiuscumque dignitatis, status et conditionis forent, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, prout in apostolicis Pii et Sixti praedecessorum[1] ac patentibus Henrici cardinalis praedictorum litteris super praemissis respective confectis plenius dicitur contineri;

Causam tamen contra universitatem intentante archiepiscopo Elborensi.

§ 6. Et nihilominus, cum venerabilis frater modernus archiepiscopus Elborensis, super iurisdictione et eius exercitio seu facultatibus concessis rectori et collegio seu universitati eorumque conservatoribus praedictis in scholares praedictos, plura attentasset et in dies procuraret, introductâ de mandato similis recordationis[2] Pauli Papae similiter V pariter praedecessoris nostri coram dilectis filiis nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus super causis ad episcopos et regulares spectantibus praepositis controversiâ inter modernum archiepiscopum ex unâ, et rectorem ac universitatem seu provincialem praedictos desuper ex alterâ partibus, cardinales praedicti dictas facultates eisdem collegio, universitati et conservatoribus per litteras Pii et Sixti praedecessorum concessas suffragari, necnon scholarem Emanuelem Alburquerque in dictâ universitate matriculatum et ibidem studentem a carceribus curiae archiepiscopalis Elborensis ad eiusdem universitatis conservatorem remittendum fore et esse decreverint; cumque, decreto huiusmodi non obstante, dictus modernus archiepiscopus causam iurisdictionis praedictae uni ex dilectis filiis cappellanis nostris apostolicis committi instaret, iidem cardinales decretum, per eos ut praefertur factum, approbaverint, et consequenter privilegia, exemptiones et conservatorias per Pium et Sixtum praedecessores praedictos rectori, universitati et provinciali praedictis concessa eisdem suffragari, et scholares in eâdem universitate matriculatos et in carceribus dictae curiae detentos omnino relaxandos fore et esse mandaverint; et insuper, re de novo ad eos deductâ, privilegia praedicta non modo peregrinos, sed etiam dioecesanos clericos, dummodo in matriculâ eiusdem universitatis descripti essent, complecti declaraverint; et novissime causam appellationis a quadam sententiâ auditoris nostri collectoris in Lusitania super nullitate et iniustitiâ censurarum per vicarium praedicti archiepiscopi Elborensis adversus dictae universitatis conservatorem in eâdem causâ Emanuelis Alburquerque fulminatarum, de lite litem suscitando, dilecto filio magistro Fabritio Verospio dicti nostri palatii apostolici causarum auditori, dictâ universitate et collegio non citatis, committi extorserit, cuius vigore inhibitionem emanatam, et in partibus exequutam, congregatio praedicta moderandam esse decreverit, prout in decretis et declaratione praedictis, etiam plenius dicitur contineri;

Sacra Congregatio episcoporum et regularium decrevit privilegia universitatis conservanda esse.

1 Tum Pii tum Sixti litteras puto deesse (R. T.).

Petente itaque universitate ipsa.

§ 7. Et nihilominus, rector et universitas et provincialis praedicti vereantur, ne denuo ab eodem archiepiscopo, seu aliquo ex successoribus suis, aut eorum ministris vel officialibus pro tempore desuper cavillose molestentur; eâque de causâ iterum ad cardinales praedictos sive etiam nos et Romanos Pontifices successores nostros pro tempore existentes recursum habere cogantur:

Gregorius Papa quascumque controversias extinguit.

§ 8. Nos, his et aliis dignis causis animum nostrum inducentibus impulsi, rectori et universitati ac provinciali praedictis, eorumque statui et indemnitati opportune consulere, ac eorum singulares personas ab huiusmodi indebitis vexationibus penitus eximere, ac specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effetum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes; nec non singularum Pii et Sixti praedecessorum ac patentium Henrici cardinalis praedictorum litterarum et per eosdem S. R. E. cardinales, causis ad episcopos et regulares spectantibus praepositos, editorum decretorum praedictorum, et inde sequutorum, ac praemissorum omnium et aliorum necessariorum quorumcumque veriores ac totos tenores, ac praedicta[1], et aliarum litium, causarum et controversiarum, status et merita, nominaque et cognomina, gradus et qualitates iudicum et colligantium, iuraque et titulos et quasvis alias dicti moderni archiepiscopi, eiusque ministrorum et officialium, et quorumcumque aliorum praetensiones, praesentibus pro expressis habentes; de eorumdem cardinalium negotiis episcoporum et regularium huiusmodi praepositorum consilio, motu proprio, non ad praepositi vel rectoris seu universitatis aut provincialis praedictorum aut alicuius eorum vel alterius pro eis nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex nostrâ scientiâ et merâ deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnem et quamcumque litem et causam vel controversiam, seu omnes et quascumque lites et causas vel controversias, tam iudiciales quam extraiudiciales, si qua vel quae adhuc inter praepositum, rectorem, et universitatem, et provincialem praedictos super praemissis, aut eorum aliquo, et eorum occasione, tam in petitorio quam in possessorio, vel mixtim, aut aliàs, etiam per quamcumque archiepiscopi, seu eius ministrorum, vel officialium praedictorum, aut alicuius eorum appellationem vel protestationem, si quae[1] sit pro eorum aut alicuius ipsorum parte interposita vel facta, seu aliàs quomodolibet supersint vel pendeant, aut superesse vel pendere censeantur, seu censeri possint, etiam a cardinalibus praedictis, ac quibusvis aliis iudicibus et personis, in statu ac terminis quibus reperiuntur, ad nos harum serie avocamus, illasque sic avocatas ex nunc perpetuo extinguimus, sopimus, supprimimus, cassamus, annullamus et abolemus;

Praedecessorumque suorum litteras confirmat.

§ 9. Nec non tam Pii quam Sixti praedecessorum et patentes Henrici cardinalis litteras, quam S. R. E. cardinalium praedictorum decreta et declarationem praedictam, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, apostolicâ auctoritate etiam perpetuo approbamus et confirmamus et innovamus, ac etiam de novo in perpetuum concedimus, nec non illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, ac solemnitatum,

1 Videretur legendum *praedictae* (R. T.).

1 Legendum foret *si qua* (R. T.).

etiam substantialium, et quoscumque alios defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Praeposito generali Societatis omnimodam iurisdictionem super universitate demandat

§ 10. Et nihilominus, pro potiori cautelâ, universitatem, illiusque officiales, personas, res et bona quaecumque, nec non scholares, tam peregrinos quam dioecesanos, in matriculâ universitatis huismodi descriptos, a praedicti moderni et pro tempore existentis archiepiscopi Elborensis, suorumque officialium et ministrorum, superioritate, iurisdictione, correctione et visitatione ex nunc perpetuo eximimus et liberamus, omniaque illa moderni et pro tempore existentis praepositi et religiosorum dictae Societatis curae, regimini, administrationi et correctioni ac visitationi, quoad ea quae eorum constitutionibus non repugnant, etiam perpetuo supponimus, submittimus et subiicimus; nec non modernis et pro tempore existentibus praeposito generali et religiosis praedictis omnimodam curam, regimen et administrationem universitatis huiusmodi, ac illius et scholarium, tam peregrinorum quam dioecesanorum, ut praefertur in matriculâ descriptorum, iurisdictionem, correctionem et visitationem, quoad ea quae Societatis huiusmodi institutis, ut praefertur, non repugnant, dictâ auctoritate similiter perpetuo committimus, concedimus, demandamus et assignamus.

Prohibet, quominus archiepiscopus in ea se ullo modo ingerat.

§ 11. Ac praedictum modernum et pro tempore existentem archiepiscopum Elborensem, suosque officiales et ministros, vel aliam quamvis personam, cuiuscumque status, gradus et conditionis existat, in iurisdictione, correctione et visitatione praedictis, aliisque omnibus ad universitatem, et illius scholares, tam peregrinos quam dioecesanos, ut praefertur descriptos, officiales, lectiones perlegentes, aut bona, privilegia, gratias, libertates et exemptiones illorum spectantibus[1] se intromittere, aut aliam superioritatem, iurisdictionem, correctionem, etiam ratione cuiusvis delicti, ubicumque delictum commissum fuerit, aut visitationem seu visitandi ius habere aut praetendere nullatenus posse, sed praemissa omnia ad eosdem praepositum et religiosos plenarie spectare et pertinere debere, nec eos super illis a praedictis, seu quibusvis aliis personis, molestari, perturbari aut impediri posse, pariter perpetuo statuimus, ordinamus et mandamus.

Praeposito facultatem concedit conservatorem universitatis deputandi.

§ 12. Nec non nunc et pro tempore existentibus praeposito et religiosis praedictis, ut ipsorum collegii et universitatis conservatores eum vel eos in dignitate ecclesiasticâ constitutos, tam seculares quam quorumvis ordinum regulares, decretorum doctores vel in theologiâ magistros vel licentiatos, quem seu quos rector seu provincialis aut praepositus et religiosi praedicti duxerint nominandos et eligendos, assumere possint et valeant, itidem perpetuo concedimus et indulgemus.

Quae conservatoris sint facultates.

§ 13. Eisdemque, ut praefertur, in conservatores nominatis et electis committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, etiamsi sint ex locis in quibus iudices et conservatores, ut praefertur, deputati fuerint, iisdem praeposito, religiosis, rectori, collegio, universitati, scholaribus, tam peregrinis quam dioecesanis, ut praefertur descriptis, et singularibus illorum personis, efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittant praepositum, religiosos, rectorem, collegiales et scholares praedictos super eorum personis, ac bonis et iuribus ad eos eorumque singulos nec non collegium et universitatem huiusmodi spectantibus, ac privilegiis et exemptionibus, immunitatibus, facultatibus et indultis, eis communiter vel divisim pro tempore concessis, eorumque usu et pacificâ possessione, a quibusvis personis

[1] Edit. Main. legit *spectantia* (R. T.).

indebite molestari, aut eis gravamina, damna vel iniurias desuper irrogari, facturi rectori, religiosis, collegio, et universitati, illorumque collegialibus et scholaribus, tam peregrinis quam dioecesanis, in matriculâ universitatis huiusmodi descriptis, ac personis huiusmodi, cum ab eis sive eorum protectore fuerint requisiti, in his quae iudicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, in aliis vero, prout negociorum qualitas exegerit, iustitiae complementum; occupatores seu detentores, praesumptores et innovatores huiusmodi, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, gradus, dignitatis et conditionis existant, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Clausulae. § 14. Praesentes quoque litteras et in eis contenta quaecumque perpetuo valida et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per modernum et pro tempore existentem archiepiscopum Elborensem, eorumque ministros, officiales, ac alios omnes, ad quos spectat et spectabit, quosque praemissae concernunt aut concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter perpetuo observari debere, nec ab eis aut eorum aliquo resiliri unquam posse, nec etiam ex eo quod archiepiscopus, eiusque ministri et officiales praedicti, aut quicumque alii interesse habentes, vel putantes seu praetendentes, ad hoc vocati, et causa seu causae, propter quam seu quas praemissa emanarint, etiam coram cardinalibus praedictis, vel aliquo alio iudice, etiam ordinario vel delegato, aut aliàs, examinatae, iustificatae et verificatae non fuerint, seu quavis aliâ causâ, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, seu quovis alio defectu notari, argui vel impugnari, aut aliàs qumodolibet infringi vel retractari, seu etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, vel Sedem Apostolicam, eiusve legatos, etiam de latere, revocari, suspendi, restringi, limitari, modificari, vel eis in aliquo derogari, aut etiam illas et illa ad viam et terminos iuris reduci, aut contra eos et ea restitutionem in integrum, seu quodvis aliud gratiae vel iustitiae remedium impetrari, vel concedi, aut quidquam aliud in contrarium fieri, statui vel ordinari nullatenus unquam posse; et nihilominus sub quibusvis illarum et illorum revocationibus, suspensionibus et derogationibus, et aliis contrariis dispositionibus, etiam ut praefertur, vel aliàs quomodolibet pro tempore emanatis, et emanandis, non comprehendi, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitui, et etiam de novo, etiam sub quacumque posteriori datâ, per praepositum, religiosos, rectorem, et universitatem, ac provincialem praedictos, et eorum singulos pro tempore eligendâ, concessas esse et censeri; ac praeposito, rectori, et universitati, nec non provinciali praedictis suffragari debere; ipsosque praepositum, religiosos, rectorem, et universitatem, ac provincialem, et universitatis huiusmodi personas singulares ex nunc deinceps super praemissis omnibus et singulis per archiepiscopum, eiusque ministros ac officiales praedictos, aut quoscumque alios, quomodolibet molestari vel impedire non posse; sicque in praemissis omnibus et singulis ab omnibus censeri, ac ita per praedictos

et quoscumque alios eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quoscumque alios iudices, etiam ordinarios et delegatos, et Sedis praedictae nuncios, nec non causarum dicti palatii auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, etiam perpetuo decernimus et declaramus. Nec non praedicto moderno et pro tempore existenti archiepiscopo Elborensi, eorumque ministris et officialibus, et quibusvis aliis in et super praemissis omnibus et singulis perpetuum silentium imponimus; sicque incommutabilis voluntatis et intentionis nostrae et Sedis praedictae fuisse et esse ac perpetuo fore attestamur. Districtius inhibentes praedicto moderno et pro tempore existenti archiepiscopo Elborensi, eorumque ministris et officialibus, ac quibusvis aliis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existant, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae, dictaeque Sedis Apostolicae, quoad modernum videlicet et pro tempore existentem archiepiscopum, sub interdicto [1] ingressus ecclesiae et suspensionis a divinis, quoad alios vero inferiores etiam sub excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, ne [2] ex tunc deinceps in perpetuum ullo umquam tempore praesentibus litteris in aliquo, per se, vel alium, seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quovis quaesito colore, praetextu vel ingenio, quomodolibet contra facere, dicere vel venire; neque praepositum, religiosos, rectorem, collegium, universitatem, illorumque collegiales et scholares, tam peregrinos quam dioecesanos, ut praefertur descriptos, aut eorum aliquem desuper quomodolibet molestare, vel impedire, in iudicio et extra illud, audeant seu praesumant; decernentes nihilominus etiam irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Potius *sub interdicti*, nempe *poena* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *nec* (R. T.).

Derogatio contrariorum.

§ 15. Non obstantibus praedictis, et quacumque litis pendentiâ, et nostris de non tollendo iure quaesito, et in cancellariâ apostolicâ novissime publicatâ, qua cavetur, ne eligantur in conservatores nisi personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, qui etiam in iudices synodales deputati existunt [1], quodque hic [2] electi extra dioecesim, in cuius synodo iudices sunt deputati, iurisdictionem exercere non possint, eamque [3] in causis dumtaxat, in quibus ii, qui eos elegerint, sunt rei, habeant, aliisque eiusdem cancellariae regulis editis et edendis, nec non recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII pariter praedecessoris nostri, in quibus etiam cavetur, quod nullus extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices et conservatores a dictâ Sede deputati contra quoscumque extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, procedere [4], seu alii vel aliis vices suas committere praesumant (dummodo ultra tres dietas aliquis ad iudicium non trahatur), seu quod de aliis quam manifestis iniuriis et violentiis et aliis quae iudicialem non requirunt indaginem (poenis in eos, si secus egerint, et in id procurantes adiectis) conservatores se nullatenus intromittant, aliisque apostolicis, ac etiam in

1 Potius lege *existant*, et vide sup. Const. XXXIII, § 2, pag. 597 *a* (R. T.).

2 Videretur legendum *sic* pro *hic* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *earumque* (R. T.).

4 Edit. Main. legit *praecedere* (R. T.).

universalibus et provincialibus, ac synodalibus conciliis et aliis editis, specialibus nec non generalibus, constitutionibus et ordinationibus, aliisque conservatoriis, privilegiis et indultis, capitulis cathedralium ecclesiarum, nec non communitatibus et universitatibus, ac personis particularibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine paribus, ac etiam consistorialiter, ac aliàs, in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, ac imposterum concedendis, confirmandis et innovandis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII novembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 8 novembris 1621, pontif. an. I.

XL.

Quod votum ac iuramentum, quae clerici Congregationis Doctrinae Christianae de Urbe in eâ perpetuo manendi emittunt, Romano Pontifici reservata de cetero sint[1].

[1] Istam Congregationem unà cum Confraternitate laicorum sub titulo Doctrinae Christianae erexit Paulus V in Const. LXXXIII *Ex credito* (in h. n. edit. est LXXXVI, tom. XI, pag. 442).

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Ex incumbenti nobis desuper pastoralis officii debito ad ea libenter intendimus, per quae piorum christifidelium congregationes ad divini nominis laudem et gloriam, animarumque salutem pie et recte institutae, sub salubribus eorum regulis et institutis perseverent, et maioribus in dies proficiant incrementis. Prooemium.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii praepositus et clerici congregationis Doctrinae Christianae, in ecclesiâ S. Agathae Transtiberim de Urbe institutae, nobis nuper exponi fecerunt, clerici eiusdem congregationis elapso novitiatus anno votum cum iuramento in eâdem congregatione perpetuo manendi liberâ et spontaneâ voluntate emittant; Clerici congregationis doctrinae christianae, elapso noviliatus anno, sponte emittunt votum, ac iuramentum perpetuo manendi in dicta congregatione.

§ 2. Nonnulli vero super voto ac iuramento praefatis, invitâ etiam congregatione huiusmodi, dispensare, et illa commutare licitum putent, et de facto in eiusdem congregationis praeiudicium dispensent et commutent: Et tamen cum nonnulli putent super hoc licitum dispensare et illa commutare;

§ 3. Nos[1], praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare, dictosque praepositum et clericos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero cum clericis eiusdem congregationis super voto et iuramento praefatis, nisi per nos aut Romanum Pontificem pro tempore existentem, dispensari, aut votum et iuramentum praefata commutari nullatenus Ideo Pontifex commutationem et dispensationem super voto, ac iuramento sibi et Romano Pontifici de cetero reservat.

[1] Perperam edit. Main. legit *non* (R. T.).

possint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et ordinamus, et facultatem super voto et iuramento praefatis dispensandi, seu eadem vota commutandi, nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti reservamus.

Privilegia ipsius congregationis non revocata approbat et confirmat.

§ 4. Insuper, quod decem dictae domus S. Agathae eiusdem congregationis clerici, ab illis[1] praeposito nominandi, ad quatuor minores quatuor feriatis vel non feriatis diebus, ac subinde ad sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines in temporibus a iure statutis, interstitiis tamen a sacro Concilio Tridentino designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, etiamsi sic promovendi, antequam de uno ad alium promoveantur, in primo quoque suscepto ordine se minime exercuerint, ad titulum portionis annuae quadraginta scutorum unicuique illorum per pro tempore existentes dictae congregationis officiales annuatim, quamdiu sub illius obedientiâ vixerint dumtaxat, pro victu et vestitu, prout praestantur aliis dictae congregationis confratribus in communi viventibus et in eâ commorantibus[2], praestandorum, si aliàs ad id idonei reperti fuerint, a dilecto filio nostro in almâ Urbe vicario in spiritualibus generali, eius arbitrio ac si ita illi videbitur, promoveri, et promoti in ordinibus huiusmodi etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus. Volumus autem, quod ipsi decem huiusmodi promovendi ab obedientiâ dictorum officialium recedere non possint, nec debeant, nisi aliunde alium commodiorem et perpetuum redditum, unde se decenter substentare valeant, acquirant, et tunc nonnisi de eius vicarii pro tempore existentis licentiâ, et nihilominus aliter ab obedientiâ praedictâ recedentes ab exequutione susceptorum ordinum, arbitrio eiusdem vicarii, sint suspensi.

§ 5. Insuper omnia et singula dictae congregationis privilegia, quatenus sint in usu, et non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, neque sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis adversentur, auctoritate et tenore praefatis approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Dispensationes, vel commutationes praedictas contra harum tenorem faciendas irritat.

§ 6. Decernentes, quascumque voti seu iuramenti praefatorum dispensationes, seu voti et iuramenti eorumdem commutationes, contra praesentium tenorem quandocumque faciendas, nullas, irritas et inanes, nulliusque roboris vel momenti;

Clausulas praeservativas adiungit.

§ 7. Praesentes vero litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 novembris 1621, pontif. an. I.

XLI.

De electione Summi Romani Pontificis[1].

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exactissima cura et diligentia adhibenda

Æterni Patris Filius, magister et legislator noster, Christus Dominus, cuius

1 Forsan legendum *illius* non *illis* (R. T.).

2 Vocem *commorantibus* nos addimus (R. T.).

1 Aliae de hac materiâ electionis Papae a diversis Pontificibus hactenus editae fuerant con-

est in electione summi Romani Pontificis; et ideo aliquot Romanorum Pontificum et sanctorum Patrum decreta pro rite et recte peragenda electione edita fuerunt. Sed salubriori remedio Pontifex isto locum esse cognovit, propterea plenius desuper, infra disposuit.

omnis actio nostra est instructio, licet portaret omnia verbo virtutis suae, nec esset quicquam absconditum ab oculis eius, tamen priusquam ad apostolatus munus duodecim apostolos eligeret et nominaret, quod aliàs unquam fecisse in scripturis non legimus, pernoctare voluit in oratione Dei, et antequam beato Petro ovium suarum curam committeret, tertium repetitâ interrogatione, trinam extare aeterni amoris eius professionem; nos scilicet erudiens, quantâ diligentiâ, cautione et curâ in omnium pastorum electione adniti debeamus, ut boni eligantur et fideles, praesertim vero in beati Petri successorem[1], qui orbis est lumen, doctor gentium et pastor pastorum. Quapropter satis etiam admonemur, nihil eorum, quae ad electionis Romani Pontificis negotium cautius et melius transigendum conducunt, omitti debere: salus enim non unius membri, sed totius corporis agitur, cum de capite consulitur. Igitur, etsi diversis felicis recordationis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et sanctorum patrum decretis salubriter provisum est, ut eius electio rite et recte peragatur, et in eâ non caro et sanguis, aut humana sapientia, quae stultitia est apud Deum, dominetur, sed Spiritus Sancti gratiâ omnia dirigantur et gubernentur: nihilominus, ut *dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam*, experientiâ compertum est, salubriori remedio locum non deesse. Nos igitur, quos posuit Dominus, licet nullis suffragantibus meritis, regere Ecclesiam suam, ne in extremo die praetermissi officii in re tanti momenti a nobis

stitutiones, quarum nonnullae sunt in corpore iuris, ubi videre poteris dispositionem Symmachi relatam in cap. II, dist. LXXIX; Nicol. II, cap. I, dist. XXIII; et Alexand. III in cap. VI de election.; necnon Greg. X in cap. III eod. tit. lib. VI, ac Clement. V in Clem. II *Ne Rom.*, eod. tit.

1 Videretur legendum *successoris* nempe *electione* (R. T.).

ratio a districto iudice exigatur, quod multorum etiam votis et postulationibus multum expetitum est, Sancti Spiritus adspirante gratiâ, faciendum decernimus.

Tribus dumtaxat modis Papam eligi posse decernit, scilicet per scrutinium, per compromissum et per quasi inspirationem

§ 1. Maturâ itaque cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione habitâ, de eorumdem fratrum consilio pariter et assensu, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, statuimus, decernimus et declaramus, in posterum electionem Romani Pontificis fieri aliter non posse quam conclavi, et eo clauso, ac post celebratum in eo primâ die sacrosanctum missae solitum sacrificium, cui cardinales interesse, et in eo communicare consueverunt, ac per secreta schedarum suffragia duarum ex tribus partibus cardinalium in conclavi praesentium; praeterquam si omnes et singuli cardinales similiter in conclavi praesentes, nemine dissentiente, aliquibus ex eorumdem collegio cardinalium committerent eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae Catholicae providerent de pastore; aut nisi communiter ab omnibus et singulis cardinalibus, qui itidem in conclavi praesentes erunt, nemine pariter dissentiente, quasi per inspirationem, nullo praecedente de personâ speciali tractatu, per verbum *Eligo*, intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce fieri non potuerit, expressum fuerit celebrata.

Et neminem per viam scrutinii, vel scrutinii et accessus et viam compromissi se ipsum eligere posse.

§ 2. Numerum autem suffragiorum duarum ex tribus partibus cardinalium in conclavi praesentium, ut electio per viam scrutinii, sive scrutinii et accessus valida sit, decernimus et declaramus ita esse censendum, ut in duabus tertiis partibus suffragium electi non numeretur, nec quisquam, sive scrutinii, sive scrutinii et accessus, sive compromissi viâ procedatur, se ipsum eligere, seu suffragium sibi dare ullatenus possit. Electi tamen persona, si in conclavi sit, debeat in numerum cardinalium computari.

In scrutinio, vel scrutinio et accessu necessariam esse suffragiorum publicationem.

§ 3. Rursus nemo per viam scrutinii, seu scrutinii et accessus habeatur pro electo, nisi publicatis omnibus suffragiis, et electi, si numerum tantummodo duarum ex tribus partibus habuisse compertum sit, etiam schedulis apertis.

In suffragiorum paritate neminem electum esse et in imparitate electum dici, qui ultra duas partes in uno suffragio superior erit.

§ 4. Ac si contingat plures in schedulis nominatos duas tertias partes suffragiorum tulisse [1], in suffragiorum paritate neuter sit electus, in imparitate vero, qui numero suffragiorum superior erit, dummodo duas tertias partes, etiam in uno suffragio, excedat, electus censeatur.

Iuramenti a quolibet cardinale in ferendo suffragio praestandi formam praescribit.

§ 5. Insuper in unoquoque scrutinio, antequam schedula in calicem mittatur, a quolibet cardinale iuramentum altâ et intelligibili voce fiat his verbis: *Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere quem secundum Deum iudico eligi debere, et quod idem in accessu praestabo.* Et hoc iuramentum a nullo omittatur.

Qualitatem quoque inscriptionis et schedularum signa pro suffragiis.

§ 6. Suffragiorum autem schedulae huiusmodi, tam scrutinii quam accessus, ubi fieri potuerit, impressae omnino esse debeant; ubi non potuerit, unius tantum manu scriptae sint, ita videlicet, ut tam impressae, quam ita scriptae, ea omnia, quae in schedulis huiusmodi exprimi solent, contineant (praeter sola nomina seu denominationes eligentis et electi, et infrascripta signa, quae omnia manu eiusdem eligentis scribantur; et nomen quidem eligentis in primâ parte schedulae, electi vero in sequenti, et rursus electi, quantum fieri poterit, charactere alterato, ita ut cognosci non possit: eaque schedulae pars, in qua erit eligentis nomen, claudetur, ac sigillo ad hoc parato, ac secrete habito, non autem eo quo quisque uti solet, obsignetur. Ut autem videri possit, ne, qui alicui accessit, eidem in scrutinio suffragium dederit [2], schedulae omnes duobus aliis signis in ultimâ parte signentur, numero nempe aliquo, et brevi dicto sacrae scripturae, vel alio huiusmodi, quae signa in utrâque schedulâ, tam scrutinii quam accessus, eadem sint.

Complicationemque obsignationem et aperitionem dictarum schedularum.

§ 7. Postea vero pars illa schedulae, ubi haec signa erunt, etiam complicetur et obsignetur, ne a scrutatoribus videri possit, nisi postquam fuerit per scrutinium et accessum electio perfecta; quo casu schedulae accessus a scrutatoribus eâ in parte, ubi duo praedicta sunt signa, aperiantur; iisque inspectis et earum sigillis, aliae schedulae cum iisdem signis notatae et in scrutinio datae reperiantur [1], ut videlicet an duo haec signa et sigillum eadem sint cognoscatur, et inde duo suffragia ab eodem cardinali uni data non fuisse appareat.

Quando suffragium accessus nullum sit declarat: et quando schedulae aperiantur in ea etiam parte, ubi est nomen eligentis.

§ 8. At si inter schedulas scrutinii nulla reperietur iisdem signis notata, quibus schedula accessus signata erit, aut si quis eidem accesserit, quem in scrutinio nominaverit, utroque casu suffragium accessus nullum sit. Subscriptio autem, seu nomen eligentis, resignari non possit, nisi contingat, ut sigillum et alia duo praedicta signa sint eadem cum signis et sigillo alicuius alterius cardinalis, aut aliâ difficultate cogente.

Nomen electi quomodo in schedulis scribendum et, ubi debeat fieri schedularum inscriptio declarat.

§ 9. Quod autem attinet ad nomen electi, illud eo modo a cardinalibus scribatur, quomodo in folio impresso, ubi in conclavi notari suffragia solent. Praeterea, ut secreto cautius consulatur, schedulae suffragiorum conficiantur unâ seu pluribus in mensis in mediâ cappellâ constitutis, ita e cardinalibus remotis et circumspectis [2].

1 Edit. Main. legit *tuisse* (R. T.).

2 Etenim in aliâ Greg. XV, quam infra dabimus, Constitutione praescribitur: *Tertio non potest accessus fieri ad eum cardinalem qui ab ipsomet cardinali fuit in scrutinio nominatus*, et hoc ne unus duo suffragia eidem daret (R.T.)

1 Sic legunt tum edit. Main., tum Cherubinii, sed vix dubitare possum quin legendum sit *operiantur*: vide de hac re aliam Greg XV Const. sub die XII martii MDCXXII, quam infra dabimus (R.T.).

2 Nescio an legendum *circumseptis* (R. T.).

ut quid scribatur ab aliis videri non possit. Si quis vero ad mensam accedere, impeditus valetudine non poterit, is suffragium suum in loco suo secrete conficere debeat, et ad illud accipiendum ultimus scrutatorum accedat.

Ac quando sit locus accessui et quando et quomodo fieri debeat.

§ 10. Et ut accessus secrete etiam peragatur, scrutinio publicato, si electio per consensum duarum partium in eo non fuerit celebrata, statim, antequam ad alios actus deveniatur, cardinales schedulam pro accessu formatam praedictis in mensis conficere, sicut in scrutinio, teneantur. Porro usus schedularum pro accessu talis erit. Qui accedere alicui ex nominatis in scrutinio voluerit, eius nomen scribet, qui vero noluerit, ne cognosci possit eum nulli accedere, in loco nominis scribat *nemini*.

Tam in scrutinio, quam in accessu plures nominari posse vetat.

§ 11. Nulli autem, tam in schedulâ scrutinii quam accessus, plures nominare liceat, alioquin suffragium, in quo plures fuerint nominati, nullum sit; accedere tamen uni ex nominatis a se in dictâ schedulâ, vel alii, dummodo aliquod aliud suffragium in eodem scrutinio tulerit, non prohibeatur, et in numerum cardinalium in conclavi praesentium numeretur.

Semel accedere in uno scrutinio et per accessum non recedi a nominato decernit.

§ 12. Neque in quolibet scrutinio nisi semel accedere liceat, neque per accessum ab alterius nominatione in scrutinii schedulâ factâ recedi, decernimus et declaramus.

Numeratio schedularum quomodo fiat et quid si numero cardinalium illae non respondeat, declarat.

§ 13. Insuper antequam schedulae, sive scrutinii sive accessus, a scrutatoribus aperiantur, omnes ab iis diligentissime palam numerentur, et si plures repertae fuerint, quam sint cardinales in conclavi praesentes, omnes comburantur, et iterum ad suffragia statim deveniatur.

Aliquid de praedictis non observanti excommunicationis poenam infligit.

§ 14. Si quis autem aliquid ex supra expressis non servaverit, aut quomodocumque directe vel indirecte in aliquo contravenerit, sententiam excommunicationis ipso facto incurrat.

Suffragia a cardinalibus infirmis in scrutinio et accessu quomodo ferenda sint.

§ 15. Praeterea statuimus et ordinamus, quod si aliquem infirmitas impediverit ad scrutinium venire, ad eum adire debeant tres cardinales, sorte ante scrutinium, ut infra, ad hanc rem ex omnibus cardinalibus per ultimum diaconorum extracti, cum capsulâ praeforatâ, sed inani, et palam a scrutatoribus clausâ, cuius clavis super altare remaneat, et schedulam impressam illi deferre, ipseque illam, sicut alii cardinales, praevio iuramento suprascripto, secrete conficere teneatur, deinde in capsulam coniiciat, eâque per eosdem cardinales relatâ et apertâ, in calicem schedula mittatur. Publicato deinde scrutinio, si accessus agendus erit, ut etiam infirmi accedere possint, unum ex foliis, in quibus nomina cardinalium, et suffragiorum numerus notantur, a tribus cardinalibus praedictis sumatur, et palam recognito numero suffragiorum, quae quisque in scrutinio tulerit, ad infirmum unâ cum aliâ impressâ schedulâ, pro accessu paratâ, et cum eâdem capsulâ ab iis deferatur. Infirmus vero alicui accedere, vel nemini accedere debeat, omniaque et singula serventur, quae de scrutinii schedulâ supra ordinata sunt, sub eâdem excommunicationis latae sententiae poenâ. At si quis scribere valetudine impeditus, per alium, praevio iuramento ab eo qui scribet praestando de servando secreto, quod sub eâdem excommunicationis poenâ servari mandamus, subscribere libere possit.

De scrutatorum electione secreto servando, schedulisque comburendis.

§ 16. Ad haec scrutatores tres, sicut et tres alii cardinales, qui ad infirmorum suffragia deferenda proficiscentur, ex omnibus cardinalibus praesentibus in conclavi, nullâ ordinis servatâ distinctione, immediate ante quodlibet scrutinium per ultimum diaconorum extrahantur, et qui semel extracti fuerint in vas iterum coniiciantur; alioquin si quis contrafecerit, sicut si scrutatores vel recognitores aliquid secreti in exercendo suo officio cognoverint et illud revelaverint, eamdem

latae sententiae excommunicationem incurrant. Finito scrutinio et accessu, sive electio sequuta sit, sive non sit, tres alii cardinales, sorte pariter, ut supra, extrahendi, schedulas omnes recognoscere debeant, sigillo tamen et duobus aliis signis, si aperta non fuerint, intactis remanentibus. Quae omnes et singulae schedulae, sive sequutâ sive non sequutâ electione, postmodum statim palam comburantur.

Et etiam quoties in die et quando fieri debeat scrutinium vel compromissum nec non quam poenam incurrant non observantes.

§ 17. Similiter, ne electio protrahatur, statuimus et ordinamus, ut sub simili excommunicationis poenâ eo ipso incurrendâ, scrutinium bis singulis diebus peragatur, ita ut etiam perficiatur, mane scilicet post solitam missam, et primâ quidem die tantum post cardinalium sacram peractam communionem, et pomeridiano tempore horâ opportunâ post hymnum *Veni Creator Spiritus* et orationem de Spiritu Sancto: idemque si compromissi via eligatur, observari debeat: atque ad scrutinium, cum tertium pulsata per loca solita conclavis campanula de more fuerit, omnes et singuli cardinales convenire debeant, valetudine non impediti, sub eâdem excommunicationis latae sententiae poenâ.

Pactiones, promissiones, signa et alia tam respectu inclusionis, quam exclusionis, etc., sub poena excommunicationis prohibet.

§ 18. Cardinales praeterea omnino abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus, intendimentis, condictis, foederibus, aliisque quibuscumque obligationibus, minis, signis, contrasignis suffragiorum seu schedularum, aut aliis, tam verbo, quam scripto, aut quomodocumque dandis aut petendis, tam respectu inclusionis, quam exclusionis, tam unius personae, quam plurium, aut certi generis, veluti creaturarum, aut huiusmodi, seu de suffragio dando, vel non dando: quae omnia et singula, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri aut ex transgressione notam incurrere fidei non servatae decernimus et declaramus, et contrafacientes ex nunc excommunicationis poenâ innodamus: tractatus tamen pro electione habendos vetare non intelligimus.

Quae electionem Romanorum Pontificum nullam reddant poenasque eligentium et electorum contra huius Constitutionis formam tradit.

§ 19. Quod si electio huiusmodi alibi celebrata fuerit, quam in conclavi clauso, vel aliter quam per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus cardinalium in conclavi praesentium in scrutinio, seu scrutinio et accessu, electi suffragio non computato, vel per viam compromissi, ab omnibus cardinalibus similiter in conclavi praesentibus, nemine dissentiente, initi, et ita ut meno seipsum elegerit, vel quasi per inspirationem nullo praecedente de personâ speciali tractatu, omnium pariter cardinalium praesentium in conclavi communiter, nemine itidem dissentiente, per verbum *Eligo*, intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce non potuerit, expressum, nulla sit et invalida eo ipso, absque ullâ declaratione, et ita electo nullum ius tribuat: quin immo is non apostolicus, sed apostaticus sit et habeatur; et tam ipse, quam eligentes, eiusque fautores et complices sententiam excommunicationis et anathema, aliasque censuras et poenas, invasoribus Sedis Apostolicae a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis impositas, pariter ipso facto incurrant, a qua, sicut ab aliâ quacumque in hac constitutione impositâ et irrogatâ, seu infra imponendâ et irrogandâ poenâ excommunicationis, tam ipsi quam quilibet alius, sive S. R. E. cardinalis, sive alia persona cuiuscumque gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae, a nullo, neque etiam a maiori poenitentiario, cuiuscumque facultatis vigore, praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possit, et tam ipse, eiusque complices et fautores, quam alii quicumque etiam S. R. E. cardinales huius Constitutionis in aliquo transgressores, aliis gravissimis poenis teneantur, futuri Pontificis canonice intrantis arbitio irrogandis.

Secretum in electione Papae observari praecipit. Et mutationem, aut alterationem huius constitutionis cardinalibus fieri prohibet.

§ 20. Postremo statuimus et districte praecipiendo mandamus, ut S. R. E. cardinales, quaecumque secretum violare quomodolibet poterunt, omnia evitare et cavere omnino teneantur, cum intentio et mens nostra sit quod[1] electionis huiusmodi tam sanctum negotium, si fiat per scrutinium, seu scrutinium et accessum, ut praefertur, secretissime transigatur, ac proinde iisdem omnibus et singulis S. R. E. cardinalibus et eorum sacro collegio inhibemus, ne contra haec vel horum aliquod statuere, disponere, vel ordinare, seu in aliquo corrigere, alterare, mutare, seu aliquo modo facere, tractare, moliri, vel attentare praesumant, quovis praetextu, causâ, vel exquisito colore, sub eâdem excommunicationis poenâ ipso facto incurrendâ.

Huius constitutionis exequutores deputat.

§ 21. Ut autem huiusmodi nostra constitutio inviolabilius observetur, tres cardinales, qui singulis diebus congregationibus agendis praepositi sunt, et cum iis S. R. E. camerarius illam in omnibus et per omnia observari procurent et faciant.

Cardinales censuris irretitos ab electione Papae non excludi decernit.

§ 22. Volumus etiam et decernimus, censurarum et excommunicationum praedictarum et aliarum quarumcumque praetextu vel causâ cardinales a summi Pontificis electione activâ et passivâ excludi nullo modo posse, quas quidem censuras et excommunicationes ad effectum huiusmodi electionis tantum, illis aliàs in suo robore permansuris, suspendimus: decernentes easdem excommunicationes et censuras eos solum afficere, qui deliquerint, non autem alios, conclavi durante, qui cum iis conversati fuerint.

Adhortatio ad cardinales.

§ 23. Ceterum, etsi opus non esse in Domino confidimus, tamen pro officii nostri debito, et rei de qua agitur gravitate, admonemus, hortamur et in Domino obsecramus S. R. E. cardinales, ut attente considerent personae, quam sustinent, officium et dignitatem, quam sacrum praeterea et quanti momenti sit opus quod tractant, et nihil quod se non deceat, nihil a re alienum committant, sed cogitent, quam perniciosum futurum sit universae Ecclesiae, Christi sanguine acquisitae, si male administretur; ac proinde exuant omnes mundanas curas, et induant solum Dominum nostrum Iesum Christum, memores nihil prodesse homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur. Denique animum advertant se in conclavi clausos editissimâ in speculâ constitutos esse, et factos spetaculum Deo, et hominibus, a Domino, cuius negotium gerunt, supplicii vel gloriae sempiternae retributionem citissime laturos.

Derogatio contrariorum.

§ 24. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Alexandri Papae III praedecessoris nostri in concilio Lateranensi editâ, quae incipit: *Licet de vitânda*, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, etiam in conciliis generalibus promulgatis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in corpore iuris clausis, quibus omnibus et singulis, quatenus pariter opus sit, eorum omnium et singulorum tenores, perinde ac si ad verbum exprimerentur, pro expressis et insertis habentes, pro hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iuramentum super huius constitutionis observantia praestandum.

§ 25. Volumus quoque, praesentes nostras coram omnibus in primâ congregatione post obitum Pontificis fieri solitâ, et deinde post conclavis ingressum, et cum quis ad cardinalatus honorem promotus fuerit, cum aliis similibus constitutionibus legi, et iuramentum super illius observatione praestari, et ita praecipimus et mandamus.

Aliae similes constitutiones in his servandae, quae praesenti non adversantur.

§ 26. Quibus constitutionibus et poenis in eis contentis, nisi in superius expressis, per hanc nostram derogare non intendimus, sed eas in sui roboris firmitate

1 Coniunct. *quod* nos addimus (R. T.).

relinquere. Sperantes etiam Romanos Pontifices, qui pro tempore canonice eligentur, omni studio curaturos, ut quae nostris huiusmodi et in eis salubriter statuta sunt, inviolabiliter, ac etiam, si opus fuerit, per poenarum ipsarum contra transgressores exequutionem, observentur.

Publicationem huius constitutionis in Urbe fieri et factam omnes cardinales etiam absentes et futuros et alios quoscumque ligare praecipit.

§ 27. Denique volumus, easdem praesentes in valvis basilicarum sancti Ioannis Lateranensis ac Principis apostolorum de Urbe, ac cancellariae apostolicae, nec non in acie campi Florae per cursores nostros affigi et publicari, ac eorum exempla ibidem affixa dimitti, et deinde omnes et singulos cardinales, tam absentes quam praesentes, modernos et qui pro tempore erunt, et alios quoscumque, quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum, afficere et ligare, nullamque harum ignorantiam praetendere posse, ac si eis personaliter intimatae forent; praemissis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

Sanctionemque poenalem adiungit.

§ 28. Nulli ergo omnino hominum[1] liceat hanc paginam nostrorum statutorum, decretorum, declarationum, mandatorum, innodationis, voluntatis, admonitionis, hortationis, obsecrationis, inhibitionis, derogationis, praecepti et suspensionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXI, decimoseptimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 novembris 1621, pontif. an. I.

Papae subscriptio.

✠ EGO GREGORIUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Cardinalium subscriptiones.

† Ego Antonius cardinalis Saulius, episcopus Ostiensis, promitto, voveo et iuro.

† Ego Franciscus Maria cardinalis a Monte, episcopus Portuensis, promitto, voveo et iuro.

† Ego Franciscus cardinalis Sfortia, episcopus Tusculanus, promitto, voveo et iuro.

† Ego A. cardinalis Montaltus, episcopus Albanensis, S. R. E. vicecancellarius, promitto, voveo et iuro.

† Ego Odoardus cardinalis Farnesius, episcopus Sabinensis, promitto, voveo et iuro.

† Ego Octavius cardinalis Bandinus, episcopus Praenestinus, promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Andreas cardinalis Perrettus promitto, voveo et iuro.

† Ego B. cardinalis Bevilacqua promitto, voveo et iuro.

†

† Ego F. tituli S. Praxedis, presbyter cardinalis de Sourdus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Ioannes Baptista, tituli Ss. Marcellini et Petri cardinalis Detus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Dominicus, Ss. Apostolorum presbyter cardinalis Gymnasius, promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Carolus tituli S. Caesarei, presbyter cardinalis Madrutius, promitto, voveo et iuro.

†

† Ego S. tituli S. Chrysogoni, presbyter cardinalis Burghesius, maior poenitentiarius, promitto, voveo et iuro.

† Ego M. tituli S. Onuphrii, presbyter cardinalis Barberinus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Ioannes Garzia, tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbyter cardinalis Millinus, promitto, voveo et iuro.

† Ego M. tituli Ss. Quirici et Iulittae, pres-

1 Edit. Main. legit *nominum* (R. T.).

byter cardinalis Lantes, promitto, voveo et iuro.

† Ego M. Angelus Tontus tituli S. Petri ad Vincula, presbyter cardinalis Nazarenus, promitto, voveo et iuro.

† Ego F., tituli S. Augustini, presbyter Verallus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Ioannes Baptistae tituli S. Caeciliae, presbyter cardinalis Lenus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Dominicus tituli S. Martini in Montibus, presbyter cardinalis Rivarola, promitto, voveo et iuro.

† Ego P. tituli S. Mariae de Populo, presbyter cardinalis Philonardus, promitto, voveo et iuro.

† Ego P. Paulus tituli Ss. Nerei et Achillei, presbyter cardinalis Crescentius, promitto, voveo et iuro.

†

†

† Ego Gaspar tituli S. Crucis in Hierusalem, presbyter cardinalis Borgia, promitto, voveo et iuro.

† Ego Robertus tituli S. Alexii, presbyter cardinalis Ubaldinus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Tiberius tituli S. Priscae, presbyter cardinalis Mutus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Gabriel tituli S. Pancratii, presbyter cardinalis de Treio, promitto, voveo et iuro.

†

†

†

† Ego Petrus tituli S. Thomae in Parione, presbyter cardinalis Camporeus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Matthaeus tituli S. Marci, presbyter cardinalis Priolus, promitto, voveo et iuro.

† Ego S. presbyter cardinalis S. Susannae, S. R. E. bibliothecarius, promitto, voveo et iuro.

†

†

†

† Ego Guido tituli S. Ioannes ante Portam Latinam, presbyter cardinalis Bentivolus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Petrus tituli S. Salvatoris in Lauro, presbyter cardinalis, promitto, voveo et iuro.

† Ego It. Fridericus, presbyter cardinalis de Zolrelen, promitto, voveo et iuro.

† Ego Caesar tituli S. Petri in Monteaureo, presbyter cardinalis Gherardus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Fr. Desiderius tituli S. Clementis, presbyter cardinalis de Cremona, promitto, voveo et iuro.

† Ego Stephanus tituli S. Mariae in Via, presbyter cardinalis Pignatellus, promitto, voveo et iuro.

† Ego L. cardinalis Ludovisius tituli S. Mariae de Transpontina, S. R. E. camerarius, promitto, voveo et iuro.

† Ego Franciscus tituli S. Matthaei in Merulana, presbyter cardinalis Sacratus, promitto, voveo et iuro.

† Ego M. Antonius tituli S. Eusebii, presbyter cardinalis Gozadinus, promitto, mitto, voveo et iuro.

† Ego Alexander S. Mariae in Vialata, diaconus cardinalis Estensis, promitto, voveo et iuro.

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Franciscus S. Angeli in Foro piscium, diaconus cardinalis Boncompagnus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Hippolytus S. Mariae Novae, diaconus cardinalis Aldobrandinus, promitto, voveo et iuro.

†

Publicatio facta in Urbe.

Anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi MDCXXI, *indictione quarta, die vero* XXVI *mensis novembris, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini N. D. Gregorii divinâ providentiâ Papae XV, pontificatus sui primo, introscriptae litterae apostolicae publicatae et affixae fuerunt ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum de Urbe, ac cancellariae apostolicae, et in acie campi Florae, dimissis ibidem earumdem litterarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, et exinde amotis, deinde dimissis earumdem litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Augustinum Bracherium et Brandimartem Latinum praelibati S. D. N. Papae cursores.*

OCTAVIUS SPADA magister cursorum.

XLII.

Clericis regularibus Scholarum Piarum permittitur tria solemnia vota emittant.

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In supremo apostolatus solio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, ad ea vigilantiae nostrae partes libenter interponimus, per quae piae clericorum congregationes in Ecclesiâ Dei ad illius laudem et gloriam provide, sancteque institutae in perseverantiâ laudabilium operum incitentur, ac maioribus in dies proficiant incrementis.

Iosephi a Matre Dei praefecti congregationis clericorum pauperum Matris Dei scholarum piarum preces

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Iosephus de Matre Dei praefectus generalis Congregationis clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum de Urbe, nobis nuper exponi fecit, clerici eiusdem[1] congregationis tria simplicia, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae vota emittant; cumque, perfectioris vitae studio ducti, simplicia vota praedicta per nos solemnia declarari nobis humiliter supplicassent:

Decreto congregationis episcoporum et regularium, cuius examini remissae fuerant, approbatae.

§ 2. Venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales negotiis episcoporum et regularium praepositi, quibus negotium huiusmodi mature examinandum, et nobis referendum commisimus, praedictam congregationem nuncupatam Pauperum Matris Dei, olim Romae felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri auctoritate erectam, et per sanctae memoriae Paulum Papam V praedecessorem nostrum confirmatam, et prope ecclesiam sancti Pantaleonis de Urbe modo degentem, in religionem trium votorum solemnium approbari posse censuerint, prout in decreto desuper sub die XXXI augusti proxime praeteriti facto dicitur contineri:

Illudque Gregorius Papa confirmat.

§ 3. Nos, piis Iosephi et clericorum praedictorum votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praedictum apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore,

[1] Hanc Congregationem ad pauperes scholares pie et sine ullâ mercede erudiendos, erexisse Paulum V vide in Const. CCLXVIII *Ad ea* (in h. n. edit. CCLXXXVII, supra pag. 382).

suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac Iosepho et clericis predictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari.

Irritansque decretum apponit.

§ 5. Atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis quoque derogat.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII novembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 novembris 1621, pontif. an. I.

XLIII.

Investitura regni Siciliae Philippo IV Hispaniarum regi catholico conceditur cum solitis conditionibus [1].

Gregorius Papa XV,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Regis aeterni Iesu Christi Domini nostri, per quem reges regnant et legum conditores, iusta decernunt, vices licet immeriti in beati Petri Sede gerentes in terris, dum omnibus ecclesii spastoralem impendimus sollicitudinem, curae Ecclesiae Romanae, quae ab eodem apostolorum Principe continuatâ successione ad humilitatem nostram divinâ providentiâ pervenit, praecipue, ut par est, sicuti ex alto conceditur, invigilamus, et de principatibus, regnis, quorum eadem Ecclesia proprietatem habere dignoscitur et directum dominium, praedictorum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis insistentes, ita disponimus, ut reges et principes, qui avitâ maiorum suorum eximiâ pietate et erga catholicam fidem et Romanam Ecclesiam illustri zelo toto orbe refulgent, plane agnoscant a nobis et sanctâ Sede Apostolicâ eorum merita quanti cum Domino potest aestimari, ac favoribus et gratiis, quotiescumque datur occasio, suas ac suorum successorum personas decorari, et ipsi in religionis illius, quam eadem Ecclesia Romana, radix et magistra ecclesiarum, docet et docuit semper defensione, et, quantum sibi conceditur, propagatione, eiusdemque sanctae Sedis cultu et reverentiâ confirmentur et foveantur.

Iulius II Siciliae regnum in feudum concessit Ferdinando I Aragoniae regi, eiusque successoribus.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Iulius Papa II praedecessor noster regnum Siciliae ac Hierusalem, cum totâ terrâ quae est citra Pharum usque ad confinia terrarum sanctae Romanae Ecclesiae, civitate Beneventanâ cum eius territorio et pertinentiis dumtaxat exceptâ, ad ius et proprietatem eiusdem Ecclesiae pertinens, et tunc ad ipsum praedecessorem, et dictam Ecclesiam devolutum, quovis modo et ex quavis causâ illud ad eamdem Ecclesiam devolutum esset, aut aliàs eius dispositio ad praedictum praedecessorem pertineret, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis clarae memoriae Ferdinando Aragoniae, et utriusque Siciliae ac Hierusalem regi, pro se, suisque in dicto regni Aragoniae successoribus et haeredibus tam masculis quam feminis ex eo rectâ lineâ descendentibus, certo tunc expresso modo, natis et nascituris, in feudum perpetuum pro annuo censu, et sub diversis concessionibus, modis, formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus, etiam tunc expressis, sine tamen praeiudi-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

cio iuris ipsi Ferdinando regi aliàs in eodem regno forsan competentis, cui tunc noluit derogari, de fratrum suorum consilio pariter et assensu, ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine concessit et elargitus fuit, dictam civitatem Beneventanam cum eius territorio, districtu et pertinentiis, per ipsum praedecessorem seu Romanum Pontificem distinctis seu distinguendis, cum eorum incolis, prout illam sibi dudum antea praedicta Ecclesia specialiter retinuerat et reservaverat, sibi et eidem Ecclesiae specialiter reservando, prout in ipsius praedecessoris desuper confectis litteris (in quibus idem praedecessor inter alia voluit, quod dictus Ferdinandus rex et sui in dicto regno Siciliae ultra Pharum haeredes et successores darent praedecessori et Ecclesiae praedictis eorum privilegium aureâ Bullâ bullatum, in quo proprio iuramento faterentur et recognoscerent expresse regnum Siciliae et Hierusalem, ac totam eorum[1] terram quae est citra Pharum usque ad confinia eiusdem Ecclesiae, exceptâ civitate Beneventanâ praedictâ, cum territorio, districtu et pertinentiis suis, ex solâ gratiâ et merâ liberalitate Sedis et praedecessorum praedictorum sibi, suisque haeredibus et successoribus fuisse concessa, et eos recepisse et tenere regnum Siciliae et terram huiusmodi a praedecessore et Ecclesiâ praedictis, sub pactis, modis et conditionibus tunc, ut praefertur, expressis), plenius continetur.

Nonnullis additis conditionibus.

Leo X eisdem legibus praedictum regnum Carolo V concessit.

§ 2. Et deinde piae memoriae Leo Papa X, etiam praedecessor noster, dictum regnum Siciliae citra Pharum clarae memoriae Carolo Romano imperatori semper augusto, tunc Romanorum et Hispaniarum regi catholico, in imperatorem electo, in feudum eisdem modo et formâ, quibus per praedictum Iulium praedecessorem praedicto Ferdinando regi concessum fuerat, et sub praedictis, quae tunc per eamdem Sedem remissae non apparerent, et certis aliis tunc expressis conditionibus, de novo concessit, et de eo etiam ipsum Carolum imperatorem investivit, et dictus Carolus imperator per quondam Ioannem Emanuelem Aurei Velleris equitem, tunc in humanis agentem, et ipsius Caroli imperatoris apud Leonem praedecessorem et Sedem praedictos oratorem et procuratorem specialem, promisit, et se ac omnes regnum ipsum Siciliae vigore illius concessionum, tam per Iulium quam Leonem praedecessores factarum[1], pro tempore obtinentes obligavit ad inviolabiliter observandum et adimplendum omnia in litteris Iulii praedecessoris huiusmodi contenta, super quibus de dispensatione, aut illorum remissione per eamdem Sedem non constaret seu appareret, et solvendum singulis annis in perpetuum camerae apostolicae septem mille ducatos auri de camerâ in festo beati Petri, ultra solitum censum parafraeni albi pro recognitione veri et directi dominii ipsius regni Siciliae, et ad Leonis praedecessoris et camerae praedictorum requisitionem delinquentes in terris eidem Ecclesiae mediate[2] vel immediate subiectis, ad dictum regnum et illius civitates, terras, et loca confugientes, capi et ad Urbem vel alium locum remitti faciendum[3], sub poenis in litteris Iulii praedecessoris huiusmodi contentis, dummodo idem Leo praedecessor et successores sui Romani Pontifices ac predicta camera, ad ipsius Caroli imperatoris et officialium suorum requisitionem, delinquentes in terris et locis dicti regni, ad terras et loca Ecclesiae confugientes, pariter ad eos remitteret[4], prout in instrumento publico desuper confecto, et in certis ipsius prae-

1 Potius legeretur *eam* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *factorum* (R. T.).
2 Ibid. legitur *meditate* (R. T.).
3 Erronee edit. Main. legit *faciendi* (R. T.).
4 Potius lege *remitterent* (R. T.).

decessoris Leonis litteris de verbo ad verbum inserto, etiam plenius continetur.

Iulius III investituram concessit Philippo secundo.

§ 3. Ac demum recolendae memoriae Iulius Papa III, etiam praedessor noster, praeviâ renunciatione praedicti Caroli Romani Imperatoris semper augusti, dictum regnum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum usque ad confinia Romanae Ecclesiae (exceptâ civitate Beneventanâ cum eius territorio et districtu ut supra) inclytae memoriae Philippo II tunc Angliae regi et Hispaniarum principi, pro se, suisque haeredibus et successoribus Aragoniae regibus, tam masculis quam feminis, ex eo rectâ linea descendentibus, natis et nasciturіs, ac aliis personis in concessionibus Iulii et Leonis comprehensis, et per eas vocatis, in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem mille ducatorum auri de camerâ et unius parafraeni albi solvendo, et sub conditionibus, modis et formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus in litteris Iulii et concessione Leonis contentis, quae per eamdem Sedem remissae non apparerent, similiter concessit, et de eo etiam ipsum Philippum regem investivit, et dictus Philippus rex per quondam Ferdinandum Franciscum Avolos de Aquino marchionem Piscariae, tunc in humanis agentem, et ipsius Philippi regis apud Iulium praedecessorem et Sedem praedictos procuratorem specialem, obedientiam, homagium et iuramentum fidelitatis consuetum praestitit, prout in ipsius etiam Iulii praedecessoris litteris plenius continetur: quae omnia idem Philippus rex successive per bullam suam auream, sub datum Bruxellis anno Domini MDLV die I octobris, manu suâ subscriptam[1] approbando et acceptando confessus fuit et recognovit.

Eadem investitura a Clemente VIII concessa fuit Philippo III.

§ 4. Postremo autem felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, eodem Philippo III viam universae carnis ingresso, regnum ipsum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ praedictâ citra Pharum usque ad confinia terrarum eiusdem Ecclesiae Romanae (exceptâ civitate Beneventanâ, cum eius territorio, districtu et pertinentiis, per se seu eius et nostros praedecessores Romanos Pontifices distinctis, ac eorum incolis, quam sibi et eidem Ecclesiae specialiter retinuit et reservavit) clarae memoriae Philippo III etiam Hispaniarum regi catholico, pro se, suisque haeredibus et successoribus Aragoniae regibus, tam masculis quam feminis, ex eo rectâ lineâ descendentibus, natis et nasciturіs, ac aliis personis in concessionibus utriusque Iulii et Leonis praedictorum huiusmodi comprehensis, et per eas vocatis, in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem millium ducatorum similium et unius parafraeni albi, ut praefertur, solvendo, et sub conditionibus, modis, formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus in litteris utriusque Iulii et concessione Leonis praedecessorum huiusmodi contentis, quarum remissionem per Sedem praedictam factam fuisse non appareret, praestitis[1] prius tamen eidem Clementi praedecessori ac Sedi et Ecclesiae praedictis nomine ipsius Philippi III regis per bonam memoriam Antonii de Cardona et Corduba, ducem Svessae, Somae, Varnae, comitem Cabrae et Palemos, vicecomitem de Ibregar, et ipsius Philippi III regis consanguineum et consiliarium, apud eumdem Clementem praedecessorem et Sedem praedictam oratorem et procuratorem ac mandatarium suum specialem, per eumdem Clementem praedecessorem admissâ obedientiâ, atque homagio et iuramento fidelitatis, sub certâ tunc expressâ formâ, pariter concessit et elargitus est,

1 Edit. Main. legit *subscriptum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *praestitae*; sed *praestitâ*, nempe obedientiâ, vel *praestitis* legend. (R. T.).

ac regnum ipsum praedicto Philippo III regi, modo et formâ praemissis, infeudavit, prout in praedicti Clementis praedecessoris sub plumbo sub datum Romae apud sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae MDXCIX, quinto idus septembris, pontificatus sui anno VIII, expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur [1].

Philippus IV eam petit.

§ 5. Cum autem, sicut Deo placuit, ab humanis exempto dicto Philippo III rege, iure successionis unâ cum aliis regnis, provinciis et ditionibus universis dictum regnum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum ad charissimum in Christo filium nostrum Philippum IV Hispaniarum regem catholicum dicti Philippi III regis filium et haeredem legitime pervenerint, et idem Philippus rex, volens debitam obedientiam et fidelitatis ac homagii iuramentum in manibus nostris praestare, ac ea, ad quae ratione ipsius feudi tenetur, adimplere, dilectum filium nobilem virum Franciscum de Cueva ducem de Alburquerque, et ipsius Philippi regis consanguineum et consiliarium, et apud nos et Sedem Apostolicam oratorem et procuratorem, mandatarium suum specialem fecerit, constituerit et deputaverit specialiter et expresse ad se nomine praedicti Philippi regis, quoties opus fuerit, coram nobis humiliter, et cum omni reverentiâ praestandum, ac a nobis investituram dicti regni humiliter petendum, eamque acceptandum, nec non nobis nomine eiusdem Philippi regis pro praedicto regno Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum debitam obedientiam exhibendum, ac etiam fidelitatis et homagii iuramentum ratione feudi dicti regni praestandum, quod requisitum necessarium et opportunum foret ex ipsius feudi naturâ, et quemadmodum illud praestitum fuerat a Philippo III rege praedicto, atque ab aliis praedecessoribus suis in eodem regno solitum fuerat praestari, dans et tribuens idem Philippus rex praedicto Francisco duci et procuratori omnem potestatem, omnemque arbitrium et auctoritatem ea agendi et iurandi praemissâ ex causâ in animam suam, quae ipsemet Philippus rex agere et iurare posset, si personaliter ea faceret, et dictus Franciscus dux et procurator in vim constitutionis et deputationis huiusmodi ad praemissa omnia et singula nomine praedicti Philippi regis peragenda et exequenda coram nobis humiliter et cum omni reverentiâ sub die XVI septembris proxime praeteriti se praesentaverit, et in generali venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregatione, quae postmodum ob varia nostra impedimenta sub die XXVII octobris praesentis anni coram nobis in palatio nostro apostolico in Vaticano ad hoc specialiter convocata et habita fuit cum pluribus archiepiscopis, episcopis, aliisque praelatis ibi adstantibus, nomine ipsius Philippi regis nobis et Sedi Apostolicae ac Romanae Ecclesiae praedictis obedientiam, itemque homagium et iuramentum fidelitatis sub formâ inferius adnotatâ praestiterit:

Concedit Gregorius.

§ 6. Nos, considerantes ipsius Philippi regis haereditariam regnandi consuetudinem, et quod sciat et volet commissos sibi populos in pacis amoenitate et iustitiae cultu confovere, ac nos et Romanam Ecclesiam ipsius regni proprietarios et directos dominos gratâ devotione et fide sincerâ recognoscere, mandato procurationis [1] ipsius Philippi regis huiusmodi publice et altâ voce in eâdem congregatione perlecto, et diligenter inspecto et considerato, ac habitâ super his cum eisdem venerabilibus fratribus nostris sanctae

1 Huiusmodi Clem. VIII litterae leguntur in *Bull.* tom. X, pag. 536 (R. T.).

1 Edit. Main. legit *procurationes* (R. T.).

Romanae Ecclesiae cardinalibus prius in consistorio nostro secreto, et deinde etiam in aliâ simili congregatione generali ad hoc nominatim habitâ in eodem palatio nostro, deliberatione maturâ, de ipsorum fratrum nostrorum consilio pariter et assensu, et ex certâ nostrâ scientiâ, et de apostolicae potestatis plenitudine, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti obedientiam ab eodem Francisco duce et procuratore nomine ipsius Philippi regis nobis ac Sedi ac Ecclesiae praedictis, ut praemittitur, praestitam, itemque homagium et iuramentum fidelitatis huiusmodi, laeto atque hilari animo admittimus, ac regnum ipsum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ praedictâ citra Pharum usque ad confinia terrarum eiusdem Ecclesiae Romanae (exceptâ praedictâ civitate Beneventanâ cum eius territorio, districtu et pertinentiis, per nos seu Romanos Pontifices distinctis, ac eorum incolis, quam nobis, prout illam sibi dudum praedicta Ecclesia[1] specialiter retinuit et reservavit, harum serie unâ cum loco Pontiscurvi eiusque territorio nobis et eidem Ecclesiae specialiter reservamus) dicto Philippo regi pro se, suisque haeredibus et successoribus Aragoniae regibus, tam masculis quam feminis, ex eo rectâ lineâ descendentibus, natis et nascituris, ac aliis personis in concessionibus utriusque Iulii ac Leonis et Clementis praedecessorum huiusmodi comprehensis, et per eas vocatis, in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem millium ducatorum similium et unius parafraeni albi, ut praefertur, solvendo, et sub conditionibus, modis, formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus in litteris utriusque Iulii et Clementis ac concessione Leonis praedecessorum huiusmodi contentis, quarum remissionem per Sedem praedictam factam fuisse non apparebit, omni meliori quo possumus modo concedimus et elargimur, ac regnum ipsum praedicto Philippo regi, modo et formâ praemissis, infeudamus, eumque de illo per ipsius Francisci ducis et procuratoris ad osculum pedum nostrorum admissionem investimus.

Cum conditionibus hic expressis.

§ 7. Volentes et intendentes, ut infra annum, a datâ praesentium computandum, idem Philippus rex privilegium suum bullâ aureâ bullatum (in quo proprio iuramento fateatur et recognoscat expresse regnum Siciliae et Hierusalem, ac totam terram eorum[1] quae est citra Pharum usque ad confinia ipsius Ecclesiae Romanae, exceptis civitate Beneventana et loco Pontiscurvi, cum illorum territoriis, districtibus, et pertinentiis, quae eidem Ecclesiae remaneant, praedicto Philippo regi suisque haeredibus et successoribus ex solâ gratiâ et merâ liberalitate Sedis Apostolicae et nostrâ fuisse concessa, eosque recepisse[2], et tenere regnum Siciliae, et terram huiusmodi a nobis et dicta Romanâ Ecclesiâ, sub pactis, modis et conditionibus supradictis) nobis, seu Romano Pontifici pro tempore existenti, dare et tradere teneatur.

Reservatio iurium cuicumque competentium.

§ 8. Per praemissa autem non intendimus iuri cuiuscumque in aliquo praeiudicare.

Tenor iuramenti per oratorem Philippi regis praestiti.

§ 9. *Forma vero iuramenti per ipsum Franciscum ducem et procuratorem praestiti talis est:* Ego Franciscus de la Cueva, dux de Alburquerque, marchio de Cuellar, comes de Ledesma et de Gulman, dominus in temporalibus de Monbeltrano et de la Codofera, serenissimi domini Philippi Dei gratiâ regis Siciliae citra Pharum et Hierusalem ac Hispaniarum domini mei consiliarius, et apud sanctissimum dominum nostrum D. Gregorium Papam XV et sanctam Sedem Apostolicam orator et procurator ad haec omnia specialiter constitutus, speciali mandato Sanctitati Vestrae

1 Edit. Main. legit *praedictae Ecclesiae* (R. T.).

1 Ni malueris legere *eam* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *recessisse* (R. T.).

exhibito plenum homagium ligium et vassallagium nomine ipsius Philippi regis faciendi vobis domino nostro D. Gregorio Papae XV et Ecclesiae Romanae pro regno Siciliae et Hierusalem, ac totâ terra quae est citra Pharum, usque ac confinia terrarum ipsius Ecclesiae (exceptâ civitate Beneventana, ac toto territorio, ac omnibus districtibus et pertinentiis, secundum antiquos fines territorii et pertinentiarum ac districtus civitatis eiusdem per Romanos Pontifices distinctos et imposterum distinguendos), in animam dicti serenissimi domini Philippi regis principalis mei iuro, quod idem serenissimus dominus Philippus rex ab hac horâ in antea fidelis et obediens erit beato Petro et vobis D. Gregorio XV vestrisque successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, sanctaeque apostolicae Romanae Ecclesiae; non erit in consilio, consensu, vel facto, ut vitam perdatis, seu perdant, aut membrum, seu capiamini, vel capiantur malâ captione; consilium vero, quod sibi credituri estis per vos, aut nuncios vestros, vel per litteras, ad vestrum vel eorum damnum scienter nemini pandet; et si sciverit fieri, vel tractari, seu procurari aliquid, quod in vestrum, vel eorum damnum cedat, illud pro posse impediet, et si hoc impedire non poterit, illud vobis, vel eis significare curabit; Papatum Romanum, et regalia sancti Petri, tam in regno Siciliae praedicto quam alibi consistentia, adiutor vobis et eis erit ad defendendum et retinendum ac recuperandum, et recuperata manutenenda, contra omnem hominem; universas et singulas conditiones supradictas, et quascumque alias in litteris felicis recordationis Iulii Papae II super ipsius regni et terrarum infeudatione sive investiturâ confectis contentas, ac omnia et singula quae in eis continentur, plenarie adimplebit, et inviolabiliter observabit, et nullo unquam tempore veniet contra ea; nec procurabit per se, vel alium, seu alios, quoquo modo, ut eligatur, vel nominetur in regem, vel imperatorem Romanorum, seu regem Theutoniae, aut dominum Lombardiae, seu Tusciae; et si electionem, vel nominationem ad imperium, seu regnum Romanum, seu regnum Theutoniae, vel dominium Lombardiae et Tusciae, aut maioris partis eorumdem, de eo celebrari continget, nullum huiusmodi electioni, seu nominationi assensum praestabit; nec intromittet se modo aliquo de eorum vel alicuius eorum regimine; nec de civitate Beneventana, et suis territoriis, districtibus et pertinentiis, seu Campaniae, neque de Maritimâ, ducatu Spoletano, neque Marchia Anconitana, Patrimonio beati Petri, et Tuscia, et Massa Trebaria, Romandiola, almâ Urbe, in civitatibus Perusinensi, civitate Castelli, Bononiensi, Ferrariensi, Avenionensi, et Comitatu Venayssino, seu aliis terris quibuscumque vestris, et feudis ipsius Ecclesiae ubilibet constitutis, ex successione, vel legato, seu donatione, aut venditione, seu alio quovis titulo vel contractu, nihil unquam sibi acquiret, seu vendicabit, vel poterit acquirere, seu quomodolibet vendicare, et nihil unquam recipiet, vel habebit, seu retinebit, vel poterit recipere, habere, vel etiam retinere in illis, nec ullam potestariam, capitaniam, vel rectoriam, nullumque aliud officium recipiet, seu recipere poterit in eisdem, seu ipsorum aliquo, nec etiam occupabit, vel occupari permittet seu faciet praemissa vel partem aliquam eorumdem, neque illam offendet, aut molestabit, neque etiam Romanam Ecclesiam quoquo modo, sub censuris, poenisque spiritualibus et temporalibus in conditionibus et infeudatione praedictis contentis, quas hic haberi volo in singulis suis partibus aliis pro specifice repetitis et expressis; schismatico, aut haeretico cuicumque, vel a fide devio, ab

ipsa Ecclesia praeciso, eiusque sequacibus, et dantibus ei auxilium, consilium, vel favorem, non dabit quovis modo, per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium, consilium vel favorem, nec ab aliis, quantum in eo erit, si impedire poterit, dari permittet, sed eos iuxta posse suum, donec convertantur, persequetur et impugnabit; sic dictum Philippum regem Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. Iuravi ut supra.

Ego praedictus dux.

Clausulae poenales.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae admissionis, reservationis, concessionis, elargitionis, infeudationis, investiturae, voluntatis vel intentionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXI, quinto kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 novembris 1621, pontif. anno I.

Papae subscriptio.

✠ EGO GREGORIUS

ECCLESIAE CATHOLICAE EPISCOPUS.

Perfice gressus meos in semitis tuis.

Et subscriptiones cardinalium.

† Ego Antonius cardinalis Saulius, diaconus.

† Ego Franciscus Maria cardinalis a Monte.

† F. Sfortia cardinalis episcopus Tusculanus.

†

†

† Ego Octavius episcopus Praenestinensis cardinalis Bandinus.

†

†

† Ego Andreas tituli S. Agnetis in Agone cardinalis Perettus.

†

†

†

†

†

† Ego Dominicus Ss. Apostolorum cardinalis Gymnasius.

†

† Ego Carolus tituli S. Caesarei presbyter cardinalis Madrutius.

†

† Ego Scipio tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Burghesius.

†

† Ego Garzias tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbyter cardinalis Millinus.

† Ego M. tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Lantes.

†

†

† Ego F. tituli S. Augustini presbyter cardinalis Verallus.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Senensis.

†

†

† Ego Dominicus tituli S. Martini in Montibus presbyter cardinalis Rivarola.

†

† Ego Paulus tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Crescentius.

†

†

† Ego Gaspar tituli S. Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis Borgia.

† Ego F. Felix tituli S. Anastasiae presbyter cardinalis Asculanus.

†

† Ego Tyberius tituli S. Priscae presbyter cardinalis Mutus.

† Ego Gabriel tituli S. Bartholomaei in Insula presbyter cardinalis de Treio.

†

†

† Ego Iulius tituli S. Sabinae presbyter cardinalis Sabellius.

†

†
†
† Ego S. presbyter cardinalis S. Susannae, S. R. E. bibliothecarius.
†
†
†
†
† Ego Guido tituli S. Mariae de Populo presbyter cardinalis Bentivolus.
† Ego P. tituli S. Salvatoris in Lauro presbyter cardinalis Valerius.
†
† Ego Ioannis Frid. tituli S. Clementis presbyter cardinalis de Cremona.
†
†
†
† Ego Antonius tituli S. Pudentiae presbyter cardinalis Caietanus.
†
†
† Ego Alexander S. Mariae in Vialata diaconus cardinalis Estensis.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego F. S. Angeli in Foro Piscium cardinalis Boncompagnus.
† Ego Hieronymus S. Mariae Novae diaconus cardinalis Aldobrandinus.

XLIV.

Facultas episcopo Ebroicensi erigendi Congregationem hospitalarem utriusque sexus in oppido Locovariensi eiusdem Ebroicensis dioecesis sub regulâ Ordinis Minorum sancti Francisci, nonnullis additis concessionibus et privilegiis [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili fratri episcopo Ebroicensi Gregorius Papa XV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Supernâ dispositione, a cuius inscrutabili providentiâ ordinationem suscipiunt universa, sacrosantae militantis Ecclesiae regimini, nullo licet merito nostro, praesidentes, pia christifidelium quorumlibet vota, praesertim ad divini numinis laudem et gloriam, catholicae religionis propagationem, et pauperum peregrinorum, et personarum pestiferis et aliis gravibus infirmitatibus laborantium curam et consolationem tendentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ac favoribus et gratiis prosequimur opportunis, ac aliàs in his pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout personarum, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire.

Nonnullae piae utriusque sexus personae Ordinem hospitalium pro christianae charitatis exercendis operibus erigere satagerunt.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Petrus David et Andreas du Saussay, ac Renatus Boroutesauge, et Philippus Bilainc, Maturinus le Picart, Ioannes le Feullon et Marinus le Leurier, Ebroicensis seu alterius dioecesis, necnon dilectae in Christo filiae Catharina le Bis, ac Francisca de la Croux et Claudia le Caron, Ioanna le Bis, Maria le Caron, Ioanna de Santay, Caroletta le Pigeon et Maria Bouvier, mulieres illarum partium, quod ipsi (cupientes [1], et aliàs non sine animi dolore perpendentes, multos christifideles, qui ex devotione, aut votis emissis ad id adstricti, ecclesiarum, in quibus Sanctorum et Sanctarum intercessionibus divina maiestas miracula operari et gratias suas pie invocantibus impartiri dignatur, visitandarum gratiâ etiam a longinquis partibus peregrinantur, facultatibus destitutos, propter modicas hisce calamitosis et in exercendâ charitate tepidis temporibus eleemosynas erogari solitas ac

1 Nisi legi debeat *audientes* vel *capientes* (R. T.).

hospitalium sufficientibus redditibus suffultorum penuriam, ventis et pluviis, frigori, aliisque caeli iniuriis, etiam fami expositos, et, quod magis dolendum est, sine praeviâ sacramentorum perceptione misere interdum emori, hisque salubre et salutare aliquod remedium afferre cogitantes) se se in oppido Locovariensi, vulgo de Louviois, dictae tuae Ebroicensis dioecesis, de tuâ licentiâ, nonnullis aliis utriusque sexus personis in eorum societatem adductis, eo adunaverunt, ac ad publicam hospitalitatem erga pauperes peregrinos, necnon opera misericordiae corporalia et spiritualia erga peste affectos et laborantes in opportunis locis expresse sepositos exercendum, se se et facultates suas Deo dicaverunt, magnamque pecuniarum summam in emptionem domorum et aliorum bonorum stabilium pro dote duorum monasteriorum, unius videlicet virorum, et alterius mulierum, totidemque hospitalium, pro viris et mulieribus ad professionem admittendis et egenis ac infirmis hospitio excipiendis respective, converterunt et erogaverunt, ac in congregatione, ut infra, erigendâ cum animi quiete Deo inservire cupiunt; et ad hunc effectum nobis praesentem vivendi formulam, uti ad propositum sibi finem conducentem, praesentari fecerunt, videlicet:

Nonnullas autem regulas sibi constituerunt.

§ 2. Ut quicumque fideles huiusmodi Congregationem ingredi et in illâ Altissimo famulari cupient, quo purius et expeditius observare possint etiam consilia sancti Iesu Christi Dei et Domini nostri evangelii, praeter castitatis, obedientiae et vitae sine proprio degendae vota per eos emittenda, etiam peculiare votum emittant ad hospitalitatem erga pauperes peregrinos exercendam, curamque suscipiendam epidemiâ seu peste laborantium, ac necessaria illis tam corporalia quam spiritualia, etiam sacramentorum administrationem, procurandum seu respective suppeditandum, idque in locis opportunis et ad id deputatis, citra tamen ab iurisdictione Ordinariorum locorum exemptionem, quinimo tibi, ac Ordinario loci, in cuius dioecesi eos pro tempore degere contigerit, ac pro tempore existenti ministro generali Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, aliisque suis superioribus e dicto Ordine electis et eligendis se in perpetuum submittent; et, quoad clericos, ipsi nocturnis et diurnis horis in choro convenientes officium divinum secundum ritum S. R. E. et Concilii Tridentini unanimiter persolvent, ita tamen, ut illi ex dictis clericis, qui hospitalitatis vel aliorum misericordiae operum gratiâ, aliisve iustis de causis a choro aberunt, pro temporis et loci opportunitate devote et attente privatim dictum officium, laici vero non cantantes, vel absentes a choro, pro nocturno quater et vigesies *Pater noster*, sive orationem dominicam cum salutatione angelicâ, et pro laudibus quinquies, ac pro qualibet horarum, primâ scilicet, tertiâ, sextâ, nonâ, septies, necnon pro vesperis duodecies, et pro completorio septies dictam orationem dominicam et salutationem angelicam recitare teneantur; matutinis autem et completoriis horis recitatis in choro, orationi mentali per dimidiam horam, aut aliâs prout eorum superiori benevisum fuerit, vacabunt, et quotidie horâ serotinâ examen conscientiae exacte et fideliter facient. Et quia ieiunium mentem ad Deum elevat, quartâ feriâ cuiuslibet hebdomadae, nisi debilitas manifesta, aut infirmitas vel periculum pestis contrarium suaserit, ab esu carnium abstinebunt, et qualibet sextâ feriâ totius anni ieiunabunt, nisi festo Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, aliove legitimo impedimento adveniente, itemque a die festo sancti Martini usque ad Nativitatem eiusdem Domini, et a dominicâ quinquagesimae usque ad festivitatem Paschatis

Resurrectionis Dominicae, singulis tamen diebus dominicis exceptis, ac cessante infirmitate et pestis evidenti periculo, ieiunium observabunt, prout etiam a Nativitate eiusdem Domini usque ad dictam dominicam quinquagesimae singulis quartâ et sextâ feriis, observantes interea omnia alia ieiunia ab Ecclesiâ et Ordinariis locorum indicta. Item, ne orationi et ieiunio frequentatio desit sacramentorum, singulis saltem mensibus peccata sua confitebuntur tam religiosi quam moniales Congregationis huiusmodi, ac propterea solemnioribus totius anni, et eiusdem Congregationis patronorum festivitatibus, etiam sacrâ communione reficientur. Praeterea unaquaeque domus hospitalis praeposito suo pro tempore existenti suberit, qui legitime ab eisdem religiosis ex eâdem Congregatione eligetur, et a pro tempore existente Ordinario loci approbabitur. Universi vero religiosi hospitalarii et hospitalariae huiusce Congregationis supradicto ministro generali submittentur, cui, et suis aliis superioribus ex suo Ordine praedicto electis et eligendis, eidem ministro generali subalternatis, firmiter obedire tenebuntur; ita tamen, ut praedictus minister generalis per se, vel per aliquem fratrum Reformatorum de Observantiâ, sive Recollectorum, non autem Tertiariorum seu tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentiâ nuncupatorum, a se deputatum, de triennio in triennium ad minus semel, quoad votorum implementum et exactam vitae regularis observantiam, Ordinarius vero loci, ratione hospitalitatis et curae laborantium peste, quoties libuerit, dictos hospitalarios et hospitalarias, modo et formâ dicti Concilii Tridentini servatis, visitare possint et debeant. Insuper religiosi hospitalarii in superiores ministros ab ipsâ Congregatione electi alios sibi subditos visitantes humiliter ac in charitate et cum moderatione corrigent, nihil contra conscientiam suam et regulam, quam professi fuerint, praecipientes; subditi autem patienter in omnibus, quae Domino promiserunt, suis superioribus, etiam quoad curam erga peste laborantes et hospitalitatem, obedient. Quantum vero ad moniales huiusce Congregationis, regulam sibi praescriptam et clausuram iuxta Concilii Tridentini decreta exacte observabunt, et ab Ordinario loci, ac suis superioribus pro tempore existentibus, de iis quae ad legitimam electionem spectant et pertinent fideliter edoceri procurabunt, ut sic edoctae matrem sibi ex earum gremio et societate praeficiendam canonice et iuxta dicti Concilii decreta eligere possint. Porro ne quis ad religionem huiusmodi leviter et inconsiderate admittatur, neminem ad illius institutum prius recipient, quam pro tempore existentes superiores ingressum ad illam postulantis fidem, religionem, officium, statum et conditionem exploraverint, eique Congregationis et regulae onera proposuerint, monuerintque alienorum bonorum restitutionem faciendam; qua satisfactione, vel satisfaciendi cautione praestitâ, et, quatenus opus sit, reconciliatione cum proximo factâ, per quindecim, plus minusve, dies instando pro qualitate personae ter, quaterve, si ita libuerit, de consilio tamen religiosorum magis idoneorum ad id deputatorum, priusquam recipiatur, reiicient; in monialibus tamen forma Concilii Tridentini servetur quoad voluntatis explorationem, antequam profiteantur, et post annum professurus tam religiosus quam monialis, si idoneus vel idonea videbitur, facto prius testamento, et bonorum suorum dispositione, ad praescriptum sacri Concilii Tridentini, prout illis Spiritus Sanctus suggesserit, praedicta huiusce religionis vota emittent. Quae quidem professio, in scriptis redacta et manu publicâ signata, non aliter, nec alio modo recipietur, nisi conditione et instantiâ personae

attentâ consideratione discussis. Huius autem Congregationis pro habitu duas tunicas ex panno vel ex aliâ materiâ contra epidemiam seu pestem aptiore superiorum suae Congregationis arbitrio pro temporis et locorum varietate terrestris sive cinericii aut grisei coloris, ut vocant, tam novitii quam professi vestient; quarum tunicarum altera desuper maior erit, et in superiori parte insimul assutum habebit capuccium, cum cordâ ex crine equino desuper lumbos cingente, et eiusdem materiae coloris castanei, vulgo tanei, mantellettum humeris, calceatis pedibus ferent: novitiorum habitui distinctione superiorum arbitrio adhibitâ.

Insignia in vestibus gestanda.

§ 3. Et insuper insignia sibi peculiaria haec desument, quae ad sinistram gestabunt, ut a ceteris quibuscumque internoscantur, videlicet: in superiori tunicâ coloris cinericii, sive grisei huiusmodi, crucem oblongam castanei coloris, quem taneum vocant, effinget; quam quidem in traversali spinea corona viridis amplectetur, tribus apicibus cacuminis nimirum et brachii utriusque singula lilia Gallici stemmatis flava, in imâ vero stirpe tres clavos ceruleos in acuminibus deorsum coalitos, et ab utrâque parte crucis iuxta arrectarium priores nominis S. Ludovici litteras hieroglyficas appingent. Moniales vero similiter duas tunicas decenter longas et talares vestient cum aliâ tunicellâ et cordâ crineâ desuper, necnon mantellum ex materiâ et colore praedictis, velumque album tempore novitiatus, et post emissam professionem nigrum desuper gerent. Denique hospitalarii huiusmodi habitum semel susceptum post emissam professionem, nisi arctioris instituti aut religionis professione, servatâ tamen quoad hoc sacrorum canonum et sacri Concilii Tridentini formâ, dimittere non poterunt; nullique religiosorum eorumdem fas erit, sine sui superioris licentiâ, de loco regulari sive hospitali, in quo eos pro tempore transmitti seu commorari contigerit, discedere, aut discendentem recipere absque litterarum societatis cautione; et haec omnia et singula (praeter tria vota ceteris ordinibus essentialia et quartum suprascriptum) in huiusmodi regulâ contenta erunt consilia ad facilius salvandas animas viatorum, et nulla obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, nisi humano vel divino iure aliquis aliâs fuerit obligatus.

Praedicta confirmari, facultatemque sibi nova hospitalia erigendi concedi petunt.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, instituti huiusmodi ratio nihil, quod pium non sit et salutare, amplectatur, sitque, quippe quod ad omnium fidelium[1] perutile et necessarium dignoscatur, omnibus illius notitiam habentibus ita gratum et acceptum, ut diversi utriusque sexus christifideles summo affectu in illud profitentium congregationem recipi et admitti exoptent, ob idque cupiant exponentes praedicti, ex domibus et aliis bonis stabilibus in oppido Locovariensi ad effectum praemissorum, ut praefertur, donatis seu acquisitis, duo monasteria sub instituto praedicto militantia, unum videlicet hominum, et alterum mulierum, ut praefertur, totidemque hospitalia erigi, sive illa erigendi sibi a nobis et Sede Apostolicâ licentiam concedi;

Ac perpetuum fratribus tertii Ordinis Francisci silentium super controversiis nonnullis imponi.

§ 5. Et (quia tempore pontificatus felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri, ei pro parte eorumdem exponentium exposito, quod ipsi etiam medio iuramento se velle profiteri sub regulâ tertii Ordinis eiusdem sancti Francisci de Poenitentiâ intendebant, et mulieres praedictae ac aliquae earum sociae a superioribus dicti tertii Ordinis habitum per moniales dicti tertii Ordinis gestari solitum susceperant; subinde vero ortis controversiis inter superiores et fratres dicti tertii Ordinis ex unâ, et exponentes praedictos ex alterâ partibus, professionem

[1] Aliquid deest, ex. g. *salutem* vel *bonum* (R.T.).

dicti tertii Ordinis, nec alterius cuiuscumque religionis, non emiserant super quo per dictum Paulum praedecessorem a voto et iuramento praedictis absolvi, et superioribus ac fratribus tertii Ordinis huiusmodi, etiam de consilio et voto congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis regularium praepositorum, silentium perpetuum imponi obtinuerunt) impositionem perpetui silentii huiusmodi per nos et Sedem Apostolicam approbari et confirmari; quare nobis humiliter supplicari fecerunt iidem exponentes, ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Praestat Gregorius.

§ 6. Nos, qui pia, et in subventionem proximi tendentia instituta, ut suum debitum sortiantur effectum, quantum cum Domino possumus, adiuvamus, exponentes praedictos, eorumque sanctum propositum huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon eos et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de voto eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis regularium praepositorum, per praesentes committimus et mandamus, quatenus praeinsertam formulam, seu institutum vivendi, necnon habitus et insignium huiusmodi delationem et gestationem auctoritate nostrâ perpetuo approbes et confirmes, eisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias, omnesque et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, suppleas: necnon unam Congregationem hospitalariorum et hospitalariarum sancti Ludovici regis Franciae et sanctae Elisabethae olim reginae Unghariae sub regulâ sancti Francisci per pro tempore existentes dictorum fratrum Minorum de Observantiâ ministrum generalem, et eiusdem Congregationis praesules, ac alios illius ministros, eidem ministro generali subditos, electos et pro tempore eligendos, regendam et gubernandam, ac uno, eodemque tempore in dicto oppido Locovariensi dicta duo monasteria unà cum hospitali pro quolibet, ac ecclesiis, campanilibus, campanis, claustris, dormitoriis, refectoriis, coemeteriis, areis, hortis, hortalitiis, cellis, aliisque officinis necessariis et opportunis (dummodo tamen ita constructa et edificata fuerint, ut viâ publicâ, vel atrio saltem intermedio pro spatio, arbitrio tuo et Ordinariorum locorum pro tempore existentium statuendo, necnon muris altis et inaccessibilibus ab invicem separentur, et distincta sint, et in muris huiusmodi nullae omnino adsint ianuae, neque fenestrae, nec collocutoria, aut alia foramina, minusque ab uno ad alterum pateat aditus vel prospectus in monasteria et hospitalia dictae Congregationis, quorum unum ad virorum, et alterum ad mulierum, ad numerum certum iuxta formam et praescriptum sacri Concilii Tridentini, et cum dote pro qualibet moniali, et arbitrio tuo quoad quantitatem et formam, in illis respective recipiendorum et recipiendarum usum inservire debeat) sine alicuius praeiudicio dictà nostrâ auctoritate etiam perpetuo erigas et instituas; illisque et eorum cuilibet ex nunc, prout postquam sic erecta et instituta fuerint, pro eorum dote, ac illorum religiosorum et monialium in ipsis monasteriis per te, pro hac primâ vice, ac eorum superiores postea pro tempore introducendorum et introducendarum sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, tam

Idque efficiendi Ebroicensi episcopo concedit facultatem.

Cum aliis facultatibus hic expressis.

redditus et proventus per dictos exponentes, ut praefertur, donatos et assignatos (dummodo tamen pro quolibet eorumdem monasteriorum saltem quadringenta scuta monetae illarum partium annuatim proveniant) quam[1] omnia et singula alia, proprietates, bona, census, redditus, iura, obventiones, et emolumenta quaecumque dictis duobus monasteriis, ut praefertur, erigendis per quoscumque christifideles, et dictae Congregationis hospitalarios seu hospitalarias, aut alicuius eorum intuitu, per viam codicillorum, donationis etiam inter vivos, et causâ mortis, seu alterius cuiuscumque dispositionis, ac etiam in eleemosynam, vel aliàs pro tempore quomodocumque, et qualitercumque relinquenda et eroganda, ex tunc, prout postquam donati et assignati ac relicta fuerint (ita tamen quod liceat eorumdem monasteriorum praeposito, seu ministro, superiori, et abbatissae, seu priorissae, necnon eorumdem conventibus pro tempore existentibus, corporalem, realem et actualem illorum omnium ac iurium et pertinentiarum suorum quorumcumque possessionem per se, vel alium, seu alios, eorum vel earum, ac monasteriorum, ut praefertur, erigendorum nominibus, propriâ auctoritate apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus et proventus, iura, obventiones, et emolumenta ex his provenientia quaecumque, necnon oblationes et eleemosynas eisdem monasteriis, illorumque superioribus pro tempore elargitas et elargiendas percipere, exigere, levare, recipere, recuperare, arrendare, locare, regere et administrare, ac in eorum et earum, necnon ipsorum monasteriorum et hospitalium huiusmodi communes usus et necessitates ac utilitatem convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ) similiter perpetuo, eâdem auctoritate, applices et appropries; dictisque monasteriis unâ cum eorum hospitalibus et pertinentiis, sic, ut praefertur, constructis, aedificatis, distinctis, dotatis, erectis et institutis, Petrum et Andream, necnon Renatum, et Philippum, ac Maturinum, et Ioannem, necnon Marinum, prout et Catherinam, ac Franciscam, necnon Claudiam, ac Ioannam le Bis, et Mariam le Caron, ac Ioannam de Sausay, necnon Carolottam, ac Mariam Bouvier, exponentes praefatos, et si quos alios vel alias tempore primaevae huiusce erectionis sese obtulerint, ad habitum, ut supra, specificatum portandum pro hac primâ vice dumtaxat admittas, illosque et illas in Domino induas, ac sic vestitos et vestitas in monasteria, sic, ut praefertur, erecta et instituta, viros quidem in unum ad hospitaliorum, moniales vero in alterum ad hospitaliarum usum respective constructa, introducas, et pro hospitalitate exercendâ ancillas et famulas honestae vitae et famae, quae dictarum monialium superiori subsint, et nullatenus earum clausuram ingrediantur, eisdem monialibus concedas; et anno probationis elapso, illos et illas ac illorum et illarum quamlibet et quemlibet ad professionem iuxta formulam et vivendi modum supra praescriptos emittendam pro primâ vice dumtaxat similiter admittas, illumque et illam, quem et quam magis idoneos repereris, in eorumdem monasteriorum superiores constituas, omnesque et singulos exponentes praedictos, ac alios quos per te ad habitum et professionem huiusmodi admitti contigerit, ut institutum praedictum iuxta eorum professionem servent, divinisque laudibus et officiis in choro insistant, necnon sub perpetuâ obedientiâ nostrâ, ac pro tempore existentium Romanorum Pontificum, necnon ministri generalis, et aliorum suorum superiorum, ex dictâ Congregatione, ut supra, eligendorum, directione et cor-

1 Pessime edit. Main. legit *quae* (R. T.).

rectione, necnon pro tempore existentis Ordinarii loci quoad curam infirmorum et hospitalitatis visitationem[1] vivant, ac hospitalitatem et curam peste laborantium, religiosi videlicet erga masculos, in virorum, moniales vero erga sui sexus peregrinas in mulierum hospitalibus, ut supra, distinctis et separatis, perpetuam tamen clausuram semper servando, exerceant, iniungas; ac pro monasteriorum et hospitalium huiusmodi prospero et felici regimine et administratione, dictaeque Congregationis ampliatione et propagatione, superioribus et religiosis illorum quaecumque statuta, ordinationes et capitula, etiam virorum et monialium receptionem, aetatem, qualitates, directiones, et alia necessaria, ac hospitalium illorum et monasteriorum praedictorum, bonorum, et reddituum administrationem concernentia, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, dictique Concilii Tridentini decretis, et praemissis huiusce instituti regulis aut formulis minime contraria, per nos tamen et Sedem Apostolicam, sive locorum Ordinarios pro tempore existentes de nostrâ et dictae Sedis auctoritate examinanda et approbanda, ac per ipsos hospitalarios et hospitalarias firmiter et inviolabiliter observanda et adimplenda, faciendi, condendi, ac, quoties pro rerum et temporum qualitate vel aliàs ipsis expediens videbitur, immutandi, corrigendi, emendandi, ac in melius reformandi, aliaque ex integro, praeviis examine et approbatione praedictis, condendi, necnon quaecumque loca seu domus ad abitandum donata seu acquisita vel ab illis quomodolibet habita in ecclesias et domos regulares seu conventus et monasteria seu hospitalia et oratoria Ordinis et Congregationis huiusmodi (dummodo tamen pro quorumcumque monasteriorum praedictorum dote ac religiosorum seu monialium in illa introducendorum et introducendarum manutentione, eorumque onerum supportatione, quadringenta scuta, ut supra, annuatim assignentur), absque novâ dictae Sedis desuper obtinendâ facultate et approbatione, erigendi[1], seu erigi procurandi (dummodo in novorum monasteriorum et hospitalium virorum huiusmodi erectionibus Ordinariorum locorum accedat assensus, duodecim saltem religiosorum numerus in quolibet illorum manuteneatur, serveturque in reliquis forma decreti felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri iam pridem et cardinalium praedictorum auctoritate super novorum conventuum erectione novissime editi; in monialium vero monasteriis, ut praefertur, erigendis certus monialium numerus, qui ex eorumdem redditibus commode valeat sustentari, Ordinariorum locorum, in quibus pro tempore erigentur, arbitrio praefigatur; puellae monasteria huiusmodi ingressurae qualitatibus necessariis sint praeditae, ac unaquaeque earum certam dotalem eleemosynam, Ordinarii arbitrio similiter taxandam, monasterio realiter et cum effectu pendat; quae autem supra numerum huiusmodi, ut supra, praefigendum ingredi voluerint, duplicatam dotem persolvant, solitamque licentiam a Sede Apostolicâ impetrare teneantur), ac quoscumque seculares clericos seu laicos quavis dignitate fungentes, qui Deo inspirante, se ad huiusmodi vitae institutum conformare intenderint, recipiendi, et ad professionem admittendi, et si quid pro hospitalitatis oneribus supportandis defuerit, eleemosynas pro peregrinorum sustentatione quaeritandi, et insuper, habitâ ratione quod institutum huiusmodi charitatem urget, eisdem pro tempore existentibus praelatis seu superioribus huiusmodi Congregatio-

1 Forsan legendum *visitatione* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *erigendis* (R. T.).

nis, per se, vel alium, seu alios ad id per eos deputandum vel deputandos, omnes et singulos eiusdem Congregationis religiosos et moniales, personasque sub eodem instituto, regulâ, disciplinâ et religione pro tempore degentes, ab omnibus et singulis eorum peccatis ante vel post ingressum in dictam religionem per eos commissis in foro conscientiae tantum absolvendi, ac generaliter superioribus et religiosis eiusdem Congregationis omnibus quibuscumque privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, favoribus, praerogativis, concessionibus, et gratiis quorumvis etiam Cisterciensis, Cluniacensis, ac sancti Benedicti monachis, necnon clericis regularibus, ac presbyteris, et collegialibus Societatis Iesu, ac canonicis Congregationis Lateranensis, nec non quibuscumque aliis clericis regularibus, et aliorum tam Mendicantium, quam non Mendicantium Ordinum et congregationum fratribus et personis, tam spiritualibus quam temporalibus, in specie vel in genere, etiam communicative, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac Sedem praedictam quomodolibet concessis (dummodo tamen sint in usu, nec sub ullis revocationibus comprehensa sint, neque sacris canonibus, constitutionibus apostolicis, aut Concilii Tridentini decretis, vel ipsius Congregationis regularibus institutis adversentur), et quibus illi tam in vitâ, quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, aut aliàs quomodolibet uti, potiri, frui et gaudere possunt, aut poterunt quomodolibet in futurum, perpetuis futuris temporibus utendi, fruendi, potiendi et gaudendi, ac de illis omnibus participandi pariformiter, non ad instar tantum, sed aeque principaliter, absque ullâ prorsus differentiâ, perinde ac si pro religiosis et monialibus hospitalariis huiusmodi, et eorum congregationi, domibus, ecclesiis, oratoriis nominatim, specialiter ac generaliter aut expresse concessa fuissent; ac demum, ut omnium animarum profectui et saluti iuxta pia eorum desideria providere possint et valeant, in suis ecclesiis constructis et construendis, dummodo prius ab Ordinariis locorum fuerint approbati, mercatorum peregrinorum, ac transeuntium, et aliarum quarumcumque personarum confessiones audiendi, illisque sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quoties opus fuerit, non tamen in festo Paschatis Resurrectionis Dominicae, et de licentiâ pro tempore existentis Ordinarii loci, nec alio modo, ministrandi, ac ministrari faciendi, licentiam et facultatem, dictâ auctoritate nostrâ etiam perpetuo concedas et elargiaris. Nec non tibi, ac pro tempore existentibus Ordinariis locorum, ubi monasteria dictae Congregationis erigi et institui contigerit, pro monialium in illis pro tempore recipiendarum felici directione, ac in vitâ, moribus et regularibus institutis instructione, duas vel plures moniales, quae ad id voluntarie[1] repertae fuerint, earum superiorum consensu requisito, ex suis monasteriis dicti Ordinis sancti Francisci hac primâ vice deducendi, et in monasterium monialium hospitaliarum huiusmodi erigendum (ita ut illae eodem se transferre, ac prorsus, vel ad tempus tibi seu ipsis Ordinariis pro tempore existentibus benevisum permanere possint et debeant) transferendi (ac dummodo moniales sic transferendae a consanguineis gravibus et honestis matronis associentur, ab uno monasterio ad aliud et modeste et quantum occultius fieri poterit rhedâ clausâ, vel saltem earumdem monialium oris parte velatâ, nec non rectâ tendatur, nec alio divertatur, et nullibi pernoctetur, nisi causâ hospitii, idque non nisi apud honestas personas), plenam, liberam et omnimodam facultatem et pote-

1 Videretur legendum *voluntariae* (R. T.).

statem, auctoritate et tenore praemissis, concedimus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes praesentes nostras litteras sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, derogationibus, dispositionibus, aliisque contrariis, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices, sub quibuscumque verborum expressionibus, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium pro tempore factis et faciendis, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, per religiosos et moniales praedictos pro tempore existentes quandocumque eligendâ, concessa esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ipsosque religiosos et moniales desuper a quoquam quovis quaesito colore vel ingenio molestari nullatenus posse, nec non quoscumque quomodolibet clausuram dictarum monialium violare praesumentes, excommunicationis poenam eo ipso incurrisse, sicque per quoscumque iudices et commissarios ordinarios vel delegatos, etiam quavis auctoritate fungentes, nec non palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos (sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio in praesentibus facienda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 8. Volumus autem, et apostolicâ auctoritate decernimus, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die VI decembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 decembris 1621, pontif. an. I.

XLV.

Deputatio unius notarii ad conservandum processus in partibus formatos super qualitatibus promovendorum a summo Pontifice et ad Romanam Curiam transmissos, cum emolumentorum assignatione[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium et enarratio erectionis officii notariatus de quo in rubrica.

Pridem, cum in formandis et instruendis processibus, qui super qualitatibus promovendorum per Romanum Pontificibus pro tempore existentem ad ecclesiarum cathedralium, pastorum solatio destitutarum, ac monasteriorum consistorialium pro tempore vacantium regimina, ac ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi statu, hîc in curiâ coram S. R. E. cardinalibus formari et institui consueverunt, nullus certus eatenus deputatus seu desti-

1 Vide supra pag. 656 huius tomi (R. T.).

natus fuisset notarius, sed ad hoc munus notarii plerumque parum experti adhiberentur, nos, huic incommodo opportunâ ratione providere volentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et merâ deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine unum perpetuum notariatus officium ad instar aliorum Romanae curiae officiorum vacabile, cuius concessio et omnimoda alia dispositio, quoties illud per obitum, resignationem, privationem aut aliàs quovis modo vacare contingeret, ad nos et Romanos Pontifices pro tempore existentes spectare, pro uno notario, qui, privative quoad alios quoscumque, in formandis instruendisque processibus, quos super qualitatibus promovendorum ad ecclesiarum cathedralium et monasteriorum consistorialium regimina, ac ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi statu, hîc in curiâ, coram S. R. E. cardinalibus, aut eorum auditoribus, formari et institui deinceps perpetuis futuris temporibus contingeret, ipsis cardinalibus seu eorum auditoribus assistere et testium dicta et depositiones in scriptis per se vel substitutum idoneum redigere teneretur ac deberet, apostolicâ auctoritate ereximus ac instituimus;

Et dotis assignatio.

§ 1. Illique sic erecto et instituto, pro eius congruâ dote, omnia et singula emolumenta, regalia et iura per alios notarios, qui antea in formandis huiusmodi processus eisdem cardinalibus, seu eorum auditoribus, ut praefertur, adstiterunt, ac dicta et depositiones testium in scriptis redegerunt, percipi solita et consueta, eisque propterea debita, perpetuo applicavimus et appropriavimus.

Privilegiorumque concessio.

§ 2. Et insuper officium notariatus huiusmodi pro tempore obtinenti, ut in quibuscumque sessionibus, processionibus, nec non equitationibus etiam solemnibus Romani Pontificis, et aliis quibuscumque, unâ cum ceteris Romanae curiae notariis, cuiuscumque gradus et conditionis existentibus, interesse, ac omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, antelationibus, aliisque praerogativis et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus camerae nostrae apostolicae notarii de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliàs, etiam quoad exemptionem vectigalium, gabellarum et pedagiorum, quomodolibet utebantur, fruebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, frui, potiri et gaudere poterant quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter, non solum ad eorum instar, sed aequaliter et principaliter, ac sine ullâ prorsus differentiâ, uti, frui et gaudere libere et licite posset et valeret, perinde ac si illa sibi per praesentes concessa fuissent, specialiter concessimus et indulsimus.

Concessio dicti officii Odoardo Tibaldesco.

§ 3. Et insuper, cupientes offcium praedictum, sic per nos erectum, personae idoneae cum primum concedere, de fide et industriâ, solertiâ et diligentiâ, et non vulgari in arte notariatus huiusmodi peritiâ dilecti filii Odoardi Tibaldeschi, clerici Spoletanae dioecesis, fide dignis testimoniis certiorati, motu simili et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, officium praedictum a primaevâ illius erectione huiusmodi vacans, cum omnibus et singulis illius honoribus, oneribus, salariis et emolumentis universis, ordinariis et extraordinariis, undecumque ex illius exercitio provenientibus, et illi propterea debitis, praedicto Odoardo, qui ob urgentes, quibus premebamur necessitates, in nostram et Sedis Apostolicae subventionem summam scutorum mille persolverat, simili auctoritate concessimus et assignavimus, ipsumque ad officium huiusmodi, illiusque liberum exercitium, honores et onera, per eos ad quos spectabat et pertinebat, spectareque et pertinere poterat, recipiendum et admittendum fore et esse,

eique de eiusdem officii regaliis, iuribus et emolumentis solitis et consuetis integre responderi debere decrevimus, prout in nostris in formâ Brevis sub datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iulii MDCXXI, pontificatus nostri anno I, confectis litteris plenius continetur[1].

Modo eidem officio annectit curam conservandi processus in partibus de quibus in rubrica.

§ 4. Cumque a tempore erectionis et institutionis officii huiusmodi experientia docuerit, nobisque constet, ex illius exercitio non solum meliori processuum huiusmodi instructioni, sed etiam illorum conservationi, cuius, in tantâ notariorum varietate, nulla antea ratio habebatur, consultum esse, nobis vero, et quidem non sine animi nostri displicentiâ, innotuerit, processuum[2], qui extra dictam curiam in Germania, Gallia, Hispania, aliisque christiani orbis provinciis et regionibus super qualitatibus promovendorum ad illarum partium ecclesiarum cathedralium et monasteriorum consistorialium regimina, ipsarumque ecclesiarum et monasteriorum statu, in partibus ipsis formantur, et ad eamdem curiam pro litterarum apostolicarum expeditione transmittuntur, expeditione factâ, nullam prorsus rationem haberi, sed illos, uti nullius usus aut considerationis cartulas, vilipendi, distrahi et deperdi solere: nos, considerantes maxime expedire dictorum processuum conservationi providere, ut successivis temporibus semper de illis, eorumque continentiâ apparere, et ad illos iuxta casuum occurentiam recursus et relatio haberi possit; id autem nullâ convenientiori ratione fieri posse videatur, quam si haec cura praedictum officium obtinenti demandetur, hocque processuum conservandorum onus et munus eidem officio annectatur, ut penes unum et eumdem omnes omnium partium huiusmodi processus, quandocumque opus fuerit, reperiri possint; motu simili, non ad ipsius Odoardi aut alterius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, volumus, et similiter apostolicâ auctoritate statuimus, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, omnes et singuli processus (quos extra dictam curiam, tam in Germania, Gallia, Hispania, ceterisque christiani orbis regnis, provinciis et regionibus super qualitatibus promovendorum ad quarumcumque cathedralium ecclesiarum, nunc et pro tempore pastoris solatio destitutarum, et monasteriorum consistorialium, ubivis consistentium, et quovis modo vacantium et vacaturorum regimina, ac ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi statu, formari, et ad dictam curiam transmitti contigerit), postquam ab eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus ipsarum nationum protectoribus, comprotectoribus, seu viceprotectoribus, seu qui ecclesias et monasteria huiusmodi in nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis consistorio, ut moris est et fuerit, proposuerint, et ab Ordinum capitibus visi, recogniti, approbati et subscripti fuerint, ab ipsis cardinalibus, seu eorum[1] auditoribus, et iis ad quos spectaverit, ante cedulae constitorialis subscriptionem, seu saltem illius partibus consignationem, praedicto Odoardo, quamdiu praedictum officium obtinuerit, eiusque in illo successoribus, ad effectum illos conservandi, tradi et consignari, ipsi vero Odoardus et successores illos sic ipsis consignatos, tamquam praedicti officii processus et scripturas, bene et fideliter conservare, et illorum durabilitati, et, quoad fieri potest et humana patitur conditio, perpetuitati providere, bonamque, fidelem et diligentem illorum curam gerere, et (ad effectum illorum, dum opus fuerit, faci-

1 Quas vide loc. cit. in nota ad rubr. (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *processus* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *coram* (R. T.).

lioris perquisitionis et requisitionis) notam, seu, ut vocant, rubricellam, in libro ad hunc particularem effectum retinendo, facere debeant, et ad id obbligati existant: et hoc conservationis processuum onus, curam et munus praedicto officio notariatus, per nos, ut praefertur, erecto, imponimus et annectimus.

Mercedem duorum ducatorum pro singulis processibus eiusmodi per promovendos eidem Odoardo praestari decernit.

§ 5. Et quia sua labori merces debetur, eidem Odoardo, eiusque in dicto officio successoribus, ratione laboris eis ex dicto conservationis processuum onere accrescentis, et pro illius salario et mercede, iuribus et regalibus officii praedicti, duos ducatos auri de camerâ, pro singulo processu ad dictam curiam pro expeditione transmittendo eis in conservationem tradendo et consignando, ipsis a quolibet ex promovendis ad ecclesias et monasteria huiusmodi, seu sollicitatoribus in dictâ curiâ tales expeditiones prosequentibus, realiter et cum effectu et absque morâ seu dilatione aliquâ solvendos assignamus; ipsisque, ut mercedem, seu salarium, ac iura vel regalia duorum ducatorum pro quolibet processu huiusmodi ab ipsis promovendis, seu eorum agentibus, vel eorum nomine expeditiones in praedictâ curiâ prosequentibus, qui ad illorum solutionem omnibus iuris et facti remediis opportunis cogi et compelli possint, petere, exigere et consequi valeant atque etiam debeant, licentiam, facultatem et auctoritatem concedimus.

Togam violaceam ab ipso deferri indulget.

§ 6. Ceterum, pro maiori dicti officii praedicti decore, et ut illud obtinentes peculiari aliquâ praerogativâ gaudeant, eidem Odoardo, eiusque successoribus, ut quamdiu officium praedictum obtinuerint, vestem seu togam violaceam deferre, ac violaceo colore induti quandocumque, et in quibuscumque tam publicis quam privatis actibus, incedere possint, simili auctoritate indulgemus.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 7. Praesentes vero, etiam ex eo, quod interesse forsan habentes seu habere praetendentes ad hoc vocati non fuerint, seu quibusvis ex causis, subreptionis, vel obreptionis vitio notari, impugnari aut invalidari, seu ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, vel sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus aut aliis contrariis dispositionibus, editis et edendis, comprehendi non posse, sed semper uti ex titulo oneroso concessas ab illis excipi, et quoties illas revocari seu annullari, aut alias contrarias dispositiones emanare contigerit, toties in pristinum et validissimum statum repositas, restitutas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, per Odoardum et successores praedictos quandocumque eligendâ, concessas esse et fore;

Decretum irritans adiungit.

§ 8. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, et causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, pari apostolicâ auctoritate decernimus.

Contrariis derogat.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non consuetudinibus, usibus etiam et naturis, ac omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, quae etiam hîc praesentibus pro repetitis ac de verbo ad verbum insertis habemus et haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 7 decembris 1621, pontif. an. I.

XLVI.

Confirmatio et innovatio constitutionum Gregorii XIII et Gregorii XIV super prohibitione delationis habitus fratrum Cappuccinorum, vel consimilis habitus, per alios regulares; nec non commissio Ordinariis locorum regnorum Hispaniae, Franciae, aliorumque regnorum et provinciarum Italiae, ne aliis quibusvis religiosis cuiuscumque Ordinis, societatis et instituti regolaribus, sub quovis praetextu, imposterum nomen vel habitum ipsorum fratrum Cappuccinorum sibi vindicare vel usurpare permittant, sed ipsas editas constitutiones per ecclesiasticas censuras et poenas observari faciant[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

Ex iniuncto nobis apostolicae servitutis officio, ad ea, per quae christifidelium quorumlibet, praesertim sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium, quieti et paci opportune consulitur, libenter intendimus, ac in his officii nostri[2] partes interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Litterae Gregorii XIII de quibus fit mentio in rubrica.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Gregorio XIII et Gregorio XIV Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet[3]:

Gregorius Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Regularium personarum, praesertim exemplarem vitam in humilitatis et paupertatis spiritu ducentium, quieti ac indemnitati pro commisso nobis pastoralis officii debito consulere cupientes, ad ea removenda, quae ipsis praeiudicium adferre et scandali materiam praestare dignoscuntur, curam nostram libenter intendimus. Accepimus siquidem, quod licet aliàs felicis recordationis Paulus Papa III praedecessor noster per suas litteras inter alia districtius inhibuerit quibusvis personis, cuiuscumque conditionis existerent, sub excommunicationis latae sententiae poenâ eo ipso incurrendâ, ne habitum per fratres Ordinis Minorum Cappuccinorum nuncupatorum gestari solitum, nisi sub pro tempore existentis vicarii generalis eiusdem Ordinis obedientiâ et curâ permanerent, gestare quoquo modo praesumerent[1]; et piae memoriae Pius Papa IV, etiam praedecessor noster, litteras Pauli praedecessoris huiusmodi (ita quod nullus, cuiuscumque conditionis existeret, non solum habitum praefatum, iuxta litterarum Pauli praedecessoris huiusmodi tenorem, verum etiam nec ita consimilem, quod propter eum credi frater eorum Congregationis, nisi sub praefati vicarii generalis pro tempore existentis obedientiâ et curâ permaneret, sub simili poenâ excommunicationis latae sententiae quoquo modo gestare praesumeret) per alias suas litteras confirmaverit et approbaverit, ac etiam ad id extenderit[2]: nihilominus multi fratres Tertiarii nuncupati, Ordinis Minorum Conventualium sancti Francisci nuncupatorum, in regno Siciliae degentes, habitum eiusdem panni et coloris, quo ipsi fratres Cappuccini utuntur, gestare, et, salvo quod cappuccium rotundum, more fratrum Conventualium huiusmodi, deferunt, in reliquis ita consimiles eisdem fratribus Cappuccinis incedere praesumunt, ut pas-

1 Horum fratrum regulae approbationem cum habitus praefinitione vid. in Clem. VII Constit. XXIV *Religionis*, tom. VI, pag. 113.

2 Edit. Main. legit *nostris* (R. T.).

3 Seq. Constitutio sub pontif. Greg. XIII relata non fuerat (R. T.).

1 Idest in sua Const. XV, § 9, ut videre est in tom. VI, pag. 232 (R. T.).

2 Huiusmodi Pii IV litterae in *Bullario* non sunt (R. T.)

sim a populo pro Cappuccinis habeantur et reputentur, ac illis tamquam talibus eleemosynae et oblationes elargiantur, non sine eorumdem Cappuccinorum, qui eâ ratione eleemosynis huiusmodi, ab aliis suo nomine interceptis, frustrati remanent, praeiudicio et incommodo, sed etiam gravi dictae plebis offensione et scandalo, dum, quos disciplinae regulari ipsorum fratrum Cappuccinorum mancipatos credit, eis pecuniarum usum ac rerum commercium permitti intuetur. Quocirca nos, rationi consonum esse rati, ut, qui in observantiâ vitae regularis uniformes non sunt, iidem etiam habitus delatione distinguantur, in praemissis ad evitandas confusiones et contentiones, quae, nisi habitus utrinque distinguatur, oriri possent, providere volentes, ac singulas litteras praedecessorum huiusmodi et in eis contenta quaecumque pro expressis habentes, et harum serie approbantes et confirmantes, atque etiam innovantes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ statuimus et ordinamus, quod ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus huiusmodi fratres Tertiarii nuncupati dicti Ordinis fratrum Minorum Conventualium in regno Siciliae existentes, et sub obedientiâ et curâ dicti vicarii generali Cappuccinorum pro tempore existentis non permanentes, ad instar aliorum fratrum eiusdem Ordinis Minorum Conventualium ibidem degentium, non solum cappuccium rotundum, ut praefertur, sed etiam habitum eiusdem coloris, cuius est habitus dictorum fratrum Conventualium (videlicet Berrettini nuncupati) ut propterea a Cappuccinis fratribus facile discernantur, deferre debeant et teneantur; alioquin, si secus fecerint, post sex menses ab intimatione praesentium, poenas Constitutionum Pauli et Pii praedictorum incurrant eo ipso. Decernentes, praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vocati non fuerint, seu quocumque alio praetextu, notari, impugnari, invalidari, retractari, aut in ius vel controversiam revocari, seu adversus eas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari nullo umquam tempore posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Et nihilominus universis, et singulis dicti regni locorum Ordinariis, in quorum dioecesibus fratres Tertiarii Ordinis Minorum Conventualium huiusmodi pro tempore degent, per praesentes committimus et mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Cappuccinorum praedictorum, vel aliorum, quorum intererit, fuerint requisiti, solemniter publicantes, faciant auctoritate nostrâ litteras, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, sublato quocumque exemptionis privilegio, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per praedictas, aliasque sententias, censuras et poenas, aliaque iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, ipsas sententias, censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon

statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quae omnia adversus praemissa nullatenus suffragari volumus, contrariis quibuscumque; aut si fratribus Tertiariis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides ubique in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die IV octobris MDLXXXI, pontificatus nostri anno decimo.

Gregorius Papa XIV,
ad perpetuam rei memoriam.

Beati Francisci confessoris Sodalitas, etc. *(Omittitur residuum, quia legitur in Constitutione* XXVII, *tom.* IX, *pag.* 442*).*

Sed cum nonnulli habitu nomenque cappuccinorum deferrent;

§ 2. Cum itaque, sicut dilectus filius procurator generalis eorumdem fratrum Cappuccinorum, totius Ordinis huiusmodi nomine, nobis nuper exponi fecit, nonnulli in Hispaniarum, Galliae, et aliorum fortasse regnorum seu provinciarum, nec non in aliquibus Italiae partibus, nomen et habitum eorumdem fratrum Cappuccinorum sibi vendicent;

Gregorius prolatas Constitutiones praecipit observari.

§ 3. Nos praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare volentes, supplicationibus eiusdem procuratoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, locorum Ordinariis in eisdem regnis et provinciis existentibus per praesentes committimus et mandamus, ne nomen vel habitum praefatorum fratrum Cappuccinorum ab aliis quibusvis religiosis, seu cuiuscumque Ordinis, societatis vel instituti regularibus, sub quovis praetextu imposterum sibi vindicari aut usurpari [1] permittant, sed constitutiones apostolicas dictorum Gregorii XIII et Gregorii XIV praedecessorum huiusmodi per ecclesiasticas censuras et poenas observari faciant.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis fidem vult adhiberi.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides ubique in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX decembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 decembris 1621, pontif. anno I.

XLVII.

Ampliatio, et extensio facultatis fratribus Minoribus Ordinis sancti Francisci de Observantiâ Discalceatis, in regnis Hispaniarum commorantibus, nova loca erigendi, servatâ formâ sacrorum canonum, et concilii Tridentini, ceteris non obstantibus, ad fratres eiusdem Ordinis citra montes degentes [2].

1 Ed. Main. legit *vindicare* ... *usurpare* (R. T.)

2 Huiusmodi facultatis concessionem habes in Pauli V Const. L *Ad uberes* (in h. n. edit. LIII,

sim a populo pro Cappuccinis habeantur et reputentur, ac illis tamquam talibus eleemosynae et oblationes elargiantur, non sine eorumdem Cappuccinorum, qui eâ ratione eleemosynis huiusmodi, ab aliis suo nomine interceptis, frustrati remanent, praeiudicio et incommodo, sed etiam gravi dictae plebis offensione et scandalo, dum, quos disciplinae regulari ipsorum fratrum Cappuccinorum mancipatos credit, eis pecuniarum usum ac rerum commercium permitti intuetur. Quocirca nos, rationi consonum esse rati, ut, qui in observantiâ vitae regularis uniformes non sunt, iidem etiam habitus delatione distinguantur, in praemissis ad evitandas confusiones et contentiones, quae, nisi habitus utrinque distinguatur, oriri possent, providere volentes, ac singulas litteras praedecessorum huiusmodi et in eis contenta quaecumque pro expressis habentes, et harum serie approbantes et confirmantes, atque etiam innovantes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ statuimus et ordinamus, quod ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus huiusmodi fratres Tertiarii nuncupati dicti Ordinis fratrum Minorum Conventualium in regno Siciliae existentes, et sub obedientiâ et curâ dicti vicarii generali Cappuccinorum pro tempore existentis non permanentes, ad instar aliorum fratrum eiusdem Ordinis Minorum Conventualium ibidem degentium, non solum cappuccium rotundum, ut praefertur, sed etiam habitum eiusdem coloris, cuius est habitus dictorum fratrum Conventualium (videlicet Berrettini nuncupati) ut propterea a Cappuccinis fratribus facile discernantur, deferre debeant et teneantur; alioquin, si secus fecerint, post sex menses ab intimatione praesentium, poenas Constitutionum Pauli et Pii praedictorum incurrant eo ipso. Decernentes, praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vocati non fuerint, seu quocumque alio praetextu, notari, impugnari, invalidari, retractari, aut in ius vel controversiam revocari, seu adversus eas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari nullo umquam tempore posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Et nihilominus universis, et singulis dicti regni locorum Ordinariis, in quorum dioecesibus fratres Tertiarii Ordinis Minorum Conventualium huiusmodi pro tempore degent, per praesentes committimus et mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Cappuccinorum praedictorum, vel aliorum, quorum intererit, fuerint requisiti, solemniter publicantes, faciant auctoritate nostrâ litteras, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, sublato quocumque exemptionis privilegio, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per praedictas, aliasque sententias, censuras et poenas, aliaque iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, ipsas sententias, censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon

statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quae omnia adversus praemissa nullatenus suffragari volumus, contrariis quibuscumque; aut si fratribus Tertiariis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides ubique in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die IV octobris MDLXXXI, pontificatus nostri anno decimo.

Gregorius Papa XIV,
ad perpetuam rei memoriam.

Beati Francisci confessoris Sodalitas, etc. *(Omittitur residuum, quia legitur in Constitutione* XXVII, *tom.* IX, *pag. 442).*

Sed cum nonnulli habitum nomenque cappuccinorum deferrent;

§ 2. Cum itaque, sicut dilectus filius procurator generalis eorumdem fratrum Cappuccinorum, totius Ordinis huiusmodi nomine, nobis nuper exponi fecit, nonnulli in Hispaniarum, Galliae, et aliorum fortasse regnorum seu provinciarum, nec non in aliquibus Italiae partibus, nomen et habitum eorumdem fratrum Cappuccinorum sibi vendicent;

Gregorius prolatas Constitutiones praecipit observari.

§ 3. Nos praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare volentes, supplicationibus eiusdem procuratoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, locorum Ordinariis in eisdem regnis et provinciis existentibus per praesentes committimus et mandamus, ne nomen vel habitum praefatorum fratrum Cappuccinorum ab aliis quibusvis religiosis, seu cuiuscumque Ordinis, societatis vel instituti regularibus, sub quovis praetextu imposterum sibi vindicari aut usurpari[1] permittant, sed constitutiones apostolicas dictorum Gregorii XIII et Gregorii XIV praedecessorum huiusmodi per ecclesiasticas censuras et poenas observari faciant.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis fidem vult adhiberi.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides ubique in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX decembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 decembris 1621, pontif. anno I.

XLVII.

Ampliatio, et extensio facultatis fratribus Minoribus Ordinis sancti Francisci de Observantiâ Discalceatis, in regnis Hispaniarum commorantibus, nova loca erigendi, servatâ formâ sacrorum canonum, et concilii Tridentini, ceteris non obstantibus, ad fratres eiusdem Ordinis citra montes degentes[2].

1 Ed. Main. legit *vindicare ... usurpare* (R. T.)

2 Huiusmodi facultatis concessionem habes in Pauli V Const. L *Ad uberes* (in h. n. edit. LIII,

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Paulus V hisce fratribus licentiam concessit nova loca in Hispania recipiendi, servata forma Concilii Tridentini sess. XXIII, cap. I *De Regul.*

§ 1. Aliàs felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster per suas in simili formâ Brevis sub die v[1] septembris MDCVI expeditas litteras, motu proprio et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione suis, deque apostolicae potestatis plenitudine, Ordinis fratrum minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum, seu Recollectorum nuncupatorum, superioribus, ut ubique locorum domus et monasteria, servatâ formâ sacrorum canonum et concilii Tridentini, de solâ licentiâ Ordinariorum, nullo aliarum personarum cuiusvis Ordinis regularium requisito consensu, condere, fundare et erigere valerent, licentiam et facultatem concessit et indulsit, prout in dictis litteris, quorum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Eamque Gregorius extendit ad eosdem fratres c fra montes.

§ 2. Nunc vero nos, ad uberes et suaves fructus, quos dilecti filii fratres Ordinis praedicti strictioris Observantiâ[2] Reformati nuncupati citra montes commorantes in militanti Ecclesiâ, cuius regimini divinâ disponente clementiâ praesidemus, in dies afferunt, mentis nostrae aciem convertentes, ad ea, quae eorumdem fratrum citra montes commorantium domorum et locorum regularium augmento conducere possunt, libenter intendimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Itaque, ultimo dictos fratres Reformatos citra montes huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, litteras Pauli praedecessoris huiusmodi, cum omnibus in eis contentis clausulis, decretis, ac derogationibus, ad praedictos fratres Reformatos citra montes commorantes, ut praefertur, tenore praesentium extendimus, eorumdemque fratrum citra montes commorantium superioribus, ut ubique locorum citra montes domos et monasteria, servatâ formâ sacrorum canonum et concilii Tridentini, de solâ Ordinariorum licentiâ, nullo aliarum personarum cuiusvis Ordinis regularium requisito consensu, condere, fundare et erigere libere et licite valeant, auctoritate apostolicâ, earumdem tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae idem Paulus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Derogat contrariis.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 decembris 1621, pontif. anno I.

tom. XI, pag. 351): sed plenius cernas Constit. approbationis religionis dictorum fratrum per Clem. VII Const. XXIV *Religionis* tom. VI, p. 113.

1 Praedicta Pauli V constituti in loc. cit. legitur data IV septembris (R. T.).

2 Vel legendum *Observantiae* vel *de Observantiâ* (R. T.).

XLVIII.

Confirmatio constitutionum a Congregatione Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum pro felici eius regimine editarum.

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sacri apostolatus ministerio per abundantiam divinae gratiae, nullo licet me-

rito nostro, praepositi, ad ea, per quae christifidelium, praesertim sub suavi religionis iugo et in humilitatis spiritu Altissimo famulantium, felici, prosperaeque directioni consulitur, libenter intendimus, et his quae propterea facta esse dicuntur, ut ab omnibus quos illa concernunt inviolabiliter observentur, apostolici muniminis firmitatem adiicimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Clerici congregationis Scholarum Piarum suas edunt Constitutiones:

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii praepositus et clerici Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro felici et prospero eiusdem Congregationis statu atque regimine diversas constitutiones fecerint, illasque in unum volumen redegerint, tenoris subsequentis, videlicet: *(Omittitur tenor earum constitutionum, quia illae sunt impressae in libro particulari, qui asservatur in archivio huius Congregationis, et in quolibet illius monasterio habetur)*;

Demum capitulum generale supradictas constitutiones immutare aut infringere, nisi ex sex capituli partibus quinque concurrant, non posse, volumus atque statuimus ad omnipotentis Dei gloriam et proximorum utilitatem[1].

Quas confirmat Pontifex.

§ 2. Nos, inviolabili dictarum constitutionum observationi, quantum cum Domino possumus, consulere, dictosque praepositum et clericos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum consilio, constitutiones praedictas, omniaque et singula in eis contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti, et quosvis alios defectus, si qui in praemissis, aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, supplemus.

Ac praecipit observandi.

§ 3. Decernentes, modernos et pro tempore existentes dictae Congregationis praepositum et clericos, aliasque personas, ad plenariam earumdem constitutionum observationem, prout illae eos concernunt, teneri et obligatos existere et fore, et ad id etiam sub censuris ecclesiasticis et aliis in constitutionibus praedictis contentis poenis cogi et compelli posse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXXI ianuarii MDCXXII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 31 ianuarii 1621, pontif. an. I.

[1] Nisi huius pericopes verba pertineant ad ipsum librum Constitutionum viderentur potius transferenda ad finem § 2 vel 3 (R. T.).

XLIX.

Ludovicus Francorum rex admonetur, ut damnis occurrat, quae catholica doctrina patitur ex libris, qui in Galliarum regno vulgantur [1].

Charissimo in Christo filio nostro Ludovico, Francorum regi christianissimo, Gregorius Papa XV.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Nuncium de negocio fidei acturum commendat.

§ 1. Reddet maiestati tuae has litteras venerandus frater Octavius archiepiscopus Tarsensis, nuncius noster, ac simul nostro nomine de negocio tecum aget, quod nobis magnae, ut oportet, curae est, nec maiestati tuae minoris erit, ut nos certo sperare iubet singularis, ac toto orbe illustris honoris Dei ac fidei catholicae zelus tuus.

Libros contra puritatem catholicae fidei in Galliis publici iuris factos esse dolet.

§ 2. Agitur enim de sincerae fidei catholicae doctrinae in isto florentissimo regno tuo defensione adversus diabolicas insidias nonnullorum, qui scriptis eam inquinare et evertere conantur, nihil facientes, quod ministrorum tuorum nomen gerunt, quinimo sub tali nomine libros pestilentes in publicum edere praesumunt. Id quod non dubitamus fore, quin maiestatis tuae piissimum animum graviter offendat, ac huiusmodi gravibus et periculosis malis providentiâ et auctoritate suâ occurrat.

Ludovicus regem hortatur, hisce malis occurrat.

§ 3. Quod ut praestet, non quod opus esse arbitremur, sed pro nostri officii debito, maiestatem tuam in Domino hortamur et rogamus. Obsequium certe Deo gratissimum reddet, ac nobis gratius facere nihil poterit. Cetera a nuncio cognoscet, cui eamdem fidem habere maiestatem tuam cupimus, quam nobis haberet.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV februarii MDCXXII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 februarii 1621, pontif. anno I.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

L.

Confirmatio unionis Congregationis fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini, in regno Siciliae antea erectae, Congregationi Italiae eiusdem Ordinis.

Gregorius Papa XV, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pastoralis officii nobis (meritis licet imparibus) desuper commissi cura postulat, ut ad ea, per quae fidelium quorumlibet, praesertim religiosorum, eorum maxime, quos una religio et unum professionis vinculum invicem copulavit, quieti consulitur, ad hoc, ut nulla eos dissensio dissecet, nullave immutatio perturbet, sed ipsi mutuâ charitate coniuncti ceteris exemplo proficiant, libenter intendamus; ac ea, quae propterea provide decreta fuisse comperimus, ut firma perpetuo et illibata persistant, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboremus.

Huic Ordini in Sicilia instituto Paulus Papa V concessit ecclesiam sanctae Mariae de Catena Panormitanam.

§ 1. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum religiosorum Congregationis fratrum Discalceatorum Italiae nuncupatorum, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, petitio continebat, quod cum[1] aliàs nonnulli religiosi Ordinis fratrum Eremitarum eiusdem sancti Augustini reformationem et observationem regularem, ad regulae ipsius sancti Augustini necnon decretorum felicis recordationis Clementis papae VIII praedecessoris nostri super reformatione dicti Ordinis editorum praescriptum, in regno Siciliae introducere intenderent, reco-

1 Particulae *quod cum* aptius delerentur (R.T.).

lendae memoriae Paulus Papa V, etiam praedecessor noster, ipsis et aliis regularibus huiusmodi, sub reformatione et observantiâ praedictis vitam acturis, ecclesiam sanctae Mariae de Catena nuncupatae Panormitanam, quae per beneficiatos ad nominationem communitatis et hominum civitatis Panormitanam quolibet anno mutari solitos regi consueverat, cum illius aedibus rectoralibus, ac iuribus et pertinentiis suis universis, ad effectum aedes praedictas ad formam domus regularis Observantium Eremitarum eiusdem sancti Augustini Reformatorum nuncupandorum reducendi, accedente tamen consensu Ordinarii, et quorumcumque interesse habentium, perpetuo concessit; ipsisque religiosis, ut iuxta instituta regularia Ordinis huiusmodi novitios absque licentiâ Ordinariorum ad habitus susceptionem et professionis emissionem, servatis in reliquis decretis dicti Clementis praedecessoris desuper editis, admittere, et in quibusvis regnis ac provinciis ecclesias et aedes quascumque eis oblatas, de licentiâ Ordinariorum locorum, pro fabricandis novis domibus regularibus Reformatorum, iuxta constitutionis et decretorum huiusmodi formam, et non aliàs, non autem domos iam fundatas seu institutas alterius provinciae vel congregationis, quamvis eiusdem Ordinis existerent, absque expressâ prioris generalis dicti Ordinis licentiâ, acceptare possent et valerent, dictâ auctoritate permisit, et etiam concessit; cum declaratione tamen, quod religiosi huiusmodi sub obedientiâ et correctione prioris generalis praedicti Ordinis in perpetuo remanerent, et calceati incederent, prout in litteris apostolicis desuper sub die XXIII mensis maii anni MDCVIII confectis plenius continetur [1].

Erectâ deinde in eodem regno Congregatione regulari,

§ 2. Successive, cum, in vim dictarum litterarum, sancti Nicolai Tolentinatis et sancti Gregorii ac aliquae aliae domus regulares ordinis Reformatorum sancti Augustini huiusmodi in praedicto regno erectae fuissent, illarumque religiosi unam congregationem sub invocatione sanctae Mariae de Succursu nuncupatae regni Siciliae facientes, sub obedientiâ tamen eiusdem prioris generalis, Deo famulari cepissent;

Petitoque, ut Congregationi Italiae uniretur;

§ 3. Et deinde quamplures et fere omnes religiosi Congregationis et regni Siciliae huiusmodi, ut perfectius Deo inserviant, procuratores ad effectum praefatam eorum Congregationem dictae Congregationi fratrum Discalceatorum Italiae nuncupatorum uniri petendi [1] deputassent;

Id effectum fuit a cardinale Saulio ex auctoritate Pauli Papae V.

§ 4. Ac venerabilis frater noster Antonius episcopus Ostiensis cardinalis Saulius nuncupatus, totius Ordinis S. Augustini Eremitarum apud Sedem Apostolicam protector, vivae vocis oraculo a praedicto Paulo praedecessore habito, Congregationem regni Siciliae de consensu dictorum procuratorum Congregationi Italiae huiusmodi univisset et incorporavisset [2], vicariumque generalem Discalceatorum Italiae huiusmodi ad supradictum effectum ad regnum Siciliae misisset, illumque fratres Siculi cum honore et obedientiâ tamquam suum superiorem recepissent, et quamplures eorum in capitulis generalibus dictae Congregationis Italiae suffragia tulissent, ac in priores, definitores, visitatores generales et alios officiales, tam intra quam extra provinciam Siciliae, electi fuissent, ac etiam habitum, possessiones, constitutiones, caeremonias, visitationes, correctiones et omnia alia, tamquam vere incorporati et uniti dictae Congregationi Italiae, circa octo annos recepissent et observavissent;

Nonnulli tamen fratres Siculi huic unioni sese opposuere

§ 5. Tandem nonnulli memoratae Congregationis Siciliae religiosi (procuratores

1 Quas litteras nos retulimus suo loco in tom. XI, pag. 487 et seq. (R. T.).

1 Edit. Main. legit *petendum* (R. T.).

2 Decretum vide in tom. XI, pag. 489 et seq. (R. T.)

fines eorum mandati excessisse, maioremque partem religiosorum Congregationis Siciliae deputationi et constitutioni praefatorum procuratorum non intervenisse, nonnullaque alia necessaria ad id adhibita non fuisse, praetendentes, unionemque praefatam nullam esse asserentes) se[1] ei opposuerunt.

Causa igitur acta est in sacra congregatione episcoporum et regularium.

§ 6. Quare, negotio huiusmodi ab eodem Paulo praedecessore ad congregationem venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negociis episcoporum et regularium praepositorum remisso, in eâque diu matureque discusso, partibus ipsis, videlicet dilectis filiis fratribus praefatarum Congregationum Italiae et Siciliae, ac etiam dilecto filio priore generali totius Ordinis sancti Augustini, eorumque procuratoribus et advocatis, semel et pluries[2] auditis, bonae memoriae Ioanne tituli sancti Clementis presbytero cardinale Bonsio nuncupato referente,

Quae unionem confirmavit.

§ 7. Eadem sacra congregatio unionem Congregationis Siciliae Congregationi religiosorum sancti Augustini Discalceatorum Italiae, ut praefertur factam, validam esse censuit, eamque confirmavit; atque declaravit supradictas litteras fundationis et erectionis Congregationis Siciliae eiusdem Pauli praedecessoris sub eâdem die XXIII maii MDCVIII huiusmodi per dictam unionem expirasse, nulliusque roboris esse et fore, et fratres Siciliae ac Italiae huiusmodi Congregationis Discalceatorum sancti Augustini unam eamdemque Congregationem facere, et[3] sub eâdem obedientiâ, legibus, constitutionibus, statutis, iuribus, privilegiis et quibuscumque aliis, sine aliquâ differentiâ neque particularitate, in perpetuum esse et fore, quibuscumque non obstantibus. Ita tamen, ut omnes et singuli Congregationis Siciliae huiusmodi religiosi, qui in eâ ante unionem praefatam professionem emiserunt, ad sex menses dumtaxat a notificatione factâ vel faciendâ, iuxta decretum dictae congregationis sub ultimâ novembris MDCIX et eius litteras[1] sub XIX decembris mensium diebus MDCXX[2] annorum eiusdem Domini, ad alias eiusdem Ordinis congregationes sub obedientiâ eiusdem prioris generalis transire, in eisque de cetero vivere, et illorum regularia instituta observare teneantur. Illi vero huiusmodi professi ante unionem, qui talem transitum facere noluerint, et alii, qui post unionem praefatam in Congregationem Discalceatorum Italiae sub eodem vicario generali professionem emiserunt, in eâ perpetuo similiter remanere debeant, ac etiam teneantur; ac superioritati, iurisdictioni et obedientiae superiorum Congregationis Discalceatorum sancti Augustini Italiae huiusmodi subiacere cogantur, ac aliàs prout in decreto dictae congregationis, cuius tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, etiam plenius continetur.

Religiosi petunt praedictae Congregationis decretum confirmari.

§ 8. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ut[3] ea quae a nobis et Sede praefatâ confirmantur et approbantur firmius subsistant, et ab omnibus inviolabilius observentur, pro parte religiosorum primo dictae Congregationis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus decretum praedictum approbare et confirmare, aliisque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Confirmat Gregorius.

§ 9. Nos igitur, qui christifidelium quorumlibet Altissimo praesertim sub suavi religionis iugo famulantium vota inviolabiliter observari, ac in eis cum animi tranquillitate perseverari, sinceris desideramus affectibus, primo dictam Congregationem ac omnes et singulos illius reli-

1 Perperam edit. Main. legit *sed* pro *se* (R. T.).
2 Erronee edit. Main. legit *plures* (R. T.).
3 Particulam *et* nos addimus (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *litteris* (R. T.).
2 Has litteras habes in tom. XI, pag. 411 (R. T.).
3 Particula *ut* praeter rem esse videtur (R. T.).

giosos et professores specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eosdemque religiosos et professores, ac eorum quemlibet, necnon primo dictae Congregationis singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, eiusdemque decreti, ac quarumcumque aliarum scripturarum desuper quomodolibet confectarum veriores et totos tenores ac datas, cum inde legitimis sequutis quibuscumque, necnon litis et causae, ratione oppositionis unioni huiusmodi, status et merita praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto eiusdem sacrae congregationis, omnia et quaecumque in eodem decreto contenta et inserta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, ac solemnitatum tam de iure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet requisitarum, in praemissis forsan omissarum, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Et utramque congregationem iterum unit.

§ 10. Et nihilominus, ad tollendas omnes lites, dictas domos regulares sancti Nicolai et sancti Gregorii Congregationi Discalceatorum Italiae huiusmodi, non obstantibus praetensionibus et reclamationibus prioris generalis totius Ordinis praedicti, auctoritate et tenore praefatis, quatenus opus sit, de novo unimus, annectimus et incorporamus.

Clausulae.

§ 11. Decernentes, confirmationem, approbationem, defectuum suppletionem, novam unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi, ac praesentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, cancellariae apostolicae regulis, aut aliis contrariis dispositionibus, a nobis vel aliis Romanis Pontificibus successoribus nostris, sub quibusvis iustissimis causis, etiam ad prioris generalis dicti Ordinis, aut quorumcumque aliorum instantiam, intuitum, vel contemplationem, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet emanatis et emanandis, nullatenus comprehensas [1], sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam, sub posteriori datâ per religiosos Congregationis Italiae huiusmodi eligendâ, concessas esse et censeri;

Decretum irritans.

§ 12. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 13. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus apostolicis, necnon Ordinis et Congregationis huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praesertim felicis recordationis Sixti IV et Iulii II ac Leonis X necnon Iulii III Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, quorum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, eidem Ordini, ac illius priori generali, necnon quibusvis illius

1 Edit. Main. legit *comprehensa* (R. T.).

fratribus et religiosis, seu aliis personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et exprese derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, defectuum suppletionis, unionis, annexionis, incorporationis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentari praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXI, pridie idus februarii, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 12 februarii 1621, pontif. an. I.

LI.

De exemptorum privilegiis circa animarum curam, et sacramentorum administrationem, sanctimonialium monasteria, et praedicationem verbi Dei[1].

1 Huc in edit. Main. leguntur adiecta Const. Pauli V et Saulii decreta quae nos iam retulimus in tom. XI, pag. 487 seq. (R. T.).

1 Nonnulla dubia super istâ Constitutione exorta fuere, super quibus emanatae sunt declarationes sacrae Congregationis Concilii, ab istomet Gregorio et Urbano VIII eius successore respective approbatae, quae hic subiiciuntur.

Gregorius Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Inscrutabili Dei providentiâ universalis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, praesidentes, pastoralis nostrae sollicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam praecipue incumbere, ut a dignis et probatis tantum sacerdotibus sancte administrentur ecclesiastica sacramenta, atque ut virginum Deo sacrarum monasteria diligentissime custodiantur, et viri assumantur idonei ad praedicationis officium salubriter exequendum.

Concili Tridentini sess. XXIII, cap. XV circa confessorum idoneitatem et approbationem disponit.

§ 1. Sane Tridentinae Synodi decretis provide cautum est, nullum presbyterum, etiam regularem, posse confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat.

Et sess. XXV, cap. XI et V circa sanctimoniales statuit.

§ 2. Necnon, ut in monasteriis, seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium praeter eas quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familiâ, personae, tam regulares quam seculares, eiusmodi curam exercentes, subsint immediate, in iis quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, in cuius dioecesi sunt sita. Itemque, ut episcopi universi, sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae, in omnibus monasteriis sibi subiectis, ordinariâ, in aliis vero, Sedis Apostolicae auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et, ubi inviolata est, conservari maxime procurent; inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque poenas, quacumque appellatione postpositâ, compescentes.

Et sess. XXIV, cap. IV circa praedicatores verba Dei.

§ 3. Atque, ut regulares in ecclesiis suorum Ordinum praedicare volentes, se coram episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur; in ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt, nullo modo praedicare possint sine episcopi licentiâ; contradicente autem episcopo, nulli, etiam in suorum Ordinum ecclesiis, praedicare praesumant.

Hic autem Pontifex super huiusmodi decretis nonnulla adiunxit quo ad exemptum privilegium circa animarum curam et sacramentorum administrationem.

§ 4. Verum, quia experientiâ compertum est ecclesiastici regiminis rationes postulare, ut decretis eiusmodi aliquid adiungatur, maturâ deliberatione nostrâ, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac generali ac perpetuo valiturâ Constitutione decernimus, statuimus et declaramus, ut deinceps tam regulares quam seculares quomodolibet exempti (sive animarum curam personarum secularium monasteriis seu domibus regularibus aut quibusvis aliis ecclesiis vel beneficiis, sive regularibus sive secularibus, incumbentem exerceant; sive aliàs ecclesiastica sacramenta, aut unum ex illis ministrent, praeviâ episcopi licentiâ et approbatione; sive quoquomodo in dictae curae exercitio, aut in eorumdem sacramentorum vel alicuius ex illis administratione de facto, absque ullâ auctoritate, se ingerant), in his quae eiusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani episcopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus subiiciantur. Ad haec tam regulares quam seculares huiusmodi nullis privilegiis aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum monialium, etiam regularibus subiectarum, ab episcopo loci similiter, tamquam ad hoc Sedis Apostolicae delegato, quoties et quando opus fuerit, puniri et corrigi valeant.

Et quoad confessores.

§ 5. Confessores vero, sive regulares sive seculares, quomodocumque exempti, tam ordinarii quam extraordinarii, ad confessiones monialium, etiam regularibus subiectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab episcopo dioecesano idonei iudicentur, et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant. Sed et administrantes bona ad eadem[1] monasteria sanctimonialium, ut praefertur, etiam regularibus subiectarum, pertinentia, sive regulares extiterint sive seculares, quomodolibet exempti, episcopo loci, adhibitis etiam superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remediis cogi et compelli queant. Liceatque episcopo ex rationabili causâ superiores regulares admonere, ut eiusmodi confessores atque administratores amoveant; iisque superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat episcopus facultatem praedictos confessores et administratores amovendi quoties et quando opus esse iudicaverit. Ac similiter possit episcopus, unâ cum superioribus regularibus, quarumcumque abbatissarum, priorissarum, praefectarum, vel praepositarum eorumdem monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus, per se vel per alium, interesse ac praesidere, absque ullâ tamen ipsorum monasteriorum impensâ.

Et etiam quoad praedicatores.

§ 6. Ac demum habeat episcopus, tamquam dictae Sedis delegatus, auctoritatem coërcendi ac puniendi quoscumque exemptos, tam seculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis, aut quae suorum Ordinum non sunt, absque episcopi licentiâ, et in ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petitâ illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint. Ita ut episcopi in suprascriptis casibus in praenominatas personas, in praemissis

1 Edit. Main. legit *eiusdem* (R. T.).

omnibus et singulis aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras ecclesiasticas, aliasque poenas, uti eiusdem Sedis delegati, procedere, omnemque iurisdictionem exercere libere et licite valeant.

Et ita nec aliter iudicari posse decernit.

§ 7. Decernentes, sic per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam sacri palatii auditores, nec non sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis omnibus plene derogat.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, congregationum, societatum, ac cuiusvis alterius instituti, etiam necessario et in individuo exprimendi, monasteriorum, conventuum, capitulorum, ecclesiarum, et aliorum quorumcumque, tam secularium quam regularium, locorum, nec non illorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causâ et titulo oneroso vel in limite fundationis concessis, etiam mari magno, seu bulla aureâ, aut aliàs nuncupatis; conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus episcopi deferre minime teneantur; et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis, concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis; etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, quibus, quoad ea quae eisdem praesentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationem Romae factam, omnes ligare statuit.

§ 9. Ceterum, quia difficile foret, praesentes litteras ad singula quaeque loca deferri, ut eae tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Lateranensis et Principis apostolorum de Urbe basilicarum, atque cancellariae apostolicae, et in acie campi Florae publicari, et inibi affigi, et per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis, earum exempla eo in loco relinqui.

Transumptis credi iubet.

§ 10. Ac volumus, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo praelati seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, in iudicio et extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctionem poenalem subiicit.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et

Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXII, nonis februarii, pontificatus nostri anno II [1].

Dat. die 5 februarii 1622, pontif. an. II.

In nomine Domini amen. Anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi MDCXXIII [2], *indictione sextâ, die vero* VIII *mensis februarii, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri D. Gregorii, divinâ providentiâ Papae XV, anno* II, *retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicarum sancti Ioannis Lateranensis et Principis apostolorum de Urbe, ac cancellariae apostolicae, et in acie campi Florae, dimissis ibidem earumdem litterarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, et exinde remotis, deinde dimissis earumdem litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Cosmum Modium et Alexandrum de Rochis sanctissimi domini nostri Papae cursores.*

OCTAVIUS SPADA magister cursorum.

Subsequuntur hic aliquot dubia super istâ Constitutione exorta; quorum resolutiones mox subiicientur.

Positâ Constitutione Gregorii Papae XV de exemptorum privilegiis, etc., dubitatur.

I. An liceat episcopis visitare altaria regularium ecclesiarum, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, aut loca ubi in iisdem ecclesiis asservatur sanctissimum Eucharistiae sacramentum, vel ubi audiuntur confessiones personarum secularium?

1 Sed erronee tum ed. Main. tum ed. Cherub. notant annum II, nam primus adhuc perdurabat, sed publicata fuit anno II ut postea legitur (R.T.).

2 Nisi legendum sit MDCXXII (R. T.).

II. An episcopi possint regularibus praescribere, ut certis tantum in locis ac temporibus aut certarum personarum confessiones audiant, vel aliàs illorum privilegia restringere ac moderari in sacramentis administrandis?

III. An facultas episcopis per Constitutionem attributa in exemptos, tam seculares quam regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius dioecesis?

IV. An eadem facultas competat inferioribus praelatis proprium territorium ac iurisdictionem quasi episcopale habentibus?

V. An per eamdem Constitutionem in illis verbis, *possit episcopus unâ cum superioribus regularibus quarumcumque abbatissarum,* etc., *electionibus, per se vel per alium, interesse ac praesidere,* ius abbatissas confirmandi episcopis attributum censeatur.

VI. An confessores monialium, ante editam Constitutionem deputati, debeant ab episcopo examinari et approbari?

VII. An superiores regulares, similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi seu deputati, aliâ indigeant episcopi approbatione pro confessionibus sanctimonialium sibi subiectarum audiendis.

VIII. An confessiones, quas audiunt superiores regulares electi seu deputati vel confirmati post publicationem et scientiam tenoris dictae bullae, non obtentâ episcopi approbatione, sint nullae atque irritae, necne?

IX. An regulares, generaliter ab episcopo approbati ad confessiones personarum secularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones monialium sibi subiectarum?

X. An regularis ad audiendas confessiones monialium unius monasterii ab episcopo approbatus, confessiones monialium alterius monasterii audire possit?

XI. An confessores regulares extraordinarii semel ab episcopo deputati et appro-

bati ad audiendas monialium confessiones pro unâ vice infra annum ad praescriptum sacri Concilii Tridentini, possint, virtute dictae approbationis, pluries, tamquam confessores extraordinarii, earumdem confessiones audire, absque novâ episcopi licentiâ?

XII. Cum in eâdem Constitutione statutum sit, ut liceat episcopo ex rationabili causâ superiores regulares admonere, ut amoveant confessores monialium, atque administratores bonorum ad earumdem monialium monasteria pertinentium, iisque superioribus id facere detrectantibus, habeat episcopus facultatem praedictos confessores et administratores amovendi, quoties et quando opus esse iudicaverit; an eiusmodi causam episcopus superioribus regularibus significare teneatur?

XIII. An eadem Constitutio, qua parte supponit episcopi iurisdictioni regulares delinquentes circa personas degentes intra septa monasteriorum monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem eorumdem monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an vero solum in notoriis et cum scandalo populi?

Subsequuntur declarationes ad supradicta dubia a congregatione cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum datae, et a Gregorio XV ac postmodum ab Urbano VIII respective approbata.

Sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, Constitutionem sanctae memoriae Gregrii XV de exemptorum privilegiis, nequaquam subiicere regulares exemptos, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, episcoporum iurisdictioni in his quae sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in sacramentis personis secularibus administrandis iidem regulares delinquunt, ac propterea:

Ad I. dubium respondit: Episcopis non licere in vim eiusdem Constitutionis visitare altaria ecclesiarum regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum secularium, nec loca ubi in iisdem ecclesiis asservatur sanctissimum Eucharistiae sacramentum, vel ubi confessiones personarum secularium audiuntur.

Ad II. Hac in parte Constitutionem nihil novi iuris induxisse, nec ullam novam auctoritatem episcopis in regulares attribuisse: ideoque in vim ipsius Constitutionis non posse episcopos regularibus praescribere, ut certis tantum in locis ac temporibus aut certarum personarum confessiones audiant, vel aliàs illorum privilegia in sacramentis administrandis restringere aut moderari. Quod si aliunde episcopis huiusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eâdem Constitutione sublatam.

Ad III. Censuit eiusmodi facultatem non intelligi tributam episcopis in personas nullius dioecesis.

Ad IV. Non competere.

Ad V. Ius confirmandi abbatissas minime fuisse episcopis per Constitutionem attributam.

Ad VI. Confessores quidem extraordinarios monialium nullatenus posse post Constitutionem illarum confessiones audire, nisi prius ab episcopo dioecesano idonei iudicentur et approbentur. Ordinarios vero confessores, ante Constitutionis publicationem deputatos, posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in confessionibus sanctimonialium audiendis absque alio examine et approbatione episcopi. Quod si contingat, ut illorum facultas a Sede Apostolicâ ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab episcopo examinari et approbari.

Ad VII. Superiores regulares electos seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi confessiones monialium sibi subiectarum, posse, durante eorum officio, pergere sine aliâ episcopi approbatione in

confessionibus audiendis illarum tantum quae sponte ac proprio motu id ab eis petierint. At vero eos, qui post Constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis seu dignitatibus, expleto iam tempore a constitutionibus cuiusque Ordinis vel aliàs legitime praefinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse sanctimonialium confessiones audire, nisi priùs a dioecesano episcopo idonei iudicati, atque approbati fuerint.

Ad VIII. Confessiones huiusmodi nullas atque irritas esse.

Ad IX. Regulares, generaliter ab episcopo approbatos ad confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali episcopi approbatione.

Ad X. Regularem, ad audiendas confessiones monialium unius monasterii ab episcopo approbatum, minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii.

Ad XI. Confessores extraordinarios, semel deputatos atque approbatos ab episcopo ad monialium confessiones pro unâ vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis eiusmodi illarum confessiones audire: sed ab episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Ad XII. Non teneri eiusmodi causam significare superioribus regularibus; sed hoc relinqui arbitrio et prudentiae episcoporum, quorum conscientiam sacra congregatio serio oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributâ quoquo modo abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri.

Ad XIII. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum et cum populi scandalo.

Quae sacrae congregationis responsa ad se relata felicis recordationis Gregorius XV et SS. D. N. Urbanus VIII in omnibus approbarunt.

A. Cardinalis CAETANUS.

PROSPER FAGNANUS, S. Cong. Secr.

Subsequuntur alia duo dubia ab eâdem congregatione declarata, et a SS. D. N. approbata.

I. An regularis absque legitimâ licentiâ accedens ad monasterium monialium regularibus subiectarum ubique, in loco colloquiis destinato cum moniali colloquens, a dioecesano episcopo, tamquam Sedis Apostolicae delegato, coërceri et puniri possit? Dubia.

Sacra congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, posse. Quam congregationis sententiam SS. D. N. Urbanus VIII ad se relatam approbavit. Resolutio dicta dubia.

II. An liceat episcopo, in vim Constitutionis sanctae memoriae Gregorii XV de exemptorum privilegiis, punire regulares, qui ad abbatissae electionem procedunt ante tempus ipsi episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus praenunciatâ? Dubia.

Sacra congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum respondit, regulares ex eâdem Constitutione ita demum teneri episcopo significare diem electionis abbatissae, eumque usque ad praefinitum tempus expectare, si antea ipse expresse declaravit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributâ, abbatissarumque electionibus, per se vel per alium, interesse ac praesidere. Post eam vero declarationem licere episcopo animadvertere in regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non praenunciatâ, ad abbatissae electionem procedunt. Declaratio dicta dubia.

Cos. card. DE TORRES.

PROSPER FAGNANUS S. Cong. secr.

LII.

Caeremoniale in electione summi Romani Pontificis observandum[1].

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Decet Romanum Pontificem, quae ad Ecclesiae Catholicae felix regimen salubriter a se statuuntur, ut quam facillime observentur, pastorali sollicitudine providere, et ea, per quae a se decreta debitum sortiuntur effectum, stabilire. Siquidem postquam novam Constitutionem de Romani Pontificis electione, ob causas in eâ expressas, divinâ adspirante gratiâ edidimus; ne eius usus et observantia, veteri rituali Ecclesiae Romanae fere inutili ob eamdem Constitutionem reddito, proprii caeremonialis directione destitueretur, novum, prout sequitur, confici mandavimus. Quod cum post nonnullorum S. R. E. cardinalium, quibus negocium commisimus, diligens, ut res postulabat, adhibitum examen, confectum fuerit, et a nobis approbatum, ut illud, cum omnibus et singulis in eo contentis, inviolabiliter observetur, ex nostri pastoralis officii debito, providendum censuimus.

Tenor autem illius est qui sequitur.

CAEREMONIALE.

De exequiis Romani Pontificis.

Romano Pontifice vitâ functo, cardinales, praestito in primâ congregatione iuramento de observandâ Constitutione Gregorii Papae XV de reformatione conclavis[2], unâ cum aliis constitutionibus, quae legi et iurari in eâ hactenus consueverunt, exequias pro eius animâ, iuxta ritum hucusque observatum, per novem continuos dies facere debent; nisi forte in illis novem diebus aliquod festum ex praecipuis et magnis incideret, propter cuius observantiam exequias intermitti debere cardinalibus videretur; hoc enim casu in numero quidem novem dierum exequiarum intermissarum dies computantur: verum impensa, quae in omissis exequiis facienda esset, in pauperes Christi iuxta Pii IV Constitutionem distribuenda est[1].

Impensae exequiarum.

Qua etiam Constitutione, ut exequiarum impensis, quae iam in immensum excreverant, modus et finis aliquis esset, cautum est, ne impensae illorum novem dierum decem ducatorum millium summam, computatis omnibus, praeter regalia Populo Romano praestari solita, excederent, et ut earum impensarum distributio iuste fieret, tribus ex antiquioribus cardinalibus, uni scilicet ex quolibet ordine, ac S. R. E. camerario commissa fuit.

Missa Spiritus Sancti in basilicâ sancti Petri celebranda.

Exequiis defuncti Pontificis completis, et interim conclavi opportuno praeparato, cardinales in basilicâ sancti Petri, vel alibi pro temporis et loci opportunitate conveniunt, ubi per decanum sacri collegii, vel, eo impedito, per alium ex antiquioribus cardinalibus missa de Spiritu Sancto celebratur, et in fine per aliquem praelatum, aut alium virum doctum, habetur oratio, in qua monentur, ut sepositis omnibus privatis affectibus, solum Deum prae oculis habentes, sanctae Romanae et universali Ecclesiae de Pastore sufficienti et idoneo providere, omni qua possunt brevitate ac diligentiâ, curent, ad apostolicarum constitutionum et sacrorum conciliorum praescriptum.

Ingressus in conclave.

Re divinâ peractâ, clericus caeremoniarum capit crucem papalem et procedit, quam cardinales sequuntur, episcopi primum, deinde presbyteri, postremo diaconi

1 Plenissimam huius Pontificis circa Papae electionem dispositionem vide in eius Const. XLI *Aeterni* supra pag. 620 huius tomi, pro cuius observantiâ postea editum fuit caeremoniale, cuius tenorem habes hic insertum.

2 Quam vide supra pag. 620 (R. T.).

1 Const. Pii IV, quae plures citatur, est in tom. VII, pag. 230 et seq. (R. T.).

cum suis cappis violaceis: crucem praecedunt familiares cardinalium, et immediate cantores hymnum *Veni Creator Spiritus* cantantes; post cardinales sequuntur praelati, atque ita processionaliter procedentes, conclave ingrediuntur, et cum ad cappellam pervenerint, cardinalium decanus apud altare dicit orationem *Deus, qui corda fidelium*, qua finitâ leguntur et iurantur per cardinales constitutiones de Romani Pontificis electione et unâ cum eis Constitutio novissima Gregorii XV. Deinde cardinales, post sermonem habitum per decanum, quo eos convenientibus verbis ad electionis negotium rite et recte peragendum hortatur, ad cellas, sorte inter eos iuxta Constitutionem Pii IV distributas, divertunt, et post prandium omnes rursus simul congregantur; officiales conclavis et alii praestant sacro collegio iuramenta consueta.

Hora claudendi conclave.

Cardinales autem ingressi conclave non exeant vespere reversuri, sed in ipso omnino permaneant. Ipsumque conclave, post ter iussu cardinalis decani personatam campanulam, videlicet primâ vice circa primam horam noctis, secundâ circa secundam, et tertiâ circa tertiam, exclusis omnibus, qui in conclavi remanere non debent, intus et extra claudatur, et claves S. R. E. camerario ac magistro caeremoniarum et praelatis custodibus conclavis iuxta solitum assignentur.

Conclavistae.

Deinde accensis fanalibus, tres cardinales capita ordinum et camerarius unà cum magistro caeremoniarum latebras et angulos omnes conclavis diligenter perquirunt, ne quis ex iis, qui esse in conclavi prohibentur, intus remanserit. In conclavi autem esse possunt familiares cardinalium, et alii officiales et ministri conclavis, qui in constitutione Pii IV recensentur, quibus adduntur duo alii, unus famulus pro magistris caeremoniarum, et alius pro secretario sacri collegii; hac tamen conditione adiectâ, ut famulus magistrorum caeremoniarum actu uni ex illis inserviat, et per sex menses ante fuerit eius continuus commensalis, quae conditio in famulo secretarii similiter exigitur: omnium autem istorum conclavistarum post prandium diei sequentis fit recognitio, ne quis inter illos forte esset ex iis, qui in conclavi esse non possunt, quae recognitio ut certius fiat, iubentur conclavistae omnes intrare cappellam, et postea singillatim recensentur.

De colloquiis, litteris, cibis et vestibus.

Clauso conclavi, servari debent omnia, quae de colloquiis, litteris et cibis, et quae de non ingredientibus cardinalibus, aut iisdem, aut eorum familiaribus, postquam ingressi sunt, exeuntibus, in Constitutione Pii IV sancita sunt. Quod vero attinet ad vestes, non solum cum ad electionem cardinales procedunt, croceis uti debent, sed, iuxta vetus caeremoniales cum aliquid collegialiter agendum est.

De capitulis ante electionem ac voce activa cardinalium.

Porro capitula, quae ante electionem fieri solent a singulis cardinalibus subscribenda, etiam ad favorem conclavistarum fieri poterunt, vel ante ingressum conclavis, vel post ingressum, dummodo per ea non retardetur, aut differatur ingressus vel electio. Quoniam autem, iuxta Constitutionem Pii IV, cardinales, qui saltem in ordine diaconatus constituti non sunt, ad electionem Romani Pontificis non admittuntur, inspiciendum erit, antequam ad electionis negocium procedatur, an aliqui ex cardinalibus praesentibus ordine praedicto careant, nam, si careant, a suffragio ferendo excludendi erunt, nisi privilegio pontificio muniti sint. De cardinali autem, cui ante mortem Pontificis os fuit clausum, aliquando dubitatum est, verum a Pio V fuit haec dubitatio sopita per eius decretum editum XXVI ianuarii MDLXXI, quo declaravit huiusmodi oris clausuram caeremoniam quamdam esse eâ de causâ introductam, ut cardinales, antequam in

consistoriis et congregationibus suffragium ferant, de modestiâ, quae ab ipsis in his et aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur, non autem pertinere ad praecipuam cardinalium facultatem, quae circa summi Pontificis electionem versatur, quae declaratio Pii V semper hucusque observata fuit.

De modo praecavendi nullitates electionis ab exequutoribus Constitutionis Gregorianae.

Quoniam autem ex Gregoriana Constitutione ad actum electionis, sub poenâ nullitatis, devenire non possunt patres, nisi clauso conclavi: tres cardinales et camerarius, eiusdem Constitutionis exequutores deputati, providebunt, ut, statim post clausum conclave, diligens per aliquos fiat inquisitio super ipsâ clausurâ, eâque in effectu repertâ, curabunt, ut de eâ publicum fiat documentum per magistrum caeremoniarum rogandum, et post huiusmodi documentum, etiam si conclave in totum, vel pro parte, de facto apertum fuisse reperiatur, semper tamen clausum, et pro clauso censeri et haberi debet ad effectum validitatis electionis, donec de consensu duarum partium cardinalium praesentium per secreta suffragia apertum esse declaretur. Haec tamen declaratio, electioni, quae ante ipsam facta fuerit, nullatenus praeiudicare debet, neque ob ipsam declarationem praecedens electio impugnari potest.

Formae electionis.

Mane sequenti post clausum praecedenti nocte conclave, post solitum campanulae sonum, conveniunt cardinales in eo praesentes, qui infirmitate non sunt impediti, ad cappellam Paulinam, et ibi celebratâ consuetâ missâ, et factâ cardinalium communione, statim ad negotium electionis procedere debent, quod quidem hodie, ex Gregorii Constitutione, uno tantum ex tribus modis sive formis peragendum est, alioquin electio nullitatis vitio subiacet.

Prima forma eligendi Papam per ispirationem.

Primus modus est, qui quasi per inspirationem vocatur: quando scilicet omnes cardinales, quasi afflati Spiritu Sancto, aliquem unanimiter et vivâ voce Summum Pontificem proclamant; circa quem modum ex Constitutione Gregorianâ infrascripta notari possunt:

Primum, haec forma electionis practicari potest solum in conclavi et eo clauso: secundo, debet fieri electio secundum hanc formam ab omnibus et singulis cardinalibus in conclavi praesentibus: tertio, communiter et nemine eorum dissentiente: quarto, nullo praecedente de personâ tractatu, et per verbum *eligo* intelligibili voce prolatum aut scripto expressum, si voce non possit proferri. Exemplum autem huius potest esse huiusmodi: si aliquis patrum, clauso conclavi, nullo, ut praefertur, praecedente speciali tractatu, diceret: *reverendissimi domini, perspectâ singulari virtute et probitate R. D. N., iudicare illum eligendum esse in summum Pontificem, et ex nunc ego ipsum eligo in Papam;* deinde, hoc audito, si ceteri patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam, eodem verbo *eligo* intelligibili voce prolato, aut si non potest, in scriptis expresso, eumdem N., de quo nullus specialis tractatus praecessit, communiter eligerent, ipse N. esset canonice electus et verus Papa, secundum hanc electionis formam, quae dicitur per inspirationem.

Secunda forma eligendi per compromissum.

Secundus modus est per compromissum, quando scilicet cardinales, ad electionem per hanc formam seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex patribus eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae Catholicae provideant de Pastore. Cuius formae praxis potest esse huiusmodi: primo omnes et singuli cardinales in conclavi praesentes, nemine eorum dissentiente, in aliquos ex patribus compromissum faciunt, exempli gratiâ, in hanc formam: *In nomine Domini, amen. Anno ab eiusdem*, etc., *mense*, etc., *die*, etc., *nos episcopi, presbyteri et diaconi S. R. E.*

cardinales omnes et singuli in conclavi existentes, videlicet NN. (et singillatim omnes nominentur cardinales) *elegimus et eligimus per viam procedere compromissi, et unanimiter et concorditer, nemine discrepante, eligimus compromissarios N., N., et N. cardinales, etc., quibus damus plenariam facultatem et potestatem providendi S. R. E. de Pastore, sub hac formâ videlicet* (hic optimum erit, ut cardinales compromittentes exprimant modum et formam, secundum quam compromissarii debebunt eligere, et secundum quam electus debet censeri verus et legitimus Papa, ut puta, si electi sint tres compromissarii, declarandum est, an ad hoc, ut electio sit valida prius proponere debeant sacro collegio personam, vel personas ab ipsis nominandam, vel nominandas ad pontificatum, an vero absolute debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam personam, an vero sufficiat, quod duo in unam concordent, et an debeant nominare aliquem de collegio, vel etiam aliquem extra collegium: et alia his similia). His autem, vel aliis similibus expressis, addi compromissioni solet tempus, ad quod usque volunt cardinales, potestatem compromissarios habere eligendi, et postea subiunguntur haec verba: *Et promittimus nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem DD. compromissarii secundum formam praedictam duxerint eligendum*; vel alia ad formam compromissariis praescriptam accomodata.

Secundo, completo huiusmodi mandato, compromissarii ad partem in aliquo loco separato se conferunt, et de electione faciendâ tractant, et solet inter eos praemitti protestatio, quod per quamcumque prolationem verborum suum dare consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expresse ponant. Et haec protestatio videtur necessaria inter compromissarios, ut verbis humanis et reverentialibus inter se sine praeiudicio uti possint.

Tertio, factâ per compromissarios electione secundum formam eis praescriptam, et servatis iis, quae Gregorius XV in suâ Constitutione iussit, electus per huiusmodi viam compromissi, est canonicus et verus Papa.

Tertia forma eligendi per simplex scrutinium vel cum accessu.

Tertius modus, seu forma electionis Romani Pontificis est, quae vocatur per scrutinium, vel per scrutinium et accessum, cuius formae ritus secundum Gregorianam Constitutionem, quae vult non solum scrutinium fieri secretum, sed etiam accessum, continet tres actiones, alteram quae *antescrutinium*, alteram quae *scrutinium*, et tertiam quae *postscrutinium*, appellari potest.

Antescrutinii actus sunt quinque, videlicet: praeparatio schedularum scrutinii et accessus, extractio scrutatorum et deputatorum pro votis infirmorum per sortem, scriptio schedularum scrutinii, earum complicatio, et obsignatio.

Schedularum praeparatio ad magistros caeremoniarum pertinet, qui eas impressas, ubi fieri poterit, alioquin unius manu scriptas secundum formam inferius describendam accipient tam pro scrutinio quam pro accessu, et ponent in duobus discis vulgo *bacili* nuncupatis, quos in mensâ ante altare collocabunt, ut inde possint cardinales, cum opus fuerit, schedulas sumere.

Forma schedulae scrutinii.

Forma autem schedulae scrutinii, quoad eius figuram attinet, erit alterâ parte longior, hoc est plus longa, quam lata; longitudo eius erit fere palmi, latitudo autem dimidii palmi. Quo vero ad contenta in ea, in anteriori eius parte, quae brevitatis gratiâ facies nominari potest, tria continere debet: Primo, in superiori parte, secundum eius latitudinem, duo haec verba *ego cardinalis*, cum tantâ ab invicem distantiâ, ut inter ipsa nomen proprium cardinalis

eligentis scribi possit, et paulo inferius duos circulos parvos, ad loca sigillorum indicanda. Secundo, in medio continere debet haec verba: *Eligo in Summum Pontificem reverendissimum dominum meum D. Cardinalem:* Tertio, in parte inferiori alios duos parvos circulos, ad loca sigillorum similiter demonstranda.

Forma schedulae accessus.

Forma vero schedulae accessus, eadem prorsus est, quae scrutinii, nisi quod in medio eius, loco verborum: *Eligo in Summum Pontificem R.^{mum} dominum meum D. Cardinalem*, ponuntur haec verba: *Accedo Rev.^{mo} domino meo D. Cardinali.*

Verum facilius, quae dicta sunt, percipientur ex infrascriptis figuris et exemplis.

EXEMPLUM FACIEI SCHEDULÆ SCRUTINII.

	Ego *Card.*	
✿		✿
	Eligo in Summum Pontificem R.^{mum} D. meum D. Cardin.	
✿		✿

Forma schedulae accessus.

EXEMPLUM FACIEI SCHEDULÆ ACCESSUS.

	Ego *Card.*	
✿		✿
	Accedo Reverendissimo Domino meo D. Cardin.	
✿		✿

Exterior schedularum pars.

In exteriori autem parte schedularum, tam scrutinii quam accessus, quae tergum nominari potest, duo sunt imprimendi limbi ex illis quos ad ornatum librorum impressores adhibent, et vulgari vocabulo *fregi* nuncupantur; quorum primum circa sui medium continet hoc verbum *Nomen*, impressum secundum longitudinem ipsius limbi; alterum vero continet hoc verbum *Signa*, similiter impressum ut praecedens. Hi autem limbi excogitati sunt ad obscurandum diaphanum paginarum, ne scilicet ad lumen nomina et signa eligentium conspici possint; ubi vero impressoris copia non fuerit, limborum defectus lineis suppleri poterit. Sed haec fient clariora per infrapositam figuram tergi schedularum scrutinii et accessus.

EXEMPLUM TERGI SCHEDULARUM SCRUTINII ET ACCESSUS.

Nomen.
Signa.

De scrutatoribus et infirmariis.

Secundus actus antescrutinii est extractio scrutatorum et deputatorum pro votis infirmorum; quae extractio, antequam ad scrutinium procedatur, sorte facienda est, hoc modo. In uno sacculo, aut vase, publice ponantur tot schedulae, vel, si magis placet, spherulae ligneae palam numeratae, quot sunt cardinales praesentes in conclavi, cum eorum nominibus; deinde per ultimum diaconum extrahantur primo scrutatores tres, et postea tres deputati pro votis infirmorum, qui brevitatis gratiâ infirmarii appellari possunt, de quorum omnium officio inferius suo loco scribetur. Quod si in extractione scrutatorum et infirmariorum, ac etiam recognitorum, de quibus suo loco dicetur, extracti fuerint cardinales, qui ob infirmitatem, aliudve impedimentum muneribus praedictis satisfacere non possint, alii non impediti, loco illorum extrahantur. Peractâ vero extractione, schedulae seu spherulae eorum, qui extracti fuerunt, in sacculum, seu in vas iterum coniiciantur.

Tertius actus antescrutinii est schedularum scrutinii scriptio, quae fiet hoc modo. Ad duas vel plures parvas mensas quae erunt cum atramento et calamis paratae in loco cappellae apto, ut qui scribunt conspici possint, quid vero scribitur non possit, accedent cardinales per ordinem, incipiendo a decano, et ibi sedentes in scabellis paratis, schedulam quisque suam, acceptam prius ex disco, scribet hoc modo: primo in primâ parte in spatio inter verba *(Ego Card.)* scribet proprium nomen; deinde in secundâ parte nomen illius quem eligit, charactere tamen, quantum fieri potest, alterato, ut manus scribentis cognosci non possit; et caveat, ne plures in schedulâ scribat, quia suffragium iuxta Gregorianam Constitutionem esset nullum. In tertiâ vero parte signa, hoc est numerum aliquem, et dictum aliquod Scripturae, seu verbum, aut aliquid huiusmodi, ut in exemplo, pro faciliori intelligentiâ, oculis subiecto videre est.

EXEMPLUM SCHEDULÆ SCRUTINII SCRIPTÆ.

	Ego Bonifacius Card. Caetanus.	
	Eligo in Summum Pontificem Rev. D. meum Cardin. Baronium.	
	18. *Gloria in excelsis.*	

Ego Robertus Card. Bellarminus.

Eligo in Summum Pontificem Rev. D. meum Cardin. Baronium.

18. *Gloria in excelsis*[1].

Nomen.

Signa.

De complicanda schedula.

Quartus actus antescrutinii est schedularum complicatio, quae, ut expeditius peragi a cardinalibus valeat, poterit a caeremoniariis magistris, cum eas praeparant, fieri in hunc qui sequitur modum. Binae fient plicaturae ex utrâque parte cuiusque schedulae, ita ut nomen eligentis, et signa, cum fuerint scripta, maneant tecta ex utrâque parte a limbis; deinde quod reliquum est, ita complicetur, ut schedula fere ad latitudinem pollicis redigatur, prout ex complicatâ schedulâ, quae hìc exempli gratiâ ponitur, conspici potest.

Quid hac in re peragi debeat a magistris caeremoniarum.

Ceterum magistri caeremoniarum schedulas non complicatas, ut supra, sed explicatas, et cum cerâ rubrâ in parvis circulis, ponent in discis; et cardinales, postquam eas ut supra scripserint, eo usque solum plicabunt, quo nomen et signa eligentis tegantur, reliquas autem plicaturas tunc facient, cum schedulas, ut infra dicetur, obsignaverint.

De schedulis obsignandis.

Quintus et postremus actus antescrutinii est schedularum obsignatio, quae ab unoquoque cardinali facienda erit in tergo schedularum cum sigillo ad hoc parato in loco parvorum circulorum, ubi cera fuerit posita. Porro sigillum non debet esse solitum cardinalis, sed aliud, et secrete habitum, et ita simplex, ut facile notari possit, veluti, si in sigillo sculpantur aut tres numeri, aut tres litterae, vel litterae, numeri, vel una tantum imago. Et haec de antescrutinio sufficiant. Ceterum, quod attinet ad cardinales infirmos, aut aliter impeditos, inferius suo loco dicetur.

De scrutinio eiusque partibus.

Sequitur secunda actio, quae nomine scrutinii appellata fuit. Octo sunt huius actionis actus, videlicet: delatio schedulae, iuramenti praestatio, positio schedulae in calicem, schedularum mixtio, earum numeratio, scrutinii publicatio, schedularum in filum insertio, earumque depositio seorsum.

De delatione schedulae in calicem et iuramento.

Delatio schedulae, et duo sequentes actus, qui melius simul describuntur ob eorum connexitatem, hoc modo fient. Quilibet cardinalis propriam schedulam, post-

1 Heic mutanda erant verba et numerus; nam eligens diversus est ab exemplo praecedenti (R.T.).

quam illam scripserit, obsignaverit et complicaverit, duobus primis digitis sumet, ac elevatâ manu palam deferet ad altare, penes quod stant scrutatores, in quo est calix magnus ad recipiendas schedulas paratus, et patenâ coopertus, ibique genuflectens, aliquantulum orabit; deinde surgens, altâ et intelligibili voce, iurabit in hanc formam, quae in tabellâ super altari positâ descripta habetur: TESTOR CHRISTUM DOMINUM, QUI ME IUDICATURUS EST, ME ELIGERE, QUEM SECUNDUM DEUM IUDICO ELIGI DEBERE, ET QUOD IDEM IN ACCESSU PRÆSTABO. Post haec schedulam in patenam ponet, et per patenam mittet in calicem; quo facto inclinabit se ad altare, et ad suum locum revertetur. Et haec servanda erunt, si cardinalis ad altare pergere possit, nam si ob infirmam valetudinem non possit, et praesens in cappellâ sit, ultimus scrutator discum cum schedulis ad eum deferet, ex quo cardinalis infirmus, unam accipiens, eam in loco suo secrete, ut supra dictum est, conficiet; deinde, praevio iuramento praedicto, schedulam obsignatam et complicatam eidem scrutatori tradet, qui eam palam deferet ad altare, et, sine oratione et iuramento, in patenam ponet, et per eam in calicem mittet; quae omnia observanda erunt per ultimum scrutatorem erga eos cardinales, qui, in cappellâ praesentes, ob valetudinem ad altare pergere non poterunt. Si vero aliqui cardinales infirmi sint in suis cellis, tres cardinales infirmarii, ut supra extracti, ad eos accedent cum capsulâ altitudine unius palmi, in cuius superiori parte sit rima, seu foramen eius magnitudinis, ut per illud schedula complicata possit per suam latitudinem intus capsulam transmitti; quam capsulam, antequam scrutatores infirmariis tradant, palam aperient, ut ceteri cardinales possint eam inanem et vacuam conspicere; deinde claudent, et clavem ponent super altare: deinde infirmarii cum capsulâ clausâ, et cum parvo disco, tot schedulas continent, quot sunt infirmi cardinales, ad unumquemque eorum accedent; et infirmi acceptas ex disco schedulas, secrete scribent, obsignabunt et complicabunt, et, praevio iam dicto iuramento, in capsulam per rimam mittent; quod si infirmi scribere non possint, alii eorum arbitrio deligendi, praestito de secreto servando in manibus infirmariorum iuramento, praedicta facient; atque hi advertere debent, quod non solum iuramenti vinculo tenentur servare secretum, sed etiam in excommunicationem latae sententiae, si contrafecerint, incurrent. His peractis, infirmarii ad cappellam revertentur cum capsulâ, quam scrutatores aperient, et schedulas in ea contentas palam numerabunt, et tot repertas, quot sunt infirmi, ponent singillatim in patenam, et per patenam simul omnes in calicem. Ne autem nimis in longum protrahatur scrutinii actio, infirmarii poterunt proprias schedulas post decanum conficere, et in calicem ponere, deinde, dum ceteri cardinales scrutinium agunt, ad infirmos pergere ad accipienda eorum suffragia, eo modo, quo proxime ante dictum est.

Impeditis valetudine.

Infirmis.

Monitiones.

Quartus actus scrutinii est schedularum permixtio, quae fiet per primum scrutatorem, calice, in quo ipsae schedulae positae fuerunt, patenâ cooperto, pluries agitato.

Mixtione schedularum.

Quintus actus est numeratio schedularum, quae palam fiet per ultimum scrutatorem, capiendo singillatim unamquamque schedulam ex calice, eamque ponendo in alium, qui ad hoc paratus sit, calicem vacuum. Quod si numerus schedularum non respondeat numero cardinalium, omnes comburendae sunt, et iterum, id est secundâ vice, ad suffragia statim est deveniendum. Si vero numerus schedularum

Numeratione schedularum.

numero cardinalium respondeat, prosequendi sunt alii actus scrutinii.

Publicatione scrutinii.

Sextus actus est publicatio scrutinii, quae per scrutatores, qui sedent ad mensam ante altare positam, fiet hoc modo: primus scrutator accipiet unam schedulam, eamque intactis sigillis explicabit, et viso in eâ schedulâ electi nomine, eam tradet secundo scrutatori, qui pariter, eodem electi nomine perspecto, eamdem tradet tertio, qui illam altâ et intelligibili voce perleget, ut omnes cardinales praesentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habebunt cum nominibus omnium cardinalium, notabit autem iuxta nomen cardinalis ex schedulâ recitati: idem faciendum erit de ceteris schedulis in calice positis usque ad ultimam. Quod si in scrutinii publicatione, inveniant scrutatores duas schedulas ita complicatas, ut ab uno tantum datas fuisse appareat, si quidem unus et idem in utrâque electus fuerit, schedulae praedictae habebuntur, et notabuntur pro uno suffragio; si vero diversi fuerint nominati, neutrum suffragium validum erit, prout in Bullâ Gregorianâ statuitur de illâ schedulâ, in qua plures nominati sunt; scrutinium tamen neutro casu vitiatur. Ceterum suffragia praedicta, finitâ scrutinii publicatione, poterunt a patribus iuxta nomina cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam summam redigi, vel in separato folio notari, hoc modo: Reverendissimus Dominus cardinalis A habet suffragia 20, et Reverendissimus D. cardinalis B habet suffragia 15, et sic de aliis; quod fit, ne cardinales, cum opus est, cogantur semper numerare suffragia, quae iuxta nomina cardinalium notarunt.

Schedularum in filum insertione.

Septimus actus scrutinii est schedularum in filum insertio, quae, ut schedulae ipsae cautius conservari possint, excogitata fuit. Haec autem insertio fiet per ultimum scrutatorem; inserendo schedulam unamquamque, postquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco ubi est verbum, ELIGO.

Post scrutinio et eius actibus.

Octavus et postremus scrutinii actus, est depositio schedularum seorsum, quae similiter fiet per ultimum scrutatorem, qui, finitâ insertione omnium schedularum in filum, capita fili nodo iunget, et schedulas omnes ita colligatas in alium calicem vacuum vel in mensâ seorsum ponet.

Sequitur tertia et postrema actio, quae postscrutinium appellata fuit, cuius actus, si sequuta sit electio per scrutinium, tres tantum sunt, videlicet, numeratio schedularum, recognitio suffragiorum, et schedularum combustio; de quibus inferius suis locis dicetur. Si vero per scrutinium non sit sequuta electio, actus sunt septem, videlicet; accessus; sigillorum et signorum aperitio; eorum annotatio; suffragiorum examen; suffragiorum scrutinii, vel scrutinii et accessus numeratio; eorum recognitio; et schedularum combustio.

Accessu.

Primus itaque actus est accessus, qui immediate post scrutinium, hoc est, post depositas seorsum scrutinii schedulas fiet, nisi forte in scrutinio fuerit creatus Papa; tunc enim nullus fieri debet accessus. In quo quidem accessu eadem omnia servanda sunt a cardinalibus, quae dicta sunt servari debere in scrutinio peragendo, tam in schedularum scriptione, obsignatione, complicatione, delatione et positione in calicem, quam in earum numeratione, publicatione, notatione suffragiorum et insertione in filum ac depositione seorsum; exceptis tamen infrascriptis. Primo, quod cardinales schedulas pro accessu sumere debent ex disco schedularum accessus. Ssecundo in schedularum accessus scriptione, si cardinalis nemini velit accedere, debet in mediâ schedulae parte, loco nominis cardinalis qui scribendus esset si ad eum fieret accessus, scribere NEMINI. Schedula autem accessus scribi et obsignari debet cum

Differentiis schedularum accessus et scrutinii.

eisdem sigillis et signis schedulae scrutinii, sub poenâ nullitatis suffragii ipsius accessus. Tertio, quod non potest accessus fieri ad eum cardinalem, qui in scrutinio saltem unum suffragium non obtinuerit, neque ad eum, qui ab ipsomet cardinali fuit in scrutinio nominatus[1]. Quarto, quamvis in accessu non liceat plures nominare, sicut non licet in scrutinio plures eligere, sub poenâ nullitatis suffragii, tam in accessu quam in scrutinio, nihilominus licebit accedere uni ex pluribus nulliter a se nominatis in scrutinio, dummodo ei ab alio aliquod suffragium, non tamen nulliter, ut praefertur, in ipso scrutinio datum fuerit. Quinto, quod in accessu non praestatur iuramentum, de quo supra, quia in scrutinio fuit iam praestitum per illa verba: *Et quod idem in accessu praestabo*. Sexto, denique infirmarii deferre debent ad infirmos schedulas accessus, et simul etiam unum folium impressum, in quo sit notatus suffragiorum numerus palam recognitus, quae quisque cardinalis in scrutinio nominatus obtinuerit.

Secundus, tertius et quartus actus postscrutinii sunt sigillorum et signorum apertio, eorum adnotatio, suffragiorum examen, qui tunc solum locum habere possunt, quando sequuta est electio per scrutinium et accessum: fieri autem debent hoc modo:

De schedularum inspectione, apertione et numeratione, seu annotatione.

Primus scrutator schedulas accessuum, quos obtinuit electus, in eâ parte solum, quae signa continet, aperiet, et inspectis diligenter earum sigillis et signis, apertas, ac in filo, ut erant, insertas, tradet secundo scrutatori, et secundus, eâdem inspectione factâ, porriget tertio, qui altâ et intelligibili voce, sigilla et signa praedictarum schedularum enunciabit et adnotabit in latere sinistro folii impressi, ad hunc effectum parati, sub verbis *sigilla et signa accessuum*, quam etiam adnotationem facient ceteri cardinales, si voluerint, in simili folio impresso.

Examine suffragiorum.

Deinde primus scrutator, reliquis scrutatoribus inspicientibus, pro accessuum praedictorum examine capiet schedulas scrutinii, et incipiens ab uno capite fili, in quo insertae sunt, sigillum primae eius schedulae quaeret in sigillis accessuum notatis, ut supra in folio impresso, et si illud in eo non invenerit, omissâ primâ scrutinii schedulâ, capiet secundam, eiusque sigillum similiter quaeret; quod si etiam non invenerit, capiet tertiam, et deinde sequentes singillatim, donec sigillum alicuius earum inveniat; eoque invento, scrutinii schedulam in eâ parte ubi signa sunt aperiet, et si non invenerit signa huius schedulae concordare cum signis accessus, schedulam illam omittet et aliam capiet, sicut paulo ante de schedulis non concordantibus sigillo dictum est; si vero invenerit signa concordare, ostendet illa secundo et tertio scrutatoribus, qui unâ cum ipsis, post diligens examen super identitate sigillorum et signorum ambarum schedularum, scrutinii scilicet et accessus, inspiciet an idem vel diversi in utrâque schedulâ sint nominati; et si idem nominatus sit, suffragium accessus, nullum censebitur; si vero diversi nominati sint, suffragium accessus, pro valido habebitur; et hoc casu tertius scrutator sigillum et signa schedulae scrutinii, ac etiam nomen electi qui in eâ continetur, altâ et intelligibili voce enunciabit, et adnotabit in latere dextero praedicti folii impressi, sub verbis *sigilla et signa scrutinii respondentia accessibus;* notabit autem ea ex adverso accessus concordantis in sigillo et signis; quam adnotationem ceteri quoque cardinales, si voluerint, in simili folio impresso facient.

Sed huiusmodi actus, qui explicatione difficiliores sunt, quam operatione, exemplo melius percipientur.

1 Vide supra pag. 621, h. t. (R. T.).

EXEMPLUM

Folii impressi, in quo accessus et scrutinii sigilla ac signa concordantia annotantur.

Sigilla et signa accessuum.	Sigilla et Signa scrutinii accessibus respondentia.	Cardinales nominati in scrutinio.
ABC. 43. Deus.	BRF. 32. Bonitas.	Card. S. Euseb.
BRF. 32. Bonitas.	RGI. 50. Beatitudo.	Card. S. Sixti.
RGI. 50. Beatitudo.		
NSP. 26. Gloria.		

Monitio ad scrutatores.

Quod si fortasse in istâ inquisitione contingat, duas vel plures schedulas scrutinii reperiri cum eisdem sigillis et signis alicuius schedulae accessus, tunc si in earum aliquâ electus nominatus fuerit, in aliâ vero alius, primus scrutator, reliquis scrutatoribus similiter inspicientibus, scrutinii schedulas huiusmodi, et schedulam accessus in eâ etiam parte in qua est nomen eligentis et accedentis aperiet, ut constare possit, secundum Gregorianam Constitutionem, de validitate vel invaliditate accessus; si vero in aliquâ huiusmodi schedularum scrutinii concordantium cum accessu non sit nominatus electus, debent eae schedulae omitti, et ad subsequens[1] procedendum erit.

De numeratione suffragiorum.

Quintus actus postscrutinii est numeratio suffragiorum, vel scrutinii solius, vel scrutinii et accessus, quae fiet per scrutatores semper, sive sit electio sive non; et si quidem sequuta non sit electio, ut sciatur, quod in eo scrutinio, vel scrutinio et accessu, non habetur Papa, si vero sequuta sit, ut constet de canonicâ Pontificis electione. Fiet autem haec numeratio suffragiorum hoc modo: scrutatores in unam summam redigent suffragia, quae quilibet nominatus in Pontificem obtinuit, sive in scrutinio solo, sive in scrutinio et accessu simul; et si invenerint, nullum ex nominatis ad duas tertias partes suffragiorum pervenisse, non habetur Papa in illo scrutinio, sive scrutinio et accessu; si vero invenerint aliquem ex nominatis, duas tantum partes suffragiorum obtinuisse, aperient electi schedulam, etiam in parte, in qua est nomen eligentis; et siquidem ex eâ apparuerit, electum alii suffragatum fuisse, electio eius erit canonica; si vero constiterit, sibi suffragium dedisse, eius electio ex dispositione Gregorianae Constitutionis nulla erit, ob defectum unius suffragii. Si denique plures invenerint duas tertias partes suffragiorum obtinuisse, vel etiam ultra duas tertias, tunc, in suffragiorum paritate, nullus erit electus; in imparitate vero, ille est canonicus Papa, qui superat alium, etiam in uno suffragio.

De recognitione et recognitorum extractione.

Sextus actus postscrutinii est recognitio, quae per recognitores, sive sequuta sit electio sive non, fiet; inspiciendo tam schedulas scrutinii et accessus, quam suffragiorum adnotationes factas per scrutatores, ut per huiusmodi recognitionem constare possit, an scrutatores sincere et fideliter muneri suo satisfecerint: recognitores autem extrahentur sorte, ut scrutatores et infirmarii, statim quidem post scrutinium, si sequuta sit in eo electio; si vero non sit sequuta, post scrutinium et accessum, cum scilicet scrutatores suum impleverint munus per numerationem suffragiorum, et haec extractio fiet, sive sequuta sit electio in scrutinio et accessu, sive non.

1 Videretur legendum *subsequentes* (R. T.).

De combustione schedularum.

Septimus et postremus actus postscrutinii est combustio omnium schedularum, quae semper et palam per scrutatores fiet, ac statim post recognitionem, sive electio sit sequuta sive non. Et haec omnia, quae de scrutinii ritibus sunt exposita, servanda erunt diligenter a cardinalibus in omnibus scrutiniis, sive fiant mane post missam, sive vespere post hymnum *Veni Creator Spiritus.* Atque hi sunt ritus ex praescripto Constitutionis Gregorii Papae XV in electione Romani Pontificis observandi.

Hucusque caeremoniale[1].

Approbatio inserti caeremonialis.

§ 1. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula in praedicto caeremoniali ordinata, et quomodolibet contenta, tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus; illisque omnibus et singulis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Iussio illud omnino observandi, et in nihilo immutandi.

§ 2. Eaque a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, omnibusque et singulis aliis, ad quos spectat et spectare quomodolibet poterit in futurum, omnino observari praecipimus et mandamus; ac caeremoniale huiusmodi in totum vel in parte mutari vel ei aliquid addi prohibemus.

Ac non aliter iudicandi, aut interpretandi.

§ 3. Decernentes sic, et non aliter, per quoscumque ac eosdem S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in primo dictâ Constitutione voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, adiectionis, praecepti, mandati, prohibitionis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXII[1], quarto idus martii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 martii 1622, pontif. an. II.

LIII.

Canonizatio sanctae Theresiae Virginis, tam fratrum quam monialium Carmelitarum Discalceatorum fondatricis: eiusque relatio in numerum Sanctarum Virginum, et festivitatis institutio die quintâ mensis octobris quotannis celebrandae.

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Omnipotens Sermo Dei, cum de sinu Patris ad haec inferiora descendisset, ut erueret nos de potestate tenebrarum, completo dispensationis suae tempore, transiturus de hoc mundo ad Patrem, ad propagandam per totum terrarum orbem electorum suorum Ecclesiam, quam sanguine suo acquisiverat, eamque verbo vitae erudiendam, ad confundendam sapientiam sapientium, et destruendam omnem altitudinem, quae adversus Deum extollebatur, non multos nobiles elegit, nec multos sapientes, sed contemptibiles mundi; qui non in sublimitate sermonis, nec in humanae sapientiae verbo, sed in simplicitate et veritate ministerium suum, ad quod a diebus aeternitatis praedestinati erant, adimplerent.

Theresia virgo in diebus nostris a Deo suscitata, thesauris suae gratiae et miraculorum gloria illustrata est.

§ 1. In sequentibus vero generationibus, cum iuxta praeordinata tempora, plebem suam per servos suos fideles visitare dignatus est, plerumque parvulos et humiles assumpsit, per quos Catholicae Ecclesiae ingentia praestaret beneficia, qui-

1 Haec verba nos interserimus (R. T.).

1 Erronee, ut puto, ed. Main. legit 1621 (R. T.).

bus ipse, iuxta verbum suum, abscondita a sapientibus et prudentibus regni caelestis mysteria revelaret; eosque supernorum charismatum donis adeo illustraret, ut omnium virtutum, ac bonorum operum exemplis Ecclesiam foverent, ac signorum gloria clarificarent. In diebus vero nostris fecit salutem magnam in manu feminae; suscitavit enim in Ecclesiâ suâ, veluti novam Deboram, Theresiam virginem; quae, postquam mirabili victoriâ carnem suam perpetuâ virginitate, mundum admirabili humilitate, et cunctas adinventiones diaboli multis maximisque virtutibus superasset, excelsiora moliens, et virtutem sexus animi magnitudine supergressa, accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum, et instruxit exercitus fortium; qui pro domo Dei Sabaoth et pro lege eius et pro mandatis eius armis spiritualibus decertarent, quam Dominus ad tantum opus peragendum abundante implevit spiritu sapientiae et intellectus et thesauris gratiae suae adeo illustravit, ut splendor eius, tamquam stella in firmamento, fulgeat in domo Dei in perpetuas aeternitates.

Et ideo uti Sancta venerari debet, ut cognoscant omnes Deum.

§ 2. Dignum igitur et congruum existimavimus, ut quam Deus et Unigenitus Filius eius Dominus noster Iesus Christus, quasi sponsam ornatam coronâ et decoratam monilibus suis, in gloriâ miraculorum plebi suae manifestare dignatus est, nos quoque, pro pastorali sollicitudine nostrâ in universali Ecclesiâ, cui, licet meritis minime suffragantibus, praesidemus, tamquam Sanctam et electam Dei colendam et venerandam apostolicâ auctoritate decreverimus, ut omnes populi confiteantur Domino in omnibus mirabilibus eius, et cognoscat omnis caro, quoniam non defecerunt in diebus nostris miserationes eius: qui, quamvis peccatis nostris existentibus[1] visitet nos in virgâ indignationis suae, non tamen continet in irâ suâ misericordias suas; dum in afflictionibus nostris novis nos praesidiis munit, et amicos suos multiplicat, qui Ecclesiam suam meritorum et intercessionum suffragiis protegant ac defendant.

Theresia anno MDXV parentibus, et genere praeclaris orta, vitae integritate emicuit, et suae sanctitatis specimen dedit.

§ 3. Atque, ut universi christifideles intelligant, quam abunde in ancillam suam effuderit Deus de spiritu suo, ac propterea erga ipsam devotio in dies augeatur, insigniores quasdam eius virtutes, et aliqua ex magnalibus, quae in manu eius operatus est Dominus, his litteris duximus inserenda. Nata est Theresia Abulae, in regno Castellae, anno salutis humanae millesimo quingentesimo quintodecimo, parentibus, ut genere praeclaris, ita etiam vitae integritate conspicuis; a quibus in timore Domini educata, admirandum futurae sanctitatis in tenerrimâ adhuc aetate specimen dedit: nam, cum martyrum acta perlegeret, adeo Sancti Spiritus igne cor eius intra eam concaluit, ut cum fratre germano etiam puero domo aufugerit, ut in Africâ traiiceret, ubi sanguinem ac vitam pro testimonio Iesu Christi profunderet. Sed occursu patrui revocata, cum optimam sortem sibi ereptam esse iugibus lacrymis deploraret, ardens martyrii desiderium eleemosynis, aliisque operibus compensavit.

Ad XX annum perventa se Christo dicavit, inter moniales sanctae Mariae de Monte Carmelo professa est, et gravissimis morbis, multisque vexata tentationibus, omnia sustinuit.

§ 4. Sed cum ad vigesimum aetatis annum pervenisset, Christo se totam despondit, et vocationem, qua ab eo vocata erat, aggressa, ad moniales sanctae Mariae de Monte Carmelo Ordinis Mitigati se contulit, ut plantata in domo Domini, in atriis domus Dei nostri floreret. Professione itaque in eo monasterio emissâ, cum per duodeviginti annos gravissimis morbis, ac variis praeterea tentationibus vexata esset, nullisque supernis consolationibus reficeretur, adeo invicte, adiuvante Domino, omnia pertulit, ut probatio fidei illius, omni pretiosior auro quod per ignem probatur, inventa fuerit in laudem et gloriam et honorem, in revelationem Iesu Christi.

1 Forsan legendum *exigentibus* (R. T.).

Christi Corpus in Eucharistià mentis oculis intuità, gratiae gaudia recolens, mente excessit.

§ 5. Et quoniam, ad erigendum sublime christianarum virtutum aedificium, fidei fundamentum ponendum fuit, illud adeo stabile ac inconcussum Theresia collocavit, ut, iuxta verbum Domini, comparanda sit viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram: eâ etenim firmitate sacrosancta Ecclesiae sacramenta, ceteraque catholicae religionis dogmata credebat et venerabatur, ut maiorem, ut ipsa saepius testificabatur, de qualibet re certitudinem habere non posset: hac fidei lucernâ illuminata, Domini nostri Iesu Christi Corpus in sacratissimâ Eucharistiâ mentis oculis adeo clare intuebatur, ut assereret, nihil esse quod invideret eorum beatitudini, qui corporeis oculis Dominum conspexissent[1], tantum autem vivae spei in Domino collocaverat, ut iugiter deploraret, quod tamdiu in praesenti mortali vitâ detineretur, quae sibi impedimentum afferret, quo minus semper cum Domino esset, nec raro, dum in corde suo caelestis patriae gaudia recogitabat, mente excedebat, et ad eorum fruitionem in carne rapiebatur.

Divini amoris flammâ exarsit, eiusque incendio vitâ excessisse dixit.

§ 6. Sed inter ceteras Theresiae virtutes praecipue emicuit dilectio Dei; quae adeo in corde eius exarsit, ut confessarii ipsius Theresiae charitatem, tamquam non hominis, sed Cherubin propriam, admirarentur et celebrarent, quam etiam Dominus noster Iesus Christus multis visionibus, ac revelationibus mirabiliter auxit; quandoque enim datâ dexterâ, clavoque ostenso, illam in sponsam suam adoptavit, atque his verbis alloqui dignatus est; *deinceps, ut vera sponsa meum zelabis honorem; iam ipse sum totus tuus; et tu tota mea.* Aliquando etiam angelum vidit, ignito iaculo sibi praecordia transverberantem, ex quibus caelestibus donis divini amoris flamma iu eius corde adeo exaestuabat, ut maxime arduum votum a Deo edocta emiserit efficiendi semper quicquid perfectius esse et ad maiorem Dei gloriam pertinere intelligeret, quin etiam post mortem cuidam moniali per visum manifestavit, se non vi morbi, sed ex intollerabili divini amoris incendio vitâ excessisse.

Charitate proximum mirabiliter dilexit eiusque salutem ardenti desiderio desideravit.

§ 7. Sed quam perpetuâ charitate proximum dilexerit, multis argumentis manifestum fuit, sed praesertim ex ardenti desiderio, quo animarum salutem desiderabat. Infidelium enim et haereticorum tenebras perpetuis lacrymis deflebat, ac pro eorum illuminatione non solum iuges ad Deum preces fundebat, sed et ieiunia, flagellationes, ac alias carnis macerationes offerebat. Proposuit etiam sancta virgo in corde suo, nullum diem sine charitatis officio transigere; in quo etiam Deus ipsi auxilium praestitit: numquam enim ei defuit, ipso largiente, exercendae charitatis occasio.

In dilectione inimicorum mirabiliter Christum imitata est.

§ 8. Mirabiliter autem imitata est Dominum nostrum Iesum Christum in dilectione inimicorum: nam cum ingentes pateretur persecutiones et adversitates, diligebat tamen persequentes, et orabat pro his, qui oderant se; quinimo detrimenta et offensiones, quas perpetiebatur, amoris et charitatis ipsi escam ministrabant, adeo ut viri graves dicere solerent: *qui amari a Theresia vellet, damno aut iniuriâ ut eam afficeret, oportere.*

Et spiritus humilitate admirabiliter praefulsit.

§ 9. Vota vero, quae in professione Religionis Deo voverat, maxima curâ ac diligentiâ reddidit: nec enim tantummodo omnes exteriores actus superiorum arbitrio maximâ cum habilitate spiritus perficiebat; sed firmiter etiam in corde suo constituit, eorum voluntati omnes etiam cogitationes suas subiicere. Cuius etiam rei egregia exempla reliquit; nam Dominum Iesum Christum sibi saepius apparentem aliquando a confessariis iussa, qui delusam ab angelo tenebrarum suspicabantur, humiliter irrisit, sprevitque, sed non sine magno tam profundae obedientiae prae-

[1] Edit. Main. legit *compexisset* (R. T.).

mio; quin etiam volumen, quod in *Cantica Canticorum* insigni pietate refertum scripserat, ut confessario obtemperaret, flammis iniecit. Dicere autem solebat, *se in discernendis visionibus ac revelationibus decipi posse, in obedientiâ vero superioribus praestandâ falli non posse.*

Paupertatem omnimodam dilexit.

§ 10. Paupertatem adeo dilexit, ut non solum labore manuum suarum victum sibi compararet: sed, si quam monialem vilioribus indutam vestimentis conspexisset, illico suâ cum illius commutaret; ac, si quando sibi necessaria deficerent, mirifice laetaretur et exultaret, gratiasque Deo ageret, tamquam insigne aliquod consecuta beneficium.

Integerrima charitate excelluit.

§ 11. Sed inter ceteras eius virtutes, quibus, quasi sponsa a Deo ornata, mirifice excelluit, integerrima effulsit castitas; quam adeo eximie coluit, ut non solum propositum virginitatis servandae[1], a pueritiâ conceptum, usque ad mortem perduxerit, sed omnis expertem maculae, angelicam in corpore et corde servaverit puritatem.

Divinis charismatibus anima eius impinguata fuit.

§ 12. Quas adeo insignes virtutes mirificâ humilitate cordis ornabat. Cum etenim in dies divinis charismatibus anima eius impinguaretur, saepius exclamabat ad Dominum, *ut beneficiis in eam suis terminum statueret, nec tam cito ingentium scelerum oblivisceretur.*

Contumelias ardentissime sitivit honoresque abhorruit.

§ 13. Contumelias vero et irrisiones ardentissime sitiebat, ac non solum humanos honores, sed nosci quoque ab hominibus abhorrebat.

Invictae patientiae fuit.

§ 14. Invictam autem huius sanctae Virginis patientiam illa vox attestatur, quâ[2] saepius ad Dominum exclamabat: *Domine, aut pati, aut mori.*

Spiritu intelligentiae illustrata theologiae libellos edidit.

§ 15. Praeter haec omnia divinae beneficientiae munera, quibus hanc dilectam suam quasi pretiosis monilibus decoratam esse voluit omnipotens, aliis etiam gratiis et donis abunde ipsam locupletavit; adimplevit enim eam spiritu intelligentiae, ut non solum bonorum operum in Ecclesiâ Dei exempla relinqueret, sed et illam caelestis sapientiae imbribus irrigaret, editis de mysticâ theologiâ, aliisque etiam multâ pietate refertis libellis, ex quibus fidelium mentes uberrimos fructus percipiunt et ad supernae patriae desiderium maxime excitantur.

Ordini Carmelitano virorum mulierumque magna praestitit.

§ 16. Quibus caelestibus instructa ac illustrata muneribus, opus aggressa est maximum quidem, et cuicumque difficillimum, sed Ecclesiae Christi perquam utile ac proficuum: reformationem enim exorsa est Ordinis Carmelitani, illudque non solum in mulieribus, sed et in viris egregie praestitit.

Monasteria adversitatibus seculi superatis multa extruxit.

§ 17. Ædificatis non modo per universas Hispanias, sed et per alias etiam christiani orbis partes tam virorum quam mulierum monasteriis, sine pecuniâ, sine proventibus, de solâ Dei misericordiâ praesumens, nec modo omnibus humanis destituta auxiliis, sed adversantibus plerumque, ac contradicentibus principibus et potestatibus seculi: quae tamen, Domino opus suum confirmante, radices miserunt, incrementum susceperunt, et demum in domo Dei uberes proventus fructificarunt.

Miraculis multis adhuc vivens emicuit quorum aliqua inseruntur.

§ 18. Tantas virtutes Theresiae, plurimis, dum adhuc in humanis ageret, miraculis Deus illustravit: quorum nonnulla praesentibus litteris duximus inserenda. Cum in Conchensi dioecesi maxima esset frumenti penuria, atque in monasterio de Villanova de Xara vix tantum farinae reperiretur, ut per integrum mensem ad victum decem et octo monialium satis esset; huius sanctae virginis meritis et intercessione Deus omnipotens, qui sperantes in se enutrit, eam adeo abundare fecit, ut quamvis per sex menses ex eâ affatim panes ad refectionem ancillarum

1 Edit. Main. legit *servanda* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

Dei fierent, numquam tamen usque ad novas fruges diminueretur. Gravi erysipilate in vultu ac febri afflictabatur Anna a Trinitate, monialis conventus Medinae de Campo, cui Theresia primum blandita, deinde laesa membra leviter attrectans, *bono animo*, inquit, *sis filia, Deus, ut spero, te hoc modo*[1] *liberabit;* statimque febris, omnisque morbus ab eâ abscessit. Alberta eiusdem monasterii priorissa, pleuritide, ac febre, non absque vitae periculo, laborabat; at sancta virgo Theresia, tacto latere, quod morbo urgebatur, eam sanam esse pronunciavit, ac surgere iussit; illa perfecte sanata statim e lecto exiliit, laudans Deum.

Theresia tamdem sororibus suis paupertatem, obedientiamque commendans, eucharistia ac extrema unctione receptis, crucifixi effigiem manutenens obiit.

§ 19. Adveniente demum tempore, quo pro tot laboribus pro divino honore exhaustis, ac tot bonis operibus in Ecclesiae utilitatem perpetratis, coronam decoris de manu Dei esset receptura, gravi morbo Albe decumbens, cum toto infirmitatis tempore frequentes ac plene admirabiles de divinâ charitate cum sororibus sermones habuisset, saepius gratias Deo agens, quod se catholicae Ecclesiae aggregasset, commendans, tamquam praecipua bona, paupertatem, ac debitam praepositis obedientiam, accepto humillime, ac cum caelesti prorsus charitate sacro peregrinationis suae viatico, ac extremae unctionis sacramento, Christi crucifixi effigiem manutenens, ad caelestem patriam evolavit.

Et tunc mirabilia gloriae Theresiae signa visa fuerunt.

§ 20. Pluribus vero signis manifestavit Deus quam sublimem gloriae gradum Theresiae elargitus in caelis esset: multae etenim monialas, religiosae, ac timentes Deum, viderunt decorem gloriae eius. Alia etenim conspexit supra tectum ecclesiae, et in choro, et super decumbentis cubiculum multitudinem caelestium luminarium; alia Christum Dominum magno coruscantem splendore, et ingenti angelorum frequentiâ circumdatum, eius lecto assistentem; alia plurimos albis amictos vestibus ipsius cellam ingredientes, ac cubili circumfusos; quaedam etiam in ipso transitus momento candidam columbam ex ipsius ore in caelum evolantem; alia splendorem, chrystalli instar, fenestrâ egredientem vidit; quin etiam quaedam arbor, calce ac macerie obstructa, ac iamdudum arida, quae cubiculo proxima erat, praeter omnem temporis et naturae rationem, repente floribus onusta in ipsâ transitus horâ apparuit; corpus exanime, speciosissimum ac nullâ rugâ contractum ac miro decoratum candore apparuit, ac unâ cum vestibus ac linteolis, quibus aegra usa erat, omnibus admirantibus, mirifice spirans odorem. Multa etiam magnalia, quae meritis ancillae suae[1] operatus est Deus, ipsius in paradisum transitum exultabilem reddiderunt: quaedam etenim monialis, dudum capitis et oculorum infirmitate laborans, apprehensâ mortuae virginis manu, ac capiti, oculisque admotâ, statim convaluit; altera item eius exosculatis pedibus, sensum odoratus amissum recuperavit, et corporaliter odorem unguentorum, quo sacrosanctum eius corpus a Domino perfusum erat, percepit; corpus eius absque ullo prorsus medicamine ligneo loculo inclusum, alte effossâ ad sepulturam humo, ac ingentibus lapidibus et calce oppletâ scrobe, sepultum est, sed e sepulchro eius odor adeo ingens ac mirificus emanabat, ut decretum fuerit, sacrum corpus exhumare, atque illud sane integrum, ac incorruptum, ac si nuper tumulatum fuisset, repertum fuit, odorato liquore circumfusum, quo perenniter usque in praesentem diem, Deo ancillae suae sanctitatem iugi miraculo attestante, desudat; quare aliis vestibus indutum, novâque arcâ inclusum, cum priora computruissent, eodem loco conditum fuit, lapsoque triennio, cum rursus ipsius monumentum aperiretur,

1 Nisi legendum sit *morbo* (R. T.).

1 Erronee edit. Main. legit *suo* (R. T.).

ut sacrum pignus Abulam asportaretur, ac deinceps frequenter iussu delegatorum apostolicorum inviseretur, semper incorruptum, ac tractabile, eodem odore, ac liquore perfusum apparuit.

Miraculisque aliis claruit post mortem.

§ 21. Sed et procedentibus temporibus manifestavit Deus hominibus gloriam suam, praestitis per intercessionem ancillae suae frequentibus beneficiis his, qui se fideliter eius precibus commendassent. Puer etenim quidam quadriennis adeo contractus ac detortus erat, ut nec pedibus insistere, nec, cum iaceret, movere posset; eaque infirmitas, cum illi a nativitate fuisset, nullumque afferret doloris sensum, incurabilis prorsus videbatur; cumque per novem dies ad cubiculum, quod vivens sancta virgo inhabitaverat, allatus fuisset, sensit in se virtutem venientem, ac repente sanus ac validus, ac suis pedibus ambulans, stupentibus cunctis, cepit diffamare, se a matre Theresia de Iesu perfectam sanitatem fuisse consequutum. Saevissimis doloribus per biennium cruciabatur Anna a sancto Michaële monialis, tribus cancris pectus eius adeo affligentibus, ut non solum solemni[1] expers esset, sed nec collum flectere, nec brachia posset attollere; cumque particulam reliquiarum sanctae Theresiae super pectus apposuisset, et toto cordis affectu se eius patrocinio commendasset, non solum omnis evanuit plaga a corpore eius, sed et aliâ etiam, quam in corde diu habuerat, infirmitate libera momento temporis effecta est. Adeo vexabatur Franciscus Perez, parochialis ecclesiae rector, a postemate, quod in os pectoris insederat, ut, brachio etiam contracto, a celebratione sacrosancti missae sacrificii per quinque menses impediretur; humanisque remediis deficientibus, ad divina confugit, et ad montes Dei elevans oculos, salutem consequutus est; epistolam enim virginis Theresiae manu exaratam pectori admovens, consecutus est eius partis sanitatem, cumque deinde sepulchrum Virginis visitasset, eiusque brachium, quod Albe asservatur, proprio brachio, quod adhuc contractum erat, admovisset, in eo etiam divinam virtutem expertus est, restitutâ sibi perfectâ valetudine. Ioannes de Leyna magno gutturis morbo adeo affligebatur, ut omnis respirationis via fere interclusa esset, iamque morti proximus animam agebat, cum sudarium, quod sanctae Theresiae fuerat, ad morbi locum magnâ cum fiducia apposuit, somnoque captus, ac paulo post experrectus, se meritis beatae Theresiae curatum esse repente sanus exclamavit.

1 Ita legit edit. Main. tum Cherub. (R. T.).

Theresiae ideo sanctitas magna in veneratione fuit et in Hispaniis multi desuper fuerunt formati processus, ad Sedem Apostolicam transmissi.

§ 22. Cum igitur per universas iam gentes et nationes sanctitas Theresiae celebraretur, et nomen ipsius ad christifideles magno in honore esset, operante Domino per intercessionem eius tot mirabilia, quae etiam in dies unâ cum ipsius veneratione augebantur, fuerunt auctoritate apostolicâ in multis Hispaniae partibus formati processus, ac ad sanctam Sedem transmissi.

Instanteque Philippo III Hispaniarum rege Paulus V divinum officium de ipsa beata Virgine celebrari indulsit, et canonizationis negotium congregationi rituum commisit, novique processus desuper formati et ad eumdem Paulum transmissi fuerunt.

§ 23. Et instanter agente clarae memoriae Philippo III Hispaniae rege catholico, negotio tam in sacrâ rituum congregatione, quam in Rotâ diligenter discusso, felicis recordationis Paulus V praedecessor noster indulsit, ut in eius honorem tamquam de Beatâ Virgine divinum officium in toto fratrum Carmelitanorum Ordine posset celebrari[1]. Cumque idem Philippus rex iterum apud praedictum Paulum similiter praedecessorem nostrum pro canonizatione B. Virginis Theresiae supplicasset, idem Paulus iterum negocium commisit cardinalibus sacrae rituum congregationis, qui novos processus auctoritate apostolicâ conficiendos decreverunt, atque ad id munus peragendum bonae memo-

1 Bullam Pauli V non puto esse in *Bull.* (R. T.).

riae Bernardum cardinalem de Royas archiepiscopum Toletanum, et venerabiles fratres episcopos Abulensem et Salmaticensem eâdem auctoritate deputarunt, qui, cum diligenter de mandato negocio perfuncti essent, omnia acta eidem Paulo V praedecessori nostro transmiserunt.

Quos iterum iussit examinari per auditores rotae.

§ 24. Qui tribus apostolici palatii causarum auditoribus Francisco archiepiscopo Damasceno locumtenenti, nunc S. R. E. cardinali, Ioanni Baptistae Coccino decano, et Alphonso Manzanedo dedit in mandatis, ut summâ cum diligentiâ dicta acta examinarent, et, quae eorum sententia esset, ad ipsum referrent. Qui omnibus accurate, prout rei magnitudo postulabat, perpensis, eidem Paulo V praedecessori retulerunt, plene iustificari vitae sanctitatem, ac miracula beatae virginis Theresiae, omniaque abunde constare, quae pro canonizatione eiusdem a sacris canonibus requiruntur, posseque ad ulteriora procedi.

Et etiam per cardinales congregationis sacrorum rituum.

§ 25. Utque eâ maturitate, quae rem tantam decebat, negotium transigeretur, idem Paulus dilectis filiis nostris S. R. E. cardinalibus sacris ritibus praefectis ordinavit, ut praedictos processus quamdiligentissime rursus inspicerent, ac de totâ causâ accurate cognoscerent.

Paulo defuncto, iste Pontifex iisdem cardinalibus iussum Pauli exequendum mandavit.

§ 26. Cum vero idem Paulus humanae peregrinationis viam complevisset, nosque (nullis licet nostris meritis) solâ divinae gratiae dignatione ad Ecclesiae gubernacula vocati essemus, ad augumentum divini honoris et sanctae Ecclesiae utilitatem pertinere arbitrati sumus, ut huiusmodi negotium promoveretur, plurimum etiam ad praesentium temporum calamitatem levandam interesse existimavimus, si christifidelium devotio erga Sanctos et electos Dei, qui pro nobis in tantis necessitatibus intercederent, augeretur [1]. Mandavimus itaque praedictis cardinalibus, ut, quod illis a praedecessore nostro praedicto fuerat iniunctum, quamprimum exequerentur.

Et ab eis ad ulteriora procedendum fore accepit.

§ 27. Quod cum illi eâ diligentiâ, qua decebat, perfecissent, ac pro sanctae virginis canonizatione omnes unanimiter censuissent, venerabilis frater noster Franciscus Maria episcopus Portuensis cardinalis a Monte totius processus summam, ac suam, collegarumque sententiam coram nobis in consistorio nostro exposuit; quibus auditis reliqui cardinales, qui aderant, ad ulteriora fore procedendum communi suffragio pronuntiarunt.

Et in publico consistorio multis hic enunciatis ri e et recte completis, Theresiam sanctam esse definivit, et sanctarum virginum cathalogo adscripsit, eiusque festum die V octobris quotannis celebrari decrevit.

§ 28. Igitur, cum in publico consistorio dilectus filius Ioannes Baptista Mellinus, consistorialis aulae nostrae advocatus, pro eius canonizatione perorasset, ac nomine charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, ut ad eam procedere dignaremur, humiliter supplicasset, nos de re tantâ venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales et episcopos in curiâ praesentes consultores [1] esse respondimus, atque interim cardinales atque episcopos praesentes vehementer in visceribus Christi hortati sumus, ut orationibus instantes, in ieiuniis et eleemosynis animas suas coram Deo nobiscum humiliantes, preces [2] a Deo Patre luminum exposcerent, ut ex alto super nos lucem suam et veritatem suam emitteret, quae nos ad voluntatem et beneplacitum eius cognoscendum et perficiendum deduceret. Itaque cum semipublico consistorio, quod consequenter celebratum est, vocatis non modo cardinalibus, sed patriarchis, archiepiscopis et episcopis in curiâ nostrâ existentibus, praesentibus etiam nostris ac Sedis Apostolicae notariis, ac sacri palatii apostolici causarum auditoribus, cum plura a nobis de eximiâ sanctitate ancillae Dei, ac miraculorum frequentiâ et celebritate, populorumque erga eam per

1 Edit. Main. legit *augerentur* (R. T.).

1 Videretur legendum *consulturos* (R. T.).
2 Potius legendum *prece* (R. T.).

universas christianas nationes devotione, commemorata fuissent, expositis etiam instantiis, quae coram nobis non modo nomine maximorum regum, sed etiam charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi, aliorumque complurium christianorum principum fiebant, omnes concorditer ac uno ore benedicentes Deum, amicos suos honorificantem, beatam Theresiam canonizandam esse, atque inter Sanctas Virgines adscribendam censuerunt; quorum omnium audito consensu, intimo cordis affectu exultavimus in Domino, et iubilavimus in salutari eius, gratias[1] agentes Deo, et Filio eius Domino nostro Iesu Christo, quod Ecclesiam misericorditer respexisset, ac tantâ gloriâ illustrare decrevisset; canonizationis itaque publicavimus diem, eosdemque fratres ac filios nostros monuimus, ut in orationibus et eleemosynis perseverarent, ut in tanto opere exequendo splendor Domini Dei nostri esset super nos, qui opus manuum nostrarum ad perficiendam eius voluntatem dirigeret. Demum, peractis omnibus quae ex sacris constitutionibus ac Romanae Ecclesiae consuetudine peragenda erant, hodie in sacrosanctâ Principis apostolorum basilicâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis et episcopis, Romanaeque curiae praelatis, officialibus et familiaribus nostris, clero seculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ, convenimus; ubi, repetitis pro canonizationis decreto petitionibus nomine eiusdem charissimi in Christo filii nostri Philippi regis catholici a dilecto filio nostro Ludovico titulus sanctae Mariae Transpontinae cardinali Ludovisio nuncupato, nostro secundum carnem nepote, per Nicolaum Zambeccarium, consistorialis aulae nostrae advocatum praedictum, decantatis

1 Edit. Main. legit *gratia* (R. T.).

sacris precibus et litaniis, ac Spiritus Sancti gratiâ humiliter imploratâ; ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, et Fidei Catholicae exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, beatorum apostolorum, ac nostrâ, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum in Romanâ curiâ praesentium consilio ac unanimi consensu, bonae memoriae Theresiam virginem de Abula, de cuius vitae sanctitate, fidei sinceritate, et miraculorum excellentiâ plene constabat et constat,[1] Sanctam esse definivimus, ac Sanctarum Virginum catalogo adscribendam decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, illamque universos christifideles tamquam vere Sanctam honorare et venerari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab universali Ecclesiâ in eius honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari et consecrari, et singulis annis die V octobris, quo ad[2] caelestem gloriam translata est, eius Officium, ut de Sanctâ Virgine, ad praescriptum romani breviarii celebrari possit.

Indulgentias eius sepulchrum concessit visitantibus.

§ 29. Eâdemque auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis eodem festo die ad sepulchrum, in quo corpus eius requiescit, visitandum accesserint, unum annum et unam quadragenam, iis vero, qui in eiusdem festi octavâ, quadraginta dies de iniunctis eis seu quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus ac relaxamus.

Omnibusque qui huiusmodi canonizationi praesentes fuerunt.

§ 30. Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare dignatus esset, decantatâ in sanctae Theresiae honorem solemni Sanctarum Virginum oratione, ad altare

1 Coniunct. *ac* delemus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *quoad* (R. T.).

Principis apostolorum missam celebravimus cum eiusdem Sanctae Virginis commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessimus.

Hortatur demum omnes ad benedicendum, et glorificandum Deum ob huiusmodi peractam canonizationem.

§ 31. Decet igitur, ut pro tam insigni beneficio omnes cum omni humilitate benedicamus et glorificemus Eum, quem decet omnis benedictio, et honor, et gloria, et potestas in secula seculorum, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electae suae a peccatis nostris faciem suam avertens misereatur nostri, et respiciat nos, et ostendat nobis lucem misericordiarum suarum, et immittat timorem suum super gentes, quae non cognoverunt eum, ut cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

Exemplis huius bullae ubique fidem dari iubet.

§ 32. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctionemque poenalem adiunxit.

§ 33. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis et volutatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXII[1], quarto idus martii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 martii 1622, pontif. an. II.

Papae subscriptio.

✠ EGO GREGORIUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Cardinalium subscriptiones.

† Ego Antonius cardinalis Saulius decanus.

† Ego Franciscus Maria cardinalis a Monte episcopus Portuensis.

† Ego Franciscus Sfortia cardinalis episcopus Tusculanus.

† Ego Alexandrus cardinalis Montaltus episcopus Albanensis, S R. E. vicecancellarius.

† Ego Octavius episcopus Praenestinus cardinalis Bandinus.

† Ego Andreas tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis Perettus.

† Ego Ioannes Baptista tituli Ss. Petri et Marcellini presbyter cardinalis Detus.

† Ego Dominicus cardinalis Ss. Apostolorum Gymnasius.

† Ego Carolus tituli sancti Caesarei cardinalis Madrutius.

† Ego S. tituli sancti Chrysogoni presbyter cardinalis Burghesius.

† Ego M. tituli sancti Onuphrii presbyter cardinalis Barberinus.

† Ego Ioannes Garzia tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbyter cardinalis Millinus.

† Ego M. tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Lantes.

† Ego Fabritius tituli sancti Augustini presbyter cardinalis Verallus.

† Ego Ioannes Baptista tituli sanctae Caeciliae presbyter cardinalis Lenius.

† Ego Dominicus tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis Rivarola.

† Ego Gaspar cardinalis Borgia, tituli sanctae Crucis in Hierusalem.

† Ego Robertus tituli sancti Alexii presbyter cardinalis Ubaldinus.

† Ego Tiberius tituli sancti Priscae presbyter cardinalis Mutus.

† Ego Gabriel tituli sancti Bartholomaei in Insula presbyter cardinalis de Treio.

† Ego S. presbyter cardinalis S. Susannae, S. R. E. bibliothecarius.

† Ego Guido tituli sanctae Mariae de Populo presbyter cardinalis Bentivolius.

1 Erronee edit. Main. habet 1621 (R. T.).

† Ego Petrus tituli sancti Salvatoris in Lauro presbyter cardinalis Valerius.

† Ego I. Federicus tituli sancti Laurentii in Panisperna cardinalis de Zolleren.

† Ego Iulius sanctae Mariae supra Minervam cardinalis Romanus.

† Ego Fr. Desiderius tituli sancti Clementis cardinalis de Cremona.

† Ego Stephanus tituli sanctae Mariae in Via cardinalis Pignatellus.

† Ego Franciscus tituli sancti Matthaei in Merulana presbyter cardinalis Sacratus.

† Ego M. Antonii titulo sancti Eusebii presbyter cardinalis Gozadinus.

† Ego Alexander tituli sanctae Mariae in Vialata cardinalis Estensis.

† Ego Carolus Emanuel sancti Nicolai in carcere Tulliano cardinalis Pius.

† Ego Mauritius sancti Eustachii diaconus cardinalis de Sabaudia.

† Ego Carolus sanctae Mariae in Dominica cardinalis Medices.

† Ego Ludovicus tituli sancti Hadriani Cardinalis de la Vallette.

† Ego Franciscus sancti Angeli in Foro Piscium diaconus cardinali Boncompagnus.

† Ego Hippolytus sanctae Mariae Novae cardinalis Aldobrandinus.

LIV.

Institutio collegii sancti Bonaventurae in civitate Pragae pro studentibus fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci, cum applicatione annui redditus, ab imperatore Ferdinando II ei assignati[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supereminenti Sedis Apostolicae speculâ, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes quantum ex litterarum studiis catholica fides augeatur, divini nominis cultus protendatur, veritas agnoscatur, ac iustitia colatur, ad ea, per quae litterarum studia huiusmodi ubilibet excitentur, libenter intendimus, et in his sollicitudinis nostrae partes propensius impertimur, prout, locorum qualitate pensatâ, conspicimus salubriter in Domino expedire.

Imperator Ferdinandus II annuum redditum assignavit pro collegio in domo regulari sancti Iacobi Pragensis, Ordinis fratrum conventualium sancti Francisci, erigendo pro collegialibus eiusdem Ordinis professoribus ab isto Pontifice; qui ad eiusdem imperatoris petitionem illud sub invocatione sancti Bonaventurae cum privilegiis similis collegii sancti Bonaventurae in Urbe instituit et erigit.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii Iacobi de Bagnacavallo, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum ministri generalis, nomine nobis nuper expositum fuit, charissimus in Christo filius noster Ferdinandus Romanorum rex, in imperatorem electus, mille et ducentos taleros annuos monetae illarum partium pro duodecim baccalaureorum in domo regulari sancti Iacobi Pragensis, eiusdem Ordinis, manutentione assignaverit, et propterea dictus Ferdinandus rex, in imperatorem electus, tam ad fratrum dicti Ordinis in praedictâ domo studentium commodum et profectum, quam etiam ad militantis Ecclesiae exaltationem, ipsiusque civitatis decorem, in praedictâ domo unum collegium studii pro uno regente nuncupando ac duodecim baccalaureis, seu collegialibus eiusdem Ordinis professoribus, per nos erigi et institui, aliasque, ut infra, indulgeri summopere desideret, nos, piis et laudabilibus dicti Ferdinandi regis in imperatorem electi votis in praemissis annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, necnon militantis Ecclesiae exaltationem, divinique cultus et orthodoxae fidei augmentum, ac religiosorum praedictorum commoditatem et profectum, in praedictâ domo unum collegium sub invocatione sancti Bonaventurae, eiusdem Ordinis professo-

1 Aliud pro studentibus collegium eiusdem Ordinis erexit Paulus V in insula Melevitana ut sup. in Const. CCCXXXII, *In supereminenti*, p. 477, h. t.

soris, cum omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, et indultis collegio sancti Bonaventurae eiusdem Ordinis de Urbe concessis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Illique dictum annuum redditum perpetuo applicat.

§ 2. Illique sic erecto et instituto, pro eius dote, ac unius regentis, et duodecim baccalaureorum seu collegialium inibi pro tempore existentium sustentatione, et onerum eis incumbentium supportatione, mille et ducentos taleros huiusmodi (ita quod liceat eis corporalem, realem et actualem illorum possessionem suo et dicti collegii nominibus propriâ auctoritate libere apprehendere et retinere, ac in ipsius collegii usus et utilitatem convertere) auctoritate et tenore praedictis etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Clausulas huius erectionis subiicit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariisque derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die v aprilis MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 aprilis 1622, pontif. anno II.

LV.

Confirmatio privilegiorum, gratiarum et indultorum tam spiritualium quam temporalium concessorum Ordini et fratribus Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum [1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, ut sacrarum religionum, in militari Ecclesiâ suaves in Domino fructus assidue praestantium, paternam curam gerentes, privilegia, gratias et indulta illis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et Apostolicâ Sede concessa, quo validius perpetuo subsistant, nostrae confirmationis robore muniamus.

Isti fratres supplicarunt Pontificem pro confirmatione privilegiorum tam confirmatorum a Clemente VIII et Paulo V.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus Petit, magister generalis Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum, quod variae gratiae, concessiones, libertates, praerogativae, favores, immunitates, exemptiones, facultates et alia privilegia et indulta dicto Ordini, illiusque superioribus, fratribus, monialibus, personis, domibus, ecclesiis et locis, nunc et pro tempore existentibus, a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris olim concessa, et a felicis recordationis Clemente VIII et novissime Paulo V Romanis Pontificibus similiter praedecessoribus nostris confirmata fuerunt. Cum autem maiorem obtineant roboris firmitatem ea quae apostolicâ auctoritate saepius muniuntur, et propterea dictus Ludovicus magister generalis privilegia, gratias, indulta aliaque praedicta per nos apostolicâ auctoritate etiam confirmari et approbari plurimum desideret, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Qua modo ea omnia confirmat supplendo om-

§ 2. Nos igitur, Ordinem praedictum, ex quo uberrimi fructus in Ecclesiâ Dei

1 Huius Ordinis institutionem, ac approbationem regulae, cum omnibus aliis ipsum concernentibus, habes Constit. LXIX Innoc. III, *Operante*, tom. III, pag. 234.

nes tam iuris quam facti defectus.

ad illius laudem et christianae reipublicae necnon captivorum commodum et utilitatem, sicut accepimus, in dies proveniunt, specialis gratiae favore prosequi volentes, ac eumdem magistrum generalem et praedicti Ordinis singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, facultates, gratias, concessiones et indulta, tam spiritualia quam temporalia, eidem Ordini, illiusque superioribus, fratribus, monialibus, et sororibus, et personis, necnon ecclesiis, domibus ac locis, bonis et rebus quibuscumque, ut supra, concessa et confirmata, dummodo tamen privilegia et indulta et alia praedicta omnia in usu nec revocata aut sub aliquibus revocationibus et abolitionibus comprehensa sint, et sacri Concilii Tridentini decretis, et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis regularibus institutis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robore communimus, supplentes omnes et singulos, tam iuris quam facti, et quarumcumque solemnitatum, etiam de iure, necessitate, aut aliàs quomodolibet requisitarum, ac forsan omissarum, et quoscumque alios, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, defectus.

Exequutores deputat.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Burgensi et episcopo Parisiensi, ac dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel per alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte praedicti Ludovici magistri generalis, ac omnium et singulorum quos concernunt, fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque omnibus et singulis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos omnes et singulos effectu earumdem praesentium pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria removet.

§ 4. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII pariter praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis [1] editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon Ordinis praedicti (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *concilii* (R. T.).

Transumptis fidem dari mandat.

§ 20. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII aprilis MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 aprilis 1622, pontif. an. II.

LVI.

Beatificatio Servi Dei fratris Petri de Alcantara Ordinis Minorum strictioris Observantiae Discalceatorum professoris, provinciae sancti Iosephi in regno Castellae fundatoris, cum officio et missa unius confessoris non pontificis die XIX *octobris celebrando a totâ Religione dictorum Minorum* [1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In sede Principis apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, a Domino constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Philippo III et IV regibus Hispaniarum instantibus cardinales congregationis sacrorum rituum examinato processu fratris Petri de Alcantara canonizari posse per hunc Pontificem censuerunt.

§ 1. Cum itaque, instantibus non solum clarae memoriae Philippo III et charissimo in Christo filio nostro Philippo IV, Hispaniarum regibus catholicis, sed etiam fere omnibus Hispaniae regnis, venerabiles fratres nostri sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sacris ritibus praepositi, de mandato nostro causam Servi Dei Petri de Alcantara Ordinis Minorum strictioris Observantiae Discalceatorum nuncupatorum, ac provinciae S. Iosephi eiusdem Ordinis fundatoris, iuxta seriem relationis trium causarum palatii apostolici auditorum ad effectum canonizationis pluries examinaverint, ac multis desuper habitis sessionibus, referente dilecto filio nostro Marco Antonio tituli S. Eusebii presbytero cardinali Gozzadino nuncupato, plenissime constare de validitate processuum, famâ sanctitatis, fidei puritate, ceterisque virtutibus, non in genere solum, sed etiam in specie, reliquiarum ac sepulchri veneratione, plurimisque tandem miraculis, pronunciaverint, censuerintque posse nos, quandocumque voluerimus, eumdem Dei servum, iuxta catholicae Ecclesiae ritum, Sanctum, atque in caelis regnantem declarare, omnibusque fidelibus solemni canonizatione proponere venerandum;

Philippus IV institit officium et missam celebrari interim posse in dicta religione.

§ 2. Praedictus vero Philippus IV rex, et dilecti filii minister generalis et fratres Ordinis praedicti nobis humiliter supplicari fecerint, ut, donec ad canonizationem dicti Petri deveniatur, idem Petrus Beatus nuncupari, ac de eo tamquam de Confessore non pontifice missa ac officium, ut infra, celebrari et recitari respective possit, indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur;

Pontifex id concedit.

§ 3. Nos, supplicationibus huiusmodi inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, ut idem Dei servus Petrus de Alcantara imposterum Beatus nuncupari, atque de eo tamquam de Confessore non Pontifice die XIX octobris, qua ipsius obitus memoria celebrabitur, ubique terrarum ab universâ religione Minorum Observantium utriusque sexus respective missa celebrari atque officium recitari possit;

Diversis tamen modis, in diversis locis, ut sequitur.

§ 4. In oppido vero de Alcantara nullius dioecesis, ubi natus, atque in altero de Arenas Abulensis dioecesis, ubi corpus eiusdem requiescere accepimus, omnibus tam regularibus, quam secularibus clericis, sub ritu tamen semiduplici, facere idem omnino liceat;

[1] De huiusmodi fratribus vide Clem. VII in Const. XLIII *In suprema*, tom. VI, pag. 155.

§ 5. Ac demum in provinciâ praedictâ sancti Iosephi, cuius auctor extitit, ab ipsis dicti Ordinis Discalceatorum fratribus, etiam cum octavâ, veluti de patrono, officium pariter ac missa iuxta Breviarii ac Missalis Romani rubricas celebrari possint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Quaecumque contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII aprilis MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 aprilis 1622, pontif. an. II.

LVII.

Quod festum sanctae Annae matris Mariae Virginis de praecepto ubique observetur[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium cum enarratione meritorum et venerationis sanctae Annae matri beatissimae Virginis Mariae debitae.

Honor laudis, et cultus venerationis, quem sanctae Dei Genitricis parenti beatae Annae in sanctâ tribuitur Ecclesiâ, quam merito fuerit spiritu Dei dictante, cuius providentiâ Ecclesia regitur et gubernatur, variis temporibus auctus; inenarrabilis sanctissimae eius Filiae dignitas et celsitudo satis superque declarant: cum enim coronet parentes gloria liberorum, tanti dono partus a Domino dignatam matrem, tamquam honoris et gratiae caelestis abundantiâ similiter decoratam, universa Ecclesia, tam in occidente quam in oriente, praecipuo culto et religione prosequuta est; nec sine magno credentium fructu, et religionis incremento, ut in Domino sperare debemus, exhibitus et amplificatus est hic honor; crescente enim in eam fidelium devotione, etiam patrocinium, quod apud Deum per seipsam, et per caeli reginam eius filiam gerit, eorumdem augeri merito credimus; sicut in gloriosae parentis veneratione gloriosissimam eius filiam honorari non dubitamus, tantoque magis eius tutelam et intercessionem apud unigenitum Filium Dominum nostrum Iesum Christum nos promereri, quanto maioribus honoribus, per nostram erga eius parentem reverentiam, eam veneramur et colimus.

Propter quae, et praecipuam quam hic Pontificem erga eam devotionem gerit,

§ 1. Haec nos nobiscum cogitantes, et peculiari etiam in beatam Annam devotione incitati, praedecessorum nostrorum quoque in eius augendo cultu religionem in Domino aemulantes, et gregis nobis a Domino crediti spiritualis utilitatis augmento consulere pro nostro pastoralis officii debito cupientes, beatae Annae festum in universali Ecclesiâ Dei amplius honorandum censuimus.

Festum eius de praecepto decernit observari.

§ 2. Itaque, hac nostrâ perpetuo valiturâ Constitutione, festum sanctae Annae ab omnibus christifidelibus sicut alia festa de praecepto celebrari et observari, ab omnique illicito opere abstineri, et sub praecepto observationis festorum comprehendi volumus, praecipimus et mandamus.

[1] Hoc festum sub duplici officio et die XXVI iulii celebrari decreverat Gregorius XIII in sua Constit CLXI *Sancta Mater*, tom. VIII, pag. 455. Quinimo iste Pontifex festum sancti Ioachim, patris eiusdem beatae Mariae Virginis, sub duplici officio iussit observari, ut infra. Et mox S.R.E. Cardinales Congregationis sacrorum rituum die VIII maii MDCXXI decreverunt, etiam festum sancti Iosephi sponsi eiusdem beatae Virginis de praecepto deinceps celebrari.

Contrariis derogat.

§ 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII aprilis MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 aprilis 1622, pontif. an. II.

LVIII.

Electio et deputatio Iosephi a Matre Dei in minis rum generalem totius Congregationis Clericorum regularium pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, qui unâ cum quatuor hic descriptis sociis vocem habeat activam et passivam, totumque corpus religionis ad novennium regat[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Apostolici muneris sollicitudo, divinâ dispensatione, nullo licet merito nostro, nobis imposita, postulat, ut circa statum religiosarum personarum quarumlibet invigilantes, ad ea, per quae religiosae personae huiusmodi in laudabili earum instituto perseverare valeant, sedulo intendamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Electio et deputatio ministri generalis et quatuor eius sociorum pro regimine Congregationis clericorum pauperum matris Dei Scholarum Piarum.

§ 1. Hinc est quod nos, prospero, felicique dilectorum filiorum clericorum regularium congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum de Urbe regimini, quantum cum Domino possumus, consulere, eosdemque clericos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis regularium praepositorum consilio, dilectum filium Iosephum a Matre Dei, eiusdem Congregationis clericum, ministrum generalem ipsius Congregationis ad novennium tantum, qui cum dilectis etiam filiis Petro a Nativitate, Viviano ab Assumptione, Francisco a Purificatione, ac Paulo ab Assumptione, dictae Congregationis pariter clericis sociis suis, vocem activam et passivam habeat, ac corpus religionis repraesentet, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus.

Ac facultatis concessio his praedictis emittendi vota in manu alicuius praelati.

§ 2. Nec non eidem Iosepho, ut tam ipse quam sui socii praedicti vota solemnia in manibus alicuius praelati ecclesiastici, eorum arbitrio eligendi, emittere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac Iosepho et aliis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Decretum irritans.

§ 4. Irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et syno-

[1] De ista Congregatione, et toto eius statu vide in Const. XLII, *In supremo*, sup. pag. 627 huius tomi.

dalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII aprilis MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 aprilis 1622, pontif. anno II.

LIX[1].

Ampliatio et declaratio prohibitionis asserendi Beatam Mariam Virginem conceptam fuisse in peccato originali[2].

In generali Congregatione sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habitâ in palatio apostolico in monte Quirinali coram SS. Domino nostro Gregorio divinâ providentiâ Papa XV, ac illustrissimis et reverendissimis dominis S. R. E. cardinalibus adversus haereticam pravitatem Inquisitoribus generalibus a sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis, feriâ III, die XXIV maii, anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXII.

Sanctissimus Dominus noster, auditis votis illustrissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum, decretum aliàs editum a felicis recordationis Paulo V eius praedecessore tenoris sequentis, videlicet[3]:

Pauli V decretum.

Sanctissimus Dominus noster, post longam et maturam discussionem, auditis votis illustrissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum, re accurate ac diligenter perpensâ, provide considerans, quod, quamvis in constitutione felicis recordationis Sixti IV super conceptione Beatissimae Virginis Mariae, pro submovendis inter christifideles scandalis, rixis et contentionibus, editâ a sanctâ Tridentinâ Synodo innovatâ, et deinde in aliâ constitutione sanctae memoriae Pii V super eâdem re (quas similiter Sanctitas Sua innovavit cum quibusdam provisionibus et adiectionibus poenarum pro efficaciori earum observatione) relinquatur unicuique libera facultas tenendi et etiam asserendi utramque partem, quod scilicet fuerit vel non fuerit concepta cum peccato originali, [1] dum tamen neutra veluti erronea aut haeretica damnetur; nihilominus ex occasione assertionis affirmativae in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus et actibus publicis, quod eadem beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo christiano, cum magnâ Dei offensâ, scandala, iurgia et dissentiones; propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris providere, decrevit et praecepit, ac praesentis decreti virtute mandat et praecipit [2] omnibus et singulis cuiusvis ordinis et instituti regularibus, et aliis quibuscumque, tam ecclesiasticis quam secularibus personis, cuiusvis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam ecclesiasticae quam secularis, etiam si specialis, specifica et individua earum esset necessario mentio facienda, ut in posterum, donec articulus huiusmodi a sanctâ Sede Apostolicâ fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem Suam et Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, et aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contrafa-

Quo prohibuit in actibus publicis asserere Beatam Virginem conceptam fuisse in peccato originali, ut in Constitutione citatâ in nota ad rubricam.

1 Apud Main. serius edita sub num. LXVIII (R. T.).

2 Ad haec vide Pauli V Const. CCLXXXI, *Regis*, supra pag. 356.

3 Sequens transumptum correspondet adamussim Const. CCXCIV Pauli V relatae ad pag. 396 usque ad § VII inclusive (R. T.).

1 Delemus coniunctionem *et* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *praecepit* (R. T.).

cientes autem eadem Sanctitas Sua voluit et declaravit subiacere debere, et subiecit censuris et poenis contentis in supradictis constitutionibus suorum praedecessorum, et suâ ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen provisionem Sanctitas Sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus praeiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu et terminis, in quibus de praesenti reperitur, praeterquam quoad supra disposita. Ulterius sub eisdem censuris et poenis mandans, quod negativam opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali, in praedictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit et expresse mandavit, ut, extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictae constitutiones firmae et illaesae remaneant, et exacte observentur, perinde ac si praesens decretum non emanasset. Et ita decrevit et mandavit ubique inviolabiliter observari, non obstantibus in hac parte supradictis constitutionibus, et aliis omnibus in contrarium facientibus [1]

Quod hic Pontifex extendit etiam ad actus privatos.

§ 2. Hoc suo praesenti decreto, ex eisdem causis evitandi scandala, dissensiones, atque discordias in populo christiano, quae pari ratione oriri possunt, et, ut accepit, in aliquibus regionibus iam ortae sunt, ex sermonibus privatis occasione assertionis affirmativae, extendit et ampliavit etiam ad privata colloquia et scripta, mandans et praecipiens omnibus et singulis supradictis, ne de cetero, donec articulus huiusmodi a Sede Apostolicâ definitus, vel per Sanctitatem Suam et Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus et scriptis privatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativâ aliquo modo agere seu tractare, exceptis tamen quibus a sanctâ Sede Apostolicâ fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas Sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorsus praeiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu et terminis, in quibus reperitur, praeterquam quoad in supradicto felicis recordationis Pauli V et hoc suo decreto disposita.

Et in reliquis servandas esse aliorum Pontificum Constitutiones.

§ 3. Eademque Sanctitas sua voluit et expresse mandavit, ut in reliquis omnibus, ubi huiusmodi decretis non adversantur, constitutiones Sixti IV, Alexandri VI, et Pii V, ac Pauli V eius praedecessorum, super Conceptione Beatissimae Virginis, firmae et illibatae remaneant, ac exacte observentur, perinde ac si huiusmodi decretum non emanasset.

Et in divinis officiis celebrandis non alio quam Conceptionis nomine uti debere praecipit.

§ 4. Et insuper eadem Sanctitas Sua, cum sancta Romana Ecclesia de Beatissimae Virginis Conceptione festum solemniter et officium celebret, omnibus et singulis personis ecclesiasticis, tam secularibus quam cuiusvis ordinis et instituti regularibus, mandat ac praecipit, ut in sacrosancto Missae sacrificio ac divino officio celebrandis, tam publice quam privatim, non alio, quam Conceptionis nomine uti debeant. Contravenientes autem Sanctitas Sua voluit et declaravit subiacere debere, et subiecit censuris et poenis contentis in supradictis constitutionibus ac praefato decreto suorum praedecessorum ipso facto incurrendis. Et ita decrevit et mandavit ubique inviolabiliter observari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus in hac parte constitutionibus suprascriptis, decreto praefato Pauli V, consuetudinibus etiam immemorabilibus, nec non omnibus et singulis, quae praedecessores praedicti voluerunt non obstare, ac aliis quibuscumque in contrarium facientibus.

Exequutores deputat contra omnes.

§ 6. Volens et decernens pro observatione et exequutione praesentis decreti, et

1 Hucusque transumptum Const. Pauli V (R.T.).

omnium in eo contentorum, quod contra huiusmodi transgressores, etiam regulares cuiusvis ordinis et instituti, etiam quomodolibet exemptos, et alias quascumque ecclesiasticas et seculares personas, cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam ecclesiasticae quam secularis, tam episcopi et praelati superiores, aliique Ordinarii locorum, quam haereticae pravitatis ubique locorum deputati inquisitores procedant, et in eos severe animadvertant, tribuens eis et eorum cuilibet liberam facultatem et auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac poenis coërcendi et puniendi.

Publicationem in Urbe decrevit omnes ligare debere.

§ 7. Voluit demum, ne praemissorum ignorantia a quoquam praetendi possit, quod praesens decretum, seu illius exempla, ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe et in acie campi Florae affixa, omnes ita arctent et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimata fuissent; quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si fuerint exhibitae vel ostensae.

ANDREAS DE PETTINIS *S. R., et univers. Inquis. Not.*

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, indictione v, *die vero secundâ mensis iunii, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et domini nostri D. Gregorii divinâ providentiâ Papae XV anno eius secundo, supradictum decretum affixum et publicatum fuit ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe, et in acie Campi Florae, ut moris est, per me Brandimartem Latinum SS. D. N. Papae cursorem.*

LX.

Erectio Congregationis de Propaganda Fide.

Gregorius Papa XV,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inscrutabili divinae providentiae arcano ad Christi Ecclesiae regenda gubernacula, nullis nostris meritis, a Spiritu Sancto vocati, praecipuas nostri pastoralis muneris partes esse intelligimus sedulo invigilandi et quantum nobis ex alto conceditur intentis studiis adnitendi, ut oves miserabiliter errantes, ad Christi ovile adducantur ac Dominum gregis agnoscant et pastorem. Quo scilicet, divinâ adspirante gratiâ, desinant per infelicia pascua infidelitatis et haeresum vagari, et aquâ mortiferâ pestilentiae potari, sed in loco pascuae verae fidei ac salutaris doctrinae collocentur, et adducantur ad vitae fontes aquarum. Et vero quis non intelligit, omnem nostram sollicitudinem desiderare, omnemque conatum a nobis exigere opus adductionis animarum ad Ecclesiam Christi? Quippe quod tanti fecerit Deus mundi salutem, ut ipsum Unigenitum suum daret, Unigenitum illum, qui cum esset splendor gloriae et figura substantiae eius, portans omnia verbo virtutis suae, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; ut suâ nimiâ charitate servos, et malos servos, Dominus redimeret pretio Sanguinis sui. Inaestimabilis huius charitatis imitatores esse profecto omnes debent, qui christiano nomine fideliter gloriantur, et membra Christi effecti sunt, ut eius verbi factores sint, non auditores tantum: nam et per sanctum Apostolum suum monet: *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.* Quod si haec

ad unumquemque christianorum scripta sunt, quanto magis ad eos, qui in sortem et militiam Christi vocati, positi sunt episcopi regere Ecclesiam suam? Quibus saepe per prophetas suos gravibus verbis comminatur, si pascentes semetipsos gregem non pascunt, et quod crassum est occidentes infirmum non consolidant, aegrotum non sanant, confractum non alligant, abiectum non reducunt, perditum non quaerunt. Quae profecto voces, ut omnes ecclesiarum rectores valide sollicitos habere debent, licet in partem sollicitudinis sint vocati, ita multo vehementius nos urgent, qui in plenitudinem electi, non solum universo gregi, sed etiam pastoribus praepositi sumus. Quocirca quod apostolis omnibus a Domino mandabatur, ut praedicarent evangelium omni creaturae, principaliter Petro incumbebat, qui omnibus praestabat praerogativâ principatus, et cui soli iniunctum fuerat a Domino, ut pasceret oves suas. Quapropter et uni Petro vas illud, quasi linteum, ostenditur quatuor initiis de caelo submitti in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terrae et volatilia caeli, quodque illa vox sequuta est, *surge Petre, occide, et manduca,* ut praefiguraretur Petri et successorum eius munus ex quatuor mundi partibus homines variâ impietate insipientes congregandi quo eos quasi occidendo, hoc est, veteri vitâ exuendo, et exutos manducando, idest in sua membra, qui visibile erat caput Ecclesiae, convertendo, etiam membra Christi redderet, invisibilis Ecclesiae capitis; atque ita adipiscerentur participationem generationis Christi, eamque adepti, quae Christi sunt saperent, quae Christi sunt operarentur, ac demum per gratiam Spiritus Sancti eius in aeterna pascua trasferrentur [1], potandi torrente inexhausto voluptatis Dei. Quantum vero his calamitosis temporibus excreverit errantium et dispersarum ovium numerus, qui Ecclesiam sanctam eius catholicam, Christi ovile, vel nunquam cognoverunt, vel cognitam Satanae dolis deseruerunt, sine lacrymis commemorari non potest. Si enim mentis nostrae aciem convertimus ad innumerabilem populorum multitudinem, iam tot seculis Agarenorum impurissimâ dementiâ captam, insanique erroris ac mendacii tenebris obcaecatam, miseratione commoventur viscera nostra, cernentes, tam multis ac variis caelestibus donis olim celebres nationes per ignorantiae et pestilentis persuasionis stuporem humanitatem in bestiarum naturam fere mutasse, atque ad aeterna incendia diabolo et angelis eius parata ali ac propagari. Et licet inter eas aliquae sint gentes, in iustitiâ [2] detentae, quae Christi nomen invocant; tamen ita antiquarum haeresum veneno sunt infectae, ut sinceram veritatem paucissimae agnoscant, ac fere omnes, in multis nedum in uno peccantes, factae sint omnium reae. Ubi vero, peccatis nostris facientibus, inimicus homo super bonum semen in septemtrionalibus partibus seminavit haeresum zizania, ita dira contagia grassata sunt, ut animas innumerabiles iamdiu perdiderit, ac provincias, et regna Christo per summam iniuriam erepta, suae tyrannidi mancipaverit.

Gregorius erigit Congregationem nonnullorum cardinalium.

§ 1. Quamobrem, etsi a felicis recordationis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, pastorali vigilantiâ, ope, studio et industriâ elaboratum fuerit, ne tam multae messi deessent operarii, et negociatio haec sancta non negligeretur; nihilominus nos, ut maiori cum vigilantiâ, curâ et fervore opus prosequi possimus, et in posterum successores nostri possint, nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium peculiari sollici-

1 Edit. Main. legit *transferentur* (R. T.).

2 Forsan legendum *in iniustitia* (R. T.).

tudini negotium committendum duximus, prout tenore praesentium committimus et demandamus.

Quolibet mense semel coram pontifice, bis inter ipsos praecipit congregari.

§ 2. Volentes, ut in unum congregati, adhibitis etiam aliquot Romanae Curiae praelatis et religiosis viris, ac secretario, prout nos hac primâ vice eos adhiberi voluimus et nominavimus, in commune consulant, tantaeque rei nobiscum invigilent, ac tam sancto et divinae maiestati maxime grato operi, quanto melius fieri poterit, incumbant. Quod ut commodius praestari possit, semel coram nobis ac bis saltem in domo antiquioris eorum, quolibet mense congregentur, omniaque et singula negotia, ad fidem in universo mundo propagandam pertinentia, cognoscant et tractent, et graviora, quae in praedictâ domo congregati tractaverint, ad nos referant: alia vero per seipsos decidant et expediant pro eorum prudentiâ.

Facultates concedit ea gerendi, quae missionibus necessariâ videbuntur.

§ 3. Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum evangelium et catholicam doctrinam superintendant, ministros necessarios constituant et mutent. Nos enim eis, tam praemissa, quam omnia et singula alia desuper necessaria et opportuna, etiam si talia fuerint, quae specialem, specificam et expressam requirant mentionem, faciendi, gerendi, tractandi, agendi et exequendi, plenam, liberam et amplam facultatem, auctoritatem et potestatem, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Redditusque administrandi eidem Congregationi ex apostolica camera attribuendos.

§ 4. Ut vero res tanti momenti, in quam magnos sumptus fieri necesse est, per temporalium cum spiritualibus felicem commutationem, nullo retardata impedimento, facilius et celerius procedat, ultra ea, quae ex arcâ nostrâ privatâ suppeditari iam mandavimus, et piorum fidelium liberalitate collata sunt, et in posterum non defutura subsidia in Domino confidimus, cum nostrum et huius sanctae Sedis proprium sit negotium, certos huic operi redditus ex camerâ nostrâ apostolicâ in perpetuum attribuemus, eorumque administrationem iisdem cardinalibus committemus, prout in aliis nostris expediendis litteris plenius continebitur.

Cardinales deputati.

§ 5. Cardinales autem, quos sancto huic negotio praeficimus, sunt qui sequuntur: Antonius Ostiensis Saulius, Odoardus Sabinensis Farnesius, Octavius Praenestinus, episcopi; Bandinus Franciscus sanctae Praxedis de Surdis, Maphaeus sancti Honuphrii Barberinus, Ioannes Garzias sanctorum Quatuor Coronatorum Millinus, Gaspar sanctae Crucis in Hierusalem Borgia, Robertus sancti Alexii Ubaldinus, Scipio sanctae Susannae, Petrus sancti Salvatoris in Lauro Valerius, Itelius Fridericus sancti Laurentii in Pane et Perna de Zolleren, Ludovicus sanctae Mariae Transpontinae Ludovisius, et Franciscus sancti Matthaei titulorum presbyteri cardinales; Sacratus nuncupati; praelati vero, dilecti filii Ioannes Baptista Vives in utrâque signaturâ nostrâ referendarius, et Ioannes Baptista Agucchius secretarius noster ac Sedis Apostolicae notarius, et Dominicus a Iesu Maria Ordinis Carmelitarum Discalceatorum professor et vicarius generalis, secretarius vero a nobis pariter deputatus dilectus filius Franciscus Ingolus presbyter Ravennas, utriusque iuris doctor.

Clausulae pro huius Constitutionis firmitate.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras ac omnia et singula in eis contenta semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter perpetuo observari debere; sicque et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis Ordinibus, congregationibus, societatibus et institutis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus [1] pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum commissionis, demandationis, voluntatum, decretorum, concessionis, impartitionis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXII, decimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 iunii 1622, pontif. an. II.

V. DAT.

FELICIANUS PAULUS.

S. de Ursinis.

Registr. in Secr. Brev.

LXI.

Annulos cardinalitios, sive pretium a cardinalibus recens promotis annuli causâ persolvi solitum, sanctae Congregationi de Propagandâ Fide addicit [1].

Gregorius Episcopus
Servus Servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanum decet Pontificem pastoralis officii debito ad ea, per quae congregationum quarumlibet, praesertim ad fidei catholicae propagationem institutarum, necessitatibus et indigentiis occurritur, libenter intendere, ac in iis eiusdem officii sui partes favorabiliter interponere, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Recenset annulos cardinalitios fuisse aliàs concessos basilicae Lateranensi.

§ 1. Aliàs siquidem nos, certis rationabilibus de causis, emolumenta, ratione annulorum cardinalitiorum per haeredes S. R. E. cardinalium vità functorum solvi solita, basilicae sancti Ioannis Lateranensis de Urbe, ad certum tunc expressum et nondum elapsum tempus, apostolicâ auctoritate concessimus et elargiti sumus, prout in litteris apostolicis, sub annulo Piscatoris desuper confectis, plenius continetur.

Huiusmodi, aliasque quascumque concessiones alias irritans.

§ 2. Nunc vero attendentes congregationem venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium, per nos nuper pro fidei catholicae propagatione institutam, sufficientibus redditibus et proventibus ad opus tam pium manutenendum et propagandum minime dotatam reperiri: ac illi, ut onera huiusmodi facilius perferre valeat, de alicuius subventionis auxilio providere volentes; nec non emolumentorum huiusmodi quantitates ac valores etiam annuos, scripturarumque super praemissis confectarum veriores ac totos tenores ac datas praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed de merâ nostrâ liberalitate, certâque scientiâ ac maturâ delibera-

[1] Male edit. Main. legit *tenoribus praesentium* (R. T.).

[1] Pretium huiusmodi erat quingentorum ducatorum ex Const. VII, Iulii III, tom. VI, pag. 417 (R. T. ex Cherub.).

tione nostrâ, et de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas donationes, elargitiones, applicationes et concessiones, seu quasvis alias dispositiones de dictis emolumentis, seu eorum iuribus, praedictae, seu quibusvis aliis basilicis, vel aliis locis piis, quomodolibet qualificatis et nuncupatis, hactenus quomodolibet, et sub quorumvis verborum expressionibus et formis, perpetuo vel ad tempus, per nos seu quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, etiam motu simili ac concistorialiter factas, aliaque iura illis, seu etiam aliis Urbis basilicis, vel locis piis huiusmodi, ex praedictâ donatione, vel aliâ, etiam quantumvis iustâ et rationabili causâ vel occasione competentia, ac quascumque litteras apostolicas forsan desuper confectas, et in eis contenta quaecumque, quorum omnium tenores praesentibus pro expressis et insertis haberi volumus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo revocamus cassamus, extinguimus et annullamus, nulliusque roboris vel momenti fore et esse declaramus.

Annulos cardinalitios Congregationi de propaganda fide addicit.

§ 3. Necnon emolumenta annulorum cardinalitiorum huiusmodi, cum omnibus et singulis iuribus et actionibus exinde dependentibus, praedictae congregationi (ita quod liceat S. R. E. cardinalibus nunc et pro tempore existentibus congregationis huiusmodi, seu ab illis deputatis, vel eorum ministris emolumenta ab haeredibus cardinalium, quos de cetero perpetuis futuris temporibus ab hac vitâ migrare contigerit, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ, sed propriâ auctoritate, etiam per mandatorum ab antiquiore congregationis huiusmodi cardinali simpliciter et de plano ac sine strepitu et figurâ iudicii ac manu regiâ decernendorum et relaxandorum vim, recipere, exigere, levare, ac illa penes Montem Pietatis deponere, seu in tot locis Montium non vacabilium, aut aliàs quovis modo, arbitrio dictae congregationis, ad effectum illa in pios usus et necessitates ipsius congregationis, similiter eius arbitrio et prout ipsis melius videbitur, exponenda et eroganda, investire) etiam perpetuo donamus, concedimus et assignamus.

Quietantiae huiusmodi annulos solventibus faciendae.

§ 4. Insuper ut, venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales, qui nunc vivunt, hoc pium et laudabile opus adiuvare possint, volumus, et similiter apostolicâ auctoritate decernimus et declaramus, quod si aliqui ex dictis cardinalibus in eorum vitâ emolumenta, ratione sui annuli cardinalitii, praedictae congregationi realiter et cum effectu tradiderint, vel qui de cetero tradent et assignabunt, haeredes cardinalis ipsius vitâ functi, seu causam ab eo habentes, vel habituri, ad eorumdem emolumentorum praestationem vel solutionem minime teneantur, nec ad id obligati sint, minusque ad id cogi vel compelli possint: quinimo, pro maiori illorum securitate, dilecti filii S. R. E. camerarius, thesaurarius, aut alii officiales camerae apostolicae pro tempore existentes, ad quos spectabit, statim atque ipsis constiterit, cardinales seu haeredes huiusmodi emolumenta praedicta eidem congregationi, ut praefertur, solvisse, eosdem cardinales, seu haeredes, per cedulam publicam etiam in amplissimâ formâ eiusdem camerae, etiam perinde ac si emolumenta huiusmodi sibi persoluta fuissent, de solutis quietare, et in eventum cuiuscumque molestationis, camdem cameram ad pecuniarum eorumdem emolumentorum ratione solutarum restitutionem obligare debeant. Nos enim eos ab aliâ emolumentorum huiusmodi assignatione, traditione et effectuali consignatione absolvimus et quietamus. Mandantes et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo inhibentes dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus eiusdem S. R. E. camerario, vicecamerario, thesaurario et clericis prae-

sidentibus, necnon camerae apostolicae commissario et officialibus, ne ex emolumentis huiusmodi ullam pecuniarum quantitatem, ad certam rationem pro quolibet centenario et anno per eos forsan percipi solita [1], aut regalia, ut vocant, vel quicquam aliud quovis praetextu, colore vel ingenio, etiam ratione stipendii seu salarii, praetendere, habere, consequi aut exigere possint; sed ut easdem praesentes litteras firmiter et inviolabiliter observent, ac ab omnibus inconcusse observari faciant et procurent. Imo semper et quandocumque illis constiterit praedictos cardinales, seu ipsorum haeredes, huiusmodi emolumenta annuli praedictae congregationi solvisse, statim, si petatur quietantia, in amplissimâ formâ, tanquam si eidem camerae apostolicae soluta essent, expedire debeant, et ipsa camera in casu molestiae, ut praefertur, ad restitutionem ipsis cardinalibus, seu eorum haeredibus, faciendam teneatur. Non permittentes ipsam congregationem, illiusque personas et ministros, super dictorum emolumentorum consequutione a quoquam, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio impediri, molestari aut inquietari.

Clausulae pro huiusmodi assignationis firmitate.

§ 5. Ac decernentes praesentes litteras (etiam ex eo quod capitulum et canonici dictae basilicae Lateranensis, vel quicumque alii in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, vel alii, ad quos forsan spectat et pertinet, seu pro tempore spectabit et pertinebit, ad hoc vocati et auditi non fuerint, neque praemissis consenserint, seu consentiant, imo forsan illis contradicturi sint, seu quibusvis aliis quantumvis iustis, iustissimis et rationalibus causis) de subreptionis, vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, cogitato vel inexcogitato, notari, impugnari, retractari, annullari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus eas quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari, vel sub quibuscumque constitutionibus et litteris apostolicis in contrarium, etiam motu pari et consistorialiter, emanatis et emanandis, vel quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, nullatenus umquam comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, ac eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, per personas congregationis huiusmodi pro tempore existentes eligendâ, concessas, semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri debere. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ipsius S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, ac etiam thesaurarium, clericos praesidentes ac commissarios, aliosque camerae huiusmodi officiales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) in qualibet instantiâ iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate apostolicâ decernimus.

Exequutores huius Constitutionis.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi episcopis, ac dilecto filio causarum curiae camerae praedictae generali auditori, per apostolica scri-

1 Videretur legendum *solitam* (R. T.).

pta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, quando et quoties pro parte dictae congregationis, seu pro eâ agentium requisiti fuerint, praesentes litteras, et in eis[1] contenta quaecumque, ubi, quando et quoties opus fuerit, faciant integraliter observari; non permittentes dictam congregationem, seu pro eâ agentes huiusmodi, desuper quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari; contradictores et rebelles quoslibet per censuras ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, quatenus opus sit, de unâ, ac concilii generalis de duabus dietis, dummodo aliquis extra suam civitatem et dioecesim ultra tres dietas ad iudicium non trahatur, necnon Simmachi et Pauli II, ac aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, ac Pii IV de gratiis interesse camerae apostolicae quomodolibet concernentibus infra certum tunc expressum tempus in eâdem camerâ registrandis et in illius libris insinuandis (ita quod congregatio huiusmodi, aut alii eius ministri ad illa insinuandum non teneantur, et nihilominus praesentes litterae eamdem firmitatem obtineant, ac si in dictâ camerâ infra tempus ad id praefixum insinuatae et registratae fuissent), necnon nostrâ et camerae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictae Lateranensis, ac quarumvis aliarum Urbis basilicarum, vel piorum locorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, illarumque capitulis et canonicis, ac aliis superioribus et personis, etiam consistorialiter, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, ac aliis efficacissimis et insolitis clausulis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et confirmatis ac innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, latissime hac vice harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

[1] Edit. Main. legit *ea* (R. T.).

Quando annuli emolumenta sint persolvenda.

§ 8. Volumus autem, et apostolicâ auctoritate decernimus, quod omnes et quicumque, cuiusvis nationis, dignitatis et excellentiae etiam regiae fuerint, qui de cetero perpetuis futuris temporibus in sacrum collegium dictae S. R. E. cardinalium per nos et Romanos Pontifices successores nostros cooptabuntur, si praesentes statim quam cardinales creati, si vero absentes fuerint, in actu susceptionis bireti rubei, iura, per eos ratione annuli cardinalitii, etsi illum non receperint, camerae apostolicae debita, praedictae congregationi, seu ab eâ deputatis, realiter et cum effectu persolvere teneantur.

Clausulae poenales.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum revocationis, cassationis, extinctionis, annullationis, donationis, concessionis, assignationis, declarationum, absolutionis, inhibitionis, decretorum, mandatorum, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae

MDCXXII, decimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 iunii 1622, pontif. anno II.

V. Dat.

FELICIANUS PAULUS.
S. de Ursinis.

Registr. in Secr. Brev.

LXII.

Impositio subsidii ducentorum millium scutorum a regni Portugalliae ecclesiasticis regi persolvendi pro defensione Indiarum orientalium contra invasiones haereticorum atque infidelium[1].

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. In supremâ militantis Ecclesiae speculâ, nullo licet meritorum suffragio, immensâ Dei et Domini nostri benignitate constituti, intra mentis nostrae arcana attentius considerantes, principes et potestates tenebrarum, adversus quos Ecclesia sancta assidue colluctatur, ad eiusdem Ecclesiae ruinam et catholicae religionis excidium incessanter vigilare, non possumus totis visceribus non commoveri, et licet certam spem et fiduciam habeamus in Domino Deo exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam sanctam sub umbrâ manus suae protegit, cogimur tamen, iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, in id omni cogitatione, omnique curâ incumbere, ut provisionis nostrae ministerio non solum oves Christi adversus rapacium luporum insidias communitae securâ in tranquillitate reddant Domino abundanter fructus suos, sed etiam in omnem terram verbi Dei sonus exeat, et nomen illius, cum felici eiusdem religionis propagatione, ubique gentium collaudetur et glorificetur. Unde nos, super his iugiter solliciti, catholicorum regum vota, vias et modos exquirentium, quibus nefarios hostium ipsius fidei ausus reprimere et dissipare, et hac ratione infideles ipsos ex infidelitatis tenebris ad veri Dei agnitionem adducere, fideles vero ab infidelium invasionibus, rapinis et servitute liberare valeant, libenter et merito amplectimur, et officii nostri partes ad tam sanctum et Deo acceptum opus, congruis, quantum fieri possit, ad id suppeditatis auxiliis, favorabiliter interponimus, aliaque facimus, statuimus et ordinamus, prout, rerum, temporum et locorum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Philippus rex haereticorum atque infidelium invasiones in Indiis Orientalibus recenset.

1. Exponi siquidem nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Portugalliae et Algarbiorum rex catholicus, quod, susceptâ per nationes septemtrionales, diabolicâ haeresum fraude seductas, a multis annis citra in Indias orientales navigatione, ex lucro inde facto ditiores et potentiores redditae, non solum ingentem navium multitudinem compararunt, et nonnulla propugnacula in illarum partium maioris momenti portibus occuparunt, sive construxerunt, sed etiam ad loca et propugnacula, per eumdem Philippum regem in eisdem partibus acquisita, occupanda animum adiecerunt, neque eas tot classes et arma, tam in eisdem Indiarum quam regni Portugalliae partibus, cum immensâ patrimonii ipsius Philippi regis expensâ ad hunc finem instructa, debellare potuerunt, immo illae prevaluerunt, praesertim post occupatum a Persis earumdem nationum auxilio suffultis propugnaculum de Ormus, ita ut, nisi de opportuno remedio provideatur, evidentissimum periculum adsit, ne cetera eiusdem Philippi regis loca et propugnacula ibidem existentia amittantur.

Quibus repellendis cum sit impar.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, idem Philippus rex proprium ipsius regni Portugalliae patrimonium

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

praemissorum occasione vendiderit, gravissimum aes alienum, pro recuperandis et conservandis locis et propugnaculis praedictis, per quae tam cleri quam populi eiusdem regni Portugalliae utilitatibus et commoditatibus, necnon catholicorum in dictis Indiarum partibus existentium saluti atque securitati consulitur, contraxerit, contributiones vero generales dicti regni, et ultra summam ducentorum millium cruciatorum per dilectos filios communitatem et homines civitatis Ulixbonensis eidem Philippo regi ad hunc effectum donatam, non suppetant, ad ecclesiasticarum personarum subsidium confugiendum compellitur. Nobis propterea dictus Philippus rex humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Apostolicae Sedis auxilium implorat.

Gregorius subsidium biscentum millium scutorum ab ecclesiasticis intra quadriennum persolvendum concedit,

§ 3. Nos igitur qui[1], licet ab ipso pontificatus nostri initio nihil antiquius habuerimus, quam ecclesias omnes, illarumque praesules et personas non solum ab omni exactionis molestiâ immunes praeservare, verum etiam, quantum in nobis foret, commodis et honoribus afficere; animo tamen revolventes etiam ad clerum et ecclesiasticos dicti regni Portugalliae huiusmodi necessitates pertinere, eiusdem autem regni opes ad tantam molem bellorum, quae in pluribus et diversis locis contra christiani nominis validissimos, potentissimosque hostes geruntur, vix, ut praefertur, sufficere posse, et ad nostrum pastorale officium spectare, pro eâ quae tuendi et propagandi religionem nobis incumbit curâ et sollicitudine, non solum pias et devotas supplices catholicorum regum preces benignis accipere auribus, verum etiam assiduis eorum laboribus, periculis, incommodis et dispendiis, quae ad honorem Dei et Catholicae Ecclesiae exaltationem indefesse perferunt[1], prospicere, peculiarium ecclesiarum opes atque redditus, pro necessariâ illarum, suorumque filiorum, et christianae ac tam clericorum quam laicorum causae atque salutis defensione, et ipsius catholicae religionis augmento, largâ manu suppeditari debere dignum et iustum reputamus) subsidium ducentorum millium scutorum monetae dicti regni cruciatorum nuncupatorum pro unâ vice tantum solvendum ab infrascriptis personis ecclesiasticis, exigendum per collectores desuper deputandos, infra tempus venerabili fratri Antonio episcopo Vigiliensi, iurium et spoliorum camerae apostolicae in eisdem Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali, ac duabus personis per eumdem Philippum regem et clerum dicti regni, ut infra, nominandis benevisum, iuxta vires etiam infrascriptarum personarum et temporis congruitatem, dummodo tamen tempus quadriennii non excedat, tam pro recuperatione, tuitione, et custodiâ oppidorum et locorum, quae in dictis Indiarum orientalium partibus clarae memoriae Portugalliae reges dicti Philippi praedecessores christianae reipublicae suâ virtute et industriâ adiecerunt, et in[2] futurum ipse Philippus rex non minori spei ardore, divinâ favente clementiâ, adiicere intendit, quam contra infideles, haereticos, vel schismaticos in dictis partibus existentes, sive ad offensionem sive ad defensionem, et non pro aliis usibus, super quo ipsius Philippi regis ac Antonii episcopi et personarum huiusmodi conscientiam oneramus, super omnium et singulorum cathedralium, etiam metropolitanarum, collegiatarum, et aliarum ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, hospitalium, in quibus actu hospitalitas non servatur, et aliorum quorumvis be-

A tribus deputatis, quos inter nuncius apostolicus sit, exigendum.

Solvendumque ab ecclesiasticis, qui hic recensentur.

1 Vocem *qui* addere reputavimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *praeferunt* (R. T.).
2 Praep. *in* nos addimus (R. T.).

neficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et sancti Benedicti, sancti Augustini, Cisterciensis, sancti Hieronymi, et aliorum quorumvis, etiam ex privilegio, vel aliàs, certos fructus habentium, necnon Cassinensis, sanctae Iustinae, sancti Salvatoris, sancti Georgii in Alga, seu sancti Ioannis Evangelistae, ac aliarum congregationum, etiam canonicorum regularium, et collegiorum regularium, etiam Societatis Iesu, Mendicantibus tamen certos et perpetuos fructus non habentibus exceptis (etiamsi secularia canonicatus et praebendae portiones, dignitates, etiam in cathedralibus, etiam in metropolitanis, post pontificales maiores, et collegiatis ecclesiis principales, personatus, administrationes, et officia in cathedralibus et metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, aut parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae, cappellae, cappellaniae perpetuae, praestimonia, praestimoniales portiones, et simplicia etiam servitoria beneficia ecclesiastica, regularia vero beneficia huiusmodi prioratus, praepositurae, praepositatus, praeceptoriae, dignitates, etiam conventuales, prioratus, administrationes, vel officia etiamsi claustralia fuerint, et ad illa consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, in quibuscumque civitatibus et dioecesibus, aliisque locis Portugalliae et Algarbiorum regnorum consistentium, ac capitularium, conventualium, et aliarum mensarum, necnon universitatum redditus ecclesiasticos percipientium, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis, ad eiusdem Antonii episcopi moderni et pro tempore existentis collectoris huiusmodi, ac duarum aliarum personarum [1], unius videlicet per ipsum Philippum regem, et alterius per universum clerum eiusdem regni nominandarum ecclesiasticarum episcoporum seu praelatorum [1], post iustam et proportionabilem comparationem et distributionem per ipsas faciendam mandatum et ordinationem, collectoribus, qui tamen personae ecclesiasticae esse debeant, per eos deputandis, per venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos, ac dilectos filios abbates, priores, abbatissas, priorissas, capitula, congregationes, et collegia, conventus, praeceptores, commendatarios, ceterasque personas ecclesiasticas, seculares et quorumvis Ordinum regulares, ecclesias, monasteria, prioratus, praeceptorias, praepositatus, canonicatus et praebendas, dignitates, personatus, administrationes et officia, ceteraque beneficia secularia et regularia huiusmodi in titulum, commendam, administrationem, et aliàs quomodolibet, etiam ut unita, obtinentes (ita quod quicumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta sibi etiam loco pensionis annuae, ac etiam pensiones annuas sibi super similibus fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis, etiam sub quovis exemptionis et immunitatis a similibus vel dissimilibus oneribus, genere [2] reservatas et assignatas habentes et percipientes, pro ratâ veri valoris ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum, super quibus pensiones huiusmodi reservatae, constitutae et assignatae fuerint, contribuere teneantur), cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint (venerabilibus tamen fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, qui pro universali Ecclesiâ iugiter nobiscum laborant, necnon militibus Hierosolymitanis, ac clericis, qui unum seu forsan plura beneficia ecclesiastica insimul valorem an-

1 Vocem *personarum* nos addimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *nominandarum episcoporum, seu ecclesiasticarum praelatorum* (R. T.).
2 Videtur legendum *in genere* (R. T.).

nuum quadraginta ducatorum auri de camerâ non excedentia obtinent, et apud illa seu aliquod eorum personaliter resident, dumtaxat exceptis) annis singulis in certis locis et terminis ad id per ipsum Antonium episcopum modernum et pro tempore existentem collectorem praedictum, aliasque, ut praefertur, nominandas personas statuendis, integre persolvendum, et penes aliquem fide et facultatibus idoneum, seu alium ipsius Antonii episcopi et personarum arbitrio eligendum locum tutum et securum realiter deponendum, et ad ipsius regis requisitionem, ac Antonii episcopi et personarum praedictarum mandatum, in usum praedictum dumtaxat erogandum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, imponimus, constituimus et ordinamus.

Ecclesiasticos monet, impositum subsidium alacriter persolvant.

§ 4. Archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, et alias utriusque sexus ecclesiasticas, tam seculares quam regulares, personas praedictas hortantes, illisque districte praecipiendo mandamus, ut totâ christianae charitatis propensione incumbentes hanc necessariam opem alacriter amplectantur, et libenti animo exequantur; nos enim subsidium praemissum sic impositum, ut praefertur, exigi, deponi, insumi, et converti, ac archiepiscopos et episcopos, abbates, priores, omnesque et singulas alias personas, necnon capitula, congregationes, collegia et universitates fructus ecclesiasticos in universâ Portugalliâ percipientes, ad illius contributionem pro ratâ teneri, et obligatos esse, censurisque et poenis, tam ecclesiasticis quam pecuniariis, ipsius Antonii episcopi arbitrio imponendis, quacumque appellatione, aliove subterfugio cessante, cogi et compelli, et sic per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutores huiusce Constitutionis designat.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Bracharensi, et episcopo Colimbriensi, necnon dilecto filio inquisitori generali contra haereticam pravitatem in eodem regno apostolicâ auctoritate deputato, mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quando et quoties pro parte ipsius Philippi regis, aut Antonii episcopi, et nominandarum personarum, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac quos ipsae litterae concernunt illis in omnibus parere et obedire; contradictores quoslibet per censuras et poenas tam ecclesiasticas quam necessarias[1] suo arbitrio imponendas, moderandas et applicandas, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis auctoritate praesentium ultra tres dietas ad iudicium non trahatur, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, aliorumque regularium locorum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac tam praedictis, quam aliis immunitatibus et exemptionibus per nos

1 Videretur legendum *pecuniarias* (R. T.).

concessis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiis, monasteriis, congregationibus, collegiis, universitatibus, ordinibus, eorumque superioribus, et personis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis etiam vim contractus inducentibus decretis, in genere vel in specie, et ad imperatorum et regum instantiam, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis, (quibus[1], etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ac illis sufficienter, etiam ad hoc ut nulla prorsus immunitas, aliave quantumlibet consideratione et notâ digna exemptio cuiquam adversus praesentium tenorem suffragari debeat, derogatum esse declaramus), contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod ad subsidiorum huiusmodi solutionem cogi, aut interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac eorum personis, locis, ordinibus, et etiam propriis nominibus, mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae quatenus praemissis adversentur, cuiquam nolumus ullatenus suffragari.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, in quibus expediens esset, deferre, volumus et apostolicâ auctoritate praedictâ decernimus, quod earumdem praesentium transumptis, et sigillo Antonii episcopi praedicti, aut cuiusvis in dignitate ecclesiasticâ etiam constitutae personae munitis, ea prorsus fides in iudicio et extra in omnibus et per omnia adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII iunii MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 iunii 1622, pontif. an. II.

1 Vocem *quibus* nos addimus (R. T.).

LXIII.

Odoardus Parmae et Placentiae dux in confalonerium sanctae Romanae Ecclesiae designatur[1].

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Exordium a necessitate iustitiam armis administrandi et a laudibus Farnesiorum petitum.

Ad Ecclesiae Romanae regimen, dispensatione divinâ, nostrorum nullo suffragio meritorum evecti, ex multis et gravissimis curae nostrae oneribus praecipuam sollicitudinem merito illi impendere conamur, ut pacem et tranquillitatem conservemus. Interdum enim, hoste humani generis instigante, nonnulli adversus ius et fas sese extollentes, terminos, quos posuerunt patres nostri, praerumpere, et reipublicae statum improbe perturbare nituntur, et, quod gravius est, sacra pro-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

nuum quadraginta ducatorum auri de camerâ non excedentia obtinent, et apud illa seu aliquod eorum personaliter resident, dumtaxat exceptis) annis singulis in certis locis et terminis ad id per ipsum Antonium episcopum modernum et pro tempore existentem collectorem praedictum, aliasque, ut praefertur, nominandas personas statuendis, integre persolvendum, et penes aliquem fide et facultatibus idoneum, seu alium ipsius Antonii episcopi et personarum arbitrio eligendum locum tutum et securum realiter deponendum, et ad ipsius regis requisitionem, ac Antonii episcopi et personarum praedictarum mandatum, in usum praedictum dumtaxat erogandum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, imponimus, constituimus et ordinamus.

Ecclesiasticos monet, impositum subsidium alacriter persolvant.

§ 4. Archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, et alias utriusque sexus ecclesiasticas, tam seculares quam regulares, personas praedictas hortantes, illisque districte praecipiendo mandamus, ut totâ christianae charitatis propensione incumbentes hanc necessariam opem alacriter amplectantur, et libenti animo exequantur; nos enim subsidium praemissum sic impositum, ut praefertur, exigi, deponi, insumi, et converti, ac archiepiscopos et episcopos, abbates, priores, omnesque et singulas alias personas, necnon capitula, congregationes, collegia et universitates fructus ecclesiasticos in universâ Portugalliâ percipientes, ad illius contributionem pro ratâ teneri, et obligatos esse, censurisque et poenis, tam ecclesiasticis quam pecuniariis, ipsius Antonii episcopi arbitrio imponendis, quacumque appellatione, aliove subterfugio cessante, cogi et compelli, et sic per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutores huiusce Constitutionis designat.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Bracharensi, et episcopo Colimbriensi, necnon dilecto filio inquisitori generali contra haereticam pravitatem in eodem regno apostolicâ auctoritate deputato, mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quando et quoties pro parte ipsius Philippi regis, aut Antonii episcopi, et nominandarum personarum, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac quos ipsae litterae concernunt illis in omnibus parere et obedire; contradictores quoslibet per censuras et poenas tam ecclesiasticas quam necessarias[1] suo arbitrio imponendas, moderandas et applicandas, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis auctoritate praesentium ultra tres dietas ad iudicium non trahatur, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, aliorumque regularium locorum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac tam praedictis, quam aliis immunitatibus et exemptionibus per nos

1 Videretur legendum *pecuniarias* (R. T.).

concessis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiis, monasteriis, congregationibus, collegiis, universitatibus, ordinibus, eorumque superioribus, et personis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis etiam vim contractus inducentibus decretis, in genere vel in specie, et ad imperatorum et regum instantiam, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis, (quibus[1], etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ac illis sufficienter, etiam ad hoc ut nulla prorsus immunitas, aliave quantumlibet consideratione et notâ digna exemptio cuiquam adversus praesentium tenorem suffragari debeat, derogatum esse declaramus), contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod ad subsidiorum huiusmodi solutionem cogi, aut interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac eorum personis, locis, ordinibus, et etiam propriis nominibus, mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae quatenus praemissis adversentur, cuiquam nolumus ullatenus suffragari.

1 Vocem *quibus* nos addimus (R. T.).

Transumptis credi iubet.

§ 6. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, in quibus expediens esset, deferre, volumus et apostolicâ auctoritate praedictâ decernimus, quod earumdem praesentium transumptis, et sigillo Antonii episcopi praedicti, aut cuiusvis in dignitate ecclesiasticâ etiam constitutae personae munitis, ea prorsus fides in iudicio et extra in omnibus et per omnia adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII iunii MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 iunii 1622, pontif. an. II.

LXIII.

Odoardus Parmae et Placentiae dux in confalonerium sanctae Romanae Ecclesiae designatur[1].

**Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.**

Exordium a necessitate instituendi armis administrandi et a laudibus Farnesiorum petitum.

Ad Ecclesiae Romanae regimen, dispensatione divinâ, nostrorum nullo suffragio meritorum evecti, ex multis et gravissimis curae nostrae oneribus praecipuam sollicitudinem merito illi impendere conamur, ut pacem et tranquillitatem conservemus. Interdum enim, hoste humani generis instigante, nonnulli adversus ius et fas sese extollentes, terminos, quos posuerunt patres nostri, praerumpere, et reipublicae statum improbe perturbare nituntur, et, quod gravius est, sacra pro-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

fanis miscere, et Deo resistere impiissime non verentur; qui dum arma spiritualia parvipendunt, temporalia provocant; quo fit, ut sicut illa adhibere per nosmetipsos non valemus, ita etiam personis, quae ista pro re natâ ad nutum nostrum tractare viriliter, fideliterque possint, indigeamus. Quod sane munus quanti momenti, et quam in humanis praecipuum sit, huius sanctae Sedis mos et institutum declarant: quippe quod nonnisi viris fide, fortitudine et nobilitate eximiis illud committere consueverit. Quapropter Romani Pontifices praedecessores nostri, pro suâ prudentiâ et sapientiâ, ex multis principibus militaribus laudibus praestantibus unum eligere soliti sunt, quem huic tantae provinciae praeficerent, ut non solum suo splendore illam exornaret, sed, cum opus foret, suis partibus abunde satisfaceret, et exaltaretur per eum exercituum Dominus in potentiâ brachii eius per arma iustitiae virtutis Dei. Veros[1] autem huiusmodi complures praedecessores nostri Romani Pontifices iamdiu, divinâ adspirante gratiâ, Romanâ in familiâ nobilitate ac bellicâ virtute praeclarâ, Farnesiâ scilicet, non semel repererunt, eosque S. R. E. armorum potestatem summam gerere e republicâ eiusdem Ecclesiae esse compererunt. Quorum postremus bonae memoriae Raynutius Parmae et Placentiae dux fuit, parente genito bonae etiam memoriae Alexandro duce, singulari pietate et rebus adversus catholicae fidei hostes bello gestis tantâ gloriâ claro, ut in expugnandis munitissimis urbibus et fortissimis hostibus devincendis, antiquitatis[2] celebratissimis imperatoribus non concedat. Eius vero virtutem aemulatus Raynutius, quam patriis laudibus proxime incesserit, quamdiu patris auspiciis militavit, rebus fortiter ac sapienter a se gestis satis ostendit. Eo nuper ex humanis a Domino evocato, licet superstitem nullum natum reliquerit, qui per aetatem muneri par esse possit, tamen dilectum filium nobilem adolescentem Odoardum Parmae et Placentiae ducem reliquit, qui tantum annis processit, ut brevi possit paternae et avitae virtutis, pietatis praesertim, et erga Ecclesiam Romanam singularis fidei et devotionis successorem sese praestare, ac nostrae et omnium expectationi cumulate respondere. Id quod non patrium solum genus, ac praedicti Odoardi ducis indoles et educatio, sed etiam materna origo in Domino firmiter nos sperare suadent: quippe quod ex Aldobrandinâ familiâ omni splendore decoratâ prodierit, in qua in regendâ universali Ecclesiâ immortalis memoriae Pontificem praedecessorem nostrum Clementem VIII censemus, praeter complures sanctae Romanae Ecclesiae laudatissimos cardinales, praelatos, et bello duces, qualis fuit bonae memoriae Ioannes Franciscus Aldobrandinus Meldulae dux, praedicti Odoardi ducis avus, qui, huius sanctae Sedis copias non semel pro fidei catholicae defensione ducendo, virtutis et prudentiae militaris singulare specimen dedit, sibique et posteritati suae eximiam ad imitandum industriae et roboris famam reliquit. Quamobrem eius liberi, divinâ favente gratiâ, paternis, aliorumque maiorum laudibus domesticis incitati atque exemplis, tam domi in sacrâ purpurâ, quam militiae contra hostes religionis catholicae militantis[1], familiae gloriam non solum conservare, sed etiam amplificare feliciter adnituntur.

Gregorius Odoardum Farnesium S. R. E. confalonerium creat.

§ 1. Quibus, aliisque iustis de causis animum nostrum moventibus, habitâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in consistorio nostro secreto deliberatione maturâ, de illorum consilio et unanimi assensu, motu proprio et ex certâ

1 Videretur legendum *viros* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *devinciendis, antiquitati* (R. T.).

1 Videretur legendum *militantes* (R. T.).

scientiâ nostrâ, praedictum Odoardum ducem, quamdiu vixerit, nostrum et eiusdem Ecclesiae confalonerium, cum iurisdictione, praeeminentiis, honoribus, oneribus, libertatibus, immunitatibus, stipendiis, iuribus et emolumentis debitis et consuetis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, constituimus et declaramus, ac officium huiusmodi ei toto vitae suae tempore modo et formâ praemissis concedimus et assignamus: praedictoque Odoardo duci ea quae ad huiusmodi officium spectant, necnon omnia et singula, quae nostram et dictae Ecclesiae dignitatem et utilitatem quovis modo ipse pertinere et fore opportuna cognoverit, quaeque alii quondam dictae Ecclesiae confalonerii facere potuerunt, debuerunt seu consueverunt, faciendi, exercendi et statuendi;

Eique, ut Ecclesiae claves cum aliis insignibus gestare possit, concedit.

§ 2. Nec non in testimonium huiusmodi nostrae constitutionis et declarationis super propriis insignibus vel aliis quibusvis rebus, necnon ubicumque et quomodocumque id sibi honori et ornamento futurum existimaverit, aut quacumque etiam ratione libuerit, Ecclesiae claves cum vexillis et ornamentis per alios confalonerios gestari solitas, gestandi, et illis utendi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, eidem facultatem concedimus et impertimur.

Eique parendum decernit.

§ 3. Universis autem et singulis provinciarum, civitatum, terrarum, et aliorum locorum dictae Romanae Ecclesiae subiectorum praesidentibus, necnon baronibus et gubernatoribus, quocumque nomine nuncupatis, ipsorumque locorum communitatibus, universitatibus, necnon nostris et dictae Ecclesiae stipendiis militantibus ducibus, et militum tribunis, ac copiarum praefectis, ac praedictis baronibus, atque aliis, ad quos id quovis modo spectat, districte praecipiendo mandamus, ut ipsum Odoardum ducem ad huiusmodi officium, omni morâ et recusatione postpositâ, recipiant et admittant, eique in iis, quae ad idem munus pertinent, pareant atque obediant, ac in omnibus faveant et assistant.

Iuramentum fidelitatis ab Odoardo praestandum.

§ 4. Volumus autem, ut idem Odoardus dux, priusquam officio huiusmodi fungi incipiat, de illo fideliter exercendo, ac de obedientiâ et fide debitâ erga nos et successores nostros Romanos Pontifices atque Ecclesiam praedictam servandâ, in manibus nostris, seu dilecti filii Ludovici tituli sanctae Mariae Transpontinae presbyteri cardinalis Ludovisii nuncupati, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, S. R. E. camerarii, sive alterius personae ab eo deputandae, in formâ solitâ praestet iuramentum.

Admonitio de benegerendo munere.

§ 5. Ceterum eumdem Odoardum ducem per praesentes monemus, et in Domino hortamur, ut hoc munus ad Dei laudem et gloriam, ac nostram et eiusdem Ecclesiae dignitatem et utilitatem tanto studio administret, ut nos huius deliberationis nunquam poeniteat, et conceptam de illius virtute expectationem optati fructus consequantur.

Clausulae.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum constitutionis, declarationis, assignationis, concessionis, impartitionis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXII, quinto kalendas iulii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 iunii 1622, pontif. an. II.

Papae subscriptio.

✠ EGO GREGORIUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Perfice gressus meos in semitis tuis.

Cardinalium subscriptiones.

† Ego Antonius cardinalis Saulius, decanus.

† Ego Franciscus Maria cardinalis a Monte, episcopus Portuensis.

†

† Ego Alexander cardinalis Montaltus, episcopus Albanensis, S. R. E. vicecancellarius.

†

† Ego Octavius episcopus Praenestinus, cardinalis Bandinus.

†

† Ego A. tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis Perettus.

†

†

†

†

† Ego Dominicus Ss. Apostolorum cardinalis Gymnasius.

†

† Ego Carolus tituli S. Caesarei cardinalis Madrutius.

†

† Ego S. tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Burghesius.

† Ego M. tituli S. Onuphrii presbyter cardinalis Barberinus.

† Ego Ioannes Garzia tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbyter cardinalis Millinus.

†

†

† Ego F. tituli S. Augustini presbyter cardinalis Verallius.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Lenius.

†

†

† Ego R. tituli S. Martini in Montibus presbyter cardinalis Rivarola.

†

†

†

† Ego cardinalis Borgia tituli S. Crucis in Hierusalem.

†

† Ego R. tituli S. Alexii presbyter cardinalis Ubaldinus.

†

† Ego Gabriel tituli S. Bartholomaei in Insula presbyter cardinalis de Freso.

†

†

†

†

†

† Ego S. presbyter cardinalis S. Susannae, S. R. E. bibliothecarius.

†

†

†

†

† Ego Guido tituli S. Mariae de Populo presbyter cardinalis Bentivolus.

† Ego P. tituli S. Salvatoris in Lauro presbyter cardinalis Valerius.

† Ego Itelius Fridericus tituli S. Laurentii in Panisperna cardinalis de Zolleren.

†

†

† Ego Fr. Desiderius tituli S. Clementis cardinalis de Cremona.

† Ego tituli S. Mariae in Via cardinalis Pignatellus.

†

† Ego L. tituli S. Mariae Transpontinae cardinalis Ludovisius, S. R. E. camerarius.

† Ego F. tituli S. Matthaei in Merulana presbyter cardinalis Sacratus.

†

† Ego Marcus A. tituli S. Eusebii presbyter cardinalis Goradinus.

†

†

†

†

†

†

†

†

†

✝ Ego Hippolytus S. Mariae Novae diaconus cardinalis Aldobrandinus.

✝

✝

✝

✝

LXIV.

Moniales omnes Hospitalariae regni Galliarum, exceptis his quae in Urbe et suburbiis Parisiorum commorantur, Ordinariorum iurisdictioni subiiciuntur [1].

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,

Dilecto filio Francisco tituli sancti Calixti presbytero cardinali de la Rochefoucault nuncupato, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Ad personam tuam, quam divina clementia magnis illustravit gratiarum muneribus, paternae dirigentes considerationis intuitum, dignum, quin potius debitum reputamus, ut vota tua, praesertim ad prosperiorem et salubriorem regularium locorum directionem tendentia, ad exauditionis gratiam libenter admittamus.

Causae moniales hospitalarias episcopis subiiciendi.

§ 1. Cum itaque pro parte tuâ nobis expositum fuerit, quod cum monasteria monialium Hospitalariarum nuncupatarum, in Galliis instituta, magno eleemosynario dicti regni in spiritualibus subiecta esse noscantur, illorumque moniales, uti a superiore, qui oculos in eas, ut deceret, intendat, remotae, quandoque cum populi scandalo, divinique cultus, et earum salutis detrimento, disciplinam et instituta regularia, quibus votis adstrictae existunt, relaxare videantur; tu vero, qui praedicti regni magnus eleemosynarius existis, provide considerans, te et pro tempore existentem magnum eleemosynarium ipsius regni, propter locorum distantiam, tantis monialium monasteriis invigilare non posse, et, ob defectum alicuius iuridictionem in eis exercentis, diversa incommoda, abusus et etiam disciplinae huiusmodi relaxationem irrepere posse, illisque salubri aliquâ ratione obviare operae pretium existere, monasteria ipsa, illorumque moniales (infradictis dumtaxat exceptis) ab eleemosynarii pro tempore existentis iurisdictione perpetuo eximi ac liberari, ac Dioecesanorum iurisdictioni subiici summopere desideras; quare nobis humiliter supplicari fecisti, quatenus votis tuis in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Gregorius itaque eas eximens a iurisdictione magni sacellani regii, Ordinariorum iurisdictioni in spiritualibus subdit, Parisinis exceptis.

§ 2. Nos igitur, te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula monasteria, loca et hospitalia, in quibus dictae moniales reperiuntur, ac easdem moniales, illarumque ministros, famulos et personas (praeterquam in civitate Parisiensi et illius suburbiis consistentia, quae sub praesenti exemptione propter vicinitatem et dicti eleemosynarii residentiam nullatenus comprehensa esse censeantur, sed eiusdem eleemosynarii iurisdictioni perpetuo, ut prius, subiecta remaneant) ab omni et quacumque iurisdictione, superioritate, visitatione, correctione et obedientiâ nunc et pro tempore existentis ipsius regni magni eleemosynarii, de consensu charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi, perpetuo apostolicâ auctoritate, quoad spiritualia, eximimus et liberamus; illaque sic exempta et liberata, Dioecesanorum locorum pro tempore existentium omnimodae iurisdictioni et superioritati, visitationi, correctioni et obedientiae (ita ut deinceps perpetuis futuris temporibus Dioecesani locorum huiusmodi illa, quisque videlicet in suâ dioecesi et districtu, visitare et corrigere possint et debeant in omni-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

bus et per omnia, perinde ac si nunquam dicti eleemosynarii iurisdictioni supposita fuissent, et ab eorum institutionis exordio Dioecesanorum locorum superioritati, visitationi et obedientiae, quoad spiritualia, subiecta extitissent) auctoritate et tenore praemissis perpetuo subiicimus, submittimus et supponimus: ac ex nunc in perpetuum subiecta, submissa et supposita esse et fore;

Clausulae ad praesentium litterarum firmitatem.

§ 3. Praesentes quoque litteras semper validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac singulis Dioecesanis praedictis suffragari; sicque per quoscumque iudices, et causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, et de latere legatos, et vicelegatos, Sedisque Apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere, ac quicquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non monasteriorum, locorum et hospitalium huiusmodi institutionibus[1] et (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, illis, ac dilectis filiis eorum superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, et motu proprio et consistorialiter, ac aliis in contrarium forsan quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma tradita ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae exemptionis, liberationis, subiectionis, submissionis, suppositionis, et decreti, ac derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Tusculi, anno Incarnationis Dominicae MDCXXII, pridie kalendas iulii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 iunii 1622, pont. anno II.

1 Voces *et statutis* hic delemus (R. T.).

LXV.

Revocatio quarumcumque concessionum vivae vocis oraculo factarum, exceptis oraculis factis S. R. E. cardinalibus, et eorum manu firmatis.

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, in speculâ militantis Ecclesiae divinâ providentiâ constitutus, gratias et indulta a se et praedecessoribus suis concessa, iustis interdum suadentibus causis, iuxta creditum sibi pastoralis officii debitum moderatur aut revocat, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Revocatio de qua in rubrica.

§ 1. Itaque motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula indulta, facultates, privilegia, gratias et concessiones quascumque spirituales et ecclesiasticas, tam ad forum

interius, quam ad exterius spectantes, ac tam ad supplicationem partium, quam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, a Sede Apostolicâ, quae tamen vivae vocis oraculo, hactenus quandocumque et qualitercumque, ex quavis etiam de necessitate exprimendâ causâ, quibusvis collegiis, capitulis, ordinibus, tam Mendicantium quam non Mendicantium, societatibus, etiam Societati Iesu, ac congregationibus quibuslibet, sive eorum et earum respective praepositis, decanis, magistris, ministris, praelatis, prioribus, rectoribus, generalibus vel provincialibus, aut aliis quocumque nomine nuncupatis superioribus, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi praedictae immediate subiectis, cuiuscumque dignitatis, praeeminentiae, aut quovis privilegio munitis (non tamen ad supplicationem regum) concessas, in iis videlicet, quae non sunt sortita effectum, tenore praesentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus et annullamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata et annullata, viribusque et effectu vacua perpetuo fore et esse, neque in posterum cuiquam suffragari posse vel debere, neque aliquem iis de cetero uti ullo modo posse, etiamsi expressa et specifica mentio, etiam de verbo ad verbum, de iis facienda esset, decernimus et declaramus.

Exceptio de qua in rubrica similiter dicitur. Clausulae praeservativae.

§ 2. Firmius tamen et in suo robore permanentibus omnibus indultis et aliis concessionibus praedictis vivae vocis oraculo S. R. E. cardinalibus ad ipsorum vel aliorum quorumcumque favorem, propriâ S. R. E. cardinalium manu firmatis, pro ipsis vel aliis factis, et de quibus iidem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales testimonium in scriptis praebuerunt.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae seu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, ad ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere;

Clausula sublata.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ordinibus, societatibus et congregationibus praedictis, eorumque praepositis, decanis, magistris, ministris, praelatis, prioribus, rectoribus et aliis superioribus praedictis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et suffi-

cienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae;

Publicationem in Urbe omnes ligare decernit.

§ 7. Quodque eaedem praesentes litterae, seu illarum exempla, ad valvas basilicarum sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis apostolorum de Urbe, et in acie campi Florae affixae, omnes ita arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 2 iulii 1622, pontif. an. II.

LXVI.

Contra haereticos in locis Italiae et insularum adiacentium quovis praetextu commorantes, eorumque fautores.

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis beati Petri apostolorum Principis successoris munus exigit, ut pro incumbente dominici gregis curâ et sollicitudine, praedecessorum suorum constitutiones, eas praesertim, quae ad sacrosanctae fidei catholicae conservationem pertinent, quo suum perpetuum sortiantur effectum et inviolabiliter observentur, innovet et extendat, prout, rerum et temporum qualitatibus debite compensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Clemens VIII edidit Constitutionem CXXXVI,

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Clemente VIII praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Cum sicut non sine*, etc. *(Omittitur residuum quia habes in tom.* X, *pag. 279).*

Hinc Pontifex illam omnino praecipit observari.

§ 2. Nos inviolabili dictarum Clementis litterarum et in eis contentorum quorumcumque observationi, quantum nobis ex alto conceditur, peramplius providere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, Clementis praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illasque innovamus, ac inviolabiliter observari mandamus.

Et plenius modo disponit contra haereticos.

§ 3. Insuper ne ullus haereticus in locis Italiae et insularum adiacentium, neque etiam sub commercii, mercimonii, aut alio quovis praetextu, domicilium contrahere, seu domum apertam habere propriam vel conductam aut gratis concessam, seu habitari aut morari possit, earumdem tenore praesentium, prohibemus, ac respective statuimus et ordinamus.

Contravenientibus poenas infligit.

§ 4. Contra prohibitioni autem ac statuto et ordinationi nostris huiusmodi non parentes seu contravenientes, cuiusvis status, gradus, ordinis et dignitatis, tam ecclesiasticae quam secularis, existentes, iuxta formam iuris procedatur, et puniantur.

Illorum fautores uti haereticos puniri iubet.

§ 5. Et simili modo eos, qui haereticos praedictos receptaverint, eisque quoquo modo, contra praesentium litterarum tenorem, favorem, opem seu auxilium praebuerint, uti fautores et receptatores haereticorum puniri;

Et ita et non aliter iudicari mandat.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. cardinales, et de latere legatos (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a

quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate et tenore praedictis decernimus et declaramus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationem in Urbe obligare decernit.

§ 8. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae: quodquee aedem praesentes, post duos menses a die illarum publicationis computandos, omnes et singulos, ad quos spectat, arctent et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 2 iulii 1622, pontif. an. II.

LXVII.

Impositio decimarum pro Republica Venetorum ratione belli contra Turcas[1].

Venerabili fratri Ludovico episcopo Montisflasconensi, moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in dominio Venetorum nuntio,

Gregorius Papa XV.
Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Sacrosanctae militantis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae gratiae, nullo licet meritorum suffragio, praepositi, inter graves sollicitudines, quibus pro credito nobis apostolicae servitutis officio assidue premimur, ea est praecipua, quam continua pericula atque discrimina, quae a nefario Christi nominis hoste, Turcarum tyranno, principibus et populis christianis nunquam non impendent, nobis conficit; quapropter, etsi Domini Dei exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam sanctam protegit, praesidio potissimum confidamus, cogimur tamen pro debito pastoralis muneris in id omni cogitatione, omnique curâ incumbere, ut provisionis nostrae ministerio, adhibitis catholicorum principum viribus, mala huiusmodi procul a populo christiano arceantur.

Causae decimam imponendi.

§ 1. Cum vero plus satis constet, eumdem impium Turcarum tyrannum nihil avidius quaerere, quam christianos populos invadere, et, christianam religionem exterminando, abominationem suam plantare ac propagare, eiusque vires, nostris facientibus peccatis, malo nostro admoniti cogamur timere; omni[1] curâ et sollicitudine praecavere, multoque magis castra Domini custodire et praemunire nos oportet hoc tempore, quo[2], cum ab expeditione contra christianos multis annis abstinuerit, eos verisimile sit diutius non cessaturum, sed eius potius diu compressam rabiem vehementius erupturam. Quod malum nos paternâ sollicitudine iam dudum metuentes pro officii nostri debito Venetorum praecipue nobilissimam Rempublicam, quae hostibus maxime exposita esse dignoscitur, non semel in Domino cohortati sumus, ne insidiarum plenâ cum impiis pace, quibus non est pax, confideret, sed prudenter caveret, suasque arces, portus et loca muniret, classem, et alia ad bellum necessaria, compararet et paratam haberet. Cum autem ingentes sumptus haec res postulet, felicis recordationis Clementis VIII et Pauli V aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, eam Rempu-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *omnique* (R. T.).
2 Vocem *quo* nos deesse censuimus (R. T.).

blicam id enixe flagitantem ecclesiasticis auxiliis prompto libentique animo adiuvare[1] decrevimus, attendentes non solum nos eius unius saluti, verum etiam multorum ac omnium Italiae populorum incolumitati consulere, cum ipsa sit magnum totius Italiae munimentum, ac firmissimum maris Adriatici propugnaculum. Quamobrem aequum et rationi consentaneum esse duximus eidem Reipublicae, eorumdem Clementis et Pauli praedecessorum exemplo, subsidio decimarum ex fructibus et redditibus totius cleri eiusdem Status Venetorum pro eisdem usibus ad certum tempus attribuendo subvenire, firmam in Domino fiduciam habentes fore, ut ea Respublica, hac testificatione paternae voluntatis erga se nostrae, non solum sese munitam, et pro re natâ ad resistendum communi hosti paratam in dies magis conservet, sed etiam ad pristinas belli vires resumendas contra eumdem Turcarum tyramnum excitetur, ut ille christianorum armis ab Europae sinibus aliquando detrudatur.

Impositio decimae a clero, tam seculari quam regulari persolvendae.

§ 2. Nos igitur, istis aliisque gravissimis et iustissimis de causis moti, motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine nostris, tenore praesentium, indicimus et imponimus sexdecim decimas integras omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praepositurarum, praepositatuum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum etiam maiorum ac principalium, personatuum, administrationum et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium ac sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, sancti Basilii, Sylvestrinorum, et, qui proprietates redditusque certos ex privilegio apostolico vel aliàs possident, Mendicantium, et quorumvis aliorum Ordinum utriusque sexus, et congregationum[1] (non tamen earum, quae inferius descriptae sunt) ac militiarum regularium in universo dominio dictae Reipublicae Venetorum existentium; ac insuper alias sexdecim decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus et proventibus supradictis assignatarum et assignandarum ab omnibus et quibuscumque patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, et aliis ecclesiarum praelatis, ceterisque cuiuscumque status, gradus, dignitatis et conditionis personis (exceptis dumtaxat venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, nec non dilectis filiis fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac fratribus Mendicantibus praedictis, et insuper beneficiis ecclesiasticis officio sanctae inquisitionis haereticae pravitatis in dicto Dominio instituto unitis, annexis et applicatis, quos cardinales ac fratres hospitalis praedicti, ac beneficia praedicto inquisitionis officio unita, in totum; fratres vero Mendicantes, pro medietate dumtaxat ab eisdem decimis et illarum solutione immunes et exemptos esse volumus et decernimus), ecclesias, monasteria, et beneficia ac pensiones, seu fructus, aut illorum partem huiusmodi in eodem Dominio, quocumque iure ac titulo, obtinentibus et obtenturis, nec non ab universis etiam oeconomis, commendatariis, atque administratoribus, perpetuis et temporalibus, usufructuariis similiter, fructus omnes vel illorum partem loco pensionum annuarum, vel pensiones, et alia huiusmodi iura ex quacumque auctoritate apostolicâ, in toto vel in

1 Edit. Main. habet *adiuvant.*, scilicet *adiuvantes*, sed aliud requirit syntaxis (R. T.).

1 Edit. Main. legit *congregationis* (R. T.).

parte, reservata habentibus et habituris, sive secularibus, sive quorumcumque ordinum, congregationum, et militiarum praedictorum regularibus, et ab ipsis etiam ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, personis, collegiis, militiis, massis et locis praedictis, quacumque amplissimâ et firmissimâ exemptione et immunitate reali, personali, vel mixta, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuâ, etiam ex titulo quantumvis oneroso suffultis, integraliter et cum effectu numerandas, persolvendas et consignandas; ulterius, supradictis de causis ac exemplo Clementis et Pauli praedecessorum praedictorum adducti, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus imponimus et indicimus novem decimas omnium et quorumcumque fructuum, reddit0uum et proventuum ad Cassinensem, aliàs sanctae Iustinae de Padua, Lateranensem, Carthusiensem, Montis Oliveti, sancti Salvatoris, Camaldulensem, sanctae Mariae Vallis Umbrosae, sancti Georgii in Alga Venetiarum, Caelestinorum, Cisterciensem provinciae Lombardiae, Cruciferorum, et sancti Hieronymi congregationes, earumque monasteria, abbatiales vel conventuales aut alias mensas, prioratus, praeceptorias, praeposituras, beneficia, et officia, cum curâ et sine curâ, membra, grangias et alia loca illis annexa, in dicto Dominio consistentia, quovis modo pertinentium[1] solvendas etiam per ipsas congregationes, earumque superiores, abbates, priores, praepositos, conventus, capitula et personas (ultra subsidia Montis Religionis, seu quadringentorum millium scutorum, et quartae partis eorumdem fructuum, reddituum et proventuum, et alia onera quae per Sedem Apostolicam eis imposita, aut aliàs persolvunt, seu persolvere promiserunt) similiter numerandas, et persolvendas, et consignandas secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum et proventuum; et ad hunc effectum (licet felicis recordationis Pius Papa V, nonnullis tunc causis adductus, et Clemens, ac novissime Paulus praedecessores nostri praedicti, et ex aliis tunc expressis causis, easdem congregationes a decimis super fructibus et redditibus ecclesiasticis deinceps ubivis, etiam in Dominio Venetorum, et ex quacumque causâ imponendis liberas et immunes fecerint) pari motu, scientiâ, auctoritate; et de apostolicae potestatis plenitudine) quoad fructus, redditus, et proventus ad ipsas congregationes, et quamlibet earum, in dicto Dominio Venetorum spectantes, immunitates, exemptiones ac omnes et quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obligationes, etiam in formâ camerae apostolicae, et iuramento, vel alia quavis firmitate roborata, praesertim inter Pium et Clementem, ac Paulum praedecessores praedictos et cameram apostolicam, et pro eâ S. R. E. camerarium, vel thesaurarium generalem, aliosve quoscumque tunc existentes, et eiusdem camerae ministros, quantumvis amplâ et sufficienti facultate ad praemissa facienda suffultos, ex unâ, et congregationes ultimo dictas, illarumque procuratores ex alterâ partibus, ac omnia et quaecumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates, hac de causâ in hunc usque diem eisdem congregationibus etiam ex causâ et titulo oneroso concessa, hac vice dumtaxat, et ex causis supradictis, suspendimus, ac ipsis congregationibus, quoad novem decimas praedictas, hac vice, ut praefertur, suffragari nolumus (illa vero aliàs in suo robore permanere decernimus), ipsasque congregationes), ex gravissimis causis praedictis, novem decimis huiusmodi oneramus, et[1], quum ceteris secularibus ac regularibus clericis personis eiusdem Do-

1 Edit. Main. legit *pertinentia* (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

minii Venetorum sexdecim, ut praefertur, indixerimus, tali nostrae impositioni acquiescere, ac tacitas et contentas esse volumus.

Per octo annos huiusmodi decimae persolvendae.

§ 3. Universas vero et singulas personas, quavis dignitate vel auctoritate fungentes, tam supradictas ecclesias, monasteria, et beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones, seu fructus, aut earum partem sibi, ut praefertur, reservatas percipientes, quam ultimodictas congregationes, et eorum unumquemque, tam coniunctim quam divisim, ad huiusmodi decimas in octo annis, binas videlicet decimas dumtaxat quolibet anno, et quoad ultimodictas congregationes singulas tantum decimas cum unâ octavâ parte alterius decimae, quoad dictos autem fratres Mendicantes singulas similiter decimas quotannis durante octennio a[1] die II iunii proxime praeteriti, qua ultima concessio expirat, computando, et ut sequitur finiendo, in certis terminis per te praefigendis integre persolvendas efficaciter teneri, et vere obligatos esse; iisdemque pensionariis, aut eorum alicui, pensiones annuas praedictas (quantumlibet exemptas, et sub quibusvis obligationibus etiam in formâ camerae, et iuramento, etiam de non contraveniendo, et forsan de non impetrando gratias nostras contra eos, et de non utendo concessis firmatas, aut aliàs vallatas, et forsan aliis cautelis et decretis munitas) causam donationis super iisdem fructibus et pensionibus, etiam medio cedularum banchi, seu in formâ depositi habentibus, et intra octo annos praedictos habituris (etiamsi ipsi, a quibus pensiones huiusmodi solvendae sunt, iuri et actioni petendae, vel retinendae portionis, aut ratae partis pensionarios tangentis iureiurando renunciaverint) ulla privilegia aut indulgentias, sub quacumque verborum formâ aut expressione concepta, quoad hoc nullatenus suffragari volumus.

1 Praep. *a* nos addimus (R. T.).

Sicque, et non aliter, in praedictis universis et singulis per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, in quavis causâ et instantiâ (sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Collectorum deputatio.

§ 4. Ut autem huiusmodi decimae facilius exigantur, fraternitatem tuam, ac venerabiles fratres patriarcham Venetiarum et episcopum Vicentinum, ad dictas decimas exigendas, ducique et Dominio praedictis, sive eius ministris ad id specialiter deputatis, statim nullâ interpositâ morâ, et sine aliquâ prorsus diminutione, retentione aut detractione (etiam non detractis quinque pro centenario camerae nostrae praedictae in exactione talium decimarum applicari consuetis) integre consignandas, earumdem decimarum collectores et exactores per praesentes constituimus et deputamus; ac tibi et patriarchae Venetiarum ac episcopo Vicentino (pro onere, quod in exactione decimarum huiusmodi sustinebitis) quatuor millia scuta auri in auro ex eisdem decimis detrahendi[1], et illorum medietatem inter vos pro aequali portione, et quolibet anno eiusdem octennii, pro ratâ distribuendi et dividendi, reliquam vero medietatem subcollectoribus et aliis exactoribus ac procuratoribus ad easdem decimas colligendas deputatis etiam quolibet anno pro ratâ (habitâ ratione laboris et amplitu-

1 Edit. Main. hic legit *detrahenda* et postea *assignan. et distribuendi.* Certe mendum irrepsit: vel enim omnia gerundia in casu secundo ponenda, ut regantur a verbis *potestatem concedimus* in fine §; vel omnia in quarto casu, ut regantur a verbis *constituimus et assignamus* quae praecedunt (R. T.).

dinis cuiuscumque civitatis et dioecesis) loco salarii seu stipendii et mercedis assignandi et distribuendi (ita tamen, ut non quotannis huiusmodi quatuor millia scuta, sed in toto octennio integra summa eorumdem quatuor millium scutorum, pro ratâ quolibet anno, detrahatur, ac tam vos et quilibet vestrum, quam ipsi subcollectores et alii praedicti, ratione fructuum ecclesiarum quibus nunc praeesse dignoscimini, aut imposterum praefici, vel beneficiorum obtentorum, aut quae obtinere, nec non fructuum et pensionum reservatorum et assignatarum, aut[1] quos et quas vobis assignari posthac contigerit, decimas ipsas pro vestrâ et illorum ratâ, et illorum quemlibet tangente, integre et realiter persolvere omnino teneamini, et dictâ assignatione et distributione contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos et vestrum quilibet praetendere possit); ac[2] tibi et aliis praedictis a dictis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus et aliis personis (supra expressis exceptis) easdem decimas, ut praefertur, per nos impositas petendi, exigendi et colligendi, eisque, tam in genere quam nominatim et in specie, ut illas solvant, sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliisque, prout nobis[3] videbitur, poenis etiam pecuniariis, ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas, mandandi et praecipiendi, et, pro earumdem decimarum faciliori exactione, unum, vel plures subcollectores, qui, si in dignitate ecclesiasticâ constituti sint, pari ac tu, vigore praesentium, facultate fungantur, per locorum Ordinarios in quacumque civitate et dioecesi et loco sibi subiecto pro tempore deputatos approbandi, et si quis ex ipsis Ordinariis intra aliquem brevem terminum vestro arbitrio praefigendum viros idoneos ad id deputare neglexerit, tibi, etiam sine illorum consensu, vestro arbitrio illos libere deputandi, et deputatos amovendi, aliosque eorum loco, toties quoties tibi videbitur, substituendi et subrogandi; ac solvere recusantes et differentes, et generaliter contradictores quoslibet et rebelles, et ne decimae huiusmodi solvantur persuadentes directe vel indirecte, per ipsas censuras ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendi, auxiliumque brachii secularis contra eos ad hoc, si opus fuerit, invocandi; solventes vero de solutis quietandi et liberandi, a censurisque et poenis, quas dictâ occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi; ac generaliter omnia et singula alia in praemissis, et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, faciendi, ordinandi, mandandi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

Collectorum facultates.

§ 5. Non obstantibus regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac aliis quibusvis apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si ipsis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus, congregationibus et aliis personis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter aut divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod ad solutionem alicuius decimae non teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo

Derogatio contrariorum.

1 Particulam *aut* nos addimus (R. T.).
2 Etiam coniunct. *ac* deesse censuimus (R. T.).
3 Ni potius legendum sit *vobis* (R. T.).

ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis et exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis, quibuscumque dignitatibus seu ordinibus, specialiter vel generaliter[1], sub quacumque verborum formâ expressis, etiamsi motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ad verbum habenda esset mentio specialis, quae eis quoad praemissa nolumus in aliquo suffragari.

Decreta concilii Viennensi servanda.

§ 6. Volumus autem quod, iuxta ordinationem in concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et aliorum piorum locorum divino cultui dedicata, ex causâ pignoris vel aliâ occasione solutionis decimarum huiusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur vel occupentur; quodque praesentium litterarum transumptis tuo vel alterius praelati ecclesiastici sigillo et publici notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 2 iulii 1622, pontif. an. II.

LXVIII.

Episcopo Adurensi committitur regimen monasteriorum monialium Reformatarum Ordinis sancti Benedicti in Galliae regno, in locum archiepiscopi Senonensis[2].

1 Heic subde vocem *concessis* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Refert praecedentes suas litteras, quibus nonnullis horum monasteriorum curam commiserat.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: ***Gregorius Papa XV, ad perpetuam rei memoriam.*** *Ad militantis Ecclesiae*, etc.[1].

Episcopum Adurensem archiepiscopo Senonensi subrogat.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Ludovicus rex nobis nuper exponi fecit, dictus Ioannes archiepiscopus non ita pridem, sicut Domino placuit, ab humanis decesserit; Henricus vero cardinalis praedictus publicis eiusdem regni negociis, necnon superiores[2] monachorum reformatorum huiusmodi gravissimis subditorum suorum negociis ita occupati respective existant, ut earumdem monialium regimini et directioni, prout opus foret, vacare nequeant: idcirco nos, pro nostri pastoralis officii debito in praemissis, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, supplicationibus eiusdem Ludovici regis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, venerabilem fratrem Sebastianum episcopum Adurensem in locum praedicti archiepiscopi Senonensis, in et quoad praemissa, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, substituimus et subrogamus.

Aliquo ex deputatis decedente alium substitui posse per ceteros indulget.

§ 3. Quodque deinde perpetuis futuris temporibus, uno ex tribus praedictis[3] obeunte, reliqui duo, aut unus ex eis, aliam personam ecclesiasticam pietate, doctrinâ et vitae sanctimoniâ praestantem nominare, dictaeque tres personae sic pro tempore nominatae visitatorem monasteriorum monialium huiusmodi eligere, ac ipsa monasteria, illorumque abbatissas et moniales pro tempore existentes, eorumque omnia bona mobilia et immobilia, cuiuscumque generis, speciei, valoris, naturae, quanti-

1 Omittimus textum heic inutiliter repetitum in edit. Main., quia illum iam habes supra pag. 507 huius voluminis (R. T.).

2 Perperam ed. Main. legit *superiorum* (R. T.).

1 Nempe ex tribus supra designatis, pag. 508 *b* (R. T.).

Clausulae.

tatis et qualitatis existentia, regere et administrare possint et debeant.

§ 4. Praesentes vero litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, statuimus atque decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in litteris praeinsertis huiusmodi voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII iulii MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 iulii 1622, pontif. an. II.

LXIX.

Subsidium centum millium ducatorum ab ecclesiasticis regni Galitiae regi catholico pro fabricandis navibus ad defendendas oras maritimas ex infestationibus haereticorum et piratarum praestari posse permittit[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Gregorius Papa XV.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a regis laudibus desumptum.

Eximius maiestatis tuae orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelus, ac singularis in nos et Apostolicam Sedem devotio[2], aliaque praestantia merita plane exigunt, ut subsidia pro eiusdem fidei, tuorumque regnorum et subditorum ab hostibus fidei defensione, ab eisdem subditis tuis prompte oblata, quantum cum Domino possumus, adiuvemus.

Subditi regni Galitiae subsidium regi offerunt pro navibus construendis ad oras maritimas ex piratarum infestationibus defendendas;

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, subditi regni tui Galitiae, animadvertentes maiestatem tuam, crescentibus in dies magis in mari Oceano piratarum haereticorum infestationibus, pro civitatum, urbium et aliorum locorum maritimorum, portuumque dicti regni contra eorumdem piratarum impetus, infestationes atque direptiones defensione, praesidium orae maritimae dicti regni octo navibus gravioribus galeonibus vulgo nuncupatis augere velle; eamdem vero maiestatem tuam pro praemissis, necnon religionis catholicae ac obedientiae erga S. R. E. conservatione in tuis et exteris ditionibus et regnis, aliis gravissimis assidue sumptibus urgeri, ipsi ob gravia, quibus ab eisdem piratis afficiuntur, damna, pro sublevandis aliquâ in parte expensis ad hoc necessariis, tibi summam centum millium ducatorum monetae illarum partium, sub certis terminis ac modo et formâ exigendam, obtulerint;

Quod ab ecclesiasticis etiam solvi posse petit Philippus.

§ 2. Regnum vero praedictum admodum pauper existat, eiusque redditaum maior pars sit ecclesiasticorum, qui etiam magnâ ex parte in dicto regno sunt in temporalibus domini, ita ut laici per se solos, propter eorum paupertatem, summam praedictam solvere non possint, tuaque maiestas nobis haec significaverit:

Concedit Gregorius.

§ 3. Nos, etsi personas ecclesiasticas dicti regni respectu illius paupertatis valde gravatas esse perspectum habeamus, tamen, quia pro fabricâ tantum dictarum navium postulatur, et mentis ac intentionis et deliberatae voluntatis nostrae est, praesentes pro hac vice et pro hac necessitate dumtaxat absque ullâ spe prorogationis concedere, neque id alioquin faceremus, summae centum millium ducatorum huiusmodi solutionem per eiusdem regni personas ecclesiasticas, quarum nihilomi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *devotionis;* sed alibi legitur *devotio* ut supra pag. 423 (R. T.).

nus etiam causa et salus agitur, adiuvandam ut infra existimavimus. Itaque, de venerabilium fratrum nostrorum nonnullorum S. R. E. cardinalium, quibus negocium huiusmodi mature examinandum et nobis referendum commisimus, consilio, omnes et singulas personas ecclesiasticas, tam seculares quam cuiusvis ordinis (et praesertim sancti Benedicti et Cisterciensis) etiam exempti, ac nobis et Apostolicae Sedi immediate subiecti, regulares, necnon monasteria utriusque sexus, conventus et collegia ac ecclesiarum capitula dicti regni, et in eodem regno commorantes et consistentia, ad conferendam et contribuendam proportionabiliter honestam portionem, iuxta cuiusque reddituum quantitatem, ita tamen ut rata cuiusque ecclesiastici sit minor proportionabiliter quam rata cuiuscumque laici, et non aliàs, aliter, nec alio modo, in solutione summae pecuniarum huiusmodi, dummodo tamen haec summa tam ab ecclesiasticis quam laicis persolvenda in totum centum millium ducatorum similium non excedat pro hac vice et pro dictâ fabricâ navium contra piratas dumtaxat, absque ullâ spe prorogationis, teneri et obligatos esse decernimus.

Exactionem tamen per ecclesiasticos fieri mandat.

§ 4. Volumus autem, ut exactio ratae, per easdem personas ecclesiasticas conferendae et contribuendae, per personas similiter ecclesiasticas tantum a venerabili fratre moderno episcopo Salamantino deputandas fiat, et ad huiusmodi ratae solutionem nulli compellantur, qui redditus ad necessariam sustentationem dumtaxat possident, quodque rata a dictis ecclesiasticis, ut praefertur, percipienda in alios usus, quam navium praedictarum, pro quibus, ut praefertur, contribuitur, nullatenus convertatur, super quo maiestatis tuae conscientiam oneramus.

Episcopum Salamantinum praesentium litterarum executorem deputat.

§ 5. Quocirca eidem episcopo Salamantino per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte tuâ fuerit requisitus, solemniter publicans, faciat auctoritate nostrâ illas ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus dicti regni statutis et consuetudinibus, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in quibusvis generalibus conciliis editis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, personis, capitulis, monasteriis, conventibus, collegiis et aliis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus, aliisque decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iulii MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 iulii 1622, pontif. an. II.

LXX.

Concessio fratribus Ordinis Praedicatorum de materiâ Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae inter se in privatis colloquiis disserendi.

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam

Prooemium.

Eximii atque singulares fructus, quos dilecti filii fratres Ordinis Praedicatorum in militanti Ecclesiâ, cuius regimini, divinâ disponente clementiâ, praesidemus, attulerunt, et in dies afferunt, promerentur, ut eosdem fratres specialibus favoribus et gratiis, quantum cum Domino possumus, libenter prosequamur.

Paulus V decretum edidit quod hic Pontifex ampliavit in Constitutione praecedenti.

§ 8. Aliàs siquidem felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster. *(Omittitur residuum decreti huius, quia habes supra cit. in nota ad rubricam Constit.* LXVI, *pag.* 711*)*.

Concessio, de qua in rubrica.

§ 10. Nunc autem nos eiusdem fratres Ordinis Praedicatorum, quos in visceribus gerimus charitatis, specialibus favoribus[1] et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, omnibus et singulis dicti Ordinis Praedicatorum fratribus, ut de cetero in quibuscumque privatis eorum colloquiis, seu conferentiis, inter se dumtaxat, et non inter alios, aut cum aliis, de materiâ eiusdem Conceptionis Beatae Mariae Virginis disserere et tractare, absque ullo poenarum in dictis decretis contentarum incursu, libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam concedimus et impartimur.

1 Edit. Main. legit *fructibus* (R. T.).

Et ita, et non aliter iudicari decernit.

§ 11. Decernentes, fratres praefatos a quoquam quavis auctoritate desuper molestari, perturbari vel inquietari nullatenus posse aut debere; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 12. Non obstantibus singulis praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 iulii 1622, pontif. anno II.

LXXI.

Quod in excommunicationem et censuras ecclesiasticas non incurrant, qui frumenta et alias huiusmodi annonae species extra Statum Ecclesiasticum certis in casibus extrahunt[1].

1 Contra huiusmodi frumenta extrahentes extant nonnullae praedecessorum Pontificum leges quae recensentur in Const. XXII Pauli V *Inter* (in h. n. edit. XXIV in tom. XI, pag. 260).

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta, ea quae iustas ob causas interdum statuta sunt, cum temporum ratio, et ipsa rerum experientia suadet, moderatur et immutat, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Paulus V et alii praedecessores contra extrahentes frumenta plures leges ediderunt.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Inter gravissimas curas, quas pro nostro munere assidue sustinemus, illa postrema non est, in quam nobis totis viribus incumbendum esse ducimus, ut nimirum almam Urbem nostram, et universam Ecclesiasticam Ditionem annonae caritate iamdiu graviter laborantem, quantum cum Domino possumus, liberemus,* etc[1].

Idem Paulus aliam addidit Constitutiones.

§ 2. Subinde vero per eumdem Paulum praedecessorem accepto, a nonnullis dubitari, an per praeinsertas suas, aliasque litteras et provisiones supradictas etiam prohiberetur, ne frumenta, blada, legumina, et id annonae genus, etiamsi in propriis bonis in Statu Ecclesiastico existentibus essent recollecta, a locis Sedi Apostolicae immediate subiectis, ad loca eidem Sedi mediate subiecta, et a dictis locis sic mediate subiectis ad alia loca extra dictum Statum adspostarentur et conducerentur,[2] idem Paulus praedecessor motu proprio, etc.[3]

Gregorius iustis de causis excommunicationem et censuras contra illos impositas casibus hic expressis non incurrere decernit.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, nonnullorum locorum Status nostri Ecclesiastici nobis immediate subiecti personae frequens admodum commercium cum personis eiusdem Status nobis mediate subiecti, et e contra, propter locorum vicinitatem, seu aliàs, habeant; et[1] propterea easdem personas saepe censuris et poenis huiusmodi in eorum perniciem animarum variis modis illaqueari, contingat; nos, earumdem personarum conscientiarum securitati, et animarum saluti, commodisque paternâ charitate, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine:

Primus casus.

Quod de cetero omnes et quaecumque personae, quae annonae in constitutionibus praedictis extrahi prohibitae etiam[2] solummodo quantitatem, quae ad necessariam sustentationem suam et familiarum suarum unius anni sive usque ad novam messem sufficiat, extra Statum nostrum Ecclesiasticum huiusmodi nobis et S. R. E. immediate subiectum ad Statum mediate subiectum;

Secundus casus.

Necnon quod pauperes, qui fasciculos spicarum in agris relictarum, unius diei labore collectos, pro victu et necessitate tantum suâ diurnâ;

Tertius casus.

Ac similiter quod Religiosi Mendicantes, qui granum, legumina et alia similia pro eleemosynâ datâ, pro victu conventuum suorum communi;

Quartus casus.

Ac praeterea quod rustici et pauperes operarii, qui mercedem diurnam, nonnisi in grano, aut aliis annonae generibus huiusmodi consequi possunt;

Quintus casus.

Quique ad mercatus pullos, ova, fructus, vel alia similia in parvâ quantitate ferunt, et ex eo pretio rerum praedictarum panem, farinam et similia pro suo et familiarum suarum usu et necessitate dumtaxat ex locis Status praedicti immediate subiecti ad loca Status nobis mediate subiecti, aut etiam extra Statum nostrum Ecclesiasticum extraxerint et asportaverint, dummodo omnis dolus et fraus absit

1 Reliquum omittitur, quia habes in loco paulo ante cit. in notâ ad rubricam (R. T.).

2 Heic delemus coniunct. *et* (R. T.).

3 Etiam hanc Pauli Const. habes supra loc. cit. in tom. XI, pag. 265 (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

2 Potius legerem *eam* pro *etiam* (R. T.)

ac mercatura, excommunicationis poenam, ac censuras ecclesiasticas non incurrant, decernimus, statuimus et ordinamus.

Contrariisque derogat.

§ 4. Non obstantibus praedictis Pauli praedecessoris et aliorum Romanorum Pontificum eiusdem Pauli expressis litteris, ceterisque contrariis quibuscumque. Admonemus autem, et in Domino hortamur omnes christifideles, ad quos spectat, ut nostro huiusmodi pastoralis indulgentiae beneficio minime abutantur, et agi meminerint de dispendio salutis aeternae.

Transumptis quoque credi mandat.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iulii MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 iulii 1622, pontif. an. II.

LXXII.

Confirmatio et ampliatio Constitutionis Clementis VIII circa novorum conventuum regularium erectiones[1].

Gregorius Papa XV.

Ennunciatur tenor Constitutionis Clementis VIII.

Cum aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII decreverit, Ordinarios locorum licentiam ad novos conventus cuiuscumque praesertim Mendicantium Ordinis in civitatibus et locis eorum ordinariae iurisdictioni subiectis erigendos impartiri non posse, nisi vocatis et auditis aliorum in eisdem civitatibus et locis existentium conventuum prioribus, seu procuratoribus, et aliis interesse habentibus, et causâ servatis servandis cognitâ, in eisdem civitatibus et locis novos huiusmodi erigendos conventus, sine aliorum detrimento, commode sustentari posse, constiterit; si vero ab eorum sententiis ad Sedem Apostolicam provocari et appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum conventuum suspendere debere, quamdiu a dictâ Sede in eâ causâ pronunciatum extiterit, nec aliàs, prout in decreto huiusmodi plenius continetur.

Decretum cardinalium praepositorum negotiis regularium Gregorius innovavit.

§ 2. Verum per piae memoriae Paulum Papam V accepto, plerosque ex Ordinariis praedictis, favore vel nimiâ exposcentium importunitate ad novos conventus seu domus, praeter et contra tenorem praedicti decreti, erigendos plerumque adduci, quo fit ut, non habitâ debitâ eleemosynarum seu redditUum cuiuscumque monasterii, conventus, seu domus ratione, monachi, seu fratres, aut religiosi ibi degentes, manuteneri nequeant, et ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus divinus in eorum ecclesiis destituatur, ibique regularis disciplina, ut convenit, conservari non valeat; sacra congregatio illustrissimorum DD. cardinalium negotiis regularium praepositorum, ad quos idem Paulus Papa V negotium huiusmodi reiecerat, tot incommodis obviam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, decreti huiusmodi veriores ac totos tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur[1], pro plene et sufficienter expressis habens, vivae vocis oraculo a SS. D. N. Gregorio Papa XV habito, decretum praedictum, quatenus opus sit, innovat et in usum reducit.

Ampliavitque et extendit.

§ 3. Volens, quod de cetero monasterium, conventus, domus, congregatio, vel societas religiosorum, seu regularium cuiuscumque, etiam Mendicantium, Ordinis, societatis et instituti, quocumque nomine nuncupentur, etiam si de illis particularis, expressa et specifica mentio habenda esset, in quacumque civitate, vel oppido, seu quocumque alio loco non erigantur,

1 Const. Clem. VIII est in tom. XI, pag. 21 (R. T.).

1 Edit. Main. legit *inserentur* (R. T.).

nisi in eo saltem duodecim fratres, aut monachi, seu religiosi inhabitare, ac ex redditibus et consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac priores seu procuratores aliorum monasteriorum, conventuum seu domorum aliarum religionum vel congregationum aut societatum seu institutorum huiusmodi non solum in praedictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis, ad id vocati et auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinariis locorum constiterit, religiosos monasterii, conventus, seu domus regularis, sic erigendi seu erigendae, absque detrimento religiosorum in monasteriis seu domibus antea in civitatibus seu locis huiusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commode et congrue manuteneri et ali posse. Si vero novi conventus, domus, congregatio vel societas huiusmodi instituendae erunt, nullique alii regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, an[1] locorum incolae et habitatores, quorum et consensum requirant ac adhibeant, huiusmodi duodecim religiosos in conventibus, ut praemittitur, instituendis, commode alere et manutenere valeant.

Appellationem a decretis, desuper ferendis per locorum Ordinarios, ad dictam congregationem spectare eaque pendente nihil innovari decrevit.

§ 4. Si vero a decreto seu decretis per Ordinarios praedictos in causis huiusmodi ferendis legitime appellari contigerit, ex nunc prout ex eâ die, qua appellatio interponetur, ea ad eamdem sacram congregationem unâ cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationeque huiusmodi pendente, nihil innovandum esse, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernens, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Romae, XVII augusti MDCXXII.

ANT. card. SAULIUS.

1 Perperam edit. Main. habet *ac* (R. T.).

LXXIII.

Privilegia et indulta patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in cappellâ Sanctitatis suae assistentium[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis, gratiarum dispensatoris, providentia eas consuevit personas condignis praecipue favoribus et gratiis prosequi, quas sibi et Apostolicae Sedi devotas et obsequiosas, ac plurimis cognoscit meritis adiuvari.

Praelatos cappellae Papae assistentes nobiles creat, eosque indultis, privilegiis, etc. donat.

§ 1. Hinc est quod nos, venerabiles fratres, patriarchas, archiepiscopos, et episcopos, praelatos domesticos nostros, et in cappellâ nostrâ assistentes, eorum meritis et obsequiis exigentibus, condignis favoribus et gratiis prosequi, titulisque et honoribus decorare volentes; motu proprio, non ad ipsorum patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ liberalitate et certâ scientiâ, eosdem patriarchas, archiepiscopos et episcopos ac eorum singulos respective nobiles, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, creamus et facimus, ac nobilitamus, nobilitatisque titulis et insigniis decoramus, nec non aliorum nobilium numero et consortio favorabiliter aggregamus, ac pro nobilibus haberi et nominari ac reputari volumus et mandamus, eisque, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, derogationibus, mandatis, dispensationibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus alii nobiles, etiam de nobili comitum genere, etiam qui illustres reputantur, etiam ex utroque parente procreati, de iure vel consuetudine, ac aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gau-

1 Non dissimilia privilegia concessit huiusmodi assistentibus Iulius III in Constit. XIV *Romanus*, tom. VI, pag. 434.

dent, etiam uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant vere et non ficte in omnibus et per omnia ac si de illustri genere ex utroque parente procreati forent, ita quod inter eos et ipsos illustres, quoad nobilitatem et alia ad illam necessaria, nulla penitus sit differentia, nec fictio locum habeat, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Exemptionem a solutione vectigalis vini pro sex vegetibus, illis concedit.

§ 2. Necnon eos et eorum singulos, dum in curiâ praesentes erunt, a solutione vectigalis vini pro sex vegetibus pro quolibet dumtaxat, de quibus eorum et cuiuslibet ipsorum arbitrio disponere valeant ad instar cameralium, eisdem auctoritate et tenore eximimus et liberamus, ac liberos et exemptos esse volumus.

Panisque portionem dietim a palatio apostolico habendam assignat.

§ 3. Insuper eisdem patriarchis, archiepiscopis et episcopis, eorum singulis unam portionem panis, honoris nuncupati, ex palatio apostolico dietim habendam, percipiendam et consequendam, auctoritate et tenore praedictis concedimus et assignamus.

Notarios creandi facultatem tribuit,

§ 4. Ac illis et eorum singulis, ut tres viros, vitae ac morum probitate, aliisque virtutum donis commendatos, qui nostris, et Sedis Apostolicae obsequiis insistere proponant, in nostros et eiusdem Sedis notarios auctoritate nostrâ apostolicâ recipiendi et admittendi, ac aliorum nostrorum et Sedis praedictae notariorum numero et consortio favorabiliter aggregandi;

Eorumque privilegiis (exceptis hic descriptis) gaudere etiam absque delatione habitus ipsis indulgendi;

§ 5. Illisque, ut, etiamsi habitum et rocchettum non deferant, nihilominus omnibus et singulis favoribus, honoribus, privilegiis, gratiis, indultis, praeeminentiis, exemptionibus et praerogativis quibus alii nostri et dictae Sedis notarii, tam de iure quam de consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, similiter uti, frui et gaudere possint et valeant (sine tamen aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum de numero participantium praeiudicio, et citra exemptiones a sacro Concilio Tridentino sublatas, ac facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac notarios seu tabelliones creandi, aliaque similia privilegia eisdem notariis de numero participantium concessa, seu ab eis praetensa, quibus notarii ab illis vigore praesentium creandi nullibi uti valeant, et si secus ab eis fieri contigerit, irritum et inane existat) indulgendi;

Necnon creandi milites auratae militiae cum suis privilegiis.

§ 6. Necnon etiam alios octo viros habiles et idoneos, ac qualitatibus ad hoc requisitis praeditos, auratae militiae equites eâdem auctoritate creandi et deputandi, illosque aliorum militiae huiusmodi equitum numero et consortio favorabiliter aggregandi, ac eisdem, ut torquem aureum, ac ensem, et aurata calcaria gestare, omnibusque et singulis privilegiis, gratiis, indultis et praerogativis, quibus alii equites huiusmodi utuntur, potiuntur et gaudent, similiter uti, potiri et gaudere valeant (citra tamen exemptiones a dicto Concilio sublatas) concedendi, facultatem [1] auctoritate et tenore praemissis impertimur.

Collegii facultas condendi et immutandi statuta ipsius collegii.

§ 7. Ac ulterius eisdem patriarchis, archiepiscopis, episcopis et eorum singulis, ut in his, quae ad eorum collegium pertinere iudicabunt, quaecumque statuta, capitula, et ordinationes, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus, et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis non contraria, facere et edere, illaque pro tempore, prout expedire cognoverint, mutare, corrigere et in melius reformare;

Indultum celebrandi et audiendi missam in oratoriis domesticis vel domandis cum declaratione satisfaciendi praecepto audiendi missam in ecclesiis.

§ 8. Necnon, pro spirituali eorum consolatione, in privato domus cuiuslibet illorum, etiam in almâ Urbe nostrâ existentis, oratorio ad hoc decenter muro extructo et ornato seu extruendo et ornando ab omnibus domesticis usibus libero,

1 Erronee edit. Main. legit. *facultate*, (R. T.).

per dilectum filium nostrum in eadem Urbe vicarium in spiritualibus generalem prius visitando et approbando, unam missam pro uno quoque die, et, dummodo in domo huiusmodi celebrandi licentia alteri concessa non fuerit, per se ipse celebrare, seu per quemcumque sacerdotem approbatum, secularem vel de superiorum suorum licentiâ regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio, ac quoad eos, qui extra Urbem fuerint, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in suâ ac cuiuslibet eorum familiae praesentiâ celebrari facere, ita tamen, ut familiares eorum servitiis non necessarii ibidem missae interessentes ab obligatione audiendi missam in ecclesiâ diebus festis de praecepto minime liberi censeantur;

Aliud indultum circa resignationes et permutationes beneficiorum ad summam quingentorum ducatorum auri de camera non excedentium.

§ 9. Praeterea eisdem patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel canonici metropolitanarum, seu aliarum cathedralium ecclesiarum, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in Romanâ curiâ quam extra eam, ad id per eos respective coram notario et testibus fide dignis eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas illis et eorum singulis super mensarum abbatialium, seu capitularium, ac episcopalium et archiepiscopalium, ac quorumcumque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium ac quorumvis Ordinum et Militiarum regularium, etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, quomodocumque et qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus ac distributionibus, etiam quotidianis, ipsis nunc et pro tempore reservatas, assignatas, ac reservandas et assignandas, pro summâ videlicet quingentorum ducatorum auri de camerâ quoad singulos eorum, quandocumque alicui eorum respective placuerit, simul vel successive, in toto vel in parte, etiam in cuiuslibet eorum mortis articulo, cassare et extinguere, ac postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus, usque ad summam et quantitatem praedictam, uni vel pluribus aliis personis, etiam per eos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, seu[1] clericali saltem charactere insignitis, et aliàs pensionum huiusmodi capacibus, etiam eis quoad vixerint vel eorum procuratoribus ad id ab eis speciale mandatum habentibus, iisdem modo et formâ, quibus eisdem patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac eorum singulis reservatae et assignatae fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium desuper praestando, usque ad summam et quantitatem praedictam, etiam litteris apostolicis super reservationibus et assignationibus huiusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus et cautelis, ac etiam censuris et poenis in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et contentis, integre persolvendas reservare, constituere et assignare valeant, eisdem auctoritate et tenore de speciali gratiâ indulgemus.

Facultas disponendi de quibuscumque bonis usque ad summam mille ducatorum auri de camera ad

§ 10. Necnon eisdem patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac eorum singulis, ut de omnibus et singulis dominiis, praediis, possessionibus, terris et locis, ac

1 De formâ resignandi beneficia, resignationesque publicandi habes Const. CLV Greg. XIII *Humano vix iudicio*, tom. VIII, pag. 434.

1 Forsan pro *seu* legendum *sed* (R. T.).

favorem hic descriptorum.

iurisdictionibus, ceterisque bonis mobilibus et immobilibus) quae tamen non sint altaris vel altarium ecclesiarum illis et eorum cuilibet pro tempore commissarum, seu alicui speciali earum servitio vel ministerio aut aliàs divino cultui vel usui dedicata, seu ad eius usum confecta) seque moventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus, ac iuribus et actionibus ad eos ratione quarumcumque cathedralium, etiam metropolitanarum, et patriarchalium ecclesiarum, quibus hactenus praefuerunt, et ad praesens praesunt, necnon ad quas eos forsan deinceps transferri, et quibus eos praefici et praeesse contigerit, necnon monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, dignitatum, ac aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum regularium, quae etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinuerunt, obtinent et obtinebunt, ac fructuum, redditituum et proventuum ecclesiasticorum, necnon pensionum annuarum, super similibus fructibus, redditibus et proventibus, eisdem patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac eorum singulis reservatorum et assignatorum, ac reservatarum et assignatarum, reservandorum et assignandorum, reservandarumque et assignandarum, quos et quas perceperint, percipiunt et percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanae curiae officiorum, ac aliàs quomodolibet[1] spectantibus et pertinentibus, necnon eorum et cuiuslibet eorum industriâ et labore quomodolibet et undecumque, licite tamen, acquisitis et acquirendis, ac aliàs, etiam de muneribus et officiis, quae exercuerunt, ac eos exercere contigerit, et aliâ quavis occasione vel causâ seu contemplatione ad eos perventis et perventuris, etiam si in pecuniâ numeraria, ac iocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dictâ curiâ quam extra eam ubique locorum et penes beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates, et veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quae in generali appellatione bonorum et suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus, ac si specifice et sigillatim exprimerentur et denominarentur, pro sufficienter expressis et declaratis haberi volumus) usque ad summam mille ducatorum auri de camerâ, tam pro decentibus et honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui illis viventibus inservierint, etiam ultra servitii meritum, ac in eorumdem patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et eorum singulorum consanguineorum et affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem et usum, et aliàs pro arbitrio et voluntate eorum et cuiuslibet eorum (absoluto[1] prius tamen de omnibus bonis praedictis aere alieno, et iis, quae pro restaurandis domibus seu aedificiis consistentibus in locis ecclesiarum vel beneficiorum per eosdem patriarchas, archiepiscopos et episcopos, ac eorum singulos obtentorum culpâ aut negligentiâ eorumdem patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum ac eorum singulorum aut illorum procuratorum destructis vel deterioratis, necnon recuperandis aliis iuribus earumdem ecclesiarum vel beneficiorum deperditis ex culpâ vel negligentiâ supradictis, fuerint opportuna, deductis, et sine praeiudicio litterarum seu constitutionum apostolicarum super residentiâ editarum, et iurium camerae apostolicae quoad bona iurisdictionalia) testari, ac testamento.

1 Heic addendum videtur *ad eos* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *absolutis* (R. T.).

codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tam inter vivos quam causâ mortis, ac aliis quibuscumque modis et titulis, scripturâ etiam minus solemni, coram duobus vel tribus testibus, aut etiam cedulâ solâ manu illorum scriptâ vel subscriptâ, ac aliàs in omnibus et per omnia, prout et[1] quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsâ curiâ et in mortis articulo, etiam nullâ factâ mentione praesentis, vel aliarum illis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velint et intendant, semel atque iterum, aut pluries statuere, disponere ac ordinare, ita ut quicquid testatum, gestum, aut ordinatum, vel aliàs dispositum ab eis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs, omni meliori modo valeat et servari debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata et statuta pluries, ac toties quoties eis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, et alia de novo edere, libere et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis plenam et liberam concedimus facultatem.

Defectus super eisdem dispositionibus, quoscumque supplet.

§ 11. Et nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones et alia de huiusmodi bonis, iuribus et actionibus, fructibus, pecuniis, iocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favore consanguineorum et affinium praedictorum, ac aliàs quomodolibet ab eisdem patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et eorum singulis facta, cum omnibus inde sequutis, ac etiam ea, quae per illos in futurum quomodolibet fient, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, approbamus et confirmamus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum omissarum et omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint aut intervenerunt in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint, quod specialis et specifica de illis mentio praesentibus habenda esset, supplemus.

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

Inhibitio contra molestantes.

§ 12. Districtius inhibentes quibusvis archiepiscopis, episcopis, aut aliis ecclesiarum praelatis, necnon camerae praedictae praesidentibus et clericis, ac eorum, necnon fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe, ac cruciatae sanctae, ac aliis collectoribus et subcollectoribus, ceterisque cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate et potestate fungentibus, ne universitates, collegia, ac loca, legatarios, haeredes et personas, necnon testamentorum, voluntatum et ordinationum huiusmodi exequutores praedictos, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare audeant quoquomodo vel perturbare.

Clausulae praeservativae.

§ 13. Ac decernentes, praedicta omnia et singula, praesentesque litteras, ac omnia et singula in illis contenta, necnon testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones, et alia qnaecumque, necnon quae in praemissis facta sunt, aut earumdem praesentium vigore fieri contigerit, tam vigore praesentis quam aliarum concessionum illis factarum, ac deinceps in genere et in specie faciendarum, cum inde sequutis et sequuturis, valida, firma et efficacia fore, necnon perpetuâ firmitate subsistere, suosque plenarios ac omnes effectus sortiri et obtinere; nec etiam per translationem ad metropolitanas vel patriarchales ecclesias, vel quamlibet aliam status et personae ipsorum patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum ac eorum singulorum respective mutationem, nec per similes vel dissimiles gratias illis concessas et concedendas confundi; sed ipsis cumulative in omnibus et per omnia uti, et si quid in unâ ex facultatibus huiusmodi defecerit, id per aliam suppleri de-

bere; nec haeredes, legatarios, ac loca, ad quos, seu quae, bona, iura et actiones devenient, vel quibus relinquentur, aut exequutores praedictos ad tertiam, seu aliam eorum partem (quam etiam ex nunc illis, ac locis, haeredibus, legatariis ac donatariis praedictis liberaliter concedimus et donamus) camerae, vel fabricae, aut beneficiis praedictis, etiam pro expeditione contra infideles, et quibuslibet aliis quantumlibet piis usibus solvendum, aut cum iis desuper componendum, vel ipsos patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et eorum singulos, ad aliam particularem licentiam, sive indultum, aut confirmationem praesentium a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in aliâ simili gratiâ sive eius confirmatione illis quomodocumque concedendâ de praesenti mentionem aliquam faciendum teneri, nec ad id ullâ unquam necessitate cogi posse;

Decretum irritans.

§ 14. Et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, nec non pro tempore existentes eiusdem camerae camerarium, praesidentes et clericos, in quavis causâ et instantiâ, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores istius constitutionis deputat.

§ 15. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi episcopis, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte ipsorum patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes et in eis contenta quaecumque firmiter observari, ac eos illis omnibus pacifice frui et gaudere, non permittentes illos per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, contra praesentium earumdem tenorem quomodolibet indebite molestari, inquietari vel perturbari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportunâ iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§ 16. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati de certo eorumdem notariorum numero etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogatum non intendimus, et de consensu praestando in pensionibus, et quibuscumque aliis etiam per nos et Sedem praedictam editis et imposterum edendis cancellariae apostolicae regulis, ac stylo in similibus hactenus observato, ac recolendae memoriae Alexandri VI, tertiam partem bonorum ecclesiasticorum camerae praedictae deberi inter alia disponente, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac quibusvis aliis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quorumvis ecclesiarum, monasteriorum, ordinum collegiorum militiarum et officiorum dictae curiae, ac Urbis, aliarumque civitatum et locorum ac camerae praedi-

ctorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis ecclesiis, monasteriis, ordinibus et hospitali, illorumque praesulibus, ac superioribus, magistris, praeceptoribus, ac militibus, capitulis quoque, conventibus, civitatibus et locis, aliisque praedictis, nec non illorum communitatibus, ac etiam vectigalis vini huiusmodi exactoribus et appaltatoribus, seu redemptoribus, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, et Sedem praedictam, etiam consistorialiter, etiam de eorumdem cardinalium consilio, etiam per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientiâ similibus, deque apostolicae potestatis plenitudine, vel ad imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis (etiamsi in eis ac statutis praedictis caveatur expresse, quod exactores et appaltatores vectigalis praedicti vectigal huiusmodi etiam ab exemptis exigere, ac illos ad solutionem seu contributionem cogere et compellere possint seu debeant; quodque praeceptoriae et alia beneficia quaecumque dicti hospitalis, tam ex eorum institutione quam ex stabilimentorum dispositione, pensionibus, clericis secularibus et aliis personis etiam apostolicâ auctoritate reservandis, gravari non possint; quodque stabilimentis ac privilegiis praedictis, etiam vigore implicitae derogationis latissime extendendae, etiamsi per quascumque litteras apostolicas, ac quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas clausulas, derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio huiusmodi de consilio cardinalium eorumdem fiat, et tum demum magistri et conventus praedictorum ad id accedat assensus, sintque litterae derogationis huiusmodi etiam per dictum magistrum subscriptae, ac illi et conventui praedictis[1] per diversas in formâ Brevis et alias litteras diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas intimatae, et non aliàs, nec alio modo, et semper in omnibus, quae sic fient etiam de simili consilio, derogationibus[2] sit apposita clausula, quod illarum effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praedictorum, et non aliàs, nec alio modo); quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat in genere vel in specie ad effectum praesentium sufficienter et expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nomina assistentium cappellae quibus haec privilegia conceduntur.

§ 17. Volumus autem, et apostolicâ auctoritate decernimus, quod privilegia huiusmodi infrascriptis assistentibus dumtaxat suffragentur. Nomina autem assistentium praedictorum sunt haec videlicet: Ascanius Constantinopolitanus et Deiphebus Hierosolymitanus, patriarchae; Petrus Ardmacanus, Galeatius olim Barensis, Attilius Athenarum, Ulpianus olim Theatinus, Paulus Æmilius Amalphitanus, Dominicus Ianuensis, Philibertus Taurinensis, Andreas Messanensis, et Alphonsus Rhodiensis, archiepiscopi; Marinus Brixiensis, Paulus olim Iserniensis, Berlingerius olim Ariminensis, Iacobus Vercellensis, Antonius Vigiliensis, Petrus Antonius Troianus, Ioannes Baptista Nolanus, Antonius Casertanus, Alphonsus Anglonensis, et Ioannes Vin-

1 Edit. Main. legit *derogationes* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *praedictis conventui* (R. T.).

centius Tagastensis, Tiberius Esinensis, Isidorus Astensis, et Carolus Montis Regalis, episcopi.

Transumptis fidem dari mandat.

§ 18. Volumus etiam ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII augusti MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 augusti 1622, pontif. an. II.

Die V *septembris* MDCXXII *supradictae litterae apostolicae, in formâ Brevis expeditae, exhibitae fuerunt in camerâ apostolicâ, et ex illius decreto commissae perillustri et reverendo domino Hieronymo Vidono eiusdem camerae clerico, et die* XIX *eiusdem mensis, citato prius R. P. D. Antonio Cicalotto praedictae camerae generali commissario, ex decreto eiusdem reverendissimi D. Vidoni desuper facto admissae pro ducatis mille, ut in eis, quoad facultatem testandi, quo vero ad praetensam exemptionem pro sex vegetibus vini, cum clausulâ* quatenus alias habeant similem exemptionem, et existant in illius quasi possessione; *et quoad facultatem disponendi de bonis iurisdictionalibus, sine praeiudicio iurium camerae, et praecedente tamen licentiâ Sedis Apostolicae, iuxta formam Bullae Sixti V, et aliorum Summorum Pontificum, et non aliter, etc., ac aliàs iuxta formam protestationis dicti domini commissarii desuper factae, ad quam, etc., et registratae in libris ipsius camerae penes me illius notarium existentibus, nempe libro diversorum fol.* XCV *et seqq. Et in fidem, etc.*

IOANNES BAPTISTA CENNUS, etc.

LXXIV.

Confirmatio privilegiorum omnium et indultorum, tam per viam extensionis quam aliàs concessorum, ac communicatio singularum gratiarum, tam spiritualium quam temporalium, quibus Congregationes Cassinensis et canonicorum regularium S. Salvatoris Bononiensis fruuntur et gaudent, Congregationi Lateranensi canonicorum regularium Ordinis S. Augustini[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, ut sacrarum religionum gratos Domino fructus assidue praestantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias et indulta illis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, quo validius perpetuo subsistant, apostolicae confirmationis robur libenter communiamus.

Huic Congregationi a diversis Pontificis nonnulla privilegia concessa fuerunt.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Iacobus a Bononia procurator generalis canonicorum regularium Congregationis Lateranensis Ordinis sancti Augustini, quod nonnulla monachorum Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti, et alia diversa privilegia, gratiae et indulta, a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris eidem Congregationi Lateranensi, tam per viam communicationis et extensionis quam aliàs, concessa fuerunt.

Pro quorum confirmatione et aliorum concessione congregatio Lateranensis papae supplicat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Iacobus praedictus plurimum cupiat, privilegia, gratias et indulta huiusmodi, pro eorum maiori validitate et subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri; et alia privilegia, eidem Congregationi Cassinensi hucusque concessa, dictae Congregationi Lateranensi

1 De congregatione canonicorum regularium sancti Salvatoris vide in Greg. XII const. III *Excitat.*, tom. IX, pag. 651.

concedi: nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Qui omnia privilegia tam per viam communicationis quam aliàs concessa eidem Congregationi approbat et confirmat.

§ 3. Nos igitur, Iacobum praedictum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsumque ac singulares dictae Congregationis personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, gratias et indulta praedicta, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros eidem Congregationi Lateranensi, tam per viam communicationis et extensionis, quam aliàs, ut praefertur, concessa, dummodo tamen sint in usu et non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus, et Concilii Tridentini decretis, et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac nostris constitutionibus non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationi Lateranensi de novo concedimus.

Aliaque, congregationibus Cassinensi ac canonicorum regularium sancti Salvatoris quomodolibet concessa, eidem communicat.

§ 4. Praeterea eidem Congregationi Lateranensi, illiusque abbatibus, superioribus, canonicis, aliisque personis, quod omnibus et singulis aliis privilegiis, gratiis et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, tam eidem Congregationi Cassinensi in hunc usque diem, quam Congregationi canonicorum regularium S. Salvatoris Bononiensis, illiusque, abbatibus, superioribus, et personis quibuscumque, etiam ut praefertur, aut aliàs quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam nos concessis, ac quibus utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, dummodo similiter sint in usu et non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec sacris canonibus, ac concilii praedicti decretis, aut constitutionibus apostolicis repugnent, pari modo uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praefatis etiam concedimus et indulgemus.

Clausulas praeservativas ponit.

§ 5. Decernentes, praesentes litteras perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, ac primodictae Congregationi aliisque praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Aliter iudicanda irritat.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria non obstare decernit.

§ 7. Non obstante nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et Congregationis huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII augusti MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 augusti 1622, pontif. an. II.

LXXV.

Confirmatio et ampliatio constitutionis Pii IV editae contra sacerdotes in confessionibus sacramentalibus poenitentes ad turpia sollicitantes [1].

Gregorius Papa XV, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Universi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, caelesti dispositione gerentes, sedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conservetur immunis, multoque maiori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne, quod evangelica scripta nos admonent, sale infatuato, non sit in quo saliatur, et ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.

Pontifices contra confessarios, sollicitantes ad turpia poenitentes, leges indixerunt.

§ 1. Quoniam autem a Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, quibusdam in locis provisum fuit, ut impium ac nefandum scelus, quod non solum inter christifideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet, ut aliquis sacerdos, ad sacras audiendas confessiones deputatus, sacrosancto Poenitentiae sacramento, sollicitando poenitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicinâ venenum, pro pane aspidem porrigat, et ex caelesti medico infernalis veneficus, ex patri spirituali proditor execrabilis animarum reddatur; idcirco nos ea, quae his perniciosissimis diaboli insidiis arcendis certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus.

Pius IV suam desuper edidit citatam Constitutionem.

§ 2. Aliàs siquidem a felicis recordationis Pio Papa IV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Pius Papa IV. Venerabili fratri archiepiscopo Hispalanensi, in regnis Hispaniarum haereticae pravitatis Inquisitori generali. Cum sicut nuper, etc. (Omittitur residuum, quia legi potest ipsa constitutio citata in notâ ad rubricam).*

Hic Pontifex illam praecipit inviolabiliter observari.

§ 3. Igitur, ut litterae praedictae perpetuis futuris temporibus, et ubique locorum inviolabiliter observentur, motu proprio et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostrâ, ac de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum, praeinsertas litteras huiusmodi, ac omnia et singula in eis contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, illasque non solum in praedictis Hispaniarum regnis, sed in quibusvis christiani orbis partibus firmiter et inviolabiliter observari praecipimus et mandamus.

Immo plenius contra huiusmodi sollicitantes in confessionibus et earum occasione disponit.

§ 4. Ac praeterea, ne in futurum de poenâ his delinquentibus imponendâ, et de modo contra eosdem procedendi aliquo modo dubitari possit, statuimus, decernimus et declaramus, quod omnes et singuli sacerdotes, tam seculares quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum Ordinum, institutorum, societatum et congregationum regulares, cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta, sive inter se sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis confessionis, sive antea vel post immediate, seu occasione vel praetextu confessionis huiusmodi etiam ipsâ confessione non sequutâ, sive extra occasionem confessionis in confessionario aut in loco quocumque ubi confessiones sacramentales audiuntur seu ad confessionem audiendam electo simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habue-

1 Haec Pii IV Constitutio est XXXVII *Cum, sicut nuper* (in h. n. edit. XL, in tom. VII, pag. 126).

rint, in officio sanctae inquisitionis severissime, ut infra, puniantur. Et praeterea omnes haereticae pravitatis inquisitores et locorum Ordinarios omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum, et locorum universi orbis christiani, in suis quemque dioecesibus et territoriis, per has nostras litteras, etiam privative quoad omnes alios, specialiter ac perpetuo iudices delegamus, ut super his contra praedictos, simul vel separatim, in omnibus prout in causis fidei (iuxta sacrorum canonum formam, nec non officii[1] inquisitionis huiusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines et decreta) diligenter inquirant et procedant; et quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate et circumstantiis, suspensionis ab executione ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum et officiorum quorumcumque, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, nec non vocis activae et passivae, si regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes et carceres etiam in perpetuum, absque ullâ spe gratiae, poenas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviores poenas meruerint, debitâ praecedente degradatione, curiae seculari puniendos tradant.

Cardinalibus inquisitoribus generalibus arbitrium circa probationes et poenas concedit.

§ 5. Dantes etiam facultatem venerabilibus nostris S. R. E. cardinalibus generalibus inquisitoribus (ne delictum tam enorme, et Ecclesiae Dei tam perniciosum, remaneat, ob probationum defectum, impunitum, cum difficilis sit probationis), testibus etiam singularibus concurrentibus, praesumptionibus, indiciis et aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, et curiae seculari, ut praefertur, reum tradendum esse pronunciandi.

Obstantia tolluntur.

§ 6. Non obstantibus omnibus, quae dictus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Erronee edit. Main. legit *officio* (R. T.).

Confessarii scientes ab aliis poenitentes fuisse sollicitatos, moneant eos, ut inquisitoribus vel Ordinariis denuncient.

§ 7. Mandantes omnibus confessariis, ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut praefertur, inquisitoribus, seu locorum Ordinariis praedictis: quod si hoc officium praetermiserint, vel poenitentes docuerint non teneri ad denunciandum confessarios sollicitantes seu tractantes ut supra, iidem locorum Ordinarii et inquisitores illos pro modo culpae punire non negligant.

Transumptis credendum.

§ 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae;

Publicatio in Urbe omnes afficit.

§ 9. Quodque eaedem praesentes litterae, seu illarum exempla, ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis ac Principis apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae affixae, omnes ita actent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XXX augusti MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 augusti 1622, pontif. an. II.

LXXVI.

Indultum Congregationi fratrum Iesuatorum S. Hieronymi, ut a locorum Ordinariis approbati possint, in parochialibus ecclesiis domorum regularium ipsius Congregationis dumtaxat, parochianorum confessiones audire[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, christifidelium sub suavi

1 Alia de hac Congregatione vide in Const. XXII Martini V, *Piae postulatio*, tom. IV, pag. 730; et Const. XXVII Pauli V, *Religiosos viros*, tom. XI, pag. 272.

religionis iugo Altissimo famulantium votis, iis praesertim, quae ad divini cultus augumentum et fidelium animarum salutem faciunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Indultum, de quo in rubrica.

§ 1. Volentes itaque dilectos filios visitatores generales ac fratres Congregationis Iesuatorum S. Hieronymi sub regulâ S. Augustini favore prosequi gratiae specialis, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium [1] dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis per dilectum filium Ioannem Antonium Gallum, dicti Ordinis procuratorem generalem, super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis eiusdem Congregationis fratribus, qui a locorum Ordinariis approbati fuerint, ut in parochialibus ecclesiis domorum regularium ipsius Congregationis dumtaxat parochianorum earumdem ecclesiarum sacramentales confessiones audire, ac illis iniunctis iniungendis absolutionem impendere salutarem libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ac licentiam et facultatem impartimur.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores [1] praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illi aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 3. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 augusti 1622, pontif. an. II.

1 Vocem *praesentium* nos addimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *tenorem* (R. T.).

LXXVII.

Confirmatio divisionis provinciae sancti Augustini fratrum Recollectorum Discalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini Hispaniarum in quatuor provincias, ac electionis vicarii generalis, nonnullarumque constitutionum per dictos fratres in capitulo factarum.

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad sacram beati Petri Sedem, meritis licet imparibus, divinâ providentiâ vocati, ad ea, per quae christifideles sub suavi religionis iugo et strictioris observantiae regulis Altissimo famulantes in laudabili eorum instituto perseverare valeant, libenter intendimus, atque ea, quae propterea provide facta fuisse dicuntur, ut firma et illibata persistant, apostolicae confirmationis robore communimus, aliàsque disponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Clemens VIII edidit Constitutionem tenoris subsequentis videlicet.

Aliàs siquidem a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Apostolici muneris nobis licet immeritis divinâ dispositione commissi ratio postulat, ut religiosorum quorumcumque, eorum praesertim qui sub strictiori regulae observantiâ Altissimo famulari student, quieti et prospero regimini libenter consulamus, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequamur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Archiepiscopus Sipontinus auctoritate apostolicâ dismembravit ac separavit fratres Recollectos seu Discalceatos provinciae Castellae a superioritate et gubernio provincialis et fratrum eremitarum Calceatorum dicti Ordinis eiusdem provinciae.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, venerabilis frater Dominicus archiepiscopus Sipontinus, noster et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncius, vigore commissionis et facultatis per nos sibi ad hoc per nostras in formâ Brevis litteras sub data die XXIV martii MDCI expeditas, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, attributae, assentientibus et petentibus dilectis filiis priore provinciali et fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Calceatis provinciae Castellae, ab eorum provinciâ dilectos etiam filios definitores et fratres Recollectos seu Discalceatos eiusdem Ordinis S. Augustini in praedictâ provinciâ Castellae existentes, eorumque conventus Matriti, Talaverae, Nabae, Portilli et Tovosi ac alios fundatos et fundandos, necnon res et bona quaecumque, perpetuo separaverit et segregaverit, ac a gubernio et superioritate provincialis et fratrum Calceatorum praedictorum exemerit et liberaverit, ac aliàs circa statum et gubernium eorumdem fratrum Recollectorum Discalceatorum disposuerit et ordinaverit, prout in ipsius Dominici archiepiscopi et nuncii patentibus litteris desuper expeditis, quarum etiam tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius dicitur contineri:

Pontifex instantibus praedictis fratrum separationem approbat et confirmat.

§ 2. Nos, eorumdem fratrum Recollectorum Discalceatorum quieti et prospero statui amplius consulere, eosque, ut strictiorem regularem observantiam, quam profitentur, ad Dei laudem et christifidelium aedificationem et animarum salutem, ut decet, retinere et observare possint, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon definitorem et singulares fratres Recollectos Discalceatos huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine per dilectum filium Ioannem de S. Hieronymo eorum procuratorem generalem in Romanâ Curiâ residentem nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, separationem et divisionem ipsorum definitoris et fratrum Recollectorum Discalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini, in quacumque regnorum Hispaniarum parte existentium, a provinciali et fratribus provinciae Castellae Ordinis fratrum Calceatorum Eremitarum S. Augustini, a praedicto Dominico archiepiscopo et nuncio factas, et, prout illas concernunt, litteras patentes eiusdem Dominici archiepiscopi et nuncii desuper expeditas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus: et nihilominus definitorem et fratres Recollectos Discalceatos regnorum Hispaniarum praedictos, eorumque conventus, res et bona quaecumque, a provinciâ, provinciali et fratribus Calceatis dicti Ordinis Eremitarum S. Augustini, tam provinciae Castellae

quam aliarum quarumcumque provinciarum, eorumque curâ, gubernio et superioritate, auctoritate et tenore praedictis, quatenus opus sit, de novo dividimus et separamus, ac eximimus et liberamus.

Eosque sic separatos cum suis conventibus in provinciam sancti Augustini fratrum Recollectorum Discalceatorum Hispaniarum instituit nuncupandam.

§ 3. Ipsosque definitorem et fratres Recollectos Discalceatos, eorumque conventus, tam hactenus receptos quam deinde recipiendos, in regnis Hispaniarum existentes, in provinciam S. Augustini nuncupandam fratrum Recollectorum Discalceatorum Hispaniarum perpetuo erigimus et instituimus.

Et praelatum dictae provinciae priorem provincialem denominari, eiusque electionem in capitulo provinciali singulis trienniis iuxta instituta fieri.

§ 4. Eiusque provinciae sic erectae et institutae praelatum de cetero priorem provincialem eiusdem provinciae S. Augustini denominari, et in capitulo provinciali, tam hac primâ vice quam deinceps, quandocumque opus fuerit, de triennio in triennium, iuxta regularia eorumdem fratrum Recollectorum instituta, canonice eligi debere volumus et declaramus.

Provinciam sic erectam omnibus privilegiis, etc. fratribus Ordinis sancti Augustini concessis, et praesertim provinciae Castellae, gaudere indulget.

§ 5. Ipsis vero futuro provinciali, ac ceteris superioribus, fratribus, et conventibus eiusdem provinciae sancti Augustini, ut omnibus et singulis privilegiis et gratiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, favoribus, concessionibus, et indulgentiis, quibus aliae provinciae, aut provinciales, conventus et fratres dicti Ordinis Eremitarum sancti Augustini, et praesertim quibus dicta provincia Castellae, eiusque provincialis, atque conventus, et fratres, uti, frui, potiri et gaudere solent et possunt ac poterunt quomodolibet in futurum (salvâ regulari eorumdem fratrum Recollectorum Discalceatorum observantiâ) uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant, concedimus et indulgemus.

Eamque necnon priorem provincialem conventus et fratres iurisdictioni, correctioni et reformationi prioris generalis totius Ordinis sancti Augustini immediate subiicit.

§ 6. Hanc autem provinciam sancti Augustini fratrum Recollectorum Discalceatorum Hispaniarum, eiusque priorem provincialem, conventus, et fratres nunc et pro tempore existentes, iurisdictioni, visitationi, correctioni et reformationi dilecti filii prioris generalis totius Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini immediate subiicimus et supponimus, ac ab ipsomet priori generali personaliter visitari et reformari posse, qui prior generalis in visitatione huiusmodi unum definitorem eorumdem fratrum Recollectorum ex antiquioribus, et alterum religiosum magis idoneum ex eisdem fratribus Recollectis, qui[1] illum de statu totius provinciae S. Augustini huiusmodi informare possint et debeant, assumere teneatur.

Cum prohibitione tamen concedendi aliquam exemptionem, aut libertatem fratribus Recollectis aut eorumdem Constitutionibus derogandi.

§ 7. Verumtamen ipsum[2] priorem generalem, neque ante, neque post huiusmodi visitationem, neque in ipso actu visitationis, ipsis fratribus Recollectis aliquam exemptionem aut libertatem concedere, neque constitutionibus et regularibus institutis eiusdem provinciae S. Augustini derogare, sed illorum transgressores castigare, ac poenis in eisdem constitutionibus inflictis afficere posse.

Vel aliquem non professum Recollectorum habitum induendi sub excommunicationis maioris poena.

§ 8. Insuper neminem, qui professionem, per eosdem fratres Recollectos Discalceatos emitti solitam, non emiserit, eorum habitum sub excommunicationis maioris poenâ induere posse.

Huiusmodi habitum indutum a quoquam privari posse decernit.

§ 9. Et si quem non professum huiusmodi eo habitu indutum reperiri contingat, ipso habitu exui et privari a quocumque licite posse.

Transitum a Discalceatis ad Calceatos, sive ad alium laxiorem Ordinem interdicit.

§ 10. Neque etiam cuicumque fratri Recollecto Discalceato professo ad fratres Calceatos eiusdem Ordinis, sive ad quemcumque alium Ordinem laxiorem, sine speciali Sedis Apostolicae licentiâ, transire licitum esse, et secus facientes poenas per apostolicas constitutiones et regularia eiusdem Ordinis instituta inflictas eo ipso incurrere.

Aliter iudicandi potestatem subtrahit.

§ 11. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos,

1 Vocem *qui* addimus ex Cherub. (R. T.).

2 Ed. Main. legit *ipsorum*; at Cherub. *ipsum*.

etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sedis Apostolicae nuncios, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et ordinamus.

Provinciamque praedictam in aliis praeter hic expressa iuxta eiusdem instituta et constitutiones gubernari debere statuit.

§ 12. Ceterum, circa alia quae praesentibus non sunt expressa, provinciam praedictam S. Augustini, eorumque[1] conventus et fratres iuxta regularia instituta, et constitutiones in capitulis provincialibus eiusdem provinciae canonicae faciendas, gubernari debere statuimus.

Exequutores huius sanctionis deputat.

§ 13. Quocirca praedicto Dominico archiepiscopo nunc et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in eisdem regnis Hispaniarum nuncio, ac venerabili fratri archiepiscopo Toletano, necnon dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum provincialis et fratrum Recollectorum provinciae S. Augustini fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostrâ, praemissa omnia et singula inviolate perpetuo observari, et provincialem et fratres dictae provinciae S. Augustini eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaqae opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria removet.

§ 14. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummododo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini et dictae provinciae Castellae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini ac provinciae, necnon generali, provinciali, ceterisque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, et confirmatis, et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI *februarii* MDCII, *pontificatus nostri anno* XI.

Postea ob numerum conventuum in plures provincias dividi posse, ac expedire, ut gubernetur ab uno vicario generali expositum est Gregorio.

§ 15. Subinde vero (pro parte tunc existentis procuratoris generalis eiusdem congregationis nobis exposito, quod numerus domorum, seu conventuum, et aliorum regularium locorum dictae provinciae S. Augustini ita, benedicente Domino, excreverit, ut praedicta S. Augustini in plures provincias dividi posset[1], et dictae congre-

1 Ni malueris legere *eiusque* (R. T.).

1 Ed. Main. habet *posse*; Cherub. *possit* (R. T.).

Qui divisionem dictarum provinciarum arbitrio cardinalis Saulii dicti Ordinis protectoris;

gationis[1] futurum foret, si illa de cetero per unum illius vicarium generalem regeretur et gubernaretur).

§ 16. Nos, supplicationibus eiusdem procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilectis filiis nunc existenti priori provinciali, ac aliis superioribus et fratribus dictae congregationis, praedictam S. Augustini in plures provincias, prout domorum, conventuum, et aliorum regularium locorum opportunitas suasisset, arbitrio tamen venerabilis fratris nostri Antonii episcopi Ostiensis cardinalis Saulii nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Apostolicam Sedem protectoris, dividere,

Electionemque vicarii generalis eiusdem congregationis, sine praeiudicio tamen superioritatis prioris generalis dicti Ordinis, fieri posse indulsit.

§ 17. Necnon unum vicarium generalem eiusdem congregationis, qui ipsi congregationi praeesset, eamque regeret et gubernaret, canonice eligere libere et licite possent (ita tamen, ut nullatenus praeiudicaret superioritati et auctoritati prioris generalis dicti Ordinis, sed eidem vicarius provincialis et fratres Discalceati praedicti subiecti remanerent in omnibus et per omnia, sicut prius erant) apostolicâ auctoritate licentiam et facultatem concessimus, et impartiti sumus, prout in nostris in simili formâ Brevis sub die v iunii MDCXXI expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[2].

Praedicti cardinalis mandato celebratum fuit capitulum generale.

§ 18. Cum autem, sicut accepimus, praedictus Antonius episcopus et cardinalis, in vim et exequutionem litterarum nostrarum huiusmodi, capitulum generale desuper celebrari mandaverit, et dilectum filium Gabrielem de Conceptione eiusdem congregationis procuratorem generalem in huiusmodi capituli generalis praesidentem elegerit, constituerit et deputaverit, dans illi auctoritatem dividendi provincias, prout capitulo generali praedicto expedire visum fuisset, prout in ipsius Antonii episcopi et cardinalis desuper confectis patentibus litteris plenius dicitur contineri;

In quo provincia sancti Augustini in quatuor provincias divisa fuit.

§ 19. In capitulo autem generali huiusmodi dilectus filius Hieronymus de Resurrectione, ipsius congregationis professor, in eiusdem congregationis vicarium generalem electus fuerit, ac praedicta S. Augustini in quatuor provincias, videlicet S. Augustini in regnis Castellae novae et veteris, B. Mariae de Pilar in regnis Aragoniae et Cathaloniae, beati Thomae de Villanova in regnis Valentiae et Baeticae, ac sancti Nicolai de Tolentino in Indiis Philippinis divisa, necnon quatuor provinciales, aliique officiales necessarii electi;

Postmodum in capitulo multa edita fuerunt decreta, prout infra.

§ 20. Et postmodum, pro felici ac prospero ipsius congregationis regimine et progressu, constitutiones et decreta edita respective fuerint, tenoris subsequentis videlicet:

De officialium electione et ubi facienda.

§ 21. Quod omnes electiones, tam vicarii generalis, definitorum et procuratorum generalium Romanae curiae ac regiae, et secretarii generalis, quam priorum provincialium et conventuum, rectorumque collegiorum, fiant in capitulis generalibus tam ex praesentibus quam ex absentibus congregationis;

De vicarii generalis in totam congregationem auctoritate.

§ 22. Item quod vicarius generalis toti congregationi praesit, eamque regat atque gubernet cum omnimodâ potestate, sicut habet reverendissimus pater generalis in toto Ordine, tam ex iure quam ex privilegiis, sine tamen praeiudicio eiusdem patris generalis, et facultatum sibi in dictam congregationem concessarum et competentium;

De duratione officii vicariatus generalis.

§ 23. Quod officium et potestas vicarii generalis per sex annos duret, quibus finitis, eo ipso illius potestas et auctoritas aliâ renuciatione expiret, et absque novus vicarius generalis eligatur, et, nisi intermisso alio sexennio, iterum in vicarium generalem non eligatur;

1 Adde *bonum*, vel quid simile (R. T.).

2 Istae non leguntur in *Bullario* (R. T.).

De praesidente capituli generalis.

§ 24. Item, quod definitor primus omnibus capitulis generalibus dictae congregationis, quando eligendus est novus vicarius generalis, praesideat usque ad electionem novi vicarii generalis;

De definitoribus.

§ 25. Quod non fiant definitores provinciales, sed tantum quatuor definitores generales, singuli ex singulis provinciis, quorum consilio et interventu ipse vicarius generalis uti debeat, tum in gravioribus controversiis, causis et appellationibus universae congregationis et singulorum fratrum expediendis, tum in provinciarum, singulorum monasteriorum, et domorum reformatione ac regulari observantiâ dirigendâ;

De vicarii generalis, ac definitorii generalis simul potestate.

§ 26. Item, quod vicarius generalis sine consilio et consensu definitorii generalis nullum religiosum ad poenas gravissimas, vel privationem habitus, et alia huiusmodi condemnare possit;

De negociis singulis quibuscumque sex mensibus expediendis.

§ 27. Item, quod vicarius generalis ad minus singulis sex mensibus convocare et congregare debeat quatuor definitores generales ad discernendas et iudicandas causas fratrum et conventuum, et ad tractandum de statu et reformatione totius congregationis, et officia tunc temporis vacantia providenda, quae usque ad proximum capitulum generale perdurabunt;

De definitorum generalium priorumque provincialium duratione.

§ 28. Item, quod definitores generales et priores provinciales triennales sint, et in eisdem vel similibus officiis, nisi transacto altero triennio, eligi non possint;

De duratione priorum, rectorum, procuratorum et secretariorum provincialium.

§ 29. Item, quod priores conventuum, ac rectores collegiorum, procuratores, et secretarii provinciales etiam durent ad tres annos, et, nisi intermisso anno cum dimidio, in eisdem vel similibus officiis eligi non possint, nisi novem patribus definitorii generalis pro altero triennio eligi convenire videbitur;

De secretariorum et procuratorum generalium duratione.

§ 30. Item, quod secretarii et procuratores generales, tam curiae Romanae quam regiae, etiam durent ad tres annos, nisi pater vicarius generalis et definitores generales esse conveniens iudicaverint, ut pro altero triennio eligantur;

De capituli generalis celebratione.

§ 31. Item, quod capitulum generale congregationis tertio quoque anno celebretur dominicâ tertiâ post Pascha Resurrectionis, illudque in singula triennia indicendi et convocandi vicarius generalis curam habeat;

De officialium in dicto capitulo eligendorum numero.

§ 32. Atque in eodem capitulo singulis trienniis novi definitores generales, priores provinciales et conventuales, rectores collegiorum, procuratores generales, ac secretarius generalis, necnon procuratores et secretarii provinciales eligantur, sicque sexto quoque anno in capitulo generali novus vicarius generalis eligi debeat, qui statim confirmetur a praesidente capituli absque praeiudicio constitutionis faciendae a patre generali;

De iis, qui convenire debent ad capitulum generale, ac habentibus vocem in electione vicarii generalis.

§ 33. Item, quod ad capitulum generale dictae congregationis convenire teneantur, praeter vicarium generalem praesentem, et absolutum illius sexennii tantum, quatuor definitores generales, procurator generalis regiae curiae, et secretarius generalis, et ex unaquaque provinciâ provincialis cum definitore et discreto ([1] electio in capitulis provincialibus, quae fieri debeat suo tempore infra ultimum annum triennii, antequam celebretur capitulum generale) qui omnes solummodo vocem habebunt ad eligendum vicarium generalem, quatuor definitores generales, secretarium, ac procuratores generales, et priores provinciales;

De his, qui habent vocem in electionibus priorum, rectorum, procuratorum et secretariorum provincialium.

§ 34. Item, quod ad eligendum priores conventuum, rectores collegiorum, procuratores, ac secretarios provinciales, solum conveniant et habeant vocem novem patres, scilicet vicarius generalis praesens et absolutus illius sexennii, quatuor definitores generales absoluti, et provincialis

[1] Forsan legend.: *quorum electio fiat in capitulis provincialibus, quae fieri debent*, etc.(R. T).

absolutus illius triennii, simul cum definitore et discreto illius provinciae, cuius officio fuerint quae providenda sunt[1], quia maiorem notitiam habebunt de statu provinciarum;

Quid agendum sit in casu mortis vicarii generalis, vel absolutionis ab officio, ante expletum tempus sui muneris.

§ 35. Item, quod, si vicarius generalis ante finitum tempus sui muneris a vitâ migraverit, vel ab officio amotus fuerit, vicarius absolutus, et, eo deficiente, provincialis, in cuius provinciâ mortuus fuerit, toti congregationi praesideat, locum et potestatem vicarii generalis habeat usque ad dominicam tertiam post Pascha Resurrectionis proxime futuram, in qua celebrari faciat capitulum generale pro electione novi vicarii generalis et tunc noviter electus munus suum exerceat non solum usque ad capitulum in quo faciendae sunt omnes electiones, sed etiam per sequens triennium;

De poenis vicario generali irreligiose viventi, aut male administranti infligendis.

§ 36. Item, quod, si vicarius generalis irreligiose vixerit, vel in sui officii administratione male se gesserit, ad definitorium generale in capitulis generalibus eius culpas corrigere et castigare pertineat;

De auctoritate priorum provincialium in totâ provinciâ durante suo officio.

§ 37. Item, quod priores provinciales (durante suo officio) eam auctoritatem et potestatem habeant in totâ provinciâ, quam ceteri provinciales habere consueverunt, dummodo institutis dictae congregationis non adversentur, vel a capitulo generali eius potestas non fuerit limitata:

De officialibus in provincia Indiarum Philippinarum eligendis.

§ 38. Item, quod in provinciâ Indiarum Philippinarum, propter magnam loci distantiam, in suis capitulis provincialibus, quae fieri debent singulis trienniis, eligantur provincialis, quatuor definitores provinciales, priores conventuum, et alii officiales, qui in similibus capitulis provincialibus eligi solent, nisi aliter aliquando capitulo generali videbitur expedire, servatâ semper constitutione generali totius congregationis;

De laicis congregationis ad ordinem, seu clericatum non promovendis.

§ 39. Item, quod nullus religiosus laicus totius congregationis possit ascendere ad aliquem ordinem neque ad clericatum absque licentiâ Summi Pontificis, sed quod semper maneat in suâ professione.

* *Hucusque decreta capituli.*

Nunc iste Pontifex electionem vicarii generalis, divisionem provinciarum, ac decreta praeinserta omnia approbat et confirmat, suppletque defectus.

§ 40. Nos, ad uberes et suaves fructus, quos eiusdem congregationis professores in militanti Ecclesiâ in dies afferunt, paternae dirigentes considerationis intuitum, et ut eadem congregatio maioribus proficiat incrementis, ac omnia et singula praemissa ab omnibus, ad quos spectat, firmiter et inviolabiliter observentur, quamtum cum Domino possumus, providere, ac Gabrielem et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, electionem vicarii generalis ac divisionem provinciarum in capitulo generali, ut supra, factas, nec non constitutiones et decreta praeinserta huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Ac praedictas quatuor provincias in unam provinciam sancti Augustini nuncupandam (quatenus opus sit de novo) erigit et instituit.

§ 41. Et insuper has quatuor provincias, sic, ut praefertur, divisas, in unam congregationem fratrum Discalceatorum sancti Augustini nuncupandam et per unum illius vicarium generalem, modo et formâ praemissis, regendam et gubernandam, cum omnibus et singulis privilegiis,

1 An recta lectio, nescio (R. T.).

facultatibus et indultis eisdem fratribus tam in genere quam in specie, ac aliàs quomodolibet, tam per nos quam per alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concessis, auctoritate et tenore praedictis de novo, quatenus opus sit, erigimus et instituimus.

Privilegia confirmat, ac gratiis et indultis aliis fratribus sancti Augustini concessis ipsos gaudere pari modo indulget.

§ 42. Nec non eisdem fratribus Discalceatis, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, dummodo sint in usu et non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacri Concilii Tridentini decreti et constitutionibus apostolicis non adversentur, et quibus alii Ordinis sancti Augustini fratres utuntur, potiuntur et gaudent, pari modo uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Clausulas praeservativas addit.

§ 43. Decernentes, praesentes litteras, validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac congregationi et fratribus praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari.

Ac ita et non aliter definiri statuit.

§ 44. Sicque ab omnibus censeri et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria aufert.

§ 45. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 46. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI augusti MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 31 augusti 1622, pontif. an. II.

LXXVIII.

Declaratio et approbatio privilegiorum notarii archiconfraternitatis Charitatis de Urbe circa transmissiones commissariorum in causis extra Urbem, ac registrationem compositionum, liberationum, ac quarumcumque gratiarum a sacra consultâ concessarum[1].

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

Procemium.

Exigit creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, ut ad ea, per quae litibus et controversiis inter christifideles quoslibet, praesertim in almâ Urbe nostrâ degentes, vertentibus occurritur, libenter intendamus, ac desuper eiusdem officii partes favorabiliter interponamus, prout conspicimus salubriter expedire.

Privilegium circa commissiones causarum extra Urbem et assignationes notariorum emanatum per nonnulla decreta.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, propositâ aliàs sub die X decembris anni Domini MDCXXI in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Status nostri Ecclesiastici praepositorum causâ privilegiorum archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis nuncupatae de Urbe, inter cetera sub die IX martii praesentis anni decretum fuerit, quod commissarii, sive per litteras patentes congregationis transmissi, teneantur assumere notarium dictae archiconfraternitatis, quodque in posterum non committantur causae alicui tribunali, nisi post transmissionem commissariorum, et viso processu per eos fabricato; et postmodum venerabilis frater noster Octavius episcopus Praenestinus Bandinus et dilectus

1 Approbationem huius confraternitatis, cum aliis constitutionibus ipsius materiam tangentibus, videre poteris in Leon. X Const. XL *Illius* (in h. n. edit. XLII, tom. V, pag. 739).

filius noster Petrus Paulus tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Crescentius nuncupati, a nobis in omnibus controversiis occasione praemissorum ortis et oriundis specialiter deputati, infrascripta decreta ediderint, tenoris subsequentis, videlicet: sanxerunt, quod ad singulos infrascriptos commissarios iam transmissos, amotis notariis aliorum tribunalium quos ipsi secum duxerunt, accedant notarii officii Charitatis, qui apud eos in commissionibus scribant cum perceptione viaticorum et aliorum solitorum emolumentorum a die, quo istae commissiones inceperunt, videlicet: ad Bulgarellum in causâ Saxoferrati vulnerum, in aliâ Britonoriensi exemptionis e manibus curiae, et in tertiâ Assisienensi homicidii de Sorbellis, pro quibus secum duxit iuvenem ex officio Lucae de Carolis auditoris camerae notarii; et ad Colangelum, qui pariter, ducto secum alio iuvene ex officio eiusdem Lucae de Carolis, Beneventum profectus est in causâ Beneventanâ homicidii; praeterea statuerunt, quod nullatenus censeatur illatum aliquod praeiudicium privilegiis Charitatis, circa transmissionem notarii cum commissariis tam per Breve quam per litteras sacrae consultae hactenus expeditis, etiamsi constaret huiusmodi commissarios aliquando secum duxisse alium notarium, quam notarium officii Charitatis:

Aliud privilegium circa gratias Sacrae Consultae concedendas.

§ 2. Insuper decreverunt, quod registrentur in actis notarii Charitatis, iuxta morem consuetum, salviconductus, arresta, compositiones, transactiones, liberationes, et gratiae quaecumque remigantibus, aliisve personis faciendae per sacram consultam cum omnibus scripturis ad praedicta facientibus, nisi tamen causae reorum, quorum occasione praemissa facienda sunt, reperiantur introductae in tribunali auditoris camerae; aliàs omnia, et singula praemissa per alium notarium rogata et registrata respective nulla sint:

Pontifex modo approbat decreta dictorum privilegiorum.

§ 3. Nos, inviolabili decretorum huiusmodi observationi, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, decreta praedicta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Iubetque illa observari.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari;

Sublata aliter iudicandi potestate.

§ 5. Sicque et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX septembris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 septembris 1622, pontif. anno I.

Publicatio.

Die lunae X *octobris* MDCXXII *huiusmodi Breve apostolicum fuit in camerâ apostolicâ praesentatum et die veneris vigesimâ primâ eiusdem mensis, referente admodum illustrissimo et reverendissimo D. Federico Cornelio dictae camerae clerico et iudice, citato etiam ad hoc reverendissimo D. Antonio Cicalotto camerae praedictae generali commissario, camera ipsa illud admisit, et in libris eiusdem camerae registrari mandavit, prout per me eiusdem camerae notarium infrascriptum registratum fuit in libro diversorum nuncupato, fol.* LII; *et in fidem, etc.*

ASTULPHUS DE TARANO.

LXXIX.

Confirmatio fundationis collegii Anglicani in civitate Ulyssiponensi pro alumnis Anglis[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiae regimini divinâ dispensatione, nullo meritorum suffragio, praesidentes, christifidelium quorumlibet votis, iis praesertim, quae ad fidei catholicae propagationem, animarumque salutem pertinere dignoscuntur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Collegium Anglorum in civitate Ulyssiponensi erigitur.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Benettus cleri Anglicani apud Sedem Apostolicam agens, quod dilectus etiam filius Petrus de Coutinhou Portugallensis, periclitanti apud Anglos fidei catholicae pro suis viribus succurrere cupiens, in civitate Ulyssiponensi seminarium, in quo Anglicanae nationis iuvenes pietate et doctrinâ instituerentur, ut mature iam in patriâ reversi fidei tuendae et propagandae sedulam navarent operam, fundavit, dictoque seminario, pro eius dote ac alumnorum pro tempore existentium sustentatione, redditus annuos usque ad summam quingentorum scutorum auri ascendentes[2], et pro domibus vel emendis vel extruendis quinque millia scutorum similium assignavit, quibus et plura imposterum in operis huius incrementum additurum se spondet. Immediatum vero regimen huius seminarii penes eumdem clerum Anglicanum praedictus fundator esse voluit, ita tamen, ut supremum Lusitaniae inquisitionis tribunal, et ipse demum modernus generalis inquisitor, et eius pro tempore successores, rectori praeficiantur et collegio, qui totius administrationis rationem exigendi ius et potestatem habeant.

Atque dotatur.

Petitur confirmatione praedicta.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tam Ioannes quam Petrus praedicti plurimum cupiant fundationem seminarii, ut praefertur factam, apostolicae confirmationis robore communiri: nobis propterea humiliter supplicarunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Gregorius.

§ 3. Nos igitur, Ioannis et Petri praedictorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, fundationem dicti seminarii, per dictum Petrum, ut praefertur, factam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Ceterorumque collegiorum privilegia ei concedit.

§ 4. Nec non iisdem seminario, rectori et alumnis pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alia huiusmodi seminaria, eorumque rectores et alumni utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, pari modo uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et syno-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. habet *ascendere* (R. T.).

dalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iuramentum praestandum ab alumnis.

§ 7. Volumus autem, ut eiusdem seminarii alumni pro tempore existentes, iuramentum de redeundo in Angliam suo tempore, et aliàs per aliorum seminariorum huiusmodi alumnos praestari solitum, praestare omnino teneantur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII septembris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 septembris 1622, pont. anno II.

LXXX.

Extinctio curae animarum parochialis ecclesiae S. Nicolai in Agone, eiusdemque applicatio parochialibus ecclesiis circumvicinis, ac ipsius ecclesiae cum cameris rectoralibus et universâ suppellectili concessio confraternitati sub invocatione Ss. Nicolai et Catharinae nationis Lotharingiorum.

Gregorius Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius Constitutionis

Dum ad sacram beati Petri Sedem, inscrutabili superni Patris prudentiâ, in plenitudinem potestatis, meritis licet imparibus, assumpti, mentis nostrae dirigimus aciem erga grata et accepta sincerae fidei et propensae devotionis obsequia, quae, inter ceteras universi orbis ad almam Urbem nostram confluentes et in conspectu nostro degentes nationes, dilecti filii Lotharingii, veteris Austrasiae regni genus, in Romanâ curiâ pro illius et Sedis Apostolicae decore iam ab immemorabili fere tempore eximiâ etiam integritate et indefessâ sedulitate praestare consueverunt, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut eorum preces, illae praesertim, quae prodire dignoscuntur ex intimo devotionis affectu, quem erga gloriosum Dei confessorem beatum Nicolaum episcopum, Lotharingiae, ut accepimus, et Barris ducatus[1] protectorem et tutelarem, gerunt, apud nos et dictam Sedem ad exauditionis gratiam benigne admittantur, ipsique locum opportunum et cognitum pro eorum confraternitatis et spiritualium exercitiorum commoditatibus in dictâ Urbe, ad instar aliarum nationum in eâ versantium, ex nostrae et eiusdem Sedis munificentiâ et liberalitate, dictorum obsequiorum intuitu et aliorum meritorum, quibus abunde eos ornatos esse nobis constat, contemplatione consequantur.

Vacante parochiali ecclesia sancti Nicolai in Agone.

§ 1. Cum itaque parochialis ecclesia S. Nicolai in Agone nuncupati de Urbe, quae ab ecclesiâ S. Laurentii in Damaso de dictâ Urbe tamquam eius matrice dependet, et illi immediate subiecta est, cuiusque, dum pro tempore vacat, collatio et omnimoda dispositio ad pro tempore existentem eiusdem S. Laurentii diaconum seu presbyterum cardinalem spectat, et quam quondam Ioannes Baptista Bellobonus ipsius ecclesiae S. Nicolai rector, dum viveret, obtinebat, per obitum ipsius Ioannis Baptistae, qui hodie, seu nuper, in dictâ curiâ diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad praesens;

Confratres confraternitatis sub invocatione sanctorum Nicolai et Catharinae nationis Lotharingiae

§ 2. Et, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum rectorum et confratrum confraternitatis eiusdem S. Nicolai Lotharingiorum petitio continebat, dicta ecclesia S. Nicolai septuaginta domos seu familias, vel circa,

1 Edit. Main. legit *ducatu* (R. T.).

dumtaxat sub suâ curâ et parochiâ habeat, et ad exercitium curae animarum dilectorum filiorum illius parochianorum et officiorum ac onerum parochialium valde angusta et obscura existat, et in actu illius visitationis praeteritis annis factae pro tali habita et relata fuerit, dictique parochiani, qui numerum quadringentorum et nonaginta, vel circa, non excedunt, pro missis et aliis divinis officiis audiendis, passim ad alias vicinas ecclesias accedere consueverint, et proinde expediat ipsam animarum curam inde ad aliquam seu aliquas ex vicinis commodioribus parochialibus ecclesiis transferre, et dictam ecclesiam S. Nicolai alicui congregationi seu confraternitati, cuius curâ in decenti statu construetur, et divinus in eâ cultus manuteneatur, concedere; a longo tempore vero quamplurimi honestae conditionis viri, ex Lotharingiae et Barri ducatibus oriundi, in praedictâ curiâ cum multâ tum fidei et probitatis tum etiam pietatis ac propensae erga Sedem praedictam devotionis laude versati fuerint, et eorum multi diversis datariae et cancellariae apostolicae muneribus et officiis secundae peritiae, fidelitatis et integritatis famâ praefuerint, continuoque et etiam nunc in ipsâ curiâ non pauci ex dictis ducatibus reperiantur, qui, antecessorum suorum vestigiis sedulo insistentes, parem cum eis laudem promereri[1] indefessi animi et corporis studio felici aemulatione contendant; et qui praecesserunt, perpetuum pietatis et religionis sui monumentum posteris relinquere volentes, unam utriusque sexus christifidelium ex eiusdem ducatibus oriundorum confraternitatem sub invocatione Ss. Nicolai et Catharinae, in cappellâ eiusdem S. Nicolai in ecclesiâ S. Ludovici nationis Gallicanae de eâdem Urbe sitâ, apostolicâ auctoritate erigi et institui obtinuerint, et confratres ipsius confraternitatis pro tempore existentes, inter alia pietatis opera per eos exerceri solita, pauperes puellas dotare, et egenos ad dictam Urbem ex eiusdem ducatibus pro tempore accedentes eleemosynis iuvare, dictamque cappellam[1], quae marmoreis lapidibus et picturis insignibus eleganter ornata, ac cruce et candelabris argenteis, aliâque supellectili sacrâ abunde instructa est, per duos cappellanos, constituto eis menstruo salario competenti, in divinis deserviri facere consueverint; aliquem vero locum nec in dictâ ecclesiâ S. Ludovici, illiusque sacristiâ et aedificiis, nec alibi habeant, in quo pro negotiis dictae confraternitatis pertractandis congregari possint, et ex hoc non leve incommodum experiantur; rectores autem et confratres praedicti, speciali devotionis affectu erga ipsum S. Nicolaum, quem uti tutelarem patronum omnis Lotharingiae provincia insigni venerationis cultu prosequitur, permoti, dictam ecclesiam S. Nicolai, praecedente translatione curae animarum huiusmodi, confraternitati praedictae concedi summopere desiderent; et ex hoc dictae confraternitatis commodis, et ipsius ecclesiae S. Nicolai manutentioni et ornatui, divinique cultus in eâ augmento, opportunâ ratione consultum futurum sit;

Eam sibi concedi desiderant.

§ 3. Et venerabilis frater noster Alexander episcopus Albanensis cardinalis Montaltus nuncupatus, et S. R. E. vicecancellarius, negotio ipso prius de eius mandato mature et prudenter discusso, ad translationem curae animarum et concessionem ecclesiae S. Nicolai huiusmodi utiliter deveniri posse iudicaverit, illisque ipse (dummodo tamen bona et propietates, ac fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta universa eiusdem ecclesiae S. Nicolai duobus canonicatibus et totidem praebendis nuper in dictâ ecclesiâ sancti Laurentii apostolicâ auctoritate erectis,

Negotio prudenter discusso a cardinali vice cancellario, dictam ecclesiam concedendam censuit applicatis tamen prius ipsius emolumentis duobus praebendis nuper in ecclesia sancti Laurentii erectis.

1 Edit. Main. legit *promoveri* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *dictaque cappella* (R. T.).

ut infra, applicentur) consentire proposuerit; quare pro parte rectorum et confratrum huiusmodi (asserentium, fructus, redditus et proventus dictae ecclesiae S. Nicolai centum et quinquaginta ducatorum auri de camerâ, secundum comunem aestimationem, valorem annuum non excedere) nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Nunc vero Pontifex ab ecclesia sancti Nicolai curam animarum aliaque onera et officia parochialia omnia abdicat.

§ 4. Nos igitur (qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem, secundum aestimationem praedictam, etiam beneficii, cui aliud uniri petetur, alioquin unio huiusmodi non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, idemque observaretur in quibusvis applicationibus de quibusvis fructibus et bonis ecclesiasticis; quique divini cultus ac piorum operum studio incumbentium propagationem et incrementum praesertim in almâ Urbe nostrâ vigere sinceris exoptamus affectibus), ipsos rectores ac confraternitatis huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex nunc a dictâ ecclesiâ S. Nicolai (sive praemisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque personâ, seu per liberam resignationem dicti Ioannis Baptistae vel cuiusvis alterius de illâ in dictâ curiâ vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Ioannis Papae XII[1] praedecessoris nostri, quae incipit ***Execrabilis***, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii sit[1] ad Sedem praedictam legitime devoluta, ipsaque ecclesia S. Nicolai dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservata existat, et super eâ inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa) omnimodam curam animarum parochianorum huiusmodi, ac officia et onera parochialia illi quomodolibet incumbentia, illorumque ius et exercitium universum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo abdicamus:

Eamque ad alias parochiales ecclesias arbitrio dicti cardinalis cum suis iuribus transfert.

§ 5. Sicque abdicata ad aliquam seu aliquas parochiales ecclesias circumvicinas, arbitrio dicti Alexandri episcopi et cardinalis (ita quod parochiani ipsius ecclesiae S. Nicolai nunc et pro tempore existentes deinceps in perpetuum ad ecclesiam, seu ecclesias, ad quam seu quas illos transferri contigerit, tamquam propriam seu proprias eorum parochialem ecclesiam seu parochiales ecclesias pro missis et aliis divinis officiis audiendis ac sacramentis ecclesiasticis percipiendis tamquam veri, certi et indubitati eius seu earum parochiani accedere, et ad curam animarum in ecclesiâ seu ecclesiis, ad quam seu quas translati fuerint huiusmodi, canonice deputatum seu deputatos rectorem seu rectores pro tempore uti verum et proprium parochum seu veros et proprios parochos recognoscere et observare, ac illi seu illis debitam obedientiam et reverentiam exhibere, ac iura parochialia et consueta praestare debeant et teneantur), dictâ auctoritate apostolicâ etiam perpetuo transferimus:

Ac denominationem et titulum parochialem dictae ecclesiae supprimit.

§ 6. Et in ipsâ ecclesiâ S. Nicolai nomen, titulum et denominationem ac essentiam parochialis ecclesiae, illiusque rectoris,

1 Aliàs puto legi *XXII* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *est* (R. T.).

similiter perpetuo supprimimus et extinguimus:

Ipsam vero ecclesiam sic liberam cum cameris rectoralibus, aliaque supellectilia assignat dictae confraternitati.

§ 7. Ipsam vero ecclesiam S. Nicolai ab omni curâ, officiis, oneribus parochialibus liberam et exemptam, et de cetero non collativam effectam, illiusque cameras rectorales super eâ constructas (ex quibus, si locarentur, decem ducati auri de camerâ similes, vel circa, ut etiam accepimus, annuatim perciperentur), cum Sanctorum et quibusvis aliis reliquiis, ac omnibus et singulis paramentis et ornamentis, calicibus, crucibus, candelabris, campanis, libris, vasis, universâque aliâ supellectili, tam sacrâ quam profanâ, etiam ex auro et argento, ac aliis rebus quibuscumque in dictâ ecclesiâ S. Nicolai ad praesens existentibus et ad illius usum comparatis, praedictae confraternitati [ita quod liceat ipsius rectoribus et confratribus, nunc et pro tempore existentibus, corporalem et actualem ecclesiae S. Nicolai ac camerarum praedictarum possessionem per se, vel alium, seu alios, eorum ac dictae confraternitatis nomine, propriâ auctoritate apprehendere et appraehensam perpetuo retinere;

Eique a presbyteris idoneis, ab ipsa ponendis, deserviri facere.

§ 8. Dictaeque ecclesiae S. Nicolai in divinis per presbyteros idoneos, a rectoribus et confratribus praedictis nunc et pro tempore existentibus ponendos, et pro libero et absoluto eorum arbitrio amovendos, deserviri facere;

Nec non dilatare et in aliam formam reducere, uti possint, indulget.

§ 9. Illamque, quotiescumque et quandocumque illis benevisum fuerit, dilatare et ampliare, immutare, ac etiam in aliam formam reducere

Quotannis cereum unum quatuor librarum in festo sancti Laurentii dicto cardinali in signum recognitionis solvere obligat.

§ 10. (Ipsi tamen rectores et confratres, singulis annis in perpetuum, cereum unicum cerae albae ponderis quatuor librarum die festo S. Laurentii dicto Alexandro et pro tempore existenti eiusdem ecclesiae S. Laurentii diacono seu presbytero cardinali in signum recognitionis tradere teneantur), dilecti filii nostri moderni et pro tempore existentis Urbis praedictae vicarii aut cuiuscumque alterius licentiâ desuper minime requisitâ] eiusdem Alexandri episcopi et cardinalis expresso, dilecti vero filii moderni rectoris seu dilectorum filiorum modernorum rectorum ecclesiae seu ecclesiarum, ad quam seu ad quas curam animarum huiusmodi transferri contigerit, ad hoc accedente consensu, auctoritate et tenore praemissis, itidem[1] perpetuo concedimus et assignamus.

Ex proventi parochiali extinctae duos canonicatus in ecclesia S. Laurentii in Damaso erigit et dotat.

§ 11. Postremo dictis duobus canonicatibus et duabus praebendis, noviter in dictâ ecclesiâ S. Laurentii ex fructibus, redditibus et proventibus olim parochialis ecclesiae S. Caeciliae in Monte Iordano de eâdem Urbe, dictâque apostolicâ auctoritate erectis (pro usu et augumento distributionum quotidianarum inter dictos duos canonicatus et praebendas noviter erectas suo tempore obtinentes, ac horis canonicis, aliisque divinis officiis in dictâ ecclesiâ S. Laurentii suis loco et tempore interessentes, aequis portionibus et ratis dividendarum, ita quod uno eorum absente, et non interessente, eius portio, et rata alteri praesenti et interessenti tantum accrescat et accrescere eo ipso censeatur) omnia et singula dictae ecclesiae S. Nicolai, et illi annexorum quorumcumque, proprietates, praedia, domos, apothecas, canones, census, rationes, aliaque bona et iura universa, in quibusvis rebus consistentia et undecumque provenientia, ac quomodolibet et quovis nomine nuncupata (cameris tamen et bonis mobilibus, aliisque sic, ut praemittitur, dictae confraternitati concessis, tantummodo exceptis, quae sub huiusmodi applicatione et appropriatione comprehendi, aut venire non debeant, neque etiam censeantur), praeviâ illorum, quatenus opus sit, ab eâdem ecclesiâ S. Nicolai opportunâ dismembratione et separatione (ita quod liceat dictos

1 Pro *itidem* edit. Main. legit *ut idem* (R. T.).

duos canonicatus et praebendas pro tempore obtinentibus, et eorum cuilibet, per se ipsos, seu eorum alterum, eorum ac dictorum canonicatuum et praebendarum noviter erectorum nominibus, corporalem, realem et actualem illorum omnium possessionem, cuiusvis licentiâ etiam desuper minime requisitâ, propriâ auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere; fructus quoque, redditus et proventus, iura, obventiones, et emolumenta quaecumque, exinde quomodolibet provenientia, percipere, exigere, levare, recuperare, locare, dislocare, arrendare et administrare), eisdem auctoritate et tenore pariter et perpetuo ex nunc applicamus et appropriamus.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 12. Decernentes praesentes litteras (etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, aut habere praetendentes, illis non consenserint, ad eaque vocati, et causae, propter quas illa fiant, vel facta sint, coram praedicto vicario Urbis, vel aliàs examinatae, verificatae et iustificatae non fuerint, seu aliàs ex quocumque alio capite vel causâ quantumvis legitimâ vel iuridicâ) de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, annullari, vel invalidari, seu in ius vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari aut concedi nullatenus posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque praedictam, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore quomodolibet factis, comprehendi vel confundi, sed ab illis semper excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo et sub quacumque posteriori datâ per rectores et confratres dictae confraternitatis pro tempore existentes quandocumque eligendâ, concessas esse et fore;

Aliter iudicandi facultatem tollit.

§ 13. Sicque per quoscumque iudices ordinarios, commissarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores huius Constitutionis deputat.

§ 14. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi episcopis, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte nunc et pro parte existentium rectorum et confratrum dictae confraternitatis seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos nunc spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; ipsosque rectores et confratres ecclesiâ S. Nicolai, ac illius cameris rectoralibus, necnon omnibus et singulis paramentis et ornamentis, calicibus, crucibus, candelabris, campanis, libris, vasis, universâque aliâ supellectili tam sacrâ quam profanâ

eidem confraternitati concessis; dictos duos vero canonicatus et praebendas pro tempore obtinentes, omnibus et singulis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, ac aliis eisdem duobus canonicatibus et praebendis, ut praefertur, applicatis praedictis, pacifice frui et gaudere; non permittentes eos seu eorum quemlibet desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores auctoritate nostrâ praedictâ, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis[1] processibus, illos sententias, censuras et poenas huiusmodi incurrisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarando, illosque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

Contraria tollit.

§ 15. Non obstantibus priori voluntate nostrâ praedictâ, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, necnon quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Urbis (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctionem poenalem addit.

§ 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, abdicationis, translationis, suppressionis, extinctionis, concessionis, assignationis, applicationis, appropriationis, decreti et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Tusculi, anno Incarnationis Dominicae MDCXXII, tertio nonas octobris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 octobris 1622, pontif. an. II.

1 Edit. Main. legit *servandis* (R. T.).

LXXXI.

Committitur nuncio apostolico Neapoli et vicegubernatori civitatis Beneventanae, ut procedant contra bonorum detentores monasterii abbatiae nuncupatae S. Mariae de Ferrara, sancti Benedicti vel alterius Ordinis, Beneventanae, vel Theanensis, aut nullius dioecesis[1].

Dilectis filiis, nostro et Sedi Apostolicae in regno Neapolis nuncio, et civitatis nostrae Beneventanae vicegubernatori, nunc et pro tempore existentibus,

Gregorius Papa XV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Commissionis causae.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius noster Ludovicus tituli S. Mariae Transpontinae presbyter cardinalis Ludovisius nuncupatus, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, nobis nuper exposuit, multa bona et territoria, ad monasterium abbatiam nuncupatum S. Mariae de Ferrara, sancti Benedicti seu alterius Ordinis Beneventanae seu Theanensis aut nullius dioecesis, quod dictus Ludovicus cardinalis in commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicâ obtinet, spectantia, a diversis personis, etiam in dignitate ecclesiasticâ constitutis, et nonnullis ecclesiis indebite occupata retineantur, etiamsi illa ad dictum monasterium ex diversis capitibus et respectibus devoluta sint:

Commissio de qua in rubrica.

§ 2. Nos, eiusdem monasterii utilitati et commodis, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, vobis et vestrum cuilibet in solidum per praesentes committimus et mandamus, ut contra eorumdem bonorum detentores et occupatores, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentes, etiamsi ecclesiae, monasteria et alia loca pia fuerint,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figurâ iudicii, manu regiâ ac solâ facti veritate inspectâ, omnique et quacumque reclamatione et recursu remotis, procedatis.

Facultatis concessio.

§ 3. Cum facultate alios quoscumque, etiam in dignitate ecclesiasticâ constitutos, ad praemissa subdelegandi, quoscumque quavis auctoritate fungentes citandi, et, sub poenis arbitrio vestro moderandis et applicandis, inhibendi etiam per edictum publicum, constito, quantum vobis sufficere videbitur, de non tuto accessu, aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et opportuna (etiamsi talia sint, vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem) faciendi, dicendi, gerendi et exequendi.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 octobris 1622, pontif. an. II.

LXXXII.

Confirmatio decretorum a rege catholico latorum circa exclusionem mercatorum et aliorum ab habitu militiarum de Spatha, Calatrava et Alcantara[1].

**Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.**

Statutis huiusmodi militiarum cavetur, quominus qui nobiles non sunt, in iis admittantur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, Militiarum S. Iacobi de Spatha, Calatrava et Alcantara perpetuus administrator apostolicâ auctoritate deputatus, quod in recipiendis ad habitum fratrum militum dictae Militiae S. Iacobi de Spatha iis, qui seu quorum genitores et avi mercaturam exercuerunt, quodam eiusdem Militiae stabilimento capite V, tit. I caveatur expresse, ne dictae Militiae S. Iacobi habitus illi tradi aut exhiberi possit, qui mercator aut argentarius fuerit, vel officium vile aut mechanicum exercuerit, aut eorum, qui alterutrum officiorum huiusmodi exercuerint, natus existat, etiamsi se nobilem *hyodalgo* vulgo nuncupatum esse probet, cum declaratione, quod mercator ad hunc effectum intelligatur is, qui apothecam cuiusvis generis mercium, in eâ per se ipsum aut ministros suos residendo, habuerit, argentarius autem, qui banchum publicum tenuerit, et ex professo pecunias per se aut suos deputatos ad cambium dederit: et quia nonnulli de Calatrava et Alcantara Militiarum praedictarum fratres earumdem Militiarum stabilimenta materiam huiusmodi tractantia, ex eo quod illâ simili declaratione carent, rigidiori sensu interpretantur; quum titulo VI, cap. I statutorum Militiae praedictae de Calatrava caveatur, ne quis ad habitum per eiusdem Militiae de Calatrava fratres milites gestari solitum admittatur, qui vel cuius genitor aut avus cuiusvis generis mercium mercaturam per se ipsos seu ministros suos exercuerit, sive aurifex, vel pictor, aut argentarius fuerit, qui banchum publicum tenuerit, et ex professo pecunias per se aut suos deputatos ad cambium dederit; titulo vero XIII capitis primi stabilimentorum dictae militiae de Alcantara prohibetur, quemquam inter fratres milites dictae Militiae recipi, qui nobilis, ut praefertur, non sit iuxta modum et formam regnorum Hispaniarum, qui a Mauris conversis, haereticis, aut hebraeis, et ignobilibus, vel iis

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

eidem confraternitati concessis; dictos duos vero canonicatus et praebendas pro tempore obtinentes, omnibus et singulis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, ac aliis eisdem duobus canonicatibus et praebendis, ut praefertur, applicatis praedictis, pacifice frui et gaudere; non permittentes eos seu eorum quemlibet desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores auctoritate nostrâ praedictâ, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis[1] processibus, illos sententias, censuras et poenas huiusmodi incurrisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarando, illosque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

Contraria tollit. § 15. Non obstantibus priori voluntate nostrâ praedictâ, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, necnon quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Urbis (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctionem poenalem addit. § 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, abdicationis, translationis, suppressionis, extinctionis, concessionis, assignationis, applicationis, appropriationis, decreti et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Tusculi, anno Incarnationis Dominicae MDCXXII, tertio nonas octobris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 octobris 1622, pontif. an. II.

1 Edit. Main. legit *servandis* (R. T.).

LXXXI.

Committitur nuncio apostolico Neapoli et vicegubernatori civitatis Beneventanae, ut procedant contra bonorum detentores monasterii abbatiae nuncupatae S. Mariae de Ferrara, sancti Benedicti vel alterius Ordinis, Beneventanae, vel Theanensis, aut nullius dioecesis[1].

Dilectis filiis, nostro et Sedi Apostolicae in regno Neapolis nuncio, et civitatis nostrae Beneventanae vicegubernatori, nunc et pro tempore existentibus,

Gregorius Papa XV.

Dilecti filii,

salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius noster Ludovicus tituli S. Mariae Transpontinae presbyter cardinalis Ludovisius nuncupatus, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, nobis nuper exposuit, multa bona et territoria, ad monasterium abbatiam nuncupatum S. Mariae de Ferrara, sancti Benedicti seu alterius Ordinis Beneventanae seu Theanensis aut nullius dioecesis, quod dictus Ludovicus cardinalis in commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicâ obtinet, spectantia, a diversis personis, etiam in dignitate ecclesiasticâ constitutis, et nonnullis ecclesiis indebite occupata retineantur, etiamsi illa ad dictum monasterium ex diversis capitibus et respectibus devoluta sint: Commissionis causae.

§ 2. Nos, eiusdem monasterii utilitati et commodis, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, vobis et vestrum cuilibet in solidum per praesentes committimus et mandamus, ut contra eorumdem bonorum detentores et occupatores, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentes, etiamsi ecclesiae, monasteria et alia loca pia fuerint, Commissio de qua in rubrica.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figurâ iudicii, manu regiâ ac solâ facti veritate inspectâ, omnique et quacumque reclamatione et recursu remotis, procedatis.

Facultatis concessio.

§ 3. Cum facultate alios quoscumque, etiam in dignitate ecclesiasticâ constitutos, ad praemissa subdelegandi, quoscumque quavis auctoritate fungentes citandi, et, sub poenis arbitrio vestro moderandis et applicandis, inhibendi etiam per edictum publicum, constito, quantum vobis sufficere videbitur, de non tuto accessu, aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et opportuna (etiamsi talia sint, vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem) faciendi, dicendi, gerendi et exequendi.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 octobris 1622, pontif. an. II.

LXXXII.

Confirmatio decretorum a rege catholico latorum circa exclusionem mercatorum et aliorum ab habitu militiarum de Spatha, Calatrava et Alcantara[1].

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

Statutis huiusmodi militiarum cavetur, quominus qui nobiles non sunt, in iis admittantur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, Militiarum S. Iacobi de Spatha, Calatrava et Alcantara perpetuus administrator apostolicâ auctoritate deputatus, quod in recipiendis ad habitum fratrum militum dictae Militiae S. Iacobi de Spatha iis, qui seu quorum genitores et avi mercaturam exercuerunt, quodam eiusdem Militiae stabilimento capite V, tit. I caveatur expresse, ne dictae Militiae S. Iacobi habitus illi tradi aut exhiberi possit, qui mercator aut argentarius fuerit, vel officium vile aut mechanicum exercuerit, aut eorum, qui alterutrum officiorum huiusmodi exercuerint, natus existat, etiamsi se nobilem *hyodalgo* vulgo nuncupatum esse probet, cum declaratione, quod mercator ad hunc effectum intelligatur is, qui apothecam cuiusvis generis mercium, in eâ per se ipsum aut ministros suos residendo, habuerit, argentarius autem, qui banchum publicum tenuerit, et ex professo pecunias per se aut suos deputatos ad cambium dederit: et quia nonnulli de Calatrava et Alcantara Militiarum praedictarum fratres earumdem Militiarum stabilimenta materiam huiusmodi tractantia, ex eo quod illâ simili declaratione carent, rigidiori sensu interpretantur; quum titulo VI, cap. I statutorum Militiae praedictae de Calatrava caveatur, ne quis ad habitum per eiusdem Militiae de Calatrava fratres milites gestari solitum admittatur, qui vel cuius genitor aut avus cuiusvis generis mercium mercaturam per se ipsos seu ministros suos exercuerit, sive aurifex, vel pictor, aut argentarius fuerit, qui banchum publicum tenuerit, et ex professo pecunias per se aut suos deputatos ad cambium dederit; titulo vero XIII capitis primi stabilimentorum dictae militiae de Alcantara prohibetur, quemquam inter fratres milites dictae Militiae recipi, qui nobilis, ut praefertur, non sit iuxta modum et formam regnorum Hispaniarum, qui a Mauris conversis, haereticis, aut hebraeis, et ignobilibus, vel iis

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

qui per officium inquisitionis haereticae pravitatis pro causis fidei puniti fuerunt, usque ad quartam generationem in parte vel aliàs originem non trahat, sed ii dumtaxat recipiantur, qui de nobili antiquo christianorum nobilium genere ex utroque parente et avis ambarum partium nominis et insignium procreati sint, ita ut fama publica in contrarium non sit, quique et quorum genitores mercatores, affictuarii, aut argentarii, vel usurarii, aut similium personarum in huiusmodi officiis ministri seu officiales mechanici non fuerint, nec ex huiusmodi officiis vivant aut vixerint.

Huiusmodi statuta declarat Philippus rex.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, statuta seu stabilimenta dictarum Militiarum in illarum capitulis generalibus, auctoritate apostolicâ desuper suffragante, edita fuerint, et dictus Philippus rex, multis negotiis impeditus, capitula generalia huiusmodi celebrare non possit, et pro tollendâ omni in praemissis ambiguitate, nec non disparitate circa modum interpretandi exclusionem dictorum mercatorum ab habitu Militiarum huiusmodi, utque iudices consilii regii dictorum Ordinum uniformiter et citra opinionum disparitatem in huiusmodi materiâ de cetero iudicent, decreverit, exclusionem mercatorum huiusmodi ab habitu Militiarum de Calatrava et Alcantara praedictarum iuxta declarationem stabilimenti capituli quinti tituli primi in praedictâ Militiâ S. Iacobi emanatam intelligi debere, quod nempe ii mercatores ab habitu dictarum Militiarum de Calatrava et Alcantara absque dispensatione apostolicâ exclusi intelligantur, qui aut quorum genitores vel avi apothecam apertam cuiusvis generis mercium tenuerint, et in illâ merces per se ipsos seu ab eis deputatos vendiderint, non autem ii, qui pecunias suas lucri causâ in magnâ summâ ad grossum, ut vulgo nuncupant, erogant, et ipsi in apothecâ non vendunt seu vendere faciunt ad minutum:

Huiusmodi declarationem ratam habet Gregorius.

§ 3. Nos, ut decreta huiusmodi, per dictum Philippum regem, ut praefertur, facta, ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observentur, quantum cum Domino possumus providere, ac dicti Philippi regis votis annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praedicta, per eumdem Philippum regem, ut praefertur, facta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit Militiarum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV octobris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 octobris 1622, pontif. an. II.

LXXXIII.

Clericis regularibus Scholarum Piarum facta communicatio omnium exemptionum, indultorum, et privilegiorum quibuscumque Ordinibus Mendicantium, eorumque locis et personis quomodolibet concessorum et concedendorum.

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ad uberes fructus, quos dilecti filii minister generalis et clerici Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum in militanti Ecclesiâ, cuius regimini divinâ disponente clementiâ praesidemus, in dies afferunt, mentis nostrae aciem convertentes, ac uberiores ex ipsâ Congregatione fructus in dies proventuros esse sperantes, ad ea merito libenter intendimus, per quae Congregatio ipsa felicioribus in dies proficiat incrementis.

Elargitio et communicatio privilegiorum et gratiarum de quibus in rubrica.

§ 1. Ut igitur minister et clerici praedicti eo ferventius in suo laudabili instituto perseverent, quo maioribus se viderint favoribus et gratiis munitos, providere volentes, ac singulares ministri et clericorum praedictorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Congregationi praedictae, illiusque ministro et clericis, aliisque personis, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, facultatibus, exemptionibus, aliisque gratiis et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, Ordinibus Mendicantium, illorumque superioribus, professoribus, necnon ecclesiis, monasteriis, regularibus locis, etiam per viam communicationis vel extensionis, aut aliàs quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, quomodolibet concessis, et quibus ipsi, necnon ecclesiae, monasteria, et regularia loca huiusmodi de iure, usu, consuetudine, privilegio aut concessione apostolicâ, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, seu aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen sint in usu, et non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis aut constitutionibus apostolicis repugnent, pari modo, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, perinde ac si illis nominatim et in specie concessa fuissent, uti, frui et gaudere libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus, dictaque privilegia, immunitates, libertates, facultates, exemptiones, gratias et indulta eis communicamus, illaque ad eos extendimus.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 2. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac praeposito et clericis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Et decretum irritans.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariisque derogat.

§ 4. Non obstantibus nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinum prae-

dictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV octobris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 octobris 1622, pontif. an. II.

LXXXIV.

Cathedralem ecclesiam Parisiensem in metropolitanam erigit, eidemque suffraganeos assignat[1].

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Universi orbis ecclesiis, eo disponente qui cunctis imperat et cui omnia obediunt, meritis licet imparibus praesidentes, in omnes agri dominici partes oculos nostrae mentis vigilis more pastoris intendimus, inspicientes, quid ecclesiarum ipsarum, praesertim cathedralium insignium, statui et decori maxime conveniat, atque hoc quidem tanto liberalius, promptiusque curandum censemus, quanto magis civitatum celebritas, ac regum christianorum vota id exposcunt; ac divino fulti praesidio illius qui cuncta ex suâ benignitate ad fidelis populi sui salutem disponit, ad ea, quae ad dignitatem et statum ecclesiarum ipsarum augendum pertinent, officii nostri partes libenter convertimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Causae faciendae erectionis. § 1. Sane attendentes, quod ecclesia Parisiensis, quae de praesenti pastoris solatio destituta existit, maximis dignitatum et canonicorum ac aliorum ministrorum ecclesiasticorum divinis laudibus in eâ continuo insistentium numero decorata existit, ac non modo dioecesis magnitudine patet, cleri, populique pietate, nobilitate et amplitudine floret, episcoporum quoque ordine succedentium, quos multos ab initio fere nascentis religionis, saevientibus adhuc infidelium persequutionibus, fidei catholicae defensores et propugnatores habuit, numero affluit, sacrarumque reliquiarum copiâ abundat, et[1] erga eamdem ecclesiam Parisiensem Franciae reges maximum semper gesserunt religionis affectum: cumque, sicut accepimus, civitas ipsa Parisiensis ex insignioribus nedum Europae sed universi orbis regum Galliae christianissimorum regia sedes, ac totius regni Galliae caput, ex inclytae memoriae Clodovei primi eorumdem Francorum regis christianissimi decreto existat, et in dicto regno primatum obtineat, virorumque principum ac procerum et magnatum omnium illius regni provinciarum aulam regiam pro ipsius regis decore sequentium frequenti concursu, civiumque litterariae et militaris disciplinae laude et gloriâ clarorum ingenti numero florentissima dignoscatur, et in eâ celeberrima omnium scientiarum academia seu universitas studii generalis iam a pluribus saeculis prae ceteris similium studiorum universitatibus floreat, et etiam supremus[2] totius regni senatus, ex nobilium et aliorum insignium iurisperitorum consilio compositus, ibi[3] resideat, et quamplurimis sumptuoso aedificio constructis ecclesiis et templis, necnon virorum et sanctimonialium monasteriis, xenodo-

1 Heic vel paulo ante legendum foret *sed* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *suprema* (R. T.).
3 Vocem *ibi* nos addimus (R. T.).

chiis et locis piis, amplissimis redditibus ex regum munificentiâ et liberalitate pro singulari eorum pietate dotatis, abundet; propterea ecclesia ipsa Parisiensis metropoliticâ praelatione merito digna censeatur:

Erectio de qua in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, his atque aliis rationibus et causis adducti, ad laudem et honorem omnipotentis Dei ac Beatae Virginis Mariae, necnon fidei catholicae exaltationem, et totius militantis Ecclesiae gloriam, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, praedictam ecclesiam Parisiensem a iure metropolitico, quo ecclesiae archiepiscopali Senonensi, etiam ad praesens pastoris solatio destitutae, tenetur, omnino segregamus et eximimus, ac in metropolim, sedemque episcopalem Parisiensem in archiepiscopalem, archiepiscopalisque et metropolitani praesidis sedem provinciae caput pro illius archiepiscopo pro tempore existentis[1] (ita tamen, quod ecclesia ipsa Parisiensis ecclesiae primatiali Lugdunensi, et illius archiepiscopo, seu primati ad instar dictae ecclesiae Senonensis subiacere debeat, et sine praeiudicio concordatorum regni Franciae, dudum inter Sedem Apostolicam et clarae memoriae Franciscum I eorumdem Francorum regem initorum) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, erigimus et instituimus, ac nomine, titulo et honore archiepiscopali et metropolitano decoramus.

Pallii concessio pro archiepiscopo.

§ 3. Necnon dictae ecclesiae Parisiensis praesulibus, qui erunt pro tempore, pallium in signum plenitudinis videlicet pontificalis officii assignandum fore, ecclesiamque Parisiensem metropolitanam, praedictos praesules archiepiscopos censeri, ac perpetuis futuris temporibus nuncupari debere, archiepiscopalia quoque et metropolitica insignia gerere, iura, iurisdictiones et cetera singula, prout metropolitanis in eorum civitatibus, dioecesibus et provinciis a iure indultum existit, facere, exercere, administrare et exequi posse, dictâ auctoritate concedimus.

Ecclesiarum suffraganearum assignatio.

§ 4. Necnon Carnotensem et Meldensem, ac Aurelianensem ecclesias, quae etiam de iure metropolitico praedictae ecclesiae Senonensi subesse dignoscuntur, earumque omnium et singularem civitates et dioeceses, cum omnibus et quibuscumque earum territoriis et terminis, ac dilectos filios earum singularum clerum et populum universum cum quibusvis collegiatis parochialibus et aliis ecclesiis, nec non monasteriis utriusque sexus, ceterisque beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, secularibus et quorumvis Ordinum et militiarum regularibus, necnon hospitalibus, domibus, collegiis et locis religiosis quibuscumque, ab ecclesiâ Senonensi, ac pro tempore existentis archiepiscopi Senonensis subiectione et iurisdictione, nec non correctione, visitatione ac omni et quacumque aliâ obedientiâ et superioritate perpetuo dividimus et separamus, illasque et earum civitates et dioeceses posthac in provinciâ Parisiensi esse et consistere, neque in aliâ provinciâ censendas et numerandas esse decernimus et declaramus. Praeterea dictae Parisiensi[1] ecclesiae Carnotensem, et Meldensem, et Aurelianensem ecclesias, et dioeceses praefatas, modernosque pro tempore existentes illarum singularum praesules pro suis pro tempore existenti archiepiscopo Parisiensi suffraganeis[2] (qui, earumque singularum capitula, etiam quocumque privilegio suffulta, tamquam membra capiti eidem archiepiscopo Parisiensi iure metropolitico subsint, sibique obedientiam et reverentiam tamquam proprio metropolitano prorsus exhibeant) etiam perpetuo subiicimus.

1 Legerem *existenti* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Parisiensis* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. habet *existentes archiepiscopi Parisiensis suffraganeos* (R. T.).

Privilegiorum metropolitico-rum concessio.

§ 5. Eidem archiepiscopo Parisiensi praefatos suos suffraganeos consecrandi, ac provinciales synodos evocandi, ac cum eis ecclesiastica negotia terminandi, eorum ecclesias disponendi, et causas quarumcumque appellationum, sive querelas aliàs ad eum tamquam metropolitanum iuxta decreta Concilii Tridentini devolutas, aut aliàs iuxta sacrorum canonum statuta spectantes cognoscendi, omniaque alia et singula, quae de iure vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet, ad archiepiscopos et archiespiscopale munus spectare, pertinere solent et debent, gerendi, faciendi et exercendi plenam et omnimodam concedimus facultatem. Provinciae quoque Parisiensis clerum et populum universum eorum pro ecclesiae et archiepiscopi Parisiensis provincialibus pariter perpetuo concedimus et assignamus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras sub quibusvis similium et dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, seu alios Romanos Pontifices successores nostros, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ, potestatis plenitudine similibus pro tempore quomodolibet factis minime comprehendi; sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant statum, restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, per archiepiscopum Parisiensem pro tempore existentem quandocumque eligendâ, concessas, ac semper perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet spectat et spectare poterit in futurum, perpetuo firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari [1] et definiri debere, ac ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 7. Non obstantibus regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac quibusvis aliis apostolicis, necnon in provincialibus, synodalibus, universalibus conciliis editis et edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, nec non Carnotensis et Meldensis ac Aurelianensis ecclesiarum praedictarum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis et venerabilibus fratribus nostris modernis earum episcopis, necnon dilectis filiis earum capitulis, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu et scientiâ paribus ac consistorialibus ac aliis [2] quomodolibet etiam pluries concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse, motu, scientiâ, ac potestatis

1 Edit. Main. legit *iudicare* (R. T.).

2 Potius *concistorialiter ac aliàs* (R. T.).

plenitudine praedictis, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales. § 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae segregationis, exemptionis, erectionis, institutionis, decorationis, divisionis, separationis, declarationis, subiectionis, concessionum, assignationis decretorum et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXII, XIII kalendas novembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 octobris 1622, pontif. an. II.

LXXXV.

Regi catholico facultas conceditur statuta militiarum de Calatrava et Alcantara quo ad admittendos, reducendi ad formam statutorum militiae sancti Iacobi de Spatha[1].

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

Philippi regis petitio. § 1. Cum, sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, inter militias S. Iacobi de Spatha ac de Calatrava et Alcantara in regnis Hispaniarum, quarum ipse Philippus rex perpetuus administrator apostolicâ auctoritate deputatus existit, dicta militia S. Iacobi de Spatha aliis duabus maior et opulentior ac copiosior existat; quia vero in statutis seu stabilimentis militiarum huiusmodi, de admittendis ad habitum per illarum fratres milites gestari solitum personis, quaedam diversitas reperitur; idem Philippus rex pro earumdem militiarum felici statu et regimine, per nos, ut infra, opportune provideri summopere desideret:

Facultas de qua in rubricâ. § 2. Nos, eiusdem Philippi regis votis in praemissis quantum cum Domino possumus benigne annuere, ipsumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Philippo regi, ut de cetero, in admittendis ad habitum per fratres milites dictarum militiarum de Calatrava et Alcantara gestari solitum personis, earumdem militiarum statuta seu stabilimenta ad formam statutorum seu stabilimentorum dictae militiae S. Iacobi de Spatha reducere libere et licite valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

Clausulae. § 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon militiarum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum, tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore per-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

mansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die ultimâ octobris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 31 octobris 1622, pontif. anno II.

LXXXVI.

Domus et collegia Societatis Iesu in regnis Sinarum et Iaponiae existentia a solutione decimae vel vigesimae parochiis aliisque ecclesiis eximuntur [1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sedes Apostolica, quae consuevit se liberalem exhibere, plerumque nonnulla rationabili consultatione praehabitâ ordinat, quae postmodum consultius ac rationabilius revocat, declarat, in melius commutat, ac in statum redigit rationis: maxime, cum personarum ac rerum et temporum qualitatibus pensatis, id in Domino conspicit salubriter expedire.

Paulus V domos et collegia Societatis Iesu in regnis Portugalliae et Algarbiorum ad solutiones decimae, mediae decimae, vel vigesimae ad formam suae Constitutionis teneri declaravit.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii moderni praepositus generalis et religiosi Societatis Iesu, aliàs piae memoriae Paulus Papa V praedecessor noster (accepto per eum, quod dicti religiosi, vigore decretorum, exemptionum, aliorumque indultorum et privilegiorum dudum a felicis recordationis Paulo III, ac Pio IV et Gregorio XIII, Romanis Pontificibus, et praedecessoribus nostris, eidem Societati concessorum, et litterarum desuper confectarum apostolicarum, se, eorumque domos, etiam probationum, collegia et loca ac res et bona quaecumque a solutione etiam decimarum, quae parochialibus et aliis ecclesiis de iure seu consuetudine seu quovis alio titulo vel causâ debentur, exemptos esse, contra vero metropolitanarum, etiam cathedralium, ac aliarum ecclesiarum archiepiscopi, episcopi et alii praesides, venerabiles fratres, ac capitula ac parochialium ecclesiarum rectores regnorum Portugalliae et Algarbiorum, dilecti filii, ipsos religiosos Societatis Iesu tali exemptione in maximum illorum praeiudicium abuti praetendebant) motu proprio statuerit, decreverit et ordinaverit, quod ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus praedicta Societas, et illius domus, etiam probationum, atque collegia et loca quaecumque, ubicumque locorum in praedictis regnis Portugalliae et Algarbiorum existentia, ratione praediorum, possessionum, vinearum, olivetorum, terrarum, hortorum, et bonorum quorumcumque, quae tunc possidebant, quomodocumque et undecumque ad eos proventa, aut per eos acquisita forent, ac etiam eorum, quae in posterum perpetuis futuris temporibus ex novis domorum et collegiorum fundationibus, aut aliis largitionibus, donationibus, legatis, testamentis, codicillis, seu ultimis voluntatibus acquirerent, et non solum eorum quae locare et arrendare solebant, sed etiam eorum quae per proprios colonos, ac propriis quoque manibus vel sumptibus excolebant, loco decimae vigesimam, videlicet ex singulis viginti unum, eorum fructuum, cuiuscumque generis et speciei, quos in illis colligerent, necnon pecorum et aliorum animalium, quae in in illis enutrirent, piscationum, avium, et aliorum generum et specierum de quibus, de iure vel consuetudine, decima solet ecclesiis, quibus alioquin[1], circumscriptis dictis privilegiis, decima persolvi deberet, persolvere tenerentur, et obligati essent; et (quia evenire poterat, ut religiosi dictae Societatis alia praedia, possessiones, terras et bona emptionis titulo imposterum acquirerent, aut praedia, bona et terras extraneorum excolerent, vel per alios excoli

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Sic putamus legere pro *aliquid* (R. T.).

facerent, et nova controversia super his oriri) declaraverit et pariter statuerit et ordinaverit, quod ratione decimae praediorum, quae emptionis titulo aquirerent, aut quae locationis ab aliis conducerent et colerent, aut coli facerent, non vigesimam, sed totam integram decimam iis ecclesiis, quibus etiam prius, antequam ipsi religiosi illa tenerent, debebantur, pariter solvere tenerentur et obligati essent; ab huiusmodi autem solutione vigesimae seu decimae hortos seu viridaria apud domos et collegia eiusdem Societatis existentia, et unum praediolum in agro pro unaquaque domo seu collegio muris circumdato, quatuor fanegas ad regni Castellae mensuram non excedentia, salva et exempta esse voluit; decernens ipsos Societatis Iesu religiosos ad mediae decimae seu vigesimae et integrae decimae huiusmodi respective solutionem faciendam de cetero omnino teneri, et ad id aeque ac non exemptos cogi et compelli posse, ipsosque archiepiscopos, episcopos et praesules, necnon capitula et rectores ecclesiarum praedictarum, et alias personas ecclesiasticas huiusmodi mediae et integrae decimae, prout ab ipso Paulo V praedecessore, ut praefertur, statutum [1] erat, contentos esse debere, cum clausulis, quod de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis suae, vel alio quocumque defectu notari[2] non posset, decreto irritante, et clausulâ *sublata*, et aliis latius, prout in litteris dicti Pauli V praedecessoris in simili formâ Brevis sub die XXII mensis aprilis anni Domini MDCXIII, pontificatus sui anno VIII, confectis plenius continetur [3]:

Gregorius ab huiusmodi solutione domos et collegia in regnis Sinarum et

§ 2. Nos, quibus plene constat quam praeclara dicta Societas eximiae erga Sedem Apostolicam obedientiae et observantiae ac propensae voluntatis specimina semper ediderit, quodque ab eâ maximi et uberrimi in Ecclesiam Catholicam spirituales fructus defluxerint, et continuo defluant, religiosique collegiorum et domorum eiusdem Societatis in praedictis regnis consistentium ad gentilium et infidelium partes transmissi [1], gravissimis laboribus, incommodis et periculis suis rem christianam in Iaponiae et Sinarum provinciis, totâque Indiâ Orientali tueri et conservare, ac etiam, Domino cooperante, augere non desinant, et in eisdem regnis, sicut accepimus, religiosi aliorum Ordinum aliquas decimas, ratione bonorum quae propriis manibus et sumptibus excolunt, solvere seu praestare non consueverint; nos, litterarum praedictarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, dictamque Societatem, ac illius collegia, domos et alia loca in predictis regnis existentia, specialibus etiam favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon praepositum generalem eiusdem Societatis, ac domorum et collegiorum, aliorumque locorum huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, porrectis nobis pro eorum parte super hoc supplicationibus inclinati, eidem Societati, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, illa, omniaque et singula illius domus, collegia et loca ubicumque, in eisdem regnis tamen dumtaxat existentia, praesentia et futura, ad solutionem et praestationem decimae integrae vel dimidiae ratione praediorum,

Iaponiae existentiae eximi.

1 Edit. Main. legit *statutum* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *dari* (R. T.).
3 Huiusmodi in *Bullario* non continetur (R. T.).

1 Edit. Main. legit *transmitti* (R. T.).

possessionum, vinearum, olivetorum, terrarum, locorum ac aliorum bonorum quorumcumque eiusdem Societatis, in dictis regnis dumtaxat, et quae propriis manibus, aut sumptibus, et per proprios colonos nunc excolunt, et pro tempore excoluerint, sive predia, possessiones, oliveta, et alia bona huiusmodi ad Societatem, illiusque domos et collegia et alia loca praedicta ex eorum fundatione, aut aliis largitionibus, donationibus, legatis, testamentis, codicillis, aut aliis ultimis voluntatibus, unionibus, applicationibus, concessionibus, emptionibus aut aliis acquisitionibus, et aliàs quomodocumque et qualitercumque, hactenus iam sint acquisita, sive imposterum ad eamdem Societatem, religiososque illius deferri contigerit, nisi prout alii Mendicantes solvere consueverunt, minime teneantur (praedictis dicti Pauli litteris in aliis omnibus firmis et illaesis remanentibus) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus: nec illos per archiepiscopos, episcopos, praesules, necnon capitula, collegia, et rectores metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum, parochialium, aliarumque ecclesiarum dictorum regnorum nunc et pro tempore existentes et quosvis alios ad solutionem decimarum huiusmodi, ratione bonorum eiusdem Societatis, quae propriis manibus vel sumptibus, ut praefertur, excolunt, seu excoli faciunt aut excolent, aliter faciendum, quam prout dicti Mendicantes solvere consueverunt, cogi aut compelli posse;

Clausulae praeservativae.

§ 3. Minusque eos desuper, earumdem litterarum Pauli V praedecessoris, seu quocumque alio colore vel ingenio, publice vel occulte, directe vel indirecte molestari, perturbari, aut inquietari;[1] praesentesque has nostras litteras ex eo, quod moderni archiepiscopi, episcopi, aliique praesules, necnon capitula, et rectores praedicti, et alii quicumque in praemissis interesse quomodolibet habentes, vel habere praetendentes, in eisdem praemissis non consenserint, ad eaque vocati non fuerint, aut aliàs ex quocumque et enormissimae[1] laesionis seu alio capite quantumvis legitimo et iuridico de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, revocari, infringi, annullari, aut in ius vel controversiam vocari, aut ad viam vel terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari seu concedi nullatenus unquam posse; sed illas semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, ac dictae Societati, illiusque domibus, collegiis, et aliis locis praedictis, quae concernunt, et in futurum concernere poterunt, plenissime suffragari, et ab omnibus, ad quos spectat et spectabit in futurum, observari; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac Sedis Apostolicae nuncios (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate), iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 4. Quocirca venerabili fratri Ferdinando olim episcopo Faraonensi haereticae pravitatis in Portugalliae et Algarbiorum regnis inquisitori generali, necnon iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae in eisdem regnis debitorum collectori generali, dilectis filiis, nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis con-

1 Vocem *per* omnino extraneam delemus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *enormissima* (R. T.).

tenta quaecumque, ubi et cum opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum praepositi generalis et religiosorum seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant praemissa omnia ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observari, ipsosque praepositum generalem et religiosos seu aliquem illorum praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus singulis praemissis, ac nostrâ et cancellariae nostrae regulâ de non tollendo iure quaesito, necnon felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis ultra tres earumdem vigore praesentium ad iudicium non trahatur, ac aliis quibusvis apostolicis etiam in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, nec non, tam ipsius Societatis, illiusque domorum, collegiorum et aliorum locorum praedictorum, quam quarumcumque metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum, parochialium, et aliarum ecclesiarum regnorum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem archiepiscopis, sive episcopis, eorumque ecclesiis, capitulis et canonicis, ac aliis quibuscumque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem: quibus omnibus, etiamsi de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio in praesentibus facienda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 novembris 1622, pontif. an. II.

LXXXVII.

Institutio festivitatis S. Ioachim parentis beatissimae Mariae Virginis sub duplici officio die XX *martii quotannis celebrandae, et in breviario et missali et kalendariis imposterum imprimendis describendae*[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolatus officium, nullo licet meritorum suffragio, nobis ex alto commissum postulat, ut ad ea, per quae sancti Ioachim gloriosissimae Dei Genitricis Mariae parentis omni laude dignissimi cultus et veneratio in dies magis augeatur, mentis nostrae aciem sedulo intendamus.

1 Hic idem Pontifex statuit etiam festum sanctae Annae matris eiusdem beatae Mariae Virginis de praecepto observari debere, ut supra in Constit. LVII *Honor*, pag. 686; et illud antea sub die XXVI iulii sub duplici officio agi iusserat Gregorius XIII in sua Const. CLXI *Sancta Mater*, tom. VIII, pag. 455.

Iussio celebrandi festum sancti Ioachimi sub duplici officio.

§ 1. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, eiudem sancti Ioachim festus dies, die XX martii celebrari solitus, officio sub ritu duplici, iuxta rubricas breviarii romani, per universum orbem ab omnibus utriusque sexus christifidelibus, tam secularibus quam regularibus, qui divinum officium recitare tenentur celebrari; atque idcirco in breviario, missali et kalendariis, in posterum imprimendis, eiusdem sancti Ioachim festum duplex describi respective debeat, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Deputatio exequutorum.

§ 2. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ceterisque ecclesiarum praelatis, in universo terrarum orbe constitutis, praecipimus et mandamus, ut in suis quisque ecclesiis, provinciis et dioecesibus praesentes nostras litteras solemniter publicari et ab omnibus ecclesiasticis personis secularibus et quorumvis Ordinum regularibus omnino observari faciant.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II decembris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 2 decembris 1622, pontif. an. II.

LXXXVIII.

Subsidium decem et octo millionum, aliàs a Paulo Papa V regi catholico concessum in regno Castellae, ab ecclesiasticis quoque solvendum, ad nonnullas alias res extenditur[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, Gregorius Papa XV.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset litteras Pauli V Philippo III regi inscriptas.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae clarae memoriae Philippo III Hispaniarum regi catholico, genitori tuo, directae, tenoris subsequentis, videlicet:

Tenor litterarum, quibus eidem regi permiserat subsidium decem et octo millionum aureorum a laicis regni Castellae oblatum ab ecclesiasticis quoque accipere.

§ 2. Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, Paulus Papa V. Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Orthodoxae fidei, etc.[2]

Cum vero laici idem subsidium ad alias nonnullas res extendere decreverint;

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, subditi regnorum tuorum coronae Castellae praedicti, animadvertentes, causas, propter quas servitia sive subsidia huiusmodi oblata et praestita fuerunt, etiam nunc durare, pro faciliori gabellae seu Sisae huiusmodi solutione, eorumdem subsidiorum causâ[3], eamdem gabellam seu Sisam ad pisces, candelas, caseum, saponem et alias res comestibiles in dictis regnis colligendas, et consumendas, non solum per ementes et vendentes solvendam, sed etiam per eos, qui res comestibiles huiusmodi percipiunt ex propriis terrenis, aut affictibus, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, seu aliàs ex quovis alio redditu et introitu habent et consumunt, extendere, durante sexennio huiusmodi, et pro summâ decem et octo millionum nummorum aureorum, ut praefertur, citius

1 Ex regest. in Secret. Brev.

2 Const. Pauli V hic relatam in edit. Main. omittimus quia iam legitur sub Const. CCCVII, pag. 423 huius tomi (R. T.).

3 Edit. Main. sine sensu legit *extra;* nos legimus *causâ* ex coniecturâ, et ex iis quae sequuntur (R. T.).

et facilius conficiendâ, obtulerint; omnesque laici, cuiuscumque gradus, status, conditionis et praeeminentiae, eadem subsidia ad praedictas species extensa contribuere et gabellam seu Sisam solvere debeant, neque ullus immunis futurus sit aut exemptus, tuaque maiestas haec nobis significaverit:

Gregorius hoc idem ab ecclesiasticis praestari permittit.

§ 4. Nos, promptam et devotam eorumdem regnorum et subditorum tuorum in te voluntatem, qui facultates suas pro catholicâ religione conferre intendunt, commendantes, quia, sicut etiam accepimus, si tantummodo laici subsidia sic extensa contribuerent, et gabellam seu Sisam praedictam solverent, nimis longo tempore, summa praedicta conficeretur, et laicorum facultates ad summam huiusmodi decem et octo millionum, ut praefertur, conficiendam minime suppetunt; nos, ad orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelum, ac singularem in fidem praedictam devotionem, aliaque catholici cognomine optimo iure insigniti regis praeclara merita, quae in maiestate tuâ caelesti gratiâ resplendent, paternae dirigentes considerationis intuitum, eadem subsidia ex causis expressis, et adhuc, ut praefertur, durantibus, tibi oblata huiusmodi, per ecclesiasticas personas adiuvanda, ut infra sequitur, existimavimus. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas ecclesiasticas personas, tam seculares quam cuiusvis Ordinis, etiam exempti et Apostolicae Sedi immediate subiecti, regulares, monasteria, conventus, et collegia, ac ecclesiarum capitula regnorum praedictorum, et in eisdem regnis commorantia et consistentia, ad conferendum et contribuendum proportionabiliter, et non aliàs, prout laici, in dictis subsidiis ad novas huiusmodi species extensis, mediante solutione gabellae seu Sisae, eorumdem subsidiorum causâ, super piscibus, candelis, caseo, sapone et aliis rebus comestibilibus in praedictis regnis colligendis et consumendis extendendae, seu forsan extensae, et super iis impositae, durante tamen eodem sexennio dumtaxat, et non ultra, teneri et obligatos esse (non tamen quoad dictas rerum species, quas ex propriis terrenis seu decimis aut aliis quibuscumque redditibus propriis, per se, vel alios, etiam affictuarios suos, vel etiam ex eleemosynis percipiunt, et pro divino cultu, ac propriis et familiarum suarum usibus consumunt, pro quibus omnino immunes et exempti sint) etiam decernimus et declaramus, ita tamen, quod, si ante sexennii praedicti finem summa decem et octo millionum nummorum aureorum huiusmodi confecta fuerit, ecclesiastici praedicti, sicut de primodictis rebus, seu speciebus, ita de secundodictis amplius contribuere, et dictam gabellam seu Sisam, ut praefertur, solvere non debeant, ac praesens gratia eo ipso expiret.

Immo recusantes posse ad id compelli.

§ 5. Decernentes, quod omnes et singuli ecclesiastici praedicti recusantes opportunis iuris et facti remediis (adhibitâ tamen locorum Ordinariorum ecclesiasticorum auctoritate, non autem per exactores eiusdem gabellae seu Sisae, neque per quoscumque iudices aut ministros seculares, aut coram eisdem iudicibus aut ministris secularibus, sub poenâ excommunicationis maioris nec non aliis poenis a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis inflictis et comminatis ipso facto incurrendis, conveniri nullo modo debeant, sed coram praedictis Ordinariis ecclesiasticis tantum) compelli valeant: quibus Ordinariis districte praecipiendo mandamus, ut divini iudicii memores, ne ecclesiastici indebite et plus quam laici, nec ultra continentiam litterarum nostrarum huiusmodi graventur (super quo eorumdem etiam Ordinariorum conscientiam

oneramus) omnino provideant, et contra eosdem ecclesiasticos recusantes, ac regulares et exemptos, nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectos, ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem exequutive, quacumque appellatione remotâ, auctoritate nostrâ procedant.

Huiusmodi vero pecunias nonnisi in catholicae religionis defensionem insumi iubet.

§ 6. Volumus autem, ut pecuniae ex praedictis subsidiis et gabellâ seu Sisâ sic extensâ, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis percipiendae, in alios usus, quam catholicae religionis defensionis et obedientiae conservationis erga Romanam Ecclesiam, pro quibus, ut praefertur, contribuuntur, nullatenus convertantur, super quo maiestatis tuae conscientiam oneramus.

Derogat contrariis.

§ 7. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Paulus praedecessor in praeinsertis litteris suis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fidem transumptis addit.

§ 8. Ut autem praesentes nostrae litterae, cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II decembris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 2 decembris 1622, pontif. an. II.

LXXXIX.

Oppidum S. Miniatis in civitatem, et ecclesiam collegiatam S. Mariae et S. Genesii in cathedralem erigit[1].

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pro excellenti praeeminentiâ Sedis Apostolicae, in qua post beatum Petrum apostolorum Principem, quamquam imparibus meritis, pari tamen auctoritate constituti fuimus, in agro irriguo militantis Ecclesiae novas episcopales sedes, ecclesiasque[1] plantare Romano Pontifici dignissimum arbitramur, ut per novas plantationes populorum augeatur devotio, divinus cultus effloreat, subsequatur animarum salus, et loca illustrentur.

Causae faciendae erectionis.

§ 1. Attendentes igitur dioecesim Lucanam admodum amplam et patentem esse, illiusque plurima oppida et loca in dominio temporali dilecti filii nobilis viri magni Hetruriae ducis sibi subiecta existere, et aliàs dioecesis et ditionis huiusmodi oppidum S. Miniatis in amoeno colle, felici caelo et solo ferme totius Hetruriae fertiliori situm, et a civitate Lucanâ viginti millibus passuum, vel circa, distans, admodum insigne esse, et ita antiquum, ut vicarii imperiales in Hetruriâ retroactis temporibus degentes sibi[2] sedem constituerint, et propterea ab antiquis imperatoribus innumeris, amplissimisque privilegiis decoratum fuisse; foedera ac capitula cum Florentinâ ac Senensi Rebuspublicis aequis conditionibus firmasse; ab ipsoque oppido antiquam et nobilem illam Borromaeam gentem, ex qua S. Carolus, olim archiepiscopus Mediolanensis, sacri Collegii Romanae Ecclesiae cardinalium splendor, editus est, originem duxisse; ad praesens autem in eodem oppido philosophos, logicos, casuum conscientiae lectores ac grammatices magistros ad iuventutem ex-

[1] Sic aptius legimus ex Ughelli *Italia Sacra* tom. III, pag. 269; edit. Main. habet *ecclesias* (R. T.).

[2] Sic habet etiam Ughelli loc. cit., et forsan legendum *ibi* (R. T.).

colendam publicis stipendiis deputatos, ac sexaginta sacerdotes, et utriusque iuris doctores supra quadraginta, et plurimos nobiles, necnon etiam armatarum militiarum milites adesse; adeo ut oppidum ipsum S. Miniatis civitatis, et illius collegiata ecclesia S. Mariae et Genesio dicata (quae praepositurâ, dignitate inibi principali, et annuo redditu quingentorum scutorum monetae, vel circa, dotatâ, quo tempore obtinens usum pontificalium sibi praetendere contendit, necnon decem canonicatibus et praebendis sufficientissimi redditus[1], et quam plurimis cappellaniis collativis perfulget) cathedralis ecclesiae nomine, titulo et praerogativâ iure optimo insigniri mereatur:

Oppidum sancti Miniatis cum nonnullis aliis locis atque ecclesià collegiatà sanctae Mariae a iurisdictione episcopi Lucani eximuntur.

§ 2. Nos, iis atque aliis rationalibus causis moti, habitâ super iis cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus maturâ deliberatione, de illorum consilio, et apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac gloriosissimae eius Genitricis Virginis Mariae et praefati S. Genesii necnon totius curiae caelestis honorem, ac Fidei Catholicae exaltationem, ac civium et incolarum dicti oppidi animarum spiritualem consolationem, ipsiusque collegiatae ecclesiae ac illius praepositi et canonicorum decus, omnia et singula oppida, terras, villas et loca quaecumque ad praesens sub ditione temporali praedicti magni ducis existentia, necnon oppidum Fusecchii, quod pro tempore existentis[2] abbatissae monasterii sanctae Clarae Lucanae in spiritualibus subesse asseritur, ac in dioecesi et dominio praefatis existit, cum omnibus et singulis illis terminis, territoriis, locis, necnon clero, populo et personis, monasteriis, tam virorum quam mulierum, ac domibus regularibus, hospitalibus, ecclesiis et piis locis et beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, secularibus et quorumvis Ordinum regularibus, a dictâ dioecesi Lucanâ, etiam absque consensu venerabilis fratris Alexandri moderni episcopi Lucani, ac etiam dilectarum in Christo filiarum modernae abbatissae et conventus dicti monasterii, quinimo ipsis invitis et reclamantibus ac contradicentibus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo separamus ac dismembramus, et ab omni iurisdictione, superioritate, correctione, dominio, visitatione et potestate pro tempore existentium episcopi Lucani et abbatissae huiusmodi, illorumque officialium et vicariorum, necnon per dationem et solutionem[1] quorumcumque iurium episcopo Lucano seu abbatissae pro tempore existentibus praefatis, ratione superioritatis, iurisdictionis, subiectionis, visitationis ac legis dioecesanae debitorum, etiam perpetuo, auctoritate et tenore praemissis, eximimus et totaliter liberamus; iurisdictionique futuri et pro tempore existentis S. Miniatis (ita tamen quod dilecti filii clerus supradictorum locorum sic separatorum singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus et compositionibus, etiam ratione spoliorum et decimarum, vel studii, aliisque gratiis spiritualibus et temporalibus quibuscumque, quibus ad praesens quomodolibet et ex quavis occasione utuntur, deinceps perpetuis futuris temporibus gaudere et uti debeant) similiter perpetuo, eisdem auctoritate et tenore, subiicimus et separamus.

Salvis tamen illorum privilegiis.

Reservantur episcopo Lucano oppida de Barga et Petrasancta.

§ 3. Volumus tamen, ut loca seu oppida de Barga et Petrasancta libera facta, cum eorum villis, territoriis ac capitaneatibus, licet ditioni temporali praedicti magni ducis subsint, nihilominus speciali iurisdictioni praefati episcopi Lucani, ut antea, remaneant.

Ecclesiae san-

§ 4. Insuper dictum oppidum[2] S. Miniatis

1 Ed. Main. et Ughelli legunt *canonicatus et praebendis sufficientissime redditus* (R. T.).

2 Vel lege *existenti*, vel adde *iurisdictioni* (R.T).

1 Mallem: *necnon a ditione et solutione* (R. T).

2 Forsan deest *in civitatem... nuncupandam*.

cti Miniatis illiusque episcopo caeterarum ecclesiarum privilegia et iura asseruntur.

nuncupandum, et praefatum collegium, in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo S. Miniatis etiam nuncupando, qui ipsi ecclesiae S. Miniatis praesideat, ac in eâ et civitate praefatâ, ipsique ecclesiae S. Miniatis dioecesi assignatâ, omnia et singula[1], quae ordinis et iurisdictionis, dignitatis aut cuiuscumque alterius muneris episcopalis sunt et erunt, cum sede et mensâ, aliisque insigniis ac iurisdictionibus episcopalibus, quibus aliae cathedrales ecclesiae, et earum praesules de iure, usu et consuetudine, aut aliàs quomodolibet, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, de pari consilio et potestatis plenitudine (sine tamen praeiudicio praepositurae nunc, ac canonicatus et praebendae[2], necnon beneficiorum collativorum praefatae ecclesiae, sic in cathedralem erectae, obtinentium) similiter erigimus et instituimus; ac S. Miniatis pro civitate, ac alia oppida et territoria, castra, villas et loca pro dioecesi, necnon clerum, populum et personas huiusmodi pro clero, populo, vassallis et personis civitatis et dioecesis S. Miniatis huiusmodi, perpetuo concedimus et assignamus.

Redditus episcopo assignantur.

§ 5. Praeterea, pro mensâ episcopali S. Miniatis, illiusque futuri et pro tempore existentis episcopi sustentatione, medietatem fructuum praepositurae dictae ecclesiae sic in cathedralem erectae, ad ducenta et quinquaginta scuta monetae, vel circa, annuatim ascendentem[3], ac tot illius bona, ex quibus medietas fructuum huiusmodi provenire possit, ab[4] ipsâ praepositurâ (pro nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam illam per cessum vel decessum, aut aliam dimissionem vel amissionem illam tunc obtinentis, aut aliàs quomodocumque, quandocumque, ubicumque vacare contigerit, etiamsi actu nunc forsan, aut aliàs quovis modo vacet) dictâ auctoritate perpetuo dismembramus; illaque sic dismembrata et separata eidem mensae, etiam ex nunc, prout ex tunc, et e contra, pari auctoritate applicamus et appropriamus; ac S. Ioannis evangelistae loci S. Mariae ad Montem, et S. Ioannis ad Bartimara, necnon S. Marci a Vaiano vicariatus Lari in eodem dominio dicti magni ducis ac prope praefatum oppidum S. Miniatis existentis sine verâ et personali residentiâ non requirentes[1] ecclesias, seu cappellas, plebanias nuncupatas, annui insimul redditus (comprehensâ medietate fructuum, quae a praepositura huiusmodi, ut praefertur, dismembrata fuit) mille scutorum parium, vel circa, ex nunc (prout postquam illas, seu earum aliquas, simul vel successive, per cessum etiam et causam permutationis, etiam in nostris et successorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium manibus factae, vel decessum, seu privationem, vel quamvis aliam dimissionem vel amissionem illas ad praesens obtinentium, vel aliàs quovis modo, etiam in aliquo ex mensibus, nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti aut Sedi Apostolicae per quascumque constitutionum apostolicarum seu cancellariae apostolicae regulas nunc et pro tempore reservatis, aut ordinariis collatoribus per constitutiones et regulas easdem seu litteras alternativas aut alia privilegia et indulta hactenus competentibus ac concessis et imposterum concedendis, et apud Sedem praefatam vacare contigerit; etiamsi cum curâ et sine curâ ecclesiae[2] seu cap-

1 Adde *iura exerceat*, vel simile (R. T.).

2 Aptius heic Ughelli legit *praebendas*; sed etiam reliqua quarto casu legenda: *sine... praeiudiciò praeposituram nunc, ac canonicatus et praebendas, nec non collativa beneficia... obtinentium* (R. T.).

3 Nempe *medietatem*; alii leg. *ascendentes* (R. T.)

4 Sic indubie legendum ut legitur apud Ughelli; perperam edit. Main. legit *ac* pro *ab* (R. T.).

1 Nescio an sensus sit *veram et personalem residentiam non requirentes* (R. T.).

2 Ed. Main. legit *ecclesia* (R. T.).

pellae huiusmodi, vel earum aliqua, nunc, ut praefertur, vel aliis quibusvis modis, et ex quorumcumque personis, seu per liberas resignationes, illas vel earum aliquam ad praesens obtinentium, vel quorumvis aliorum de illis in Romanâ Curiâ, vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam[1], unionem, dissolutionem aut constitutionem felicis recordationis Ioannis Papae XXII praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collati, vacent; etiamsi tanto tempore vacaverint, quod earum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem praefatam legitime devoluta, ac praepositura et sine curâ ecclesiae seu cappellae huiusmodi dispositioni apostolicae specialiter vel aliàs generaliter reservatae existant, dictaeque[2] praepositurae cura etiam iurisdictionalis immineat; super eâ quoque ac sine curâ ecclesiis seu cappellis praefatis inter aliquas personas lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa; etiamsi earumdem sine curâ ecclesiarum sive curâ[3] cappellarum aut alicuius earum collatio, vel ad eas praesentatio, seu quaevis alia dispositio, ad quorumcumque collatorum et collatricum secularium et quorumvis Ordinum regularium quomodolibet qualificatarum personarum collationem spectet) eidem mensae (ita quod liceat episcopo S. Miniatis pro tempore existenti[4] illarum, seu cuiuslibet illarum, necnon medietatis fructuum praepositurae huiusmodi, ac bonorum e quibus medietas huiusmodi provenire possit, ut praefertur, dismembrata[5], corporalem, realem et actualem possessionem, per se, vel alium, seu alios, eius et praefatae mensae nominibus propriâ auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, illarumque fructus, redditus et proventus in suos et ipsius mensae usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ; ita quod ex nunc dictus episcopus[1] S. Miniatis eorum possessionem capere possit, qua possessione subsequutâ, praesens unio ex nunc suum plenarium et integrum effectum sortiatur, nec in revocatoriis per quoscumque Romanos Pontifices successores nostros edendis comprehendatur, et minime comprehensa censeatur) etiam perpetuo unimus, annectimus et incorporamus. Donec vero applicatio et unio praefatae suum sortiantur effectum, ipse magnus dux mille scuta similia futuro episcopo S. Miniatis (proportionabiliter, iuxta effectum quem in dies uniones huiusmodi sortiri contigerit, arbitrio dictae Sedis nuncii, in civitate Florentinâ pro tempore commorantis, minuenda annuatim) persolvere teneatur, prout ad id se obligavit.

Episcopus sancti Miniatis archiepiscopo Florentino tamquam metropolitano subiicitur.

§ 6. Demum praeposito dictae ecclesiae sic in cathedralem erectae usum pontificalium, si quem habet, pari auctoritate conferimus: ecclesiam vero S. Miniatis huiusmodi, illiusque episcopum, pro tempore existentem, archiepiscopi Florentini, etiam pro tempore existentis, suffraganeum esse, eique[2] metropolitico iure subiectum esse volumus et decernimus.

Cetera episcopo Lucano reservantur.

§ 7. Postremo dicto episcopo Lucano (ut ipsi minus damnum, quod fieri possit, ex praemissis inferatur) omnia bona stabilia, ac redditus, proventus, responsiones, canones, decimas, livellos, necnon praesentandi aliqua iura, et emolumenta ratione tam directi quam utilis dominii quorumcumque bonorum, in quibusvis locis et

1 Potius legend. *factas* idest *resignationes* (R. T.)
2 Edit. Main. legit *dictae;* at melius *dictaeque* legimus ex Ughellio (R. T.).
3 Potius legendum *sive sine curâ* (R. T.).
4 Tum ed. Main. tum Ughelli legunt *existentis* (R. T.).
5 Aptius legeretur *dismembratorum* (R. T.).

1 Perperam Ughelli legit *fructus episcopi* loco *dictus episcopus* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *eiusque* (R. T.).

terris, a suâ dioecesi, ut praefertur, dismembratis, consistentium, episcopali mensae debita, et annuatim vel aliter praestari solita, ita ut episcopus Lucanus pro tempore existens per seipsum vel procuratorem suum legitimum, et uti prius, exigere et levare, caducitates et devolutiones, quas pro tempore quovis modo occurrere et evenire contigerit, et ad mensam suam episcopalem spectantes declarare et acceptare, bonorumque sic devolutorum possessionem capere et ingredi, etiam ut prius, libere et licite possit et valeat, neque propterea a praedicto episcopo S. Miniatis, vel quopiam alio desuper, quovis quaesito colore molestari vel impediri posse aut licere[1], decernimus et declaramus.

Iis exceptis, quae ratione superioritatis exigi solent; ea enim episcopo sancti Miniatis asseruntur.

§ 8. Volumus autem, quod eae quaestiones, sive census, qui praefato episcopo Lucano, tamquam episcopo, ratione superioritatis seu recognitionis, per ecclesias, clerum, hospitalia, confraternitates locorum, vel alia loca pia oppidorum seu locorum sic dismembratorum, annuatim vel aliàs praestari solent, et in cerâ, et pipere, ac croco, sive saffrano, ac forsan pecuniâ numeratâ, ut plurimum consistunt, et ad valorem annuum quadraginta scutorum, vel circa, ascendunt, deinceps episcopo S. Miniatis in recognitionem iurisdictionis seu superioritatis suae in ecclesias, confraternitates aut personas et loca pia huiusmodi praestari debeant; pro illis vero episcopi[2] S. Miniatis dicto episcopo Lucano pro tempore existenti singulis annis integre valorem cerae, pecuniarum, aliarumque rerum praefatarum, arbitrio eiusdem nuncii taxandum et aestimandum, compensare et praestare teneantur.

Episcopo, clero, civibusque solita conceduntur privilegia.

§ 9. Ceterum capitulo, clero, civitati, et dioecesi S. Miniatis huiusmodi, ipsarumque civitatis et dioecesis incolis et habitatoribus, et eorum singulis, ut omnibus et singulis privilegiis et exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, gratiis, favoribus et indultis, quibus aliarum ecclesiarum cathedralium capitula, aliaeque civitates et dioeceses, ac earum clerus, incolae et habitatores utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere[1] libere et licite possint, auctoritate necnon tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac de iure quaesito non tollendo, necnon de unionibus committendis ad partes, vocatis qui fuerint vocandi, necnon de exprimendo vero valore, et Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, nec non recolendae memoriae Pauli II, et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque quibusvis apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae ecclesiae S. Miniatis (cum iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, sub quibusvis tenoribus et formis, necnon cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, cum notâ simili, etiam consubstantialibus, ac aliàs in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis et innovatis. Quibus omnibus (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, illarumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et

1 In praecedentibus aliquid deesse senties (R. T.).
2 Perperam edit. Main. legit *episcopo* (R. T.).

1 Heic ex Ughellio et de more adde *poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pari firmitate* (vel *pariformiter*) *ac sine ullâ prorsus differentiâ uti, frui, potiri et gaudere* (R. T.).

individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret), illarum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Conclusio. § 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae separationis et dismembrationis et exemptionis, liberationis, subiectionis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, applicationis, appropriationis, unionis, annexionis, incorporationis, oblationis, voluntatis, decretorum, declarationis, indulti et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXII, nonis decembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 decembris 1622, pontif. an. II.

XC.

Confirmatio decreti congregationis concilii, quo statuitur omnes clericos, presbyterosque seculares, etiamsi militum Hierosolymitanorum vicarii, cappellani, ministri servientes, procuratores, aut familiares sint, ab Ordinariis tanquam a Sede Apostolicâ delegatis visitari posse[2].

**Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.**

Facti series, seu causa decreti. § 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater Guillelmus episcopus Basiliensis quod ipse aliàs, contra fratres milites hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, eorumque vicarios, cappellanos, ministros servientes, procuratores, aut familiares, visitationem, omnimodamque suam, sive ordinariam sive delegatam, iurisdictionem sub praetextu privilegiorum et exemptionum dicto hospitali concessorum subterfugientes, a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus obtinuit decretum tenoris subsequentis, videlicet;

Decretum sacrae congregationis concilii. § 2. Sacra congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, omnes clericos, presbyterosve seculares, etiamsi militum Hierosolymitanorum vicarii, cappellani, ministri servientes, procuratores, aut familiares sint, ab Ordinariis tamquam a Sedis Apostolicae delegatis de eorum excessibus, criminibus et delictis, etiam extra visitationem, ubi et quando opus fuerit, inquiri, visitari, punirique posse, ipsorumque iurisdictioni plene in omnibus supradictis subiectos existere, exceptis his tantum, qui ecclesiis, aliisvê dictorum militum locis actu serviunt, et intra eorum septa et domos resident, ac sub eorum obedientiâ vivunt; quae omnia nisi simul concurrant, Ordinariorum iurisdictionem vitare non posse, ut disertis verbis cavetur constitutione sanctae memoriae Gregorii XIII hac de re editâ.

H. card. LANCELLOTTUS.

Causae illius confirmationem inducentes. § 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, fratres milites, ac vicarii cappellani et ministri, aliique supradicti, quorum nonnullis animarum cura incumbit, hactenus decreto praedicto, etiam in his quae curam animarum huiusmodi et administrationem sacramentorum concernunt, parere decrectaverint, ac constitutione[1] praedicti Gregorii Papae prae-

1 Heic Ughellius addit: *Si quis autem*, etc.
2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Erronee edit. Main. legit *constitutionem* (R. T.).

decessoris nostri, quae incipit *Circumspecta*, hac de re edita, quasi in partibus Germaniae publicata non sit, sese non ligari contendant, proindeque dictus Guillelmus episcopus valde metuat, ne ex nimia vivendi licentia vicariorum aliorumque, supramentionatorum mores in dies magis depraventur in detestandum aliorum clericorum suae dioecesis exemplum et scandalum publicum:

Confirmatur. § 4. Nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare, dictumque Guillelmum episcopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praedictum apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 5. Decernentes decretum huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, praesentesque litteras, validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto Guillelmo episcopo in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio. § 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti hospitalis (etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die x decembris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 decembris 1622, pontif. an. II.

XCI.

Praecipit litteras et scripturas gratis tradi ministris sacrae Congregationis de Propaganda Fide ab officialibus curiae Romanae[1].

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Cum inter multiplices et gravissimas apostolatus nostri curas, quibus assidue premimur, illa nos prae ceteris maxime sollicitos iugiter habeant, ut, extirpatis haereticarum pravitatum erroribus, catholica fides ubique conservetur et propagetur, eaque de causa negotium propagandae in universo mundo eiusdem fidei nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, qui in unum congregati tantae rei nobiscum invigilent, peculiari sollicitudini, iuxta

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, nuper commiserimus et demandaverimus; dignum quin potius debitum reputamus, ea Congregationi huiusmodi concedere, per quae faciliori onerum illi incumbentium supportationi opportune consulatur.

Mandatum, de quo in rubrica.

§ 1. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod de cetero perpetuis futuris temporibus quaecumque patentes, seu alio quovis nomine nuncupentur, litterae, chirographa, instrumenta, testamenta et aliae quaecumque scripturae, quocumque nomine censeantur, necnon quaecumque litterae apostolicae, tam sub plumbo, quam in simili formâ Brevis, earumdemque litterarum apostolicarum supplicationes, super quibuscumque negotiis, rebusque et bonis, tam mobilibus quam immobilibus, ad ipsam Congregationem quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac demum quodcumque interesse eamdem Congregationem[1] quovis modo et ex quavis causâ concernentes, pro tempore conficiendae et registrandae; necnon similiter quaecumque litterae, quas ex omnibus mundi partibus eidem Congregationi scribentur, ac illae, quae eiusdem Congregationis nomine extra almam Urbem nostram mittentur, gratis omnino, et absque ullâ mercede, aut alicuius rei, etiam quantumvis minimae, solutione expediri, confici, registrari, relaxari, tradi et mitti debeant, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Poenas contra inobedientes designat.

§ 2. Ac in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae et aliis arbitrii nostri poenis, praecipimus et mandamus dilectis filiis rescribendario ac computatori litterarum apostolicarum, nec non secretariis apostolicis et brevium apostolicorum magistro ac scriptoribus et regenti montium, notariis, tabellionibus, postarum magistris, aliisque officialibus et ministris quocumque nomine nuncupatis, etiamsi officia titulo et causâ mere onerosis obtineant, ut litteras praedictas, ac chirographa, instrumenta, et alias scripturas huiusmodi super praemissis omnibus et singulis, tam coniunctim quam divisim, gratis de mandato nostro ubique in omnibus etiam abbreviatorum, sollicitatorum, secretariorum, plumbique, et registri, ac aliis quibusvis officiis absque aliquâ pecuniarum exactione, etiam quantumvis minimâ, etiam per viam compositionis faciendae, omni contradictione et dilatione cessantibus, signent, expediant, registrent, mittantque et relaxent, ac signari, expediri, registrari, mittique et relaxari curent et faciant realiter et cum effectu.

Clausulas necessarias apponit.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, nullô unquam tempore, etiam ex eo quod praedicti et quicumque alii in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad hoc vocati, citati et auditi non fuerint, seu alio quocumque praetextu, causâ et occasione, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, ad ius vel controversiam revocari, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, vel aliis contrariis dispositionibus ullatenus comprehendi posse, sed semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a

[1] Videretur potius legendum *eiusdem Congregationis* (R. T.).

quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis, quodcumque interesse camerae apostolicae quomodolibet concernentibus, in eadem camerâ infra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, necnon quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fidem transumptis addit.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu secretarii dictae Congregationis, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio vel extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV decembris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 decembris 1622, pontif. anno II.

XCII.

Facultas nuncio Franciae componendi controversias vertentes inter Avenionenses, nonnullosque subditos regis christianissimi, super confiniis et flumine Durentiae[1].

Venerabili fratri Octavio archiepiscopo Tarsensi, nostro et Apostolicae Sedis in regno Franciae nuncio,

Gregorius Papa XV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Gregorius aliis suis litteris vicelegatum Avenionensem deputaverat pro definiendis controversiis, de quibus in rubrica.

§ 1. Aliàs nos, ad lites et differentias inter subditos civitatis Avenionensis et comitatus nostrorum Venayssini ex unâ, et subditos charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi Burgi de Noves et alios provinciales ex alterâ partibus, occasione limitum et confinium territorii Avenionensis et fluminis Durentiae, e regione Provinciae, ac etiam ratione iurisdictionis per dictum Ludovicum regem super dicto flumine, illiusque alveo, et insulis in eodem alveo sitis, praetensae, vertentes, cum commissariis, seu aliis a dicto Ludovico rege deputatis terminandas, venerabilem fratrem Guillelmum archiepiscopum Seleuciensem in civitate et comitatu praedictis vicelegatum per nostras in simili formâ Brevis sub die XXVI iunii MDCXXI expeditas litteras, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, deputavimus, prout in dictis litteris plenius continetur[1].

Cupiente vero Francorum rege eas in sua curia componi;

§ 2. Cum autem, sicut nobis innotuit, lites, et differentiae huiusmodi, dum dictus Ludovicus rex in civitate Avenionensi praedictâ commoratus est, omnino terminari non potuerint; idem vero Ludovicus rex lites et differentias praedictas per viam transactionis sive concordiae in curiâ suâ terminari desideret: idcirco de tuâ fide, prudentiâ, doctrinâ, integritate, ac in rebus agendis experientiâ plurimum in Domino confisi, tibi cum commissariis, seu aliis a dicto Ludovico rege deputatis, lites et differentias huiusmodi cum suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis terminandi, novos

Nuncio apostolico apud eumdem regem necessarias ad id tribuit facultates.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Quas vide supra pag. 554 huius tomi (R.T).

terminos, ubi opus erit, ponendi, seu poni faciendi, et in eventum, in quem lites et differentiae, ut praefertur, terminari non possint, in arbitros, qui eas, prout iuris fuerit, et cum conditionibus tibi benevisis, terminent, compromittendi, aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et opportuna, etiamsi talia sint quae mandatum requirerent magis speciale, faciendi, gerendi et exequendi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX decembris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 decembris 1622, pontif. an. II.

XCIII.

Secularizatio monasteriorum sancti Gildasii et Burgidolensis, ac prioratus de Grammont Ordinis sancti Benedicti Bituricensis dioecesis, et erectio collegiatae ecclesiae et collegii Societatis Iesu in eodem oppido, cum applicatione bonorum monasteriorum et prioratus praedictorum ecclesiae collegiatae et collegio huiusmodi, ac reservatione iurispatronatus Henrico de Bourbon principi Condaeo, et eius successoribus[1].

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,

Dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae nuncio, in regno Franciae commoranti, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

In supremo Apostolicae Sedis solio et potestatis plenitudine a Domino constituti, ad ecclesiarum quarumlibet praesertim collegiatarum[2] (ut in eis ad divini cultus exaltationem ac populi consolationem laudes Altissimo continuo persolvantur) erectionem, necnon ad collegiorum Societatis Iesu (ex quibus grati Domino et christianae reipublicae utiles fructus[1] quotidie provenire noscuntur) institutionem propensis studiis intendimus, ac in his pastoralis officii nostri partes, et per opportunam monasteriorum et prioratuum ac officiorum suppressionem, favorabiliter interponimus, prout catholicorum principum vota exposcunt, ac, rerum, locorum et temporum circumstantiis debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae monasteria sancti Gildasii et Burgidolensis, ac prioratum de Gramont secularizandi,

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, monasterium sancti Gildasii ac prioratus de Gramont Ordinis sancti Benedicti, Bituricensis dioecesis, certis tunc expressis modis vacent ad praesens, et forsan tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, est ad Sedem Apostolicam legitime devoluta; et, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Henrici de Bourbon, principis Condaei et oppidi Castri Rufi seu de Chasteauroux dictae dioecesis ducis et Franciae primi paris, petitio continebat, tam prioratus et sancti Gildasii praedictorum quam abbatiae nuncupati Burgidolensis, Ordinis et dioecesis praedictorum, monasteriorum ecclesiae, ceteraque edificia penitus diruta et funditus eversa existant, ac pro illis restaurandis et ad statum habitationis reducendis ducenta millia scuta, vel circa, necessaria sint, ac dilecti filii monachi dictorum monasteriorum nullas habitationes, nec receptacula, ubi residere et convenire possint, habeant, ac monasteriorum (ad quae, dum pro tempore vacant, nominatio personae idoneae ad charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum et Navarrae regem christianissimum, vigore concordatorum aliàs inter Sedem praedictam et clarae

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vocem *ecclesiarum* delemus. Ceterum in hac const. plura corrigemus, quam notabimus (R. T).

1 Edit. Main. legit *prout* loco *fructus* (R. T.).

memoriae Franciscum I eorumdem Francorum regem initorum[1], spectat et pertinet), necnon prioratus huiusmodi fructus, redditus et proventus, ad quindecim mille libras turonenses vel circa (summam trium millium ducatorum auri de camerâ circiter conficientes) tam pro abbatibus quam conventualibus mensis annuatim dumtaxat ascendentes, in provinciis Pictaviensi, Xanctonensi, Lemovicensi, et Marchiae, aliàs de la Marche, consistant, ob eorumque distantiam et separationem huiusmodi, nonnisi magnâ cum difficultate, ac maiori impensâ exigi possint; et propterea Henricus dux et princeps praedictus, pro suâ singulari pietate catholicae fidei puritatem in locis dominio suo temporali subiectis non solum conservare, sed etiam, quantum in se est, propagare cupiens, monasteria et prioratum huiusmodi, ac in eis dictum Ordinem, omnemque illorum statum, essentiam et dependentiam regulares perpetuo supprimi et extingui; ac, pro maiori divini cultus et piorum operum augmento, ac vassallorum seu subditorum suorum spirituali consolatione et commoditate, unam secularem et collegiatam ecclesiam, et in eâ unam abbatiam, futuram in seculari et collegiatâ ecclesiâ huiusmodi dignitatem principalem, ac duodecim canonicatus et praebendas pro uno abbate et duodecim clericis seu presbyteris secularibus, canonicis eiusdem ecclesiae secularis et collegiatae futuris, ac unum collegium Societatis Iesu in dicto oppido Castoriensi erigi et institui; sibi vero et pro tempore existenti dicti oppidi duci omnia et singula stabilia, res, proprietates, fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque eorumdem monasteriorum et prioratus perpetuo concedi et assignari; et, eorum loco, mensae capitulari dictae collegiatae ecclesiae sic erigendae (pro abbatis et duodecim canonicatuum et praebendarum huiusmodi congruâ et competenti dote, illosque pro tempore obtinentium sustentatione) sex millium, quae[1] mille et octingentos, collegio vero praedictis (pro illius collegialium sustentatione) quatuor millium librarum turonensium, quae mille et ducentos ducatos similes circiter constituunt, redditus annuos et perpetuos per dictum Henricum ducem et principem in tot terrae petiis et praediis, seu aliis bonis stabilibus, intra ambitum decem leucarum circumquaque assignandis, applicari et appropriari desideret; ac propterea dictam collegiatam ecclesiam a fundamentis et collegium apud dictam ecclesiam sancti Gildasii, quae reparari debet[2], similiter extrui facere, omnibusque ornamentis, paramentis ac sacrâ et profanâ suppellectili, aliisque ad divinum cultum necessariis sufficienter instruere et ornare, canonicis eiusdem collegiatae ecclesiae domos canonicales construere, seu ei de sufficientibus iuxta eorum qualitatem habitationibus providere, necnon unam in Burgidolensis et aliam in sancti Gildasii monasteriorum ac reliquas tres missas qualibet hebdomadâ in prioratus praedictorum cappellis, prout hactenus consuetum est, in perpetuum celebrari facere, et pro celebratione dictarum trium missarum summam quadringentarum et quinquaginta librarum similium, centum et triginta ducatos pares circiter constituentium, pro earum eleemosynâ, insuper monachis dictorum monasteriorum professis, supra numerum tredecim, qui in abbatem et canonicos dictae ecclesiae collegiatae eligentur, remanentibus, ducentas libras pares, quinquaginta ducatos similes, vel circa, conficientes, quotannis pro quolibet eorum vitâ durante, seu donec abbati et canonicis praedictis de aliis beneficiis eccle-

Collegiatamque ecclesiam, et unum collegium erigi.

1 Edit. Main. legit *inita* (R. T.).

1 Erronee edit. Main. legit *qui* (R. T.).
2 Edit. Main. legit. *debent* (R. T.).

siasticis ad congruam eorum sustentationem sufficienter provisum fuerit, solvere, et in aedificiis ecclesiarum, ac collegii, et domorum, ac habitationum praedictorum, necnon redditibus annuis in locis commodis acquirendis, multo maiorem quantitatem, quam valor reddituum et bonorum monasteriorum et prioratus huiusmodi importet, impendere et exponere intendat; dummodo ius patronatus et praesentandi personas idoneas ad canonicatus et praebendas sic erigendas huiusmodi, necnon prioratus et parochiales ecclesias, aliaque beneficia a dictis monasteriis dependentia, sibi valide, ut infra, per nos concedatur et reservetur:

Henrici Bourbon pro eàdem re preces.

§ 2. Quare pro parte dicti Henrici ducis et principis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus monasteria et prioratum huiusmodisu pprimere et extinguere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicà dignaremur:

Gregorius Papa nuncio apostolico facultatem tribuit praedicta monasteria et prioratum supprimendi;

§ 3. Nos igitur (qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem aestimationem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et idem observari voluimus in quibusvis suppressionibus, perpetuis concessionibus et dismembrationibus et applicationibus, etiam de quibuscumque fructibus et bonis ecclesiasticis) dictum Henricum ducem et principem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomolibet innodatus existit, ad effectum praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon verum et ultimum monasteriorum et prioratus praedictorum vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa resultet, nec non bonorum et reddituum quorumcumque dictorum monasteriorum et prioratus situationes, confines, denominationes, qualitates, verosque et annuos valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, tam illa, quam sancti Gildasii Vidz, cuius ad quadringentos et quinquaginta, necnon Burgidolense monasteria, cuius ad quatuor mille florenos auri in libris camerae apostolicae taxati reperiuntur, et prioratum huiusmodi, cuius vigintiquatuor, necnon si qua[1] sint officia dictorum monasteriorum claustralia, quorum singulorum et illis forsan respective annexorum fructus, redditus et proventus aliorum viginti quatuor ducatorum parium, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedunt, cum primum illa (quatenus eadem vel eorum aliquod ad praesens non vacent) per cessum, et ex causà permutationis, et in nostris vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium manibus factae vel faciendae, seu decessum, aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem quamcumque illa ad presens obtinentium, vel aliàs quibusvis modis (etiam apud dictam Sedem, vel etiam iuxta concordata praedicta dudum inter Sedem eamdem ac eumdem Franciscum regem inita, vel alia privilegia et indulta apostolica hactenus concessa et imposterum concedenda, seu graduatis iuxta eadem concordata affecta) simul vel successive vacare contigerit (seu si[2] tam illis, quam officia praedicta aliis, aut eorum aliquod, vel aliqua actu, ut praefertur, aliis quibusvis modis, et ex quorumcumque personis, seu per liberas cessiones de dictis monasteriis, eorumque regimine et administratione,

1 Edit. Main. legit *si quae* (R. T.).
2 Nempe *seu etiamsi* (R. T.).

vel liberas resignationes illa ac prioratum et officia huiusmodi ad praesens obtinentium, vel quorumvis aliorum, de illis in Romanâ curiâ vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factas, aut constitutionem felicis recordationis Ioannis Papae XXII praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assequutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacent; etiamsi tanto tempore vacaverint, quod monasteriorum videlicet provisio iuxta Lateranensis statuta concilii, aut aliquas canonicas sanctiones, ad Sedem Apostolicam legitime devoluta existat, et illa ex quavis causâ ad Sedem Apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, ac de illis consistorialiter disponi consueverit seu debeat, ac super eisdem regimine et administratione, necnon prioratu et officiis praedictis, inter aliquos lis seu illorum possessio vel quasi molestia, cuius litis statum etiam praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa), necnon eorum nomina, titulos et denominationes, ac in eis eorumque membris et quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, quomodolibet qualificatis et nuncupatis, a monasteriis et prioratu praedictis quomodolibet dependentibus[1], dictum Ordinem S. Benedicti, omnemque illius statum, essentiam et dependentiam regulares ac conventualitatem quamcumque (dummodo dicti Ludovici regis, et dilectorum filiorum moderni abbatis Burgidolensis et tam illius quam S. Gildasii, quod, ut praefertur, vacat, monasteriorum et conventuum ad hoc expressus accedat assensus) auctoritate nostrâ perpetuo supprimas et extinguas; illisque sic suppressis et extinctis, eorum ecclesias seu cappellas, necnon quaecumque beneficia dicti Ordinis regularia quomodolibet nuncupata et qualificata, et ab ipsis monasteriis dependentia, ad secularitatem et statum secularem (ita ut abbas et monachi praesentes officia et beneficia regularia huiusmodi ad praesens et ante executionem praesentium obtinentes, absque aliâ novâ provisione vel possessionis adeptione desuper faciendâ, illa deinceps in titulum, quoad vixerint, secundum illorum in monachos receptionis ordinem, nullâ monasteriorum huiusmodi qualitate consideratâ, sub nomine tamen canonicatuum et praebendarum, retinere, illorumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere et levare, ac in proprios usus et utilitatem convertere libere et licite valeant) etiam perpetuo reducas;

1 Edit. Main. legit *dependeri* (R. T.).

Monachos ad canonicos non tamen regulares reducendi;

§ 4. Necnon eosdem abbatem et monachos professos a disciplinae regularis dicti Ordinis ac votorum paupertatis et obedientiae (non tamen castitatis) per eos et eorum quemlibet in professione suâ regulari emissorum observantiâ (ita quod ad illa deinceps observanda nullatenus teneantur, nec ad id a quoquam, quovis praetextu vel colore, compelli possint) penitus et omnino, perinde ac si illa nunquam emisissent (praeterquam a voto castitatis huiusmodi), absolvas et liberes;

Bona omnia ad dicta monasteria et prioratum spectantia Henrico duci tradendi.

§ 5. Omnia autem et singula monasteriorum et prioratus praedictorum, sic ad secularitatem reductorum, bona, praedia, proprietates, aedificia, terrae petia, decimas, primitias, census, laudemia, recognitiones, canones, servitutes, livellos, fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, in quibusvis rebus et in qualibet mundi parte consistentia, et undequaque provenientia, et ad monasteria et prioratum huiusmodi quomodolibet spectantia et pertinentia, etiamsi per Sedem praedictam, illiusque legatos vel nuncios, ac imperatores, reges, reginas, principes, et alios utriusque sexus christifideles quoscumque, etiam intuitu et contemplatione regularitatis, et

quamdiu illa ibidem viguerit dumtaxat, concessa, donata, relicta, erogata et elargita, temporalizes, et laicalia efficias; illaque sic temporalizata et laicalia effecta dicto Henrico duci et principi, eiusque in ducatu dicti oppidi successoribus quibuscumque pro tempore existentibus (si et postquam dictus Henricus dux et princeps reparaverit, ac bona ut infra assignaverit, nec antea, ita quod, sequutâ reparatione et assignatione huiusmodi, nec aliàs aut antea, liceat eidem Henrico duci et principi corporalem, realem et actualem illorum omnium possessionem, per se, vel alium, seu alios, eorum et dicti ducatus nomine, propriâ auctoritate libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus et emolumenta huiusmodi percipere, exigere, levare, recuperare, locareque et dislocare vel arrendare, ac in suos usus et utilitatem convertere, cuiusque licentiâ desuper minime requisitâ;

Qui ea, quae hic enunciantur, exequi teneatur.

§ 6. Ita tamen, quod dictus Henricus dux et princeps, et eius in ducatu praedicto successores quicumque, cappellas monasterii Burgidolensis et prioratus praedictorum suis sumptibus decenter manutenere ac reparare, seu eas reparari, necnon unam quotidianam in Burgidolensis, et aliam in S. Gildasii monasteriorum, et reliquas tres missas qualibet hebdomadâ in prioratus praedictorum cappellis, prout hactenus solitum et consuetum est, cum eleemosynâ, seu salario supradicto, in perpetuum celebrari facere teneantur) similiter perpetuo concedas et assignes, seu illa dicto ducatui modo et formâ praemissis itidem perpetuo applices et appropries;

Necnon collegiatam ecclesiam erigendi et collegium Societatis Iesu, quae ab ipso Henrico duce dotentur ad formam praesentis Constitutionis.

§ 7. Et insuper ex nunc (prout postquam dictus Henricus dux et princeps ecclesiam in collegiatam erigendam et tam Iesuitarum collegii huiusmodi quam pro canonicis et collegialibus respective domos ad eorum habitationem et residentiam sufficientes extrui fecerit seu comparaverit, easque omnibus ad divinum cultum necessariis sufficienter instruxerit, ac uni sex millium, et alteri[1] redditus annuos et perpetuos quatuor millium librarum praedictarum, intra decem leucas a dictis oppidis respective in tot terrae petiis seu aliis bonis stabilibus consistentes, perpetuo donaverit et assignaverit, ac cum effectu tradiderit, dictisque monachis, infra numerum tredecim in abbatem et canonicos, ut praefertur, institutum, remanentibus, eorumque singulis, ducentas libras similes quotannis, pro quolibet eorum vitâ durante, seu donec eis de aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum congruam sustentationem sufficienter provisum fuerit, solvere valide et efficaciter se obligaverit, ac tutam et securam assignationem desuper dederit) in dicto oppido et loco ad id commodo et opportuno, a dicto Henrico duce et principe designando, unam secularem et collegiatam ecclesiam cum capitulo et mensâ capitulari, arcâ et sigillo communibus, aliisque collegialibus insigniis, ac in eâ unum abbatem secularem, qui in ipsâ collegiatâ dignitas principalis et unica, non tamen electiva existat, et ad quam, occurrente eius vacatione, nominatio personae idoneae ad Francorum regem christianissimum pro tempore existentem (prout ante suppressionem et reductionem huiusmodi vigore dictorum concordatorum, ut praefertur, competebat) spectare et pertinere debeat[2] ac duodecim canonicatus et totidem praebendas pro tredecim clericis seu presbyteris secularibus, futuris dictae collegiatae ecclesiae canonicis, hac primâ vice dumtaxat, qua monachi monasteriorum huiusmodi in canonicos institui debent, exceptâ[3] (qui quidem abbas eiusdem ecclesiae, in collegiatam erigendae, et il-

1 Perperam ed. Main. legit *unum... alterum*.
2 Edit. Main. legit *debeant* (R. T.).
3 Vocem *exceptâ* nos addimus (R. T.).

hus capituli caput existat, ac in eâ illiusque choro, capitulo, processionibus et aliis actibus capitularibus publicis et privatis praesideat, omnibusque et singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, praeeminentiis, antelationibus, favoribus et indultis, aliisque gratiis universis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus abbates monasteriorum suppressorum Burgidolensis et forsan S. Gildasii huiusmodi utebantur, fruebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, frui, potiri et gaudere poterant, similiter et aeque principaliter, ac sine ullâ prorsus differentiâ, uti, frui, potiri et gaudere possit et valeat; necnon duodecim canonici huiusmodi omnes[1] insimul capitulum dictae collegiatae ecclesiae constituant, et apud illam residere, et in eâ singulis diebus et debitis temporibus horas canonicas tam diurnas quam nocturnas, necnon missas et alia divina officia collegialiter cum mentis attentione et devotione, ac servatâ ecclesiasticâ disciplinâ, decantare et celebrare, illisque interesse, ac aliàs eidem collegiatae ecclesiae ad instar aliarum collegiatarum ecclesiarum illarum partium laudabiliter in divinis deservire debeant et teneantur); necnon in eodem oppido, ac aedificiis in situ seu ambitu dicti monasterii sancti Gildasii per eumdem Henricum ducem et principem reparandis seu extruendis, unum collegium Societatis Iesu, cum ecclesiâ seu cappellâ, eiusdem monasterii claustro, refectorio, cellis, areâ, scholis, aliisque membris, aedificiis, et officinis necessariis et opportunis pro perpetuis usu et habitatione unius rectoris ac competentis numeri religiosorum dictae Societatis, pietate et doctrinâ praestantium (qui inibi iuxta regularia eiusdem Societatis instituta conventualiter viventes grammaticam et rethoricam, ac philosophiam, necnon theologiam publice legere et interpretari, ac ad ipsum collegium cuiuscumque nationis et provinciae adolescentes, aliaeque personae, dummodo a catholicâ et orthodoxâ religione minime dissentiant, accedere, ibique studere, scribere, legere, disputare, argumentari, aliosque actus scholasticos, et qui in aliis dictae Societatis collegiis fieri et exerceri consueverunt, facere libere et licite possint et valeant), itidem perpetuo, dictâ auctoritate, sine tamen alicuius praeiudicio, erigas et instituas;

§ 8. Illisque sic erectis et institutis (pro congruâ et competenti eorum dote, ac canonicorum et collegialium praedictorum respective sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione) mensae capitulari videlicet, sex mille, collegio vero Iesuitarum praedictis quatuor mille librarum huiusmodi annuos redditus ut praefertur assignandos, ex nunc, prout postquam assignati fuerint [ita quod liceat abbati, capitulo, et canonicis sex, rectori vero et collegialibus praedictis pro tempore existentibus quatuor millium librarum reddituum annuorum huiusmodi, ac bonorum in quibus consistent, corporalem, realem et actualem possessionem, per se, vel alium, seu alios, eorum ac mensae capitularis et collegii praedictorum respective nominibus, propriâ auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, fructus, quoque redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta ex inde provenientia quaecumque percipere, exigere, levare, recuperare, locareque et arrendare, et (detractâ in primis et ante omnia ex redditibus collegiatae ecclesiae huiusmodi assignandis et applicandis tertiâ eorum parte pro congruâ dote et fructibus grossis abbatiae et singulorum canonicatuum et praebendarum sic erigendorum inter eos aequis portionibus dividendâ) reliquas duas partes fructuum, reddituum et proven- Eisque congruam assignandi dotem.

1 Ed. Main. legit *canonicis... qui omnes* (R.T)

tuum ac emolumentorum huiusmodi in usum distributionum quotidianarum iuxta providam desuper faciendam ordinationem inter abbatem et singulos canonicos, in dictâ collegiatâ ecclesiâ pro tempore residentes et horis canonicis, aliisque officiis in eâ pro tempore celebrandis interessentes, similiter dividendarum et repartiendarum (ex quibus abbas duplicem, canonici vero unam simplicem distributionum praedictarum portionem percipiant, absentium vero et non interessentium portiones, infirmitatis tamen, aut alio legitimo, de quo doceri debeat, impedimento cessanti, aliis praesentibus et divinis officiis, ut praefertur, interessentibus, pro uniuscuiusque ratâ et proportionabiliter accrescant), aliosque mensae capitularis, necnon collegii Iesuitarum praedictorum respective, usus et utilitatem convertere, Dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ] similiter perpetuo applices et appropries ac incorpores;

Canonicis erigendae collegiatae facultatem concedendi constitutionum condendarum;

§ 9. Necnon abbati et capitulo ac canonicis dictae collegiatae ecclesiae pro tempore existentibus (pro eiusdem ecclesiae, illiusque rerum et bonorum, tam spiritualium quam temporalium, ac personarum vel ministrorum prospero et felici statu, regimine, gubernio et directione, et onerum illis incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum, et aliorum divinorum officiorum, tam diurnorum quam nocturnorum, processionum, anniversariorum, et aliorum suffragiorum celebratione et decantatione, ac abbatis et canonicorum respective admissione et residentiâ, necnon distributionum quotidianarum et aliorum perceptione, divisione, repartitione et amissione, ac mulctarum et poenarum per absentes et divinis officiis non interessentes seu onera et servitia eis incumbentes subire negligentes incursu, singulorum praesentiis et absentiis notandis, ac caeremoniis, ritibusque in collegiatâ ecclesiâ, choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus praedictis servandis, officialibus et aliis ministris deputandis et amovendis, servitiis et ministeriis per eos obeundis et agendis, salariis et stipendiis eorum cuilibet praestandis, ac quibusvis aliis rebus in praemissis vel circa ea quomodolibet necessariis et opportunis) quaecumque statuta, ordinationes et decreta (licita tamen et honesta, et sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis non contraria, ac per Ordinarium loci pro tempore existentem examinanda et approbanda) condendi, et condita pro rerum et temporum varietate et qualitate, quoties expediens videbitur, immutandi, corrigendi, limitandi, declarandi et interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, seu alia de novo etiam ex integro condendi, quae tamen, postquam sic de novo condita, prout et ea, quae immutata, correcta, limitata, declarata, interpretata, ac in meliorem formam redacta fuerint, per eumdem Ordinarium examinari et approbari debeant, et per eos, ad quos pro tempore spectabit, sub poenis in contravenientes statuendis, observari faciendi, plenam, liberam et omnimodam facultatem, licentiam et auctoritatem dictâ auctoritate nostrâ impertiaris;

Dictaeque collegiatae et collegio solita concedendi privilegia;

§ 10. Insuper collegiatae ecclesiae, illiusque abbati, capitulo et canonicis, nec non collegio Iesuitarum huiusmodi, illiusque rectori, collegialibus, ministris et personis pro tempore exisitentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, praeeminentiis, praerogativis, concessionibus, indultis, favoribus et aliis gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus aliae collegiatae ecclesiae illarum partium, earumque abbates, ca-

nonici, ac similia Iesuitarum collegia, eorumque rectores et collegiales, ministri, et personae, aliique christifideles ecclesias collegiatas ac domos dictae Societatis pro tempore visitantes, ac eorum res et bona, de iure, usu vel consuetudine, aut ex privilegio apostolico, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere etiam possunt et poterunt quomodolibet in futurum, et quoad capparum, seu cottarum, almutiarum, et superpelliciorum usum et delationem, similiter et pariformiter, ac sine ullâ prorsus differentiâ, in omnibus et per omnia, perinde ac si eis nominatim et expresse illa per praesentes concessa forent, etiamsi talia forent, quae specialem et individuam requirerent mentionem, ac sub generali expressione non comprehenderentur, etiam uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, eâdem auctoritate concedas et indulgeas;

Et ducibus Condaeis ius nominandi ad canonicatus reservandi.

§ 11. Postremo dicto Henrico duci et principi, ac eius in praedicto ducatu Castri Rufi successoribus quibuscumque in perpetuum et in infinitum, ius patronatus[1] et praesentandi locorum Ordinariis pro tempore existentibus, seu eorum officialibus, personas idoneas ad canonicatus et praebendas hac primâ vice a primaevâ illorum erectione et institutione vacantes, necnon ad prioratus, et parochiales ecclesias, seu earum perpetuas vicarias, aliaque quaecumque, cum curâ et sine curâ, dicti Ordinis regularia et secularia beneficia ecclesiastica, quomodolibet nuncupata et qualificata, a monasteriis et prioratu praedictis sic suppressis et reductis dependentia, seu ad abbatum vel perpetuorum commendatariorum eorumdem monasteriorum et prioratus pro tempore existentium collationem, provisionem, praesentationem, electionem, nominationem et quamvis aliam dispositionem spectantia (quandocumque et quotiescumque illos et illa, per cessum, etiam ex causâ permutationis, etiam in nostris vel Romani Pontificis pro tempore existentis aut Ordinarii loci seu aliorum quorumcumque manibus factae vel faciendae, seu decessum, vel religionis ingressum et matrimonii contractum, habitus clericalis non delationem, resignationis vel cessionis non publicationem, aut privationem, seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem illa pro tempore obtinentium, seu in eis ius habentium, vel assecutionem aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quavis auctoritate collatorum, aut aliàs quibusvis modis, etiam apud Sedem praedictam, et ex quibuscumque[1] personis, etiam nostris, seu alterius Romani Pontificis aut alicuius praedictae Romanae Ecclesiae cardinalis et viventis, familiaribus continuis commensalibus, aut Romanae curiae officialibus, vel ceteras qualitates, etiamsi de illis specialis mentio facienda foret et sub generali verborum expressione non venirent et quae reservationem apostolicam quomodolibet et in corpore iuris amplissimam inducerent, habentibus, tam in dictâ curiâ, quam extra eam, et etiam in aliquo ex mensibus dictae Sedi per constitutiones apostolicas seu cancellariae apostolicae regulas aut litteras alternativarum reservatis, seu locorum Ordinariis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, per easdem constitutiones seu regulas aut litteras vel iuxta concordata aut alia personalia indulta concessis et imposterum concedendis, aut etiam iure ordinario aut aliàs quomodolibet competentibus et competituris, pro tempore vacare contigerit; etiamsi dispositioni apostolicae specialiter aut ex praesentis vel aliis personis et causis generaliter reservata vel affecta fuerint, et super eis inter aliquos lis in petitorio vel possessorio pendeat indecisa), per locorum

1 Edit. Main. legit *patronatum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quarumcumque* (R. T.).

Ordinarios seu eorum officiales pro tempore existentes ad praesentationem huiusmodi instituendas, itidem perpetuo eâdem auctoritate nostrâ reserves, concedas et assignes; ac iuspatronatus et praesentandi huiusmodi laicorum nobilium et illustrium existere, necnon Henrico duci et principi, ac successoribus praesentis futuris patronis, non ex privilegio apostolico, sed ex verâ primaevâ reali, actuali, plenâ, integrâ et omnimodâ fundatione, et perpetuâ dotatione laicali ex bonis mere laicalibus et patrimonialibus dumtaxat competere, illudque vim, effectum, naturam, essentiam et qualitatem iurispatronatus laicorum obtinere, ac Henrico duci et principi et aliis futuris patronis praedictis suffragari debere in omnibus et per omnia absque ullâ prorsus differentiâ, etiam quoad omnes iuris et facti effectus, perinde ac si eis et illorum singulis ratione verae, realis, actualis, plenae et integrae fundationis et perpetuae dotationis per eos ex propriis et mere laicalibus et patrimonialibus bonis dumtaxat a principio acquisitum et concessum fuisset; ac ut tale sub quacumque derogatione nullatenus comprehendi, nec illi ullo unquam tempore (etiam praetextu iurispasronatus ex privilegio apostolico vel consuetudine acquisiti, aut cuiuscumque litis pendentiae, seu permutationis vel ex aliâ causâ quantumvis legitimâ et urgenti) derogari, aut derogatum censeri posse neque debere, nisi Henrici ducis et principis ac patronorum pro tempore existentium expressus ad id accesserit assensus, et aliter factas derogationes, necnon collationes, provisiones et quasvis alias dispositiones de canonicatibus et praebendis ac aliis beneficiis praedictis, sive iis, ut praefertur, sive aliis quibusvis modis, etiam apud Sedem eamdem pro tempore vacantibus, absque praesentatione vel expresso consensu patronorum pro tempore existentium praedictorum, cum speciali et expressâ derogatione iurispatronatus huiusmodi pro tempore faciendas, processusque desuper habendos, ac inde sequenda quaecumque, nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti fore, ac pro nullis et infectis haberi et censeri debere, nec ius aut coloratum titulum possidendi cuique per illa tribui vel acquiri, minusque praesentes litteras ex quocumque capite, quantumvis legitimo et iuridico, de subreptionis et obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae seu quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, annullari vel invalidari, in ius vel in controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illa quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari vel concedi unquam posse; sed illas semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, neque sub quibusvis cancellariae praedictae regulis super praemissorum effectum non sortitorum revocatoriis, aliisque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque praedictam, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore quomodolibet factis, comprehendi vel confundi, sed ab illis semper exceptas[1], et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, per Henricum ducem et principem et successores suos futuros patronos, necnon abbatem et capitulum, ac canonicos dictae collegiatae ecclesiae, et rectorem et collegiales ipsius collegii pro tempore existentes quando-

1 Erronee edit. Main. hic legit *exceptis* (R.T.).

cumque eligendâ, concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos et vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane dictâ auctoritate decernas.

Obstantia tollit. §. 12. Non obstantibus priori voluntate nostrâ, aliisque praemissis, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, et recolendae memoriae Pauli Papae II, ac quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, necnon similis memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri, et aliis quibusvis etiam apostolicis et in synodalibus et provincialibus, universalibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus: necnon monasteriorum, prioratus et Ordinis praedictorum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, ac aliâs, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis aliâ expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliqui apostolicâ praedictâ vel quavis aliâ auctoritate in dictâ collegiatâ ecclesiâ in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant; seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et praebendis dictae collegiatae ecclesiae speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis aut legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel aliâs quomodolibet sit processum (sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum praeiudicium volumus[1] generari), et quibusvis aliis indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de quibus, eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXII, quarto kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 29 decembris 1622, pontif. an. II.

XCLIV.

Regi catholico facultas conceditur conferendi officia militaris Ordinis seu societatis del Tuison extra capitulum generale eiusdem Ordinis seu Societatis[2].

1 Verbum *volumus* addendum censuimus (R.T).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Gregorius Papa XV.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Regis catholici petitio.

§ 1. Cum, sicut maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, pro dispositione locorum seu officiorum Ordinis sive Societatis aurei velleris del Tuison vulgo nuncupatae, capitulum ipsius Ordinis seu Societatis, prout illius statuta et stabilimenta disponunt, convocare oporteat; tu vero de locis seu officiis huiusmodi extra capitulum praedictum disponere posse summopere desideres:

Concessio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, maiestati tuae specialem gratiam facere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi, ut de omnibus locis atque officiis dicti Ordinis seu Societatis, tam nunc vacantibus quam imposterum vacaturis, ad tuum beneplacitum, etiam extra capitulum generale praedictum, disponere et providere libere et licite valeas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis (etiamsi in illis caveatur expresse quod illa loca seu officia extra dictum capitulum generale conferri non possint, et aliter factae collationes et provisiones nullae sint), privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium quomodolibet concessis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX decembris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 29 decembris 1622, pontif. anno II.

XCV.

Revocatio quarumcumque licentiarum legendi et tenendi quomodolibet libros prohibitos quibuscumque personis ab omnibus, etiam Romanis Pontificibus, concessarum[1].

Gregorius Papa XV, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Apostolatus officium nobis, nullo licet meritorum suffragio, divinâ providentiâ commissum postulat, ut ad ea vigilantiae nostrae partes propensius intendamus, per quae religio catholica, ubi divinâ gratiâ illaesa viget, conservetur, et ubi restitutione indiget, restituatur.

Prohibitio tenendi et legendi libros prohibitos.

§ 1. Quapropter, cum librorum prohibitorum lectio magno esse sincerae fidei cultoribus detrimento noscatur, et, sicut accepimus, licentiae libros huiusmodi legendi nimis excreverint, nos, ut huic malo mature occurratur, et imposterum quam cautissime licentiae huiusmodi concedantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas licentias legendi et habendi libros quoscumque ob haeresim vel falsi dogmatis suspicionem, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis, cuiuscumque gradus et conditionibus existentibus, etiam per litteras apostolicas ad tempus seu ad vitam, et aliter quomodocumque, et ex quâcumque causâ, tam per litteras in formâ Brevis,

1 Libri autem prohibiti qui sint, vide in indice desuper edito, de quo supra in Const. XCI *Dominici*, Pii IV (in h. n. edit. XCIV in tom. VII, pag. 281).

quam aliter quomodocumque, a nobis seu praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu ab habentibus a nobis vel ab eis facultatem et auctoritatem, concessas, earum tenorem praesentibus pro expressis habentes, tenore praesentium revocamus, cassamus et annullamus; ac pro revocatis, cassis et annullatis haberi, nullique in posterum suffragari,

Contravenientibus poenas imponit.

§ 2. Quinimmo libros per licentias huiusmodi permissos legentes aut habentes, poenas in sacris canonibus, constitutionibus apostolicis, et indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus et declaramus.

Hanc legem Pontifex publicatam omnes ligare decernit.

§ 3. Decernentes, ut praesentes litterae, postquam in valvis basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis apostolorum de Urbe et cancellariae apostolicae, necnon in acie campi Florae affixae fuerint, infra duos menses ex tunc proximos, omnes et singulos, ad quos spectat, arctent et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuissent, quodque, dictis duobus mensibus durantibus, ii, qui libros prohibitos huiusmodi habuerint, eos ad episcopum, seu inquisitorem, qui illos quanto citius comburere debeat, deferre, quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denunciare teneantur, neque de cetero similes licentiae nisi a congregatione sancti officii, quae singulis hebdomadis coram nobis haberi solet, concedantur;

Eiusque transumptis fidem dari mandat.

§ 4. Ac quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX decembris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 decembris 1622, pontif. an. II.

XCVI.

Congregationi Matris Dei conceduntur exemptiones omnes et privilegia clericis regularibus mendicantibus concessa [1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ad uberes et suaves fructus [2], quos dilecti filii rector generalis et clerici Congregationis Matris Dei in militanti Ecclesiâ, cuius regimini divinâ disponente clementiâ praesidemus, in dies afferunt, mentis nostrae aciem convertentes, ac uberiores ex ipsâ Congregatione fructus in dies proventuros esse sperantes, ad ea merito libenter intendimus, per quae Congregatio ipsa felicioribus in dies proficiat incrementis.

Concessio, de qua in rubrica.

§ 1. Ut igitur rector et clerici praefati eo ferventius in suo laudabili instituto perseverent, quo maioribus se viderent favoribus et gratiis munitos, providere volentes, ac singulares rectoris et clericorum praefatorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dilecti filii Iosephi Matrai eiusdem Congregationis rectoris nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Congregationi praedictae, eiusque rectori ac clericis, aliisque personis, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, facultatibus, exemptionibus, aliisque gratiis et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, aliis congregationibus clericorum regularium Mendicantium, non tamen Societatis Iesu,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Est simillima Const. LXXX sup. pag. 749 (R.T.).

illorumque superioribus ac professoribus, necnon ecclesiis et locis regularibus quibuscumque, etiam per viam communicationis vel extensionis, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, quomodolibet concessis, et quibus ipsi, nec non ecclesiae et regularia loca huiusmodi de iure, usu, consuetudine, privilegio, concessione, apostolicâ, seu aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen sint in usu et non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, aut constitutionibus apostolicis repugnent, pari modo, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, perinde ac si illis nominatim et in specie concessa fuissent, uti, frui et gaudere libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus: dictaque privilegia, immunitates, libertates, facultates exemptiones, gratias et indulta eis communicamus, illaque ad eos extendimus.

§ 2. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac rectori et clericis praefatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Clausulae.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon congregationum praefatarum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV ianuarii MDCXXIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 ianuarii 1623, pontif. an. II.

XCVII.

Confirmatio litterarum cardinalis Ludovisii S. R. E. camerarii, quibus vigore pontificii chirographi facultatem Ferrariensibus tribuit vectigal imponendi super armentis exteris in territorio eiusdem ducatus hibernantibus[1].

Dilectis filiis iudici et magistratui sapientum civitatis nostrae Ferrariensis,

Gregorius Papa XV.

Dilecti filii,

salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sincerae fidei et devotionis affectu, quem erga nos et Apostolicam Sedem gerere comprobamini, inducimur, ut votis vestris, quantum cum Domino possumus, libenter annuamus.

Cardinalis Ludovisius communitati Ferrariae facultatem concedit vectigal imponendi super pecude in territorio eiusdem ducatus hibernante.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecistis quod dilectus filius noster Ludovicus tituli sanctae Mariae Transpontinae presbyter cardinalis Ludovisius nuncupatus, sanctae Romanae Ecclesiae camerarius, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, in exequutionem chirographi manu nostrâ signati, infra inserti, vobis, ut gabellam in eodem chirographo expres-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

quam aliter quomodocumque, a nobis seu praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu ab habentibus a nobis vel ab eis facultatem et auctoritatem, concessas, earum tenorem praesentibus pro expressis habentes, tenore praesentium revocamus, cassamus et annullamus; ac pro revocatis, cassis et annullatis haberi, nullique in posterum suffragari,

Contravenientibus poenas imponit.

§ 2. Quinimmo libros per licentias huiusmodi permissos legentes aut habentes, poenas in sacris canonibus, constitutionibus apostolicis, et indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus et declaramus.

Hanc legem Pontifex publicatam omnes ligare decernit.

§ 3. Decernentes, ut praesentes litterae, postquam in valvis basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis apostolorum de Urbe et cancellariae apostolicae, necnon in acie campi Florae affixae fuerint, infra duos menses ex tunc proximos, omnes et singulos, ad quos spectat, arctent et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuissent, quodque, dictis duobus mensibus durantibus, ii, qui libros prohibitos huiusmodi habuerint, eos ad episcopum, seu inquisitorem, qui illos quanto citius comburere debeat, deferre, quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denunciare teneantur, neque de cetero similes licentiae nisi a congregatione sancti officii, quae singulis hebdomadis coram nobis haberi solet, concedantur;

Eiusque transumptis fidem dari mandat.

§ 4. Ac quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX decembris MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 decembris 1622, pontif. an. II.

XCVI.

Congregationi Matris Dei conceduntur exemptiones omnes et privilegia clericis regularibus mendicantibus concessa [1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ad uberes et suaves fructus [2], quos dilecti filii rector generalis et clerici Congregationis Matris Dei in militanti Ecclesiâ, cuius regimini divinâ disponente clementiâ praesidemus, in dies afferunt, mentis nostrae aciem convertentes, ac uberiores ex ipsâ Congregatione fructus in dies proventuros esse sperantes, ad ea merito libenter intendimus, per quae Congregatio ipsa felicioribus in dies proficiat incrementis.

Concessio, de qua in rubrica.

§ 1. Ut igitur rector et clerici praefati eo ferventius in suo laudabili instituto perseverent, quo maioribus se viderent favoribus et gratiis munitos, providere volentes, ac singulares rectoris et clericorum praefatorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dilecti filii Iosephi Matrai eiusdem Congregationis rectoris nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Congregationi praedictae, eiusque rectori ac clericis, aliisque personis, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, facultatibus, exemptionibus, aliisque gratiis et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, aliis congregationibus clericorum regularium Mendicantium, non tamen Societatis Iesu,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Est simillima Const. LXXX sup. pag. 749 (R.T.).

illorumque superioribus ac professoribus, necnon ecclesiis et locis regularibus quibuscumque, etiam per viam communicationis vel extensionis, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, quomodolibet concessis, et quibus ipsi, nec non ecclesiae et regularia loca huiusmodi de iure, usu, consuetudine, privilegio, concessione apostolicâ, seu aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen sint in usu et non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, aut constitutionibus apostolicis repugnent, pari modo, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, perinde ac si illis nominatim et in specie concessa fuissent, uti, frui et gaudere libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus: dictaque privilegia, immunitates, libertates, facultates exemptiones, gratias et indulta eis communicamus, illaque ad eos extendimus.

§ 2. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac rectori et clericis praefatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Clausulae.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon congregationum praefatarum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV ianuarii MDCXXIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 ianuarii 1623, pontif. an. II.

XCVII.

Confirmatio litterarum cardinalis Ludovisii S. R. E. camerarii, quibus vigore pontificii chirographi facultatem Ferrariensibus tribuit vectigal imponendi super armentis exteris in territorio eiusdem ducatus hibernantibus[1].

Dilectis filiis iudici et magistratui sapientum civitatis nostrae Ferrariensis,
Gregorius Papa XV.
Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sincerae fidei et devotionis affectu, quem erga nos et Apostolicam Sedem gerere comprobamini, inducimur, ut votis vestris, quantum cum Domino possumus, libenter annuamus.

Cardinalis Ludovisius communitati Ferrariae facultatem concedit vectigal imponendi super pecude in territorio eiusdem ducatus hibernante.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecistis quod dilectus filius noster Ludovicus tituli sanctae Mariae Transpontinae presbyter cardinalis Ludovisius nuncupatus, sanctae Romanae Ecclesiae camerarius, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, in exequutionem chirographi manu nostrâ signati, infra inserti, vobis, ut gabellam in eodem chirographo expres-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sam imponere, eamque exigere, seu exigi facere, necnon affictare, arrendare et appaltare, sub certis modo et formâ tunc expressis, libere et licite valeretis, facultatem et auctoritatem concessit, prout plenius continetur in patentibus ipsius Ludovici cardinalis camerarii sub die x maii anni proxime praeteriti confectis litteris tenoris subsequentis, videlicet:

Ludovisii cardinalis litterae.

Ludovicus tituli sanctae Mariae Transpontinae presbyter cardinalis Ludovisius, S. R. E. camerarius, dilectis nobis in Christo perillustribus DD. iudici et magistratui sapientum illustris civitatis Ferrariae, salutem in Domino. Vestra erga sanctissimum D. N. Gregorium Papam XV et sanctam Romanam Ecclesiam iamdiu perspecta fides et devotio merito eumdem sanctissimum D. N. inducunt, ut petitionibus vestris libenter annuat, ac vos gratiis et favoribus prosequatur singularibus. Itaque praedictus sanctissimus D. N. supplicationibus vestro nomine Sanctitati Suae porrectis inclinatus, chirographum eius propriâ manu subscriptum nobis direxit et praesentari fecit, huiusmodi sub tenore, videlicet:

Reverendissimo cardinal camerlengo. Avendo la nostra città di Ferrara più volte considerato, siccome ci ha fatto esporre, essere molto maggiore il danno, che universalmente apportano a quello Stato li pastori forestieri con i loro armenti, di quello è l'utile de' particolari per gli affitti de' pascoli che si cavano, e il tutto essere stato sin ora tollerato con pregiudicio notabile dell' universale e particolare, per non privare i pastori delle solite comodità, e i particolari del solito emolumento, onde parendole cosa giusta che simili persone forastiere, che ricevono tanta comodità dalla detta città, sì nel vivere per loro stessi, come per svernare i loro armenti e far esito delle loro mercanzie, come di lana, cacì, capretti, agnelli e simili, debbano anche loro contribuire in qualche ragionevole maniera ad alcune delle opere della città; ci ha però fatto supplicare, vogliamo fargli grazia di conceder facoltà al giudice e magistrato dei Savii di poter imporre e riscuotere una gabella o imposizione dalli pastori forastieri, che vengono con gli armenti a svernare sul Ferrarese, d'un quarto di giulio, cioè di mezzo grosso per ogni capo di bestia minuta, e di tre giulì per ogni capo di bestia grossa, con facoltà di applicare tal emolumento nella detta città per impiegarlo in pagar debiti, o vero in altra cosa di utile e bisogno di quella comunità, come si stimerà più opportuno. E parendo a noi conveniente e ragionevole che chi sente il comodo debba anche in qualche parte sentire l'incomodo, ci siamo contentati condiscendere alla instanza fattaci e farle anco questa grazia, oltre molte altre già fattele. Però con la presente di nostro *motu proprio*, certa scienza e pienezza della potestà apostolica, diamo e concediamo al giudice e magistrato de' Savii di detta nostra città di Ferrara piena, ampia e liberá facoltà, potestà e autorità di imporre una nuova gabella o imposizione annua di baiocchi due e mezzo sopra ogni capo di bestia minuta, e di tre giulì sopra ogni capo di bestia grossa che da pastori forastieri per l'avvenire saranno condotti a svernare e pascolare nel Ferrarese, in qualsivoglia tempo e stagione, e detta gabella o imposizione ogni anno in perpetuo esigerla e riscuoterla dai pastori e padroni forastieri di detti bestiami, di qualsivoglia stato, grado e condizione siano, *etiam* qualificati e privilegiati, liberamente e licitamente senza incorso di pena alcuna, *manu regiâ*, secondo è solito a farsi nelle esazioni delle altre gabelle di detta città; dandole e concedendole anco facoltà ed autorità di poter affittare, arrendare ed

appaltare detta gabella ad una o più persone, e per il tempo, prezzo e risposta annua, che si troverà, e nel modo e forma che è solito farsi delle altre gabelle di detta città, e d'applicare l'emolumento e risposta, che si ricaverà da detta gabella, alla comunità, per impiegarlo in pagar debiti, o in altra cosa d'utile e bisogno della città, e secondo sarà giudicato più espediente ed opportuno al reverendissimo cardinal legato, che *pro tempore* si ritroverà in Ferrara, e dal giudice e magistrato dei Savii suddetti. E ordiniamo a voi che sopra le cose predette e per loro effetto ed esecuzione le ne spediate tutti gli ordini, mandati, editti e bandi, *etiam* penali, e vostre lettere patenti che saranno necessarie ed opportune, con tutte quelle clausule e cautele che giudicherete esser necessarie ed espedienti per l'effetto suddetto. Volendo e decretando che la presente e detti ordini, mandati, editti, e bandi, e lettere patenti, e quanto da voi sarà fatto ed eseguito in esecuzione della presente, vaglino ed abbiano il loro effetto, esecuzione e vigore, ancorchè non siano chiamati ed intesi detti pastori e padroni dei bestiami, e che contro la presente, e detti ordini, mandati, bandi, editti e lettere patenti, e cose contenute in esse, non si possa dire nè opporre di nullità, obrettione, sorrettione e difetto della nostra volontà ed intenzione, nè d'altro qualsivoglia vitio, nè sotto tali o altri qualsivoglia pretesti possano essere impugnati, moderati o revocati, e così e non altrimenti debba essere giudicato e definito da qualunque giudice, e con la clausula *sublatâ* e decreto irritante, non ostante le cose predette, la constituzione in *Coena Domini* solita leggersi nel giovedì santo, e qualsivoglia altra constituzione ed ordinazioni apostoliche, statuti di Roma e sue riforme, e di detta città di Ferrara e suo Stato, usi, stili e consuetudini, *etiam* inveterate, e qualunque privilegi, esecuzioni e grazie che fossero state in qualsivoglia modo concessi ai pastori forastieri suddetti e padroni dei bestiami, e tanto la regola *De iure quaesito non tollendo*, e la regola di cancelleria, e tutte e singole altre cose che ostassero, o facessero o potessero fare in qualunque modo in contrario: alle[1] quali tutte e singole, ancorchè avessero clausule insolite e derogatorie di derogatorie, e per loro derogazione bisognasse farne espressa, specifica ed individua menzione, avendo nondimeno il tenore di essi, e ciascuno di loro per espresso, inserto e registrato nella presente di parola in parola a sufficienza, per questa volta, per l'effetto suddetto, in tutto e per tutto specialmente ed espressamente deroghiamo. Dato in Roma nel nostro palazzo di S. Pietro, questo di 8 di gennaio 1622. — GREGORIUS PAPA XV.

Nos, mandata praedicta eiusdem S. D. N. ut tenemur exequi, debitaeque[2] exquutioni demandare, vobisque etiam specialem gratiam facere volentes, de mandato S. D. N. Papae vivae[3] vocis oraculo super hoc nobis facto, et auctoritate nostri camerariatus officii, ac in exequutionem, et vigore praeinserti chirographi, et iuxta illius formam, continentiam, et tenorem vobis perillustribus[4] DD. iudici et magistratui Sapientum dictae civitatis Ferrariae gabellam in praeinserto chirographo latius enunciatam et expressam, ac modis et formis, de quibus et prout in eo, imponendi, eamque libere et licite et impune, et absque aliquo[5] poenarum et seu censurarum incursu exigendi, et exigi faciendi, illamque affictandi, arrendandi

1 Edit. Main. habet *a' quali tutte e singole* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *debitaque* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *viva* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *per illustris* (R. T.).
5 Edit. Main. legit *aliqua* (R. T.).

et appaltandi personae seu personis, ac pro pretio, tempore et responsione annuâ reperiendâ, et eo modo et formâ quibus solet fieri circa alias gabellas dictae illustris civitatis, emolumentaque et responsionem ex praescriptâ gabellâ redigenda et provenientia communitati eiusdem civitatis pro solutione et extinctione aeris alieni et debitorum, seu pro aliâ re utili et necessariâ dictae civitati et iuxta illud quod ab illustrissimo domino cardinali legato nunc et pro tempore existenti et a vobis perillustribus dominis iudice ac magistratu Sapientum magis expediens et opportunum iudicatum fuerit, applicandi facultatem, auctoritatem et omnimodam potestatem desuper necessariam et opportunam concedimus et impertimur, sicut etiam idem S. D. N. in praeinserto chirographo concessit, et impertitus fuit. Quocirca de mandato et auctoritate similibus, ac praeinserti chirographi vigore, illiustrissimum et reverendissimum D. Iacobum S. R. E. presbyterum cardinalem Serram, pro eodem S. D. N. Papâ, Sanctâque Sede Apostolicâ, in dictâ civitate Ferrariae et eius ducatu et Statu et illius totâ provinciâ de latere legatum, attente in Domino rogamus; eius vero R. P. D. vicelegato, ceterisque officialibus et iustitiae ministris quibuscumque committimus et mandamus, quatenus vobis, dictaeque civitati et communitati, dictaeque gabellae arrendatoribus et appaltatoribus in praemissis efficacis defensionis praesidio assistant, praesentes nostras, et contenta in dicto chirographo observent et exequantur, et per eos, ad quos spectat, observari et exequi mandent, curent et faciant; non permittentes contra illius et illarum formam et tenorem vos et dictam civitatem et communitatem a quoquam desuper molestari et impediri. Non obstantibus omnibus iis, quae dictus Sanctissimus Dominus noster in chirographo praedicto voluit non obstare, ceterisque in contrarium quibuscumque. In quorum fidem, etc. Datum Romae in camerâ apostolicâ anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi MDCXXII, indictione v, die x mensis maii, pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Gregorii divinâ providentiâ Papae XV anno II. Pro illustrissimo D. cardinali camerario, M. Ant. Card. Gozadinus. O. Garzad. Ita est. Felix de Totis N. camerae apostolicae notarius.

Cardinalis Ludovisii litteras ratas habet Pontifex.

§ 2. Nunc autem, vos amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus vestro nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, vobis, ut eamdem gabellam etiam super quolibet armento et quolibet pecude extero, quae toto anni tempore in planitiebus et agris ducatus nostri Ferrariensis non degunt, sed ad hibernandum dumtaxat inibi ducuntur, cuiuscumque illa sint domini, imponere, illamque sic impositam libere et licite ac impune et absque aliquo poenarum vel censurarum ecclesiasticarum incursu exigere, seu exigi facere, eamque affictare, arrendare, appaltare et de illâ disponere, servatâ aliâs in omnibus et per omnia chirographi et litterarum huiusmodi formâ et tenore, possitis et valeatis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in dicto chirographo volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum

sub annulo Piscatoris, die XXVII ianuarii MDCXXIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 25 ianuarii 1623, pontif. an. II.

XCVIII.

Revocatio quarumcumque praecedentiarum, seu paternitatum, fratribus Minoribus S. Francisci de Observantiâ, praeter constitutiones Ordinis auctoritate apostolicâ confirmatas, concessarum.

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii nobis divinitus iniuncti assidua sollicitudo nos admonet, ut omni curâ et vigilantiâ ad ea semper intendamus, per quae regularium personarum, quae, relicto seculo, Dei obsequio sese dedicarunt, quieti, felicique statui ac regularis disciplinae conservationi consulitur, ut regulares ipsae personae iuxta regularia suorum Ordinum instituta tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

Revocatio, de qua in rubrica. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, ex nimiâ privilegiorum, praerogativarum, atque exemptionum fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ, qui in dicto Ordine aliqua munia obierunt, seu aliàs, tam a Sede Apostolicâ, quam ab eiusdem Ordinis superioribus concessarum multitudine, non levia inconvenientia oriantur, in regularis observantiae et disciplinae detrimentum; nos, inconvenientibus huiusmodi, quantum cum Domino possumus, obviare cupientes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas paternitates et praecedentias, quibusvis dicti Ordinis fratribus ex privilegio, tam per Sedem Apostolicam, quam dicti Ordinis superiores, ex quacumque causâ, et sub quibuscumque verborum tenore et formis quomodolibet concessas, salvis tamen et in suo robore remanentibus iis, quae fratribus praedictis ex dispositione statutorum dicti Ordinis apostolicâ auctoritate confirmatorum concessa sunt, tenore praesentium revocamus, cassamus et abrogamus: ac revocatas, cassatas et abrogatas esse et fore, nec illas de cetero cuiquam suffragari posse;

Clausula sublatâ. § 2. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae. § 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III februarii MDCXXIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 februarii 1623, pontif. an. II.

XCIX.

Communicatio, et extensio privilegiorum, immunitatum et exemptionum, gratiarum, indultorum, tam in spiritualibus quam in temporalibus, quibusvis aliis, tam Mendicantium, quam non Mendicantium Ordinibus, per quoscumque Romanos Pontifices concessorum et in

futurum concedendorum, ad sacrum Ordinem Carthusiensem[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ad uberes et suaves fructus, quos dilecti filii prior generalis et monachi Ordinis Carthusiensis in militanti Ecclesiâ, cuius regimini divinâ disponente clementiâ praesidemus, in dies afferunt, mentis nostrae aciem convertentes, ac uberiores ex ipso Ordine fructus proventuros esse sperantes, ad ea merito libenter intendimus, per quae Ordo huiusmodi felicioribus in dies proficere valeat incrementis.

Communicatio de quâ in rubrica.

§ 1. Ut igitur prior generalis et monachi praedicti eo ferventius in suo laudabili instituto perseverent, quo maioribus se viderint favoribus et gratiis munitos, providere volentes, ac singulares prioris generalis et monachorum praedictorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, Ordini praedicto, illiusque priori generali et monachis, aliisque personis, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibusvis aliis, tam Mendicantium quam non Mendicantium, Ordinibus, illorumque superioribus, abbatibus, monachis, aliisque regularibus personis, necnon ecclesiis, monasteriis et regularibus locis, etiam per viam communicationis vel extensionis, aut aliàs quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, quomodolibet concessis, et in futurum concedendis, et quibus ipsi, nec non ecclesiae, monasteria, et regularia loca huiusmodi de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut concessione apostolicâ, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, seu aliàs quomodolibet, utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen sint in usu et non sint revocata aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis aut constitutionibus apostolicis non repugnent, pari modo, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, et aeque principaliter, perinde ac si illis nominatim et in specie concessa fuissent, uti, frui et gaudere libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus; dictaque privilegia, immunitates, exemptiones, gratias et indulta primodicto Ordini, illiusque priori generali et monachis, aliisque personis, necnon eorum ecclesiis, monasteriis et regularibus locis communicamus, illaque ad eos et illa extendimus.

Clausulae praeservativae huius Constitutionis.

§ 2. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac primodicto Ordini, illiusque priori generali et monachis, ac personis huiusmodi in omnibus et per omnia plenissime suffragari.

Clausula sublata.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

[1] De hoc Ordine, et eius approbatione vide in Const. LXXXVIII Alexandri III *Cum vos*, tom. II, pag. 798; et institutionem festivitatis sancti Brunonis confessoris dicti Ordinis istitutoris, ac officii sub ritu semiduplici celebrandi habes hic infra Const. CII huius Pontificis, pag. 789.

Clausula derogatoria.

§ 4. Non obstantibus nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III februarii MDCXXIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 februarii 1623, pontif. anno II.

C.

Iubilaei concessio Christifidelibus Armeniae, ad quos mittuntur missionarii Ordinis Praedicatorum [1].

Gregorius Papa XV,

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Pastoris aeterni, qui pro gregis salute in arâ crucis immolari voluit, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ac inter ceteras gravissimas curas de commissarum nobis ovium salute assidue cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quae eorum pietas et devotio, animarumque salus maiora suscipere valeant incrementa.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Causae huiusce iubilaei indicendi.

§ 1. Cum itaque dilecti filii nonnulli Ordinis fratrum Praedicatorum professores in Armeniam, ad fidem catholicam propagandam, animarumque christifidelium illarum partium salutem procurandam, iussu nostro propediem, benedicente Domino, profecturi [1] sint; nos, eorumdem christifidelium animarum saluti paternâ charitate prospicere cupientes, necnon, ut hac Apostolicae Sedis gratiâ invitati orationibus, ieiuniis et aliis piis operibus ferventius intenti existant, caelestes Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, ibi erogandos duximus.

Concessio indulgentiarum cum praescriptione operum, etc.

§ 2. Itaque, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam Deus nobis (licet indignis) contulit, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus earumdem Armeniae partium, qui tribus diebus primae vel secundae hebdomadae, post praesentium notitiam, ieiunaverint, et expleto ieiunio huiusmodi, praeviâ sacramentali confessione sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et pauperibus aliquam eleemosynam eorum arbitrio erogaverint, necnon, die de quo a dictis religiosis moniti fuerint, ecclesiam seu ecclesias ad hoc ab Ordinariis locorum designandas devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Confessariis concessae facultates.

§ 3. Ut autem iidem christifideles praemissa peragentes huius pretiosissimi thesauri participes fieri facilius possint, religiosis praedictis, et aliis sacerdotibus

1 Perperam edit. Main. legit *professuri* (R. T.).

catholicis, et in communione S. R. E. viventibus, dummodo sint ab Ordinariis approbati, quod, ad hunc effectum dumtaxat, christifidelium huiusmodi confessionibus diligenter auditis, illos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis causâ latis vel inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam per litteras die Coenae Domini legi consuetas, atque alias quascumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones[1] quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice dumtaxat, absolvere et liberare; et insuper vota quaecumque (castitatis et religionis exceptis) in alia pia et salutaria opera (iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet, in supradictis omnibus casibus, poenitentiâ salutari, et aliis iniungendis) commutare libere et licite valeant, licentiam et facultatem tribuimus et impertimur.

Reservatio nonnullarum facultatum.

§ 4. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quocumque modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam iis, qui a nobis, et Sede Apostolicâ, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, vel interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, vel qui ob violationem interdicti ecclesiastici, quovis modo factam, in excommunicationis vel alias censuras ecclesiasticas inciderint, nisi infra tempus celebrationis huius iubilaei satisfecerint, ac mandatis Ecclesiae paruerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

[1] Edit. Main. legit *constitutionibus* (R. T.).

Iussio praesentes publicandi.

§ 5. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus et mandamus omnibus et singulis religiosis praedictis, atque aliis ad quos spectat de Ordinarii loci licentiâ, ut praesentium litterarum transumpta per loca, ubi necesse fuerit, publicent et publicari permittant, et illas publicari curantibus faveant, ac in Domino suffragentur.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei indulgentiarum et facultatum concessiones, nisi de illis expressa mentio et specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§ 7. Volumus autem, ut praemissa adimplentes semel tantum huiusmodi indulgentiam et peccatorum remissionem consequantur, utque etiam praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV februarii MDCXXIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 februarii 1623, pontif. an. II.

CI.

Confraternitatem Ss. Benedicti et Scholasticae, a Paulo V erectam, erigit in archiconfraternitatem, cum facultate

alias confraternitates aggregandi, illisque indulgentias et gratias spirituales communicandi[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pias christifidelium confraternitates, ad pietatis et christianae charitatis opera exercenda praesertim in almâ Urbe nostrâ canonice institutas, ut in eorumdem piorum operum exercitio magis accendantur et confoveantur, titulis et gratiis amplioribus libenter decoramus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Confraternitatem a Paulus V erectam,

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs in ecclesiâ sancti Eustachii de Urbe, una pia utriusque sexus christifidelium confraternitas sub S. Benedicti et S. Scholasticae invocationibus per felicis recordationis Paulum Papam V praedecessorem nostrum apostolicâ auctoritate erecta et instituta fuerit, ac dilecti filii illius officiales et confratres in quamplurimis pietatis et charitatis operibus sese exercere consueverint, et in dies magis Deo dante exercere intendant:

Hic Pontifex in archiconfraternitatem erigit.

§ 2. Nos, confraternitatem praedictam, quo maiora in dies suscipere valeat incrementa, hoc speciali dono illustrare, ac officiales et confratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine. quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, confraternitatem praedictam sic, ut praefertur, erectam et institutam, in archiconfraternitatem (sine tamen cuiusquam praeiudicio) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, erigimus et instituimus, ac imposterum archiconfraternitatem S. Benedicti et S. Scholasticae nuncupari posse decernimus.

Cum facultate alias confraternitates aggregandi, ac indulgentias et gratias spirituales illis communicandi.

§ 3. Praeterea officialibus et confratribus praedictis nunc et pro tempore existentibus, ut quascumque alias confraternitates eiusdem denominationis et instituti canonice erectas aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias ac gratias spirituales, eorum archiconfraternitati huiusmodi dictâ apostolicâ auctoritate concessas, servatâ tamen formâ constitutionis piae memoriae Clementis Papae VIII praedecessoris nostri desuper editae[1], ac sine cuiusquam pariter praeiudicio, communicare libere et licite valeant, auctoritate et tenore praefatis facultatem concedimus et impartimur.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV februari MDCXXIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 februarii 1623, pontif. an. II.

CII.

Institutio festivitatis S. Brunonis confessoris fundatoris Ordinis Carthusianorum sub semiduplici ritu, die VI octobris ubique terrarum celebrandae, et in breviario, missali et calendariis imposterum imprimendis apponendae[2].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Domini nostri Iesu Christi, qui servos suos aeternae gloriae praemio donat in

1 Erectionem huius confraternitatis factam per Paulum V habes in Const. CCLIV *Pastoris* (in h. n. edit. CCLXXIII, supra, pag. 337 huius tomi).

1 Quam habes in tom. XI, pag. 138 (R. T.).

2 De huius Ordinis approbatione et aliis eum concernentibus vide Const. LXXXVIII Alexandri III *Cum vos*, tom. II, pag. 798.

caelis, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, ex iniuncto nobis pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem servorum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur, et laudetur Dominus in Sanctis suis; quamobrem fidelium quorumlibet praesertim vero sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium votis, quae peculiarem Sanctorum huiusmodi cultum et venerationem respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Institutio festivitatis sancti Brunonis die VI octobris celebrandae sub ritu semiduplici.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Bernardi Gazzi Ordinis Carthusiensis procuratoris generalis nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus festum sancti Brunonis, eiusdem Ordinis fundatoris, die VI octobris, qua in caelum evolavit, in missali et breviario romano reponi, officiumque de eo semiduplex ab omnibus ubique fidelibus recitari libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Deputatio exequutorum.

§ 2. Quo circa venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ceterisque ecclesiarum praelatis in universo terrarum orbe constitutis praecipimus et mandamus, ut in suis quisque ecclesiis, provinciis et dioecesibus, praesentes litteras solemniter publicari, et ab omnibus ecclesiasticis personis secularibus et quorumvis Ordinum regularibus omnino observari faciant.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum. sub annulo Piscatoris, die XVII februarii MDCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 17 februarii 1623, pontif. an. III.

CIII.

Suppressio curae animarum in parochiali ecclesiâ sancti Pantaleonis de Urbe, et illius applicatio ecclesiae S. Eustachii, eiusque concessio congregationi clericorum regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum de Urbe [1].

Gregorius Papa XV.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Regimini universalis Ecclesiae meritis licet imparibus, disponente Domino, praesidentes, votis illis per quae congregationum et aliorum locorum piorum quorumlibet, praesertim in almâ Urbe nostrâ studio piorum operum vacantium, prospero statui et opportunae subventioni, cum divini cultus augumento, ac ipsâ spirituali fidelium consolatione, valeat salubriter provideri, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Narratur reservatio omnium beneficiorum cum cura vacantium et vacaturorum Sedi Apostolicae.

§ 1. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, apud Sedem Apostolicam tunc vacantia, et in antea vacatura, collationi et dispositioni

1 Usum perpetuum dictae ecclesiae, sine tamen rectoris pro tempore existentis praeiudicio, concesserat Paulus V in sua Const. CCL (supra pagina 265 h. t.); Congregationi clericorum secularium Matris Dei, quam instituerat ad opus erudiendi scholares, ut in Const. CCXXV *Inter* (in h. n. edit. CCXLII. sup. pag. 243 huius tomi); quae cum postea renuisset dictum opus administrare, ideo idem Paulus erexit aliam Congregationem clericorum regularium, cui dictum opus commisit, ut in Const. CCLXVIII *Ad ea* (in h. n. edit. CCLXXXVII, sup. pag. 382); quam postea iste Pontifex multis gratiis decoravit, ut in Const. XXXVIII *In supremo*, ut sup. pag. 608.

nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus supra his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Et ad praesens ecclesiae sancti Pantaleonis in regione Parionis de Urbe existentis, per resignationem a parocho factam vacantis.

§ 2. Cum itaque postmodum perpetua vicaria parochialis ecclesiae S. Pantaleonis regionis Parionis de eâdem Urbe (cuius, dum pro tempore vacat, nominatio personae idoneae ad dilectos filios capitulum et canonicos ecclesiae S. Eustachii de dictâ Urbe, cuius mensae capitulari ipsa ecclesia S. Pantaleonis perpetuo unita existit, expectare dignoscitur), per liberam resignationem dilecti filii Alexandri Lutii nuper dictae ecclesiae S. Pantaleonis perpetui vicarii de illâ, quam tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud Sedem eamdem vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de illâ praeter nos hac vice disponere potuit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis;

Cuius ecclesiae usum iam antea concesserat Paulus V clericis regularibus Matris Dei pro scholarium commoditate.

§ 3. Et, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum praepositi generalis, et clericorum Congregationis Matris Dei nuncupatae de dictâ Urbe petitio continebat, quod dicta ecclesia S. Pantaleonis in regione Scholarum Piarum in eâdem Urbe dudum institutarum sita sit; proinde, quod aliàs felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster praepositi et clericorum huiusmodi, quibus cura et administratio dictarum Scholarum iam antea ab ipso praedecessore perpetuo commissa et demandata fuerat, ac scholarium easdem scholas frequentantium commodis et opportunitatibus, quo piis eorum exercitiis facilius vacare possent, providere volens, perpetuum usum ipsius ecclesiae S. Pantaleonis praeposito et clericis praedictis concesserit et assignaverit, prout in suis litteris desuper in formâ Brevis confectis plenius continetur[1];

In qua tamen ob curae animarum exercitium varia et non modica oriuntur impedimenta praesertim in exercitiis spiritualibus ipsorum clericorum.

§ 4. Praepositus vero et clerici praedicti ipsâ ecclesiâ S. Pantaleonis, ratione curae animarum quae illi incumbit et ibi exercetur, et prout eorum et scholarium praedictorum necessitas exigit, minime uti possint, et ex huiusmodi curae exercitio varia passim impedimenta et incommoda, praesertim in exercitiis eorum spiritualibus obeundis, pati et experiri soleant;

Quae ut tollantur,

§ 5. Si igitur dicta vicaria (cuius fructus et proventus in portione sexaginta scutorum monetae per capitulum et canonicos praedictos annuatim persolvi solitâ, ultra emolumenta ratione exercitii curae et administrationis sacramentorum provenientia, consistunt) perpetuo supprimeretur et extingueretur, ac ab ipsâ ecclesiâ S. Pantaleonis omnimoda animarum huiusmodi cura abdicaretur, sicque abdicata ad praedictam ecclesiam S. Eustachii, quae etiam parochialis existit, in eâ, modo et formâ inferius expressis, exercenda trasferretur, et[1] alia fierent quae sequuntur; procul dubio incommoda et impedimenta huiusmodi opportunâ et salubri ratione magno scholarum et congregationis praedictarum bono tollerentur, et cura animarum praedictarum nullatenus negligeretur, sed aeque bene, vel etiam melius et fructuosius quam antea exerceretur, divinusque cultus inde in dictâ ecclesiâ S. Pantaleonis non modicum augeretur;

Dicti clerici regulares Papam supplicant pro parochiae suppressione.

§ 6. Quare pro parte praepositi et clericorum praedictorum (asserentium fructus, redditus et proventus dictae vicariae quinquaginta ducatorum auri de camerâ, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedere), nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus dictae ecclesiae S. Pantaleonis usum eidem Congregationi concedere et assignare, aliisque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur;

1 Huiusmodi Breve retulimus sup. pag. 265 (R. T.).

1 Praep. *et* nos addimus (R. T.).

Qui petitis annuit;

§ 7. Nos igitur (qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum aestimationem praedictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, idemque observaretur in quibusvis applicationibus de quibusvis fructibus et bonis ecclesiasticis; quique divini cultus augumentum et propagationem sinceris exoptamus affectibus), ipsum praepositum ac Congregationis huiusmodi singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vicariam praedictam (sive praemisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque personae, seu per similem resignationem dicti Alexandri, vel cuiusvis alterius, de illâ in Romanâ curiâ vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem piae memoriae Ioannis Papae XXII etiam praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collati, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod illius collatio, iuxta Laterani statuta Concilii, sit[1] ad Sedem praedictam devoluta legitime, ipsaque vicaria dispositioni apostolicae specialiter vel aliàs generaliter reservata existat, et super eâ inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat[2] indecisa, dummodo illius dispositio ad nos hac vice pertineat) illiusque ac in ipsâ ecclesiâ S. Pantaleonis perpetui vicarii titulum et denominationes apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus;

1 Edit. Main. legit *est* (R. T.).

2 Erronee ibid. legitur *pendi* (R. T.).

Curamque ipsam applicat ecclesiae sancti Eustachii.

§ 8. Illisque sic suppressis et extinctis, ab eâdem ecclesiâ S. Pantaleonis omnimodam animarum illius parochianorum curam, aliaque iura, officia et onera parochialia universa, et illorum exercitium, etiam perpetuo abdicamus[1], ac illa omnia etiam unâ cum utriusque sexus parochianis praedictis ad dictam ecclesiam sancti Eustachii, in eâ ut infra exercenda et obeunda, similiter perpetuo transferimus;

Et ecclesiam sancti Pantaleonis cum illius aedibus parochialibus dictae Congregationi concedit.

§ 9. Dictam autem ecclesiam S. Pantaleonis, sic ab huiusmodi curâ, iuribus, officiis, oneribus et exercitiis parochialibus liberam et exemptam, illiusque aedes seu stantias parochiales pro dicti vicarii habitatione destinatas et eidem contiguas et cohaerentes, quoad liberum et perpetuum illarum usum dumtaxat, dictae Congregationi (ita quod liceat illius praeposito et clericis, nunc et pro tempore existentibus, corporalem, realem et actualem possessionem, quoad usum huiusmodi tantum, per se, vel alium, seu alios, eorum seu praedictae Congregationis nomine, propriâ auctoritate ex nunc apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, vicarii dictae Urbis vel alterius cuiusvis licentiâ minime requisitâ;

Cum facultate ibidem sacra faciendi, ac alia omnia secundum eiusdem Congregationis institutum,

§ 10. Necnon in ipsâ ecclesiâ S. Pantaleonis missas, aliaque divina officia quaecumque celebrare et decantare, ac spiritualia exercitia per clericos ipsius Congregationis fieri solita similiter facere, et aliàs eidem in divinis ex instituto eiusdem Congregationis deservire) auctoritate et tenore praemissis pariter perpetuo concedimus et assignamus.

Necnon restaurandi, ac etiam de novo a fundamentis construendi.

§ 11. Et insuper, pro felici, prosperâque omnium praemissorum exequutione, di-

1 Perperam edit. Main. legit *applicamus* (R.T.).

rectione et complemento, quod[1] praepositus et clerici dictae Congregationis, nunc et pro tempore existentes, dictam ecclesiam S. Pantaleonis quandocumque et quotiescumque voluerint, et illis benevisum fuerit, pro liberâ et absolutâ eorum voluntate et arbitrio instaurare, reparare, accomodare, ampliare ac in quamcumque aliam formam immutare, et etiam de novo a fundamentis construere libere et licite valeant;

Cum obligatione solvendi quotannis viginti libras cerae et duodecim scuta ecclesiae sancti Eustachii.

§ 12. In signum tamen recognitionis praesentis concessionis quotannis in perpetuum capitulo et canonicis praedictis in die festo S. Eustachii viginti libras cerae Venetae, et duodecim scuta monetae solvere;

Provisio circa curae animarum exercitium capitulo et canonicis sancti Eustachii demandatur.

§ 13. Vicarius autem perpetuus dictae ecclesiae S. Eustachii, nunc et pro tempore existens, curam animarum dictorum parochianorum, officiaque et onera sic translata exercere et obire; capitulum vero et canonici praedicti illi de coadiutore idoneo et ad curam animarum exercendam ab ipso Urbis praefatae vicario examinato et approbato, qui ad nutum eorumdem capituli et canonicorum amovibilis sit, ipsumque vicarium perpetuum ecclesiae S. Eustachii in exercitio curae animarum illi incumbentis, et praesertim in casibus animas parochianorum, infra limites ubi de praesenti parochiâ S. Pantaleonis dictae ecclesiae existit pro tempore habitantium, concernentibus, coadiuvet, providere teneantur;

Calices et alia supellectilia sacristiae sancti Pantaleonis reservantur capitulo et canonicis sancti Eustachii.

§ 14. Omniaque paramenta, calices et alia supellectilia, ad sacristiam eiusdem ecclesiae S. Pantaleonis pertinentia, capitulo et canonicis cedere, et eisdem, post dicti Alexandri ab ipsâ ecclesia S. Pantaleonis discessum, consignare, ac praedicta portio annua sexaginta scutorum monetae vicario perpetuo dictae ecclesiae S. Pantaleonis, ut praefertur, solvi, et omnes aliae expensae per dictos capitulum et canonicos in ipsâ ecclesiâ S. Pantaleonis quomodocumque fieri solitae penitus et omnino cessare, illaeque ad liberam dispositionem eorumdem capituli et canonicorum, tamquam proprii et peculiares eorum redditus, remanere debeant;

Canonicis, ut possint clericorum officiis interesse et assistere facultas tribuitur.

§ 15. Et quotiescumque capitulum et canonici praedicti in die festo ipsius sancti Pantaleonis primis vesperis et missae solemni in dictâ ecclesiâ S. Pantaleonis decantandis, ut illis mos est, intervenerint, clerici dictae Congregationis pro tempore existentes illos honorifice recipere, et tamquam dominos recognoscere teneantur;

§ 16. Praeterea dominium et iurisdictionem dictae ecclesiae S. Pantaleonis ad praesens dicti capitulum et canonici habent[1] eisdem capitulo et canonicis, etiam unâ cum omnibus redditibus, proventibus et emolumentis, quae dictus Alexander in eâ tamquam perpetuus vicarius ipsius ecclesiae S. Pantaleonis percipit, et aliis iuribus quibuscumque praesentibus et futuris quae ad ipsos capitulum et canonicos expectant, firme et continuate remanere censeatur;

Iurisdictioque et dominium dictae ecclesiae sancti Pantaleonis cum suis iuribus ipsis canonicis reservatur.

§ 17. Et si dictam ecclesiam S. Pantaleonis in toto vel parte fabricari[2] contigerit, etiam si facies eius non immutetur, in eâ tamen insignia et arma S. Eustachii in lapide marmoreo collocari;

Ecclesia, si de novo aedificabitur, quomodo debeat fieri.

§ 18. Et reliquiae, quae de praesenti in dictâ ecclesiâ S. Pantaleonis reperiuntur, apud eamdem de cetero remanere, et in eâ bene et decenter sub duabus clavibus, quarum unam clerici dictae Congregationis, alteram vero capitulum et

1 Syntaxis deinceps pendet a verbis *statuimus et ordinamus* in fine § 22 (R. T.).

1 Heic emendationis opus est. Itaque lege: *Praeterea dominium et iurisdictio dictae ecclesiae S. Pantaleonis, quam ad praesens dicti capitulum et canonici habent, eisdem capitulo et canonicis* ... etc. (R. T.).

2 Edit. Main. legit *fabricare* (R. T.).

canonici praedicti habeant, custodiri et asservari[1], piaque et devota consuetudo praebendi aquam bibendam, in quam reliquiae eiusdem sancti Pantaleonis remissae sint, in ipsâ ecclesiâ S. Pantaleonis hucusque recepta, etiam imposterum in eamdem retineri et servari;

Expensas vero pro conservatione dictae ecclesiae ad dictos clericos omnimode pertinere declarat.

§ 19. Omnes vero et singulae expensae, quas, tam in aptando dictam ecclesiam S. Pantaleonis, quam in tectorum, murorum, statutorum, e latere et silice pavimentorum manutentione, et aliàs circa dictam ecclesiam S. Pantaleonis fieri contigerit, ad dictam Congregationem in omnibus et per omnia pertinere debeant; illiusque praepositus et clerici nunc et pro tempore existentes, neque ob id, neque ex causâ contributionis, vel quarumcumque aliarum impensarum, quas in paramentis, platenis, calicibus, linteaminibus[2], cerâ, oleo, et quibusvis aliis rebus pro usu et servitio dictae ecclesiae S. Pantaleonis necessariis et decentibus subire opus fuerit, aliquid a capitulo et canonicis praedictis pretendere;

Cum prohibitione situm, aut cappellas alicui quomodolibet concedendi sine dictorum canonicorum consensu.

§ 20. Minusque cuiquam ullum situm aut locum quantumvis minimum eiusdem ecclesiae S. Pantaleonis, aut cappellas, vel altaria in illâ existentia, confraternitatibus, seu congregationibus, aut quibuscumque aliis, sine dictorum capituli et canonicorum licentiâ, concedere, nec quidquam aliud, quod ullo umquam tempore iurisdictioni et directo dominio capituli et canonicorum praedictorum, directe vel indirecte, praeiudicare vel obesse possit, facere queant; et si quid tale fecerint, id nullum et invalidum esse censeatur eo ipso, dictique capitulum et canonici illud propriâ auctoritate revocare possint, et cappellae, que in ipsâ ecclesiâ S. Pantaleonis fundatae reperiuntur, sive sint de iure patronatus, sive non sint, in primaevis earum iuribus remanere, et dispositioni Ordinarii subiacere;

Sepulturarum et sepeliendorum modus et ius decernit.

§ 21. Eisdemque capitulo et canonicis ius sepeliendi mortuos in dictâ ecclesiâ S. Pantaleonis competere debeat, dicta vero Congregatio, illiusque praepositus et clerici pro tempore existentes ibidem suas sepulturas habere, in eisque corpora tam suorum pro tempore defunctorum, quam aliorum, qui ibi ex particulari devotione condi voluerint, sepulchra[1] facere, et lapides cum scriptionibus huiusmodi tantum superimponere valeant, et similiter, qui ius sepulturarum in dictâ ecclesiâ S. Pantaleonis habent, illud eis reservatum et salvum esse censeatur;

§ 22. Et, si Congregatio, illiusque praepositus et clerici praefati a dictâ ecclesiâ S. Pantaleonis recesserint, illamque[2] ex quacumque causâ reliquerint, tunc et eo casu illa etiam quoad usum etiam unâ cum omnibus fabricis et structuris ac ornamentis in eâ factis mensae capitulari praefatae, ut prius, unita et incorporata sit et esse censeatur; ac Congregatio, illiusque praepositus et clerici praefati ratione illorum quidquam praetendere vel petere non possint, itidem perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausulae praeservativae huius Constitutionis.

§ 23. Decernentes, praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogatonibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque praefatam, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, pro tempore quomodolibet factis minime[3] comprehendi vel confundi, sed semper ab illis excipi, et,

1 Ed. Main. legit *custodire et asservare* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *linteanibus* (R. T.).

1 Legendum foret *sepeliri* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *illaque* (R. T.).
3 Vocem *minime* certe necessariam nos addimus (R. T.).

quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam, sub quacumque posteriori datâ, per praepositum et clericos dictae Congregationis pro tempore existentes quandocumque eligendâ, concessas[1] esse et fore, eisdemque perpetuo suffragari;

Decretum irritans.

§ 24. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarun palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, dictaequae Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 25. Non obstantibus Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque quibusvis apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibusque et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, si in aliquo obstent, vicariae perpetuae per praesentes suppressae et extinctae erectione et institutione, aliàs per recolendae memoriae Pium Papam V similiter praedecessorem nostrum motu proprio factis, ac dictae ecclesiae S. Pantaleonis fundatione et dotatione, illiusque ac dictae ecclesiae S. Eustachii (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 26. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, suppressionis, extinctionis, abdicationis, translationis, concessionis, assignationis, statuti, ordinationis, decretorum et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII[1], VII kalendas martii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 februarii 1623, pont. anno III[2].

1 Erronee edit. Main. legit *concessa* (R. T.).

CIV.

Contra maleficos et sortilegos, cum diabolo pactum facientes, a fideque apostatando alios laedentes[3].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Omnipotentis Dei Salvatoris nostri, qui, ut hominem a laqueis diaboli liberaret[4], crucem subire dignatus est, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, in id summo studio, iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, incumbimus, ut gregem Dominicum, inaestimabili pretio redemptum, adversus satanae fraudes defendamus, eiusdem officii partes desuper interponendo, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Maleficos et sortilegos, de quibus in rubricâ, detestatur.

§ 1. Sane nonnulli, suae conditionis obliti, et solemnis sponsionis ab iis factae, cum in Christi gregem per sacrum regenerationis lavacrum adsciti fuerunt, satanae, cui renunciarunt, artibus, maleficiis, superstitionibus ac nefariis inventis operam dare non verentur; quinimo, magistrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus prosequitur, hominibus insidiari numquam cessat, proximum va-

1 Perperam edit. Main. legit *millesimo sexagesimo secundo* (R. T.).

2 Huc edit. Main. addit Breve Pauli V quod nos iam supra retulimus pag. 266 huius tomi (R. T.).

3 De hac materia habes Const. I Innocentii VIII *Summis*, tom. V, pag. 296; Leon. X Const. XLVIII *Honestis*, ibid. 766; Hadriani VI Const. VI *Dudum* tom. VI, pag. 24; Sixti V Const. XXVI *Caeli* tom. VIII, pag. 646.

4 Edit. Main. legit *liberare* (R. T.).

riis modis laedere, animas vero suas perdere non timent.

Gravissimas eis poenas infligit.

§ 2. Quapropter, ut tam exitiosa scelera a christifidelibus arceantur, gravioribus poenis vindicanda duximus. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium decernimus, praecipimus et mandamus, ut, constito quod aliquis pactum cum diabolo fecerit, et a fide apostatando maleficiis sive sortilegiis unam seu plures personas ita laeserit, ut ex maleficio vel sortilegio mors sequuta sit, etiam pro primo lapsu, curiae seculari tradatur, debitis poenis puniendus; qui vero similiter apostatando pactum cum diabolo, ut praefertur, fecerit, et maleficium seu sortilegium commiserit, ex quo, licet mors sequuta non sit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, sive animalibus, frugibus vel aliis fructibus damnum notabile provenerit, muro claudi, sive perpetuis carceribus, in sancto inquisitionis officio, ubi illud existit, fabricandis, mancipari debeat.

Delinquentes istos episcopo vel inquisitori denunciari mandat.

§ 3. Qui vero similium delinquentium notitiam habuerint, eos episcopo sive inquisitori denunciare teneantur.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae;

Hanc legem in Urbe publicatam omnes ubique ligare declarat.

§ 6. Quodque eaedem praesentes, postquam in valvis basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe et cancellariae apostolicae, necnon in acie Campi Florae affixae fuerint, omnes et singulos, ad quos spectat, arctent et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX martii MDCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 20 martii 1623, pontif. an. III.

CV.

Abdicatio curae animarum a parochiali ecclesiâ S. Andreae de Funariis de Urbe, ac eius translatio ad parochialem ecclesiam S. Nicolai similiter de Funariis, seu alteram viciniorem ecclesiam, eiusque concessio confraternitati sculptorum et lapicidarum, sub invocatione Ss. Quatuor Coronatorum in Urbe olim institutae.

Gregorius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Regimini universalis Ecclesiae, meritis licet imparibus, disponente Domino, praesidentes, votis illis, per quae confraternitatum et aliorum piorum locorum quorumlibet prospero statui et opportunae obventioni, cum divini cultus augmento ac christifidelium spirituali consolatione, valeat salubriter provideri, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Pontifex reservavit sibi omnia beneficia cum curâ et sine curâ vacantia et vacatura.

§ 1. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, apud Sedem Apostolicam tunc vacantia, et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Modo ecclesia parochialis sancti Andreae de Funariis ab eiusdem rectore resignata fuit Pontifici.

§ 2. Cum itaque postmodum parochialis ecclesia S. Andreae de Funariis nuncupata de Urbe, quae ab ecclesia S. Marci de eâdem Urbe tamquam eius matrice de-

pendet, per liberam resignationem dilecti filii Pompilii Silvestri presbyteri perpetui beneficiati in ecclesiâ Senensi, et nuper primodictae ecclesiae rectoris, de illâ, quam tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam, et per nos admissam, apud Sedem eamdem vacaverit, et vacet ad praesens, nullusque de illâ praeter nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis:

Ac confratres Ss. Quatuor Coronatorum asserunt habere unam ecclesiam angustam prope monasterium monialium Ss. Quatuor Coronatorum pro eorum functionibus obeundis incommodam,

§ 3. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum gubernatoris et confratrum confraternitatis Ss. Quatuor Coronatorum de dictâ Urbe petitio continebat, quod primodicta ecclesia fonte baptismali careat et in suis structuris et aedificiis satis angusta, curaque animarum illi incumbens exigua erat, et ad circumvicinas ecclesias transferri, et ab illius rectoribus pro tempore existentibus commode exerceri possit, gubernator vero et confratres praedictae confraternitatis ex sculptoribus et lapicidis coaggregatis unicam ecclesiam, seu cappellam dumtaxat pro omnibus eorum functionibus obeundis habeant, ipsaque ecclesia seu cappella in suis structuris etiam angusta existat, ac monasterio monialium Ss. Quatuor Coronatorum adiaceat, ipsique confratres commode ad illam propter illius distantiam, tum devotionis causâ, tum etiam pro negotiis eorum pertractandis accedere nequeant;

Aliamque ecclesiam sancti Leonardi eis aliàs concessam fuisse, eamdemque demolitam, ac palatio de Patritiis incorporatam reperiri;

§. 4. Et alia ecclesia S. Leonardi de eâdem Urbe, dictae confraternitati aliàs concessa, praeviâ illius profanatione, demolita, et palatio dilecti filii nostri magistri Constantii Patritii camerae apostolicae thesaurarii incorporata reperiatur;

Necnon velle alteram ecclesiam dicti sancti Leonardi nomini dedicare ex quadam pecuniarum summa, ut hic.

§ 5. Ipsique gubernator et confratres certam pecuniarum summam pro pretio dictae ecclesiae S. Leonardi in alterius ecclesiae[1] divo Leonardo dicatae, seu dicandae, acquisitionem convertendam receperint, seu recipere debeant; si igitur primo dicta ecclesia gubernatori et confratribus praedictis, ut infra, concederetur, curaque animarum huiusmodi transferretur, ex hoc procul dubio eiusdem confraternitatis commodis et utilitatibus, ac primo dictae ecclesiae ornatui, divinique cultus in eâ augmento opportunâ ratione consuleretur, nec parochiani illius quicquam detrimenti paterentur;

Quare supplicarunt Pontifici ut dictam ecclesiam sancti Andreae ipsis confratribus concedere et ex fructibus unum simplex beneficium instituere et alia opportuna providere dignetur.

§ 6. Quare pro parte gubernatoris et confratrum praedictorum (asserentium fructus, redditus et proventus primodictae ecclesiae, super quibus pensio annua nonagintaduorum ducatorum auri de camerâ dilecto filio Ioanni Margarino clerico Romano, illam annuatim percipienti, apostolicâ auctoritate reservata reperitur, centum et sexaginta ducatorum similium, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedere) nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus primodictam ecclesiam eidem confraternitati concedere et assignare, ac unum perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum, ut infra, erigere et instituere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Qui modo ab eâ ecclesiâ animarum curam, proventus, nec non onera omnia et alia iura separat, ac dismembrat.

§ 7. Nos igitur (qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum aestimationem praefatam etiam beneficii cui alia uniri peteretur, alioquin unio non valeret; quique divini cultus augmentum et propagationem sinceris exoptamus affectibus), ipsum gubernatorem ac confraternitatis huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat conse-

[1] Erronee edit. Main. legit *ecclesia* (R. T.).

quendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, primodictam ecclesiam, sive praemisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque personâ, seu per similem resignationem dicti Pompilii, vel cuiusvis alterius, de illâ in Romana Curiâ, vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Ioannis Papae XXII praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assequtionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, ac primodicta ecclesia dispositioni apostolicae specialiter vel aliàs generaliter reservata existat, et super eâ inter aliquos lis (cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso) pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, omnimodam illius parochianorum curam, aliaque iura, officia et onera parochialia universa, et illorum exercitium, necnon omnia et singula illius proprietates, fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, in quibusvis rebus consistentia, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo abdicamus, separamus ac dismembramus:

Et animarum curam ad ecclesiam sancti Nicolai de Funariis, si acceptare eam voluerit ipsius rector, aliàs ad viciniorem ecclesiam, cum suis iuribus parochialibus consuetis transfert.

§ 8. Necnon curam ipsam, iura, officia et onera, illorumque exercitium huiusmodi ad ecclesiam S. Nicolai de Funariis etiam nuncupatam primodictae viciniorem, quatenus vero dilectus filius modernus rector dictae ecclesiae S. Nicolai curam huiusmodi acceptare nolit, ad aliam similiter praedictae ecclesiae S. Andreae viciniorem, cuius rector curam huiusmodi acceptare contentus sit, ita quod parochiani primodictae ecclesiae nunc et pro tempore existentes ad praefatam S. Nicolai, seu aliam ecclesiam, ad quam cura huiusmodi transferri contigerit, tamquam propriam eorum parochialem ecclesiam pro missis et aliis divinis officiis audiendis ac sacramentis ecclesiasticis percipiendis, tamquam veri, certi et indubitati illius parochiani accedere, ac illius rectorem uti verum et proprium parochum, et animarum suarum pastorem recognoscere et observare, illique debitam obedientiam et reverentiam exhibere, necnon iura parochialia solita et consueta praestare debeant et teneantur (dummodo ipsius ecclesiae S. Nicolai seu alterius in eius reservationem vicinioris primodictae ecclesiae parochi, et dilectorum filiorum modernorum primodictae ecclesiae parochianorum ad id accedat assensus) dictâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, perpetuo transferimus; cum[1] ipsâ ecclesiâ S. Andreae nomen, titulum et denominationem, ac essentiam parochialis ecclesiae S. Andreae, illiusque rectoris similiter perpetuo supprimimus et extinguimus.

Praedictamque ecclesiam sancti Andreae sic ab omnibus liberam cum Sanctorum reliquiis, ac universa tam sacra, quam profana supellectili, necnon domo rectorali ipso rectore vita functo eidem confraternitati concedit.

§ 9. Et insuper ipsam ecclesiam S. Andreae, sic ab huiusmodi curâ et officiis, iuribus et exercitiis parochialibus liberam et exemptam, ac sine bonis et fructibus remanentem, cum Sanctorum et quibuscumque aliis reliquiis, ac omnibus et singulis paramentis et ornamentis, calicibus, crucibus, candelabris, campanis, libris, universâque sacra et profanâ supellectili, ex auro, et argento, et aliis rebus quibuscumque in primodictâ ecclesiâ ad praesens existentibus, ex nunc, prout, postquam dictus Pompilius fuerit vitâ functus, domo, cameris rectoralibus, et horto, et arcâ in eâ existente, ex quibus, si locarentur, octo ducati pares, vel circa, ut accepimus, annuatim perciperentur, praedictae confraternitati pro illius ecclesiâ ad instar aliarum dictae Urbis confraternitatum regendâ et administrandâ (ita quod liceat gubernatori et confratribus praedictis pro tem-

1 Forsan loco *cum* legendum *et in* (R. T.).

pore existentibus promodictae ecclesiae aedium et supellectilis huiusmodi corporalem, realem et actualem possessionem, per se, vel per alium, seu alios, eorum et dictae confraternitatis nomine, propriâ auctoritate apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere;

In signum vero ecclesiae sancti Leonardi demolitae mandat, ut in icone altaris maioris ecclesiae sancti Andreae istorum Sanctorum imagines apponantur.

§ 10. Ac in signum demolitae ecclesiae S. Leonardi huiusmodi, ac in satisfactionem obligationis aliam sub invocatione eiusdem S. Leonardi ecclesiam ex pretio ipsius ecclesiae demolitae recuperandi[1], ad iconem altaris maioris ecclesiae S. Andreae, imagines S. Andreae et S. Leonardi patronorum collocare, vicarii Urbis vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ;

Nec non solvant annuum censum redimibilem ut hic.

§ 11. Ipsique gubernator et confratres censum annuum et redimibilem ducentum scutorum in summâ principali, redditus autem annui undecim scutorum monetae Romanae, super bonis primodictae ecclesiae eâdem auctoritate creatum et impositum ex pecuniis redactis seu redigendis ex pretio demolitae ecclesiae huiusmodi redimere et extinguere, ac fructus hactenus decursos et non solutos ad summam triginta scutorum parium, vel circa, ascendentes solvere debeant et teneantur) itidem perpetuo concedimus et assignamus.

Modo unum simplex beneficium in dicta ecclesia sancti Andreae ac sub eiusdem sancti denominatione erigit et instituit.

§ 12. Ceterum in primodictâ ecclesiâ unum perpetuum simplex et personalem residentiam non requirens beneficium ecclesiasticum sub invocatione eiusdem sancti Andreae pro uno clerico seu presbytero seculari, futuro in primodictâ ecclesiâ perpetuo beneficiato, eisdem auctoritate et tenore, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus;

Dotemque congruam assignat.

§ 13. Illique sic erecto et instituto, pro congruâ et competenti eius dote, et illud pro tempore obtinentis sustentatione, omnia et singula primodictae ecclesiae fructus, redditus, proventus, bona, et alia emolumenta quaecumque (non tamen ex exercitio curae animarum, quae pro tempore existentem ecclesiae primodictae ecclesiae vicinioris, ad quam animarum curam praedictam transferri contigerit, rectorem seu superiorem, pro curâ sic transferendâ, spectare debeant, provenientia, et exceptis domo, et cameris rectoralibus praedictis, quae sub huiusmodi applicatione comprehendi non debeant), praeviâ illorum a primodictâ ecclesiâ, quatenus opus sit, dismembratione, auctoritate et tenore praemissis, perpetuo applicamus et appropriamus.

Has litteras perpetuo validas et efficaces esse decernit.

§ 14. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut cancellariae apostolicae regulis, unionum effectum suum non sortitarum revocatoriis, aut aliis contrariis dispositionibus per nos, et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, quomodolibet concessis, ac imposterum concedendis, comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum, in quo antea quomodolibet erant statum, restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo sub quacumque posteriori datâ per gubernatorem et confratres praefatos pro tempore existentes quandocumque eligendâ concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere;

1 Vel *recuperando acquirendi.* Edit. Main. legit malâ etiam interpunctione: *ac in satisfactionem obligationis, aliam sub invocatione eiusdem S. Leonardi ecclesiam ex pretio ipsius ecclesiae demolitae, recuperando iconem altaris maioris ecclesiae S. Andreae imagines S. Andreae, et S. Leonardi patronorum collocare;* ubi nulla intelligentiae lux refulget: nos itaque mutatâ interpunctione legimus ut supra *recuperandi, ad iconem,* etc. (R. T.).

Sicque per quoscumque iudices definiri debere mandat.

§ 15. Sicque per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, et etiam de latere legatos, et vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia removet.

§ 16. Non obstantibus praemissis, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure praemissis, fieri prohibendis, ac apostolicis, necnon in provincialibus, synodalibns, universalibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Urbis et Confraternitatis praedictarum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque.

Decretumque poenale superaddit.

§ 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae abdicationis, separationis, dismembrationis, translationis, suspensionis, extinctionis, concessionis, assignationis, erectionis, institutionis, applicationis, approbationis, et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII, decimo tertio kalendas aprilis, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 20 martii 1623, pontif. an. III.

CVI.

Iurisdictiones et facultates Scipionis cardinalis Burghesii, aliorumque pro tempore cardinalium protectorum, hospitalis pauperum dementium de Urbe causas cognoscendi, necnon officialium et ministrorum suorum.

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, votis, per quae piorum locorum quorumlibet praesertim in almâ Urbe nostrâ institutorum utilitatibus et commodis consulitur, libenter annuímus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Deputatio cardinalis pro tempore protectoris hospitalis dementium in Urbe, eius, suorumque officialium causas quascumque civiles, criminales et mixtas summarie, etc., cognoscendi.

§ 1. Volentes itaque, ne dilecti filii administratores et alii officiales hospitalis pauperum dementium de Urbe per diversa tribunalia litigare cogantur, providere, ipsosque specialibus favoribus et gratiis prosequi, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes et singulas lites, quaestiones, causas et controversias, tam civiles, criminales, profanas, spirituales, meras et mixtas, inter hospitale praedictum, seu illius administratores, et officiales huiusmodi, ipsosque dementes, seu quemcumque eorum ex unâ, et quascumque alias personas, cuiuscumque gradus, dignitatis, ordinis, conditionis, et praeminentiae existentes, seu universitates, societates, congregationes, et monasteria, aut alia loca pia ex alterâ partibus, coram quibusvis iudicibus ordinariis et extraordinariis, etiam delegatis, et S. R. E. cardinalibus, ac camerae apostolicae generali auditore, praesidentibus et clericis, necnon vicario, gubernatore et senatore Urbis praedictae, illorumque locatenentibus, hucusque motas et pendentes de et super statu

et bonis hospitalis et dementium praedictorum, necnon quibuscumque aliis rebus, iuribus et actionibus, ad[1] hospitale praedictum, illiusque administratores et officiales praedictos, tam coniunctim quam divisim, ac tam active quam passive spectantibus, et pertinentibus, in quacumque instantiâ, in statu et terminis in quibus reperiuntur, ad nos avocantes, illas omnes et singulas, necnon quas in futurum moveri de novo contigerit tam active quam passive, cum omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, dilecto filio nostro Scipioni tituli sancti Chrysogoni presbytero cardinali Burghesio nuncupato, moderno et pro tempore existenti hospitalis et dementium praedictorum apud nos et Sedem Apostolicam protectori, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, et, quatenus opus sit, exequutive, et manu regiâ, absque terminis substantialibus, ac alicuius telae iudiciariae observatione, quacumque appellatione remotâ, etiam frivolâ, audiendas, cognoscendas, decidendas, et fine debito terminandas committimus, et cum potestate citandi, ac in Romanâ curiâ et extra eam per edictum publicum, constito summarie de non tuto accessu, ac quibusvis inhibendum fuerit, inhibendi, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, atque etiam pecuniariis, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, et super quibus plenam et liberam facultatem et auctoritatem eidem Scipioni cardinali moderno et pro tempore existenti protectori huiusmodi concedimus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis (etiam iuramento, confirmatione, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, usibus, stilis, reformationibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores[1] praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die I aprilis MDCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 aprilis 1623, pontif. anno III.

1 Edit. Main. legit *ac* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *tenoribus* (R. T.).

CVII.

Extensio, et nova concessio privilegiorum cappellanis Romani Pontificis concessorum pro cappellanis huius Pontificis.

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

Causae huius Constitutionis.

Grata familiaritatis obsequia, quae dilecti filii Carolus Antonius Vacarius Bononiensis, Caesar Ferrarinus etiam Bononiensis, Ioannes Bernardinus similiter Bononiensis, Simon Fabrius Nucerinensis, Ioannes Franciscus Sangiorgius Casalensis, Faustus Polius Spoletanus, Robertus Pavonius etiam Spoletanus, Fabritius Badesius Romanus, Claudius Thomasius Verulanus, et Paulus Maius Cephaludensis respective civitatum et dioecesum, moderni cappellae nostrae pontificiae cappellani, nobis et Apostolicae Sedi hactenus impenderunt, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et vir-

tutum merita, quibus eorum personas, tam familiari experientiâ, quam etiam fide dignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Gregorius XIV edidit Constitutionem qua concessit cappellanis multa privilegia et indulta ut hic.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Gregorio XIV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Gregorius Papa XIV,
ad perpetuam rei memoriam.

Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia singulorum merita debitâ meditatione considerans, illos, prout aequum est, potioribus favoribus et gratiis efficaciter prosequitur, et condignis honoribus attollit, quos sibi devotos et obsequiosos, et amplioribus agnoscit meritis adiuvari. Ut quamprimum antehac Romani Pontifices intimos cappellanos et familiares suos privilegiis et muneribus apostolicis, uti temporum et personarum conditio tulit, in primis honestarunt; ita nos, ad praecipua virtutum merita, necnon erga nos et Romanam Ecclesiam devotionis affectum, ac grata familiaritatis obsequia, quae infrascripti cappellani, qui familiares ac continui commensales nostri existunt, nobis hactenus impenderunt, et adhuc solicitis studiis impendere non desistunt, et quae [1] in nostro ac Sedis Apostolicae conspectu, et familiari experientiâ, ac famae laudabilis commendatione clare dignoscuntur, debitum respectum habentes, ac propterea personas eorum condigni favoris gratiâ et specialis honoris ac excellentiae dignitatis titulo sublimare volentes, ac dilectos filios Petrum Fulvium Romanum I. U. D., Petrum Mariam Anselmum Cremonensis, Petrum Antonium Poggiolum Mutinensis, Thomam Oldoinum Cremonensis, Benedictum Giorgescum Burgi Sancti Sepulchri I. U. D., Faustinum Fachinettum Patavinae, Cornelium Cantarinum Fanensis, Ioannem Baptistam Fortunam Forosemproniensis, Iacobum Mitium Barensis, Nicolaum Farmianum Ferrariensis, Caesarem Gorum de Setia Terracinensis, et Bernardinum Salvaranum Regiensis respective civitatum et dioecesum, cappellanos ac familiares continuos commensales nostros, eorum meritis et obsequiis sic exigentibus, condignis honoribus et gratiis ac favoribus prosequi cupientes, ipsosque et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad supradictorum Petri, Petri Mariae, Petri Antonii, Thomae, Benedicti, Faustini, Cornelii, Ioannis Baptistae, Iacobi, Nicolai, Caesaris et Bernardini, vel alicuius ipsorum aut aliorum pro eis super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ deliberatione, ac certâ scientia, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, Petrum, Petrum Mariam, Petrum Antonium, Thomam, Benedictum, Faustinum, Cornelium, Ioannem Baptistam, Iacobum, Nicolaum, Caesarem et Bernardinum supradictos, et illorum singulos, in nostros et Apostolicae Sedis notarios recipimus, ac sacri palatii et aulae Lateranensis comites (sine tamen dilectorum filiorum notariorum de numero participantium praeiudicio) necnon auratae militiae equites ac nobiles Romanos, et urbis Romae, omniumque et singularum aliarum civitatum, terrarum et locorum S. R. E. mediate vel immediate subiectorum cives creamus et constituimus, ac in numerum et consortium aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum, necnon palatii et aulae comitum, equitum, et nobilium Romano-

Protonotarios, comites, equites, auratae militiae creat.

[1] Videretur potius legendum *qui* (R. T.).

rum, aliorumque civium civitatum et oppidorum praedictorum, referimus et conscribimus, ipsisque (etiam si habitum et rochettum notariorum dictae Sedis iuxta decreta Lateranensis concilii novissime celebrati non deferant, aut civitates huiusmodi non incoluerint, nec unquam in eisdem civitatibus domicilium habuerint), ut omnibus et quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus ceteri omnes notarii nostri, etiam de numero participantium, necnon comites, equites, et nobiles, necnon cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum ecclesiasticorum et secularium, etiam ex personis Romanorum originariorum vacantium, assequutione et exercitio, tam in Urbe, quam civitatibus praedictis et aliis ubique locorum et gentium, necnon sessionum et conventuum, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad illorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae et indulta pro ipsis emanassent (citra tamen exemptionem a Concilio Tridentino sublatam, ac facultates legitimandi, ad gradus promovendi, et notarios, seu tabelliones creandi, aliaque huiusmodi privilegia a notariis Sedis Apostolicae et comitibus palatinis praetensa, ut illis supranominati cappellani familiares nostri nullibi uti valeant, ac irritum et inane existat, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari) uti, potiri, gaudere; ac in omnibus et singulis apostolicis, aliisque litteris, instrumentis et scripturis publicis et privatis deinceps eorum nomine conficiendis sese notarios, comites, equites et nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanos et aliarum civitatum cives, ut libuerit, inscribere, et se illis subscribere valeant, ac pro veris et non fictis notariis, comitibus, equitibus, et nobilibus, ac civibus habeantur, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis expressionibus subreptitium, obreptitium aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus, et per omnia censeatur[1]. Et insuper Petrum, Petrum Mariam, Petrum Antonium, Thomam, Benedictum, Faustinum, Cornelium, Ioannem Baptistam, Iacobum, Nicolaum, Caesarem et Bernardinum praedictos, ac eorum singulos, ipsorumque beneficia et officia ecclesiastica quaecumque, quotcumque, et qualiacumque, illorumque fructus, res et iura, ubicumque locorum, regnorum et provinciarum, necnon in Urbe, civitatibus, terris et locis eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis consistentia praedia, domos, possessiones et bona patrimonialia, aliaque temporalia, mobilia, immobilia et semoventia, necnon actiones et iura praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et naturae, ac quanticumque etiam annui valoris fructus, redditus et proventus huiusmodi sint vel fuerint, ac etiam quaecumque ab ipsis vendenda, et pro eorum et familiae usibus emenda, ab omnibus et quibuscumque decimis, quartis, dimidiis, fructibus, subsidiis, etiam caritativis, necnon vulgaribus portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, et quocumque alio modo nuncupatis angariis, perangariis, ceterisque oneribus et contributionibus, tam urbanis quam rusticis, ordinariis et extraordinariis, realibus, personalibus et mixtis, etiam ratione munitionum et pontium, portarum, moliturarum, mercium cuiusvis generis transitus seu passus et vecturae, etiam in aliud territorium, seu provinciam, terrâ, mari et flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum, militum, institutionis seminarii ecclesiastici, aut quacumque aliâ quantumvis gravi etiam urgentissimâ causâ

Exemptio a decimis et aliis impositionibus.

1 Deest: *concedimus et indulgemus* (R. T.).

(pro subventione contra infideles dumtaxat exceptâ) nunc et pro tempore impositis (ita quod ipsi nihil omnino horum, aut aliorum huiusmodi subire teneantur, nec per camerae apostolicae aut alios commissarios, seu vectigalium et tributorum huiusmodi redemptores et exactores, quocumque privilegio, exemptione, et facultate suffultos, aliàs quam ut praefertur, valeant coarctari), quamdiu servitiis nostris insteterint dumtaxat, eximimus et liberamus. Ad haec cum eisdem, ut quaecumque duo dissimilia vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium, etiam metropolitanarum vel aliarum ecclesiarum, consistentia (etiamsi unum ex illis omnibus cum curâ, aut dignitas etiam maior et principalis, canonicatus et praebenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, et ad dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam iurisdictionalis immineat animarum), si eis aliàs canonice conferantur, aut eligantur, praesententur, vel aliàs assumantur ad illa, et instituantur in eis, recipere, et dummodo illa omnia, uno excepto, personalem residentiam non requirant, insimul, quoad vixerint, retinere, necnon etiam, quamdiu nobis inservierint tantum, in beneficiis ecclesiasticis etiam curatis (non tamen parochialibus nec curatis curâ animarum parochianorum) per eos pro tempore obtentis, etiam de iure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in metropolitanis vel cathedralibus maiores, ac in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneantur, nec ad id per locorum Ordinarios, aut ecclesiarum earumdem capitula, seu quosvis alios, ad residendum interim in illis inviti compelli possint; omnesque et singulos illorum beneficiorum obtentorum fructus, redditus et proventus, durante servitio praedicto, cum eâ integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum quâ illos perciperent, si in eisdem ecclesiis sive locis personaliter residerent, percipere, exigere et levare; nec non, etiamsi presbyteri fuerint ac dignitates et officia obtinuerint, leges et iura civilia etiam publice in scholis et universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo iidem trigesimum aetatis annum non excesserint, audire, et, si habiles et sufficientes reperti fuerint, etiam ad doctoratus gradum in huiusmodi facultate se promoveri facere, ipsaque iura etiam publice docere, atque iudicis, advocati et procuratoris officium, in causis ecclesiasticis civilibus tantum, exercere libere et licite possint et valeant, de specialis dono gratiae dispensamus. Liceat quoque ipsis, ac eorum singulis, aliquem idoneum et ab Ordinario loci approbatum presbyterum, secularem vel cuiusvis Ordinis regularem, in suum eligere confessorem, qui, vitâ eis comite, eos et ipsorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, et per eos incursis, et quibus ipsos pro tempore illaqueari contigerit, etiamsi absolutio ad nos et successores Romanos Pontifices pro tempore existentes specialiter vel generaliter reservata existat, et quorumcumque votorum, ecclesiae praeceptorum transgressionibus, homicidii casualis, manuum[1] violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas (non tamen episcopos, vel alios superiores praelatos) de praeterito iniectionibus, seu consilii vel favoris ad id praestationibus, ieiuniorum omissionibus, non tamen recitationibus horarum canonicarum aliorumque divinorum

Dispensatio ad dua dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis beneficia simul habenda.

Dispensatio a residentia durante servitio Papae, cum perceptione omnium fructuum, exceptis distributionibus quotidianis.

Indultum audiendi et docendi leges, iudicis, advocati et procuratoris officium exercendi.

Aliae facultates concessae.

1 Edit. Main. legit *manum* (R. T.).

officiorum, et denique ab omnibus et quibuscumque aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus, propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, videlicet contentis in litteris die Coenae Domini publicari consuetis, semel tantum in vitâ et in mortis articulo, in reliquis vero dictae Sedi quomodocumque reservatis, aliisque quibusvis casibus, semel in anno, confessionibus illorum diligenter auditis, sine tamen alicuius praeiudicio, praedictâ auctoritate apostolicâ absolvere, ac illis pro commissis poenitentiam iniungere salutarem; necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum apostolorum Petri et Pauli, castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare. Ac etiam eisdem, eorumque singulis,[1] quicumque locorum Ordinarii, vel canonici metropolitanarum seu aliarum cathedralium ecclesiarum, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in dictâ curia quam extra eam, etiam ad id per eos aut eorum singulos coram notario et testibus fide dignis eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas, eis et eorum singulis super mensarum abbatialium seu episcopalium aut archiepiscopalium, et quorumcumque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium ac quorumvis Ordinum regularium, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, quomodocumque et qualitercumque qualificatorum fructibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus, etiam quotidianis, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta sibi tunc et pro tempore assignata et reservata, quandocumque, simul vel successive, in toto vel in parte, usque ad summam trecentorum ducatorum auri de camerâ, de eorumdem cappellanorum vel cuiuslibet ipsorum consensu, in toto vel in parte, etiam in mortis articulo, cassare et extinguere, et postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, distributionibus, seu illorum loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi, etiam usque ad summam praedictam, uni vel pluribus aliis personis etiam per eosdem cappellanos et eorum singulos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, expectantibus, seu clericali charactere insigniri volentibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo et formâ quibus eisdem cappellanis assignatae aut reservatae seu assignati, concessae seu concessi fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiam si iisdem[1] cappellani illa aliàs cassari et reservari de novo faciendi facultatem non habuerint, ac pensiones et fructus, redditus, proventus, iura, obventiones ac distributiones et emolumenta huiusmodi, etiamsi pluries cassatae et de novo assignatae fuerint, usque ad summam et quantitatem praefatam, et litteris apostolicis super reservationibus et assignationibus huiusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus et cautelis, ac etiam censuris et poenis in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et conventis, integre persolvenda reservare, constituere et assignare; necnon ut iidem cappellani et eorum quilibet de omnibus et singulis domibus, praediis, possessionibus, terris et locis etiam iurisdictionalibus, ceterisque bonis immobilibus et mobilibus (quae ta-

1 Videretur supplenda partic. *ut* (R. T.).

1 Videretur legendum *iidem* (R. T.).

men non sint altaris vel altarium ecclesiarum ipsis cappellanis nostris praedictis commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui seu usui deputata) seque moventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus, ac iuribus et actionibus ad eos ratione ecclesiarum, etiam cathedralium et metropolitanarum, monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, dignitatum et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum regularium, quae ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinuerint, obtinent et obtinebunt, ac fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum loco pensionum annuarum, pensionumque annuarum super similibus fructibus, redditibus et proventibus eis reservatorum et assignatarum, ac reservandorum et assignandarum, quos et quas perceperint, percipiunt et percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanae curiae officiorum, ac aliàs quomodolibet, spectantibus et pertinentibus, ac etiam de dictis fructibus, redditibus, proventibus et pensionibus annuis, necnon eorum industriâ ac labore quomodolibet et undecumque, licite tamen, acquisitis et acquirendis, ac aliàs, etiam de muneribus et officiis, quae exercuerint, ac eos exercere contigerit, et aliâ quavis occasione vel causâ seu contemplatione, ad eosdem perventis et perventuris, etiamsi in pecuniâ numeratâ et iocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dictâ curiâ quam extra eam, ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates et veros annuos valores, etiam si talia forent, quae in generali appellatione bonorum, vel suppellectilium non veniant, sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus, ac si specifice et sigillatim exprimerentur, ac denotarentur, pro sufficienter expressis et declaratis haberi volumus), ac etiam de ipsis proventibus et pensionibus debitis et debendis, ac nondum perceptis et exactis, etiamsi eorum solutionis, aut perceptionis terminus nondum advenerit, pro illâ ratâ, quae illis debita erit, constitutione declaratoriâ super fructibus et pecuniis non exactis, quae forsan ad successores in ipsis beneficiis spectare et pertinere debeant, non obstante[1], etiam accumulative cum quibusvis aliis similibus vel dissimilibus facultatibus, habitis et habendis, usque ad summam ducentorum ducatorum auri similium dumtaxat, tam pro decentibus et honestis impensis, funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui eis viventibus servierint, etiam ultra servitii meritum, ac in ipsorum consanguineorum et affinium et quorumcumque piorum locorum favorem, usum, ac aliàs, pro eorum arbitrio et voluntate, absolute testari, ac testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tam inter vivos quam causâ mortis, et aliis quibuscumque modis et titulis, scripturâ etiam minus solemni, etiam coram duobus vel tribus testibus, aut etiam cedulâ solâ eorum manu scriptâ vel subscriptâ; et aliàs, in omnibus et per omnia, prout et quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsâ curiâ et in articulo, nullâ factâ mentione praesentis, vel aliarum eis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velint, aut intendant, semel atque iterum et pluries disponere, statuere et ordinare; ita ut quicquid testatum, gestum, ordinatum seu aliàs dispositum ab ipsis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs, omni meliori modo valeat, et servari omnino

1 Perperam ed. Main. legit *non obstare* (R.T.).

debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata et statuta, etiam pluries, ac toties quoties eis videbitur, moderare, limitare, ac etiam in totum revocare, et alia de novo edere, etiam libere et licite valeant, plenam et liberam concedimus facultatem. Statuentes nihilominus et ordinantes, eisque pariter indulgentes, quod si contingeret ipsos ab intestato et sine ullâ, vel minus validâ, bonorum et rerum, ac fructuum et redditum, proventuum praedictorum dispositione, in dictâ curiâ vel extra eam, ac etiam extra sua beneficia aut alia loca debitae ab eis residentiae personalis, etiam nullâ subsistente causâ, ab humanis decedere, omnia et singula eorum bona, res et iura, etiam, ut praefertur, qualificata, nec non spolia, cuiuscumque quantitatis et valoris existentia, etiam ex praedictis ac aliàs undecumque provenientia, ad cameram apostolicam seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad haeredes sanguinis eorumdem integre deveniant, et, illis deficientibus, inter eorum familiares, arbitrio personae seu personarum, quas ad id ipsum scripto nominaverint, distribuantur, nisi de illâ dispositione vel intentione eorumdem scripturâ, etiam minus solemni, secus appareret; quam tunc velut efficacem ipsae personae vel alii iudices seu exequutores omnino exequi et adimplere, illisque se se conformare in omnibus et per omnia debeant. Et nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, donationes, legata, dispositiones et alia forsan aliàs ab ipsis, etiam nullâ aut minus sufficienti facultate suffultis, de huiusmodi bonis, iuribus, actionibus, fructibus, pecuniis, localibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum et affinium praefatorum, ac aliàs quomodolibet facta, cum omnibus inde sequutis, ac etiam ea, quae per ipsos in futurum quomodolibet fient, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, approbamus et confirmamus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum omissarum et omittendarum, necnon substantiales aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint in eisdem (etiamsi tales sint, vel fuerint, quod specialis et specifica de ipsis mentio habenda esset) supplemus. Districtius inhibentes quibusvis archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, necnon fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe aut cruciatae sanctae et aliis collectoribus, subcollectoribus, ceterisque, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, et quavis auctoritate et potestate fungentibus, sub excommunicationis maioris, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ne universitates, collegia et loca, ac legatorios, haeredes et personas, necnon testamenti, voluntatum et ordinationum huiusmodi exequutores praefatos, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare audeant quoquo modo, vel perturbare. Ac decernentes praedicta omnia et singula, praesentesque litteras ac testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes et dispositiones, ac alia quaecumque, necnon quae in praemissis facta sunt, aut fieri contigerit, tam vigore praesentium, quam etiam aliarum concessionum eis factarum, ac deinceps in genere et in specie faciendarum, cum inde sequutis et sequuturis, etiam si ipsos in praedictâ curiâ, aut quacumque aliâ mundi parte, extra ecclesias et loca beneficiorum suorum, personalem residentiam requirentium, qualitercumque qualificatorum per eos nunc et pro tempore etiam pro solâ voluntate et nullâ subsistente causâ residentes ab humanis decedere contigerit, sub litteris felicis recordationis Pii Papae IV, praedecessoris nostri, contra quoscumque episcopos, archiepiscopos et alios

Inhibitio.

praelatos, necnon parochialium ecclesiarum rectores, ceterosque residentiae personali praedictae adstrictos, extra illam quomodocumque decedentes, VII kalendis decembris pontificatus sui anno V [1] aut alio veriori tempore emanatis, et sub quibuscumque aliis constitutionibus, aut revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus apostolicis, cancellariae apostolicae regulis, ex quibusvis causis, quantumcumque maximis et urgentibus et inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei et divini cultus augmentum, ac consistorialiter, etiam a nobis et Sede praedictâ hactenus, vel nunc, aut pro tempore factis et editis, minime comprehendi, sed semper ab illis excepta, et quoties emanata fuerint, toties in pristinum et validissimum statum (ac etiam sub datâ posteriori, etiam cum derogationibus et clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, per eosdem cappellanos et eorum singulos eligendâ, apponendâ et latissime specificandâ) reposita, restituta et plenarie reintegrata, ac de novo concessa, ac valida et efficacia fore, necnon perpetuâ firmitate subsistere, suosque plenarios et omnes omnino effectus, qui de iure, stilo, consuetudine, ac aliàs quomodocumque sortiri poterunt, sortiri, ac vim veri, legitimi, iurati, stipulati ac validi et efficacis contractus inter eosdem cappellanos ex unâ, ac nos et Sedem praefatam, et cameram apostolicam ex alterâ partibus habere; nec etiam per promotiones ad ecclesiam cathedralem, etiam metropolitanam [2], aut translationes vel alios status et personarum mutationes, nec per similes vel dissimiles gratias ipsis concessas et concedendas confundi; sed ipsis cumulative in omnibus et per omnia uti, et si quid in unâ ex facultatibus huiusmodi defuerit per aliam suppleri debere; nec haeredes, legatarios et loca, ad quos seu quae bona, iura et actiones huiusmodi devenerint, vel eis relinquentur, aut exequutores praedictos, ad tertiam seu aliam illorum partem (quam etiam ex nunc eis, ac locis, haeredibus, legatariis et donatariis, liberaliter concedimus et donamus) camerae, vel fabricae, aut beneficiis praefatis, etiam pro expeditione contra infideles, et quibuslibet aliis quantumlibet piis usibus solvendum, ac cum eis desuper componendum, vel eos ad aliam particularem licentiam, sive indultum, aut confirmationem praesentium a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum, vel impetrandum, aut etiam aliâ simili gratiâ sine eius confirmatione ipsis quomodocumque concedendâ de praesenti mentionem aliquam faciendam minime teneri, nec ad id ullâ [1] umquam necessitate cogi posse: et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores et eiusdem S. R. E. cardinales, necnon pro tempore existentem eiusdem ecclesiae camerarium, praesidentes, et clericos praefatos, in quavis causâ et instantia (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes dilectis filiis nostro Alexandro S. Laurentii in Damaso diacono cardinali Montalto nuncupato, litterarum apostolicarum summatori, plumbique et registri nostri magistris, secretariis et ceteris ad quos pertinet, sub suspensione ab emolumentis suorum cuiusque officiorum, quam eo ipso censeri volumus incurrisse, ut nullo alio desuper mandato, vel ordinatione, aut

Mandatum de expediendo gratis.

1 Quas vide in tom. VII, pag. 332 (R. T.).
2 Edit. Main. legit *metropolitani* (R. T.)

1 Edit. Main. legit *visa* pro *ullâ* (R. T.).

iussione expectatis, aut signi vel contrasigni exhibitione, quibuscumque excusationibus et dilatationibus postpositis, litteras apostolicas super praemissis omnibus et singulis, tam coniunctim quam divisim, pro omnibus et singulis cappellanis supradictis quocumque tempore, etiam in formâ *Rationis congrui*, gratis ubique etiam sine subscriptione litterarum earumdem scriptorum, abreviatorum, secretariorum, aut aliorum cancellariae et camerae officialium, omni contradictione cessante, signent et expediant, ac expediri faciant. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi, ac Tusculano episcopis, motu simili, per apostolica scripta etiam mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Petri, Petri Mariae, Petri Antonii, Thomae, Benedicti, Faustini, Cornelii, Ioannis Baptistae, Iacobi, Nicolai, Caesaris et Bernardini praefatorum, vel alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac eis in praemissis efficacis defensionis praesidios assistentes, faciant auctoritate nostrâ praesentes litteras et in eis contenta quaecumque firmiter observari; nec non eisdem cappellanis, vel eorum procuratoribus, fructus, redditus et proventus praedictos, iuxta indulti de illis percipiendis in absentiâ tenorem, integre ministrari; non permittentes eos desuper per locorum Ordinarios, ac dilectos filios capitula et capitulares personas ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, seu quoscumque alios quavis auctoritate fungentes contra praemissa, aut eorum aliqua quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, ac aliâ eiusdem Bonifacii, qua cavetur, ne quis extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, ad iudicium non trahatur, necnon Pii Papae IV similiter praedecessoris nostri de gratiis, interesse camerae apostolicae quomodocumque concernentibus, infra certum tunc expressum tempus in eâdem camerâ praesentandis et registrandis, ita ut presentes nostrae litterae, etiam si numquam in eâdem camerâ registrentur, perpetuo tamen valeant et subsistant; ac Lateranensis concilii etiam novissime celebrati etiam de certo notariorum numero, etiamsi ad illud nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogatum non intendimus, et de consensu praestando in pensionibus, et quibusvis aliis etiam per nos et Sedem praefatam quomodolibet editis et imposterum edendis cancellariae praefatae regulis, ac stylo in similibus hactenus servato, et piae memoriae Alexandri Papae VI, etiam praedecessoris nostri, tertiam partem bonorum ecclesiasticorum camerae praefatae deberi inter alia disponente, necnon eiusdem Bonifacii praedecessoris, per quam concessiones de fructibus in absentiâ percipiendis sine praefinitione temporis fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, et quibusvis aliis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon legibus imperialibus et aliis etiam municipalibus tam Urbis, quam quarumvis aliarum civitatum et locorum,

Deputatio iudicum exequutorum.

Clausulae derogatoriae.

etiam in quibus cives originarii creati sunt, ac quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, ordinum et hospitalis praefati, necnon quorumvis collegiorum et officiorum dictae curiae ac regnorum, provinciarum et Urbis, ac aliarum civitatum et locorum, ac praefatae camerae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis (etiamsi de illis servandis, et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, nec etiam ab alio vel aliis impetratis, aut aliàs quomodolibet concessis, utendo, ipsi cappellani, per se, vel eorum procuratores, praestiterint forsan hactenus vel imposterum eos praestare contigerit iuramentum), privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis dictis ecclesiis, monasteriis, ordinibus et hospitali S. Ioannis Hierosolymitani, illorumque praesulibus, seu administratoribus et superioribus, ac magistris, praeceptoribus, prioribus, militibus etiam antianis, capitulis, conventibus, civitatibus et locis, aliisque personis et particularibus, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum et onerum exactoribus et appaltatoribus, aliorumque onerum redemptoribus, necnon archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, etiam eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ac dictae curiae officialibus, illorumque collegiis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, et Sedem praefatam, etiam consistorialiter, et de eiusdem S. R. E. cardinalium consilio et per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientiâ paribus, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad imperatoris, ac regum et reginarum, ducum, marchionum et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, confirmatis et innovatis, et imposterum concedendis, confirmandis et innovandis (etiam si in iis, ac statutis et stabilimentis praefatis caveatur expresse vel tacite, quod Urbis, nonnisi originariis civibus Romanis, ac civium eorumdem filiis, aliarum vero partium beneficia, nisi per personas illustres, seu nobiles, ac etiam originarios cives, aut aliàs certo modo in illis expresso qualificatos obtineri, aut conferri possint, et nullus in civem Urbis, aut civitatum, oppidorum, terrarum et locorum huiusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possit, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis, terris et locis per certum tempus habitaverit, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possideat [1], ipsique exactores et appaltatores decimas, pedagia et onera huiusmodi etiam ab exemptis exigere, et illos ad solutionem seu contributionem cogere et compellere possint seu debeant, quodque praeceptoriae, et alia beneficia quaecumque dicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, tam ex eius institutione, quam ex stabilimentorum praefatorum dispositione, non in titulum perpetuorum beneficiorum conferri, sed in commendam ad vitam concedendam revocabiliter concedi debeant, et sic pensionibus clericis secularibus aut aliis personis apostolicâ auctoritate reservandis gravari non possint: quodque stabilimentis et privilegiis praefatis etiam vigore clausulae implicitae derogationis latissime extendendae, etiam per quascumque litteras apostolicas et quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas clausulas, de-

1 Edit. Main. habet *habitaverint... possideant* (R. T.).

rogari non possit[1], nec derogatum censeatur, nisi derogatio huiusmodi de consilio dictorum cardinalium fiat, et etiam tunc demum ad id magistri et conventus praefatorum expressus accedat assensus, sintque litterae derogationis huiusmodi etiam per dictum magistrum subscriptae, ac eis et praedictis conventui, per diversas in formâ Brevis aut alias litteras, diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas, intimatae, et non aliàs, nec alio modo, semper in huiusmodi, quae sic fient, etiam de simili consilio et derogatione, appositâ clausula, quod illae effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praedictorum, et non aliàs, aliter, nec alio modo); quibus omnibus et eorum singulis (etiam si pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut certa exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, quodque clausula implicitae derogationis, in rescripto etiam motu proprio emanato apposita, aliter in litteris exprimi vel extendi nequeat), illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat harum serie in genere et in specie ad effectum praemissum sufficienter, expresse, motu et scientiâ similibus derogamus et derogatum esse decernimus; quodque[2] praedicti cappellani primam non fecerint in ecclesiis huiusmodi personalem residentiam consuetam, ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterum, quia difficile foret, praesentes litteras ad singula, in quibus de eis forsan fides facienda fuerit, loca deferre, volumus et eâdem apostolicâ auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius curiae, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides etiam in iudicio, vel alibi, ubi opus fuerit, adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae, apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die x septembris MDXCI, pontificatus nostri anno I.

1 Edit. Main. legit *possint* (R. T.).

2 Nempe: *et non obstante quod* (R. T.).

Quae omnia modo iste Pontifex confirmat et de novo concedit suis cappellanis.

§ 2. Nunc autem nos Carolum, Antonium, Caesarem, Ioannem, Simonem, Ioannem Franciscum, Faustum, Robertum, Fabritium, Claudium et Paulum praefatos, qui etiam familiares continui commensales nostri existunt, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, non ad illorum vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra merâ liberalitate, ac certâ scientiâ, omnia et singula privilegia, facultates, concessiones et indulta in praeinsertis litteris contenta, quatenus tamen sint in usu, Carolo, Antonio, Cesari, Ioanni, Simoni, Ioanni Francisco, Fausto, Roberto, Fabritio, Claudio et Paulo praefatis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, similiter concedimus et indulgemus.

Clausulas praeservativas adiungit.

§ 3. Decernentes privilegia, facultates, concessiones et indulta praefata ac praesentes litteras valida, firma et efficacia esse et fore, necnon eisdem Carolo, Antonio, Caesari, Ioanni, Simoni, Ioanni Francisco, Fausto, Roberto, Fabritio et Paulo in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Aliter iudicandi sublata facultate.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Et contrariis remotis.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Gregorius praedecessor in praeinsertis litteris suis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI aprilis MDCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 11 aprilis 1623, pontif. an. III.

CVIII.

Confirmatio erectionis novitiatus fratrum Congregationis Iesuatorum S. Hieronymi in domo regulari Ss. Ioannis et Pauli de Urbe a Petro cardinali Aldobrandino protectore pro regularis disciplinae restitutione et conservatione instituti.

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter multiplices pastoralis officii curas, quibus assidue premimur, illa nos prae ceteris maxime sollicitos habet, ut regularis disciplinae observantia in quibuslibet monasteriis, et locis regularibus conservetur, et, ubi collapsa est, modis, quantum cum Domino fieri potest, restituatur opportunis.

Petrus cardinalis Aldobrandinus congregationis Iesuatorum protector. Novitiatus instituit in domo regulari sanctorum Ioannis et Pauli de Urbe.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, bonae memoriae Petrus episcopus Sabinensis cardinalis Aldobrandinus nuncupatus, Congregationis Iesuatorum sub regulâ sancti Augustini, dum vixit, apud nos, et Apostolicam Sedem protector, pro regularis disciplinae in praedictâ Congregatione restitutione et conservatione, in domo sanctorum Ioannis et Pauli de Urbe eiusdem Congregationis unum novitiatum octo ab hinc annis circiter sub curâ et gubernio ac regimine unius Congregationis clericorum regularium Theatinorum nuncupatae professoris erigi et institui obtinuerit; ex erectione autem et institutione novitiatus huiusmodi non mediocres in eâdem Congregatione Iesuatorum fructus cum divini cultus incremento prodierint:

Hic Pontifex dictam institutionem comprobat, iterato erigit et perpetuae firmitatis robur adiicit.

§ 2. Nos, inviolabili erectionis et institutionis novitiatus huiusmodi firmitati, simulque prospero et felici eiusdem Congregationis Jesuatorurum statui, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, erectionem et institutionem novitiatus huiusmodi tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, et quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Et nihilominus novitiatum praedictum in dictâ domo regulari, modo et formâ quibus erectus et institutus fuit, apostolicâ auctoritate earumdem tenore praesentium, quatenus opus sit, de novo erigimus et instituimus.

Protectori certam dat facultatem circa priorem et lectores dicti novitiatus.

§ 3. Insuper, quod in novis domibus regularibus eiusdem Congregationis Iesuatorum, ad quas infrascriptos novitios professos mitti contigerit, prior sive lector eorumdem novitiorum professorum huiusmodi, sive alii eiusdem Congregationis professores, absque expresso dilecti filii nostri Hippolyti S. Mariae Novae diaconi cardinalis Aldobrandini nuncupati moderni et pro tempore existentis eiusdem Congregationis Iesuatorum apud nos et Sedem eamdem protectoris, constitui sive deputari, aut amoveri nullatenus possint seu debeant, et in eventum, in quem prior seu lector huiusmodi absque eiusdem Hip-

polyti cardinalis consensu deputatus sit, seu eos deputari contingat, ab eorum officiis huiusmodi per eumdem Hippolytum cardinalem amoveri, et alii in eorum loca subrogari possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis statuimus et ordinamus; necnon eidem Hippolyto cardinali unam eiusdem Congregationis domum regularem sibi benevisam, quae a suâ et pro tempore existentis dictae Congregationis protectoris auctoritate immediate dependeat, eligendi, in eamque novitios, qui in praedicto novitiatu educati fuerint, post annum circiter ab emissione professionis per eos factâ computandum, prout per multos annos fieri consuevit, mittendi, in eisdemque domibus regularibus et earum qualibet superiores cuiusvis patriae sive provinciae constituendi et deputandi, plenam et amplam facultatem, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et impartimur.

Regularis disciplinae observantiam servari praecipit.

§ 4. Inhibentes propterea, sub excommunicationis et aliis arbitrio dicti Hippolyti cardinalis infligendis poenis, omnibus et singulis dictae Congregationis Iesuatorum professoribus, ne contra erectionem et institutionem novitiatus huiusmodi, aut regularis disciplinae observantiam per dictum Congregationis clericorum regularium Theatinorum professorem in dicto novitiatu introductam, et quam in aliis eiusdem Congregationis Iesuatorum locis regularibus, benedicente Domino, introduci contigerit, quovis quaesito colore, ingenio vel praetextu venire, aut quicquam machinari sive attentare audeant seu praesumant.

Clausulas praeservativas subdit.

§ 5. Necnon decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariisque omnibus derogat.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis Iesuatorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII aprilis MDCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 22 aprilis 1623, pontif. an. III.

CIX.

Facultates pro cappellano maiori et cappellâ regis catholici[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico
Gregorius Papa XV.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Piis catholicorum regum votis[2], per quae divinus cultus augeri et ministrorum ecclesiasticorum, praesertim cappellarum regiarum servitio adscriptorum, status ad Dei gloriam tranquille et recte dirigi et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vide similem huic Const supra pag. 245 h. t. (R. T.).

gubernari valeat, libenter annuimus, ac privilegiis et indultis communimus, et aliàs disponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Archiepiscopo Compostellano regio cappellano omnimoda iurisdictio in aulicos, familiaresque catholici regis asseritur.

§ 1. Itaque, vestigiis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum inhaerentes, ac supplicationibus maiestatis tuae nomine nobis humiliter porrectis inclinati, eidem maiestati tuae, ut archiepiscopus Compostellanus pro tempore existens (cui, sicut ex insinuatione[1] eiusdem maiestatis tuae nomine nobis nuper factâ accepimus, cura regiae familiae tuae, consanguineorum, affinium tuorum, ac omnium personarum in curiâ tuâ pro negotiis confluentium et commorantium, ipsamque curiam sequentium, tamquam cappellae tuae cappellano maiori ex indulto apostolico, aut antiquâ et immemorabili consuetudine, incumbit), in quibusvis civitatibus, oppidis et locis, in quibus dictam maiestatem tuam, tuamque regiam curiam pro tempore residere contigerit, continue vel ad tempus, curam animarum familiae tuae, omniumque et singularum personarum, tam ex tuis regnis et dominiis originem habentium, quam extraneorum, curialium, ac dictam curiam sequentium, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis ac praeeminentiae existentium, tam ecclesiasticorum, quam secularium, archiepiscopis et episcopis exceptis, exercere, earumque rector nuncupari, easque corrigere et visitare, ac in easdem omnimodam iurisdictionem ordinariam, omniaque et singula alia, quae archiepiscopi et episcopi ac alii locorum Ordinarii in dioecesibus suis de iure vel consuetudine aut aliàs quomodolibet facere et exercere consueverunt, ac per se, vel alios ministros, suam iurisdictionem ordinariam exercere;

Ministros et officiales pro huiusmodi iurisdictionis exercitio necessarios deputandi facultas ei conceditur.

§ 2. Nec non ministros et officiales necessarios ad exercendam apostolicâ auctoritate huiusmodi omnimodam iurisdictionem tam curiae palatii, quam uti iudex cappellae huiusmodi et aliorum praedictorum, qui ab eo et eius mandato nominati exerceant eorum officia et iurisdictionem suam, tam in causis familiarium cappellanorum, servientium, oratorii, cappellae, cantorum et ministrorum etiam laicorum eiusdem cappellae, quam aliarum personarum quarumcumque nationum tibi servientium, et personarum regalium[1], et regiae prolis, in illos tantum qui vere sunt curiales, nec non cappellanorum in ruralibus domibus[2] seu palatiis tuis existentium, nominare;

Aliisque cappellanis curam animarum quoad huiusmodi familiares committendi.

§ 3. Nec non, per se aut ministros suos, confessores regulares de licentiâ suorum superiorum, aut seculares pro curâ animarum dicti palatii et curiae etiam nominare, et cappellanos et clericos servientes tibi et domui regali in dictâ cappellâ et oratorio ad celebrandum missas et confessiones audiendas, ac verbum Dei praedicandum examinare, seu examinari facere, et eis id faciendi licentiam et facultatem dare;

Praedicatores quosque deputandi.

§ 4. Ac etiam praedicatores regulares aut seculares in dictâ curiâ vel extra eam ad praedicandum verbum Dei in cappellâ regiâ et domo, ubi tu et curia tua erit, ita ut nullus Ordinarius loci, in quo dicta curia, seu tu, aut domus tua erit, sive eundo, sive stando, sive etiam recreationis causâ, praedicationem verbi Dei impedire possit, convocare;

Aliae facultates eidem cappellano maiori conceduntur.

§ 5. Insuper cappellanos, cantores et scholares in dictâ cappellâ pro tempore existentes propter iniectionem manuum violentarum inter se ipsos, ac etiam in clericos de dictâ cappellâ non existentes, citra tamen membrorum mutilationem aut enormem laesionem, excommunicationis sententiam incurrentes, ab eâdem sen-

1 Sup. pag. 245 *a* lin. 13 ult. leg. *institutione* (R. T.).

1 Minus apte sup. leg. *regularium* (R. T.)
2 Edit. Main. legit *domus* (R. T.)

tentia, satisfactione praeviâ et iniunctis iniungendis, absolvere, et cum ipsis super irregularitate, si quam huiusmodi sententiis ligati, missas, et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, aut illis se immiscendo contraxerint, dispensare, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per eos propterea contractam abolere; et infantes, et Turcas, et Saracenos, qui in praesentiâ tuâ ex quavis causâ pro tempore baptizabuntur, baptizare, ac tibi, et tuis filiis, reliquisque in domo tuâ pro tempore servientibus et residentibus, aliisque dictae curiae curialibus, poenitentiae et eucharistiae, et alia sacramenta, etiam in festo Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, absque alicuius licentiâ, ministrare, seu ministrari facere; nec non idem cappellanus maior te et omnes curiales, et quoscumque alios curiam sequentes tuam, ab omnibus et singulis delictis, excessibus et criminibus, etiam casibus episcopalibus, iniunctis iniungendis, absolvere, et interdicti tempore ecclesiasticae sepulturae tradere; quodque pro se et aliis cappellanis praedictis in quacumque ecclesiâ, etiam Ordinum fratrum Minorum, ad quam te pro tempore declinare contigerit, dummodo in eâ ipsi cappellani et cantores divina officia celebrent et cantent, oblationes, etiamsi de manu tuâ, tuorumque filiorum seu filiarum procedant, prout in dictâ regiâ cappellâ recipere, nec non quaecumque matrimonia, quae in praesentiâ tuâ contrahentur, solemnizare, ac praedictus cappellanus maior in episcopali dignitate constitutus tantum omnibus et singulis interessentibus missarum solemniis et verbi Dei praedicationi in tuâ praesentiâ, vere poenitentibus et confessis, ducentos dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino in formâ Ecclesiae consuetâ relaxare; utque omnium et singulorum christifidelium in curiâ tuâ, ubicumque residebis, continue vel ad tempus, pro tempore commorantium, per se, vel alium, seu alios, per eum ad id deputandos, a suo, si curiales non fuerint, Ordinario approbatos, confessiones audire, eosque a peccatis absolvere, iniunctis iisdem pro commissis poenitentiâ salutari, et aliis iniungendis; necnon tam ipse, quam ab eo deputatus presbyter secularis, vel cuiusvis Ordinis de suorum superiorum licentiâ regularis, pariter a suo, si non fuerit curialis, Ordinario approbatus, omnium et singulorum in hospitali tuae curiae existentium confessiones similiter audire, eisque sacramenta ecclesiastica ministrare, et in mortis articulo omnium peccatorum suorum absolutionem, iniunctis pariter iniungendis, impendere, ac parochialem ecclesiam viciniorem palatio, ubi te pro tempore morari contigerit, et si fuerint duae parochiales ecclesiae aeque vicinae dicto palatio, alteram, quam maluerit eligere, in eâque tam cappellanus maior, quam persona ab eo ad animarum curam deputanda, libere ingredi, et exinde sacramenta praedicta accipere, et sibi subditis ministrare, ac ad infirmos tuae curiae deferre, et monitiones matrimoniales suorum subditorum iuxta decreta dicti concilii publicari facere, eosque matrimonio, sine tamen praeiudicio iurium parochi, coniungere; praeterea, si eidem cappellano maiori videbitur, consideratâ decentiâ et necessitate, sanctissimum Eucharistiae sacramentum et Extremae Unctionis in cappellâ regiâ, ut ad infirmos et infirmas in dicto palatio existentes commodius deferatur, et multis incommodis, quae aliàs nasci possent, obvietur, reponere, libere et licite et absque ullo conscientiae scrupulo aut censurarum ecclesiasticarum incursu valeat, licentiam et facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

§ 6. Ad haec, ut quicumque locorum Cappellani.

Cantores, etc., a cuiuscumque alterius episcopi iurisdictione eximuntur.

Dioecesani et alii ordinarii iudices in maiorem et cappellanos cantores et scholares praedictos actu inservientes, et consueta stipendia percipientes (quos ab illis prorsus et omnino eximimus et totaliter liberamus, et quoad maiorem, Sedi Apostolicae immediate, quoad alios vero cappellanos, cantores et scholares huiusmodi dicto cappellano maiori subesse decernimus), nullam penitus superioritatem, dominium et iurisdictionem exercere, nec se de illis quomodolibet intromittere valeant, sed praedicti cappellani, cantores et scholares coram ipso capellano maiori, seu legatis aut delegatis dictae Sedis dumtaxat teneantur de iustitiâ respondere;

Eisque privilegium conceditur sacros Ordines a quocumque episcopo suscipiendi.

§ 7. Insuper, ut cappellani, cantores et scholares servientes praedicti a quocumque maluerint catholico antistite, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, ordines sacros, statutis ad id a iure temporibus, successive accipere;

Aliaque conceduntur privilegia.

§ 8. Dictique cappellani, etiam religiosi, missas, horas canonicas, et divina officia, etiam te absente, iuxta tamen ritum Romanae curiae, etiam in dictâ cappellâ, et in dictâ cappellâ tantum, tam alii cappellani, quam cantores et scholares dicere, recitare et canere, easdemque horas canonicas, ex causâ tamen et infra diei terminum, ac privatim, non autem in ipsâ cappellâ, anticipare et postponere, ac in festo sanctissimi Corporis Christi, et per eius octavam, sanctissimum Eucharistiae sacramentum in eâdem cappellâ cum debitis honore et reverentiâ tenere, ac in quintâ et sextâ maioris hebdomadae feriis idem sanctissimum Eucharistiae sacramentum in dictâ cappella in sacrario sive urnâ reponere, et ad morem patriae monumentum seu tumulum nuncupatum cum luminaribus facere et tenere, nec non coram te missas, etiam antequam elucescat dies, circa tamen diurnam lucem, ac per unam horam post meridiem, celebrare; quodque persona loco archiepiscopi Compostellani cappellani maioris, ut infra deputanda, necnon triginta ex cappellanis praedictis (non tamen praebendas theologales et poenitentiales obtinentes) fructus, redditus et proventus quorumcumque beneficiorum suorum ecclesiasticorum, etiamsi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia fuerint, cum eâ integritate (distributionibus quotidianis exceptis) percipere possint, cum qua illos perciperent, si in eisdem ecclesiis personaliter residerent, nec ac residendum interim in eisdem teneantur, auctoritate, et tenore similibus etiam concedimus. Insuper, ut christifideles curiales tui de licentiâ ipsius cappellani maioris dumtaxat quemcumque idoneum presbyterum, secularem vel cuiusvis Ordinis regularem, approbatum ab Ordinario, si curialis non fuerit, in suum possint eligere confessorem, qui, eorum confessionibus diligenter auditis, eos a peccatis absolvere, et pro commissis poenitentiam salutarem, et alia iniungenda iniungere, et sacramenta praedicta, etiam in die festo Resurrectionis Dominicae ministrare possit; utque cappellani, cantores, et aliae ecclesiasticae personae deputandae ad informationes faciendas super puritate sanguinis admittendorum in cappellam huiusmodi, testes per censuras ecclesiasticas compellere possint iuxta sacrorum canonum dispositionem, auctoritate et tenore praedictis pariter indulgemus.

Eadem privilegia et iurisdictio asseruntur cappellano maiori a rege deputando si archiepiscopus Compostellanus abfuerit.

§ 9. Atque haec omnia et singula moderno et pro tempore existenti archiepiscopo Compostellano tamquam dictae cappellae cappellano maiori, quamdiu et quoties in dictâ curia personaliter resederit; et, eo ab eâdem curiâ absente, seu in illâ non residente, personae in presbyteratus ordine constitutae, per te, toties quoties tibi visum fuerit, nominandae, et per suum Ordina-

rium approbandae, quam nos ex nunc, prout ex tunc, postquam per te nominata, et a suo Ordinario approbata fuerit, deputamus et approbamus (quae, durante absentiâ dicti archiepiscopi a curiâ praedictâ, in quibusvis civitatibus, oppidis et locis, in quibus te, tuamque curiam regiam pro tempore residere contigerit, omnia[1] et singula alia, quae archiepiscopi et episcopi ac alii locorum Ordinarii in dioecesibus suis de iure vel consuetudine aut aliàs quomodolibet facere et exercere consueverunt (citra tamen exercitium pontificalium et ordinum ac beneficiorum collationem) exercere libere et licite, quaeque[2] omnibus et singulis gratiis, favoribus, praeeminentiis et indultis, quibus dictus archiepiscopus, dum in tuâ curiâ residet, ratione dicti officii cappellani maioris gaudet, fruitur et utitur, ac gaudere, uti et frui quomodolibet potest, gaudere, uti, frui possit et valeat pariformiter et aeque principaliter), ac tibi personam huiusmodi nominandi et eligendi plenam et omnimodam facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 10. Praesentes quoque litteras de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari vel invalidari nullatenus posse, sed illas validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, etiam palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

1 Absque ratione ed. Main. l. *omniaque* (R.T.).
2 Edit. Main. legit *quodque* (R. T.).

Exequutores huiusce Constitutionis deputantur.

§ 11. Quocirca venerabilibus fratribus Segobiensi et Abulensi episcopis, ac dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, quoties pro parte maiestatis tuae seu alicuius ex cappellanis vel cantoribus et scholaribus praedictis fuerint requisiti, solemniter publicantes, tibique et illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ maiestatem tuam ac cappellanos vel cantores et scholares praedictos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes maiestatem tuam aut illos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, et de duabus dietis in concilio generali editis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices etiam praedecessores nostros, ac nos et dictam Sedem, etiam per viam generalis legis, ac statuti perpetui, ac motu proprio, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam cum quibusvis irritantibus,

annullativis, cassativis, revocativis, praeservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut exquisita forma servanda foret, et in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit), illorum ac omnium et singularum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac ad verbum insertis, necnon modos et formas ad id servandas pro individuo servatis habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis. § 13. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique in iudicio et extra illud, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX maii MDCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 maii 1623, pontif. an. III.

CX.

Quod loca Montium cameralium ad Congregationem de Propaganda fide spectantia extingui seu redimi nequeant[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum postulat, ut rerum et bonorum Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotio Propagandae in universo mundo Fidei praepositorum conservationi et manutentioni, quantum cum Domino possumus, consulamus.

§ 1. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod de cetero perpetuis futuris temporibus loca Montium cameralium, quae ad eamdem Congregationem nunc spectant et pertinent, ac pro tempore quomodolibet spectabunt et pertinebunt, nullo unquam tempore per sortem sive extractionem seu aliàs quomodolibet ex quacumque causâ, etiam quantumvis urgenti et necessariâ, nisi de expressâ nostrâ et Sedis Apostolicae licentiâ, extingui seu redimi possint, et, si licentiâ huiusmodi suffragante eadem loca, ut praefertur, seu aliàs quomodolibet extingui seu redimi contigerit, pretium, quo tunc in publico foro censentur, pro eis solvi omnino debeat. Decretum, de quo in rubrica.

Clausulae. § 2. Praesentes vero litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere praetendentes ad hoc vocati, citati et auditi non fuerint, seu alio quocumque praetextu, causâ et occasione, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, in ius vel controversiam revocari, aut sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus limitationibus vel aliis contrariis dispositionibus nullatenus[1] comprehendi posse; sed semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *ullatenus* (R. T.).

eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, tenore praesentium decernimus et declaramus.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae quomodolibet concernentibus in eâdem camerâ[1] infra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, necnon dictae camerae et Urbis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, usibus, stylis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam super locorum Montium huiusmodi erectione, ac aliàs quomodolibet, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium emanatis, concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret), illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu secretarii dictae Congregationis, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV maii MDCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 mai 1623, pontif. an. III.

1 Edit. Main. legit *camerae* (R. T.).

CXI.

Confirmatio concordiae pro componendis controversiis inter Avenionenses et regem christianissimum pendentibus initae[1].

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Regimini universalis Ecclesiae, meritis licet imparibus, disponente Domino praesidentes, ac inter nostros et sanctae Romanae Ecclesiae vassallos et subditos, necnon alios quoslibet christifideles lites et differentias extingui, pacemque conservari sincero desiderantes affectu, illis, quae propterea maxime de mandato nostro provide et consulte facta et decreta sunt, ut firma et illibata persistant, sublatisque quibuslibet obstaculis, suum sortiantur effectum, apostolici muniminis libenter adiicimus firmitatem, prout ipsorum christifidelium paci et tranquillitati et aliàs conspicimus salubriter in Domino expedire.

Recensentur litterae, quibus nuncio apostolico data fuerat facultas componendi dictas controversias.

§ 1. Nuper siquidem a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Venerabili fratri Octavio archiepiscopo Tarsensi, etc.*[2].

Ludovicus quoque Galliae

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, ad

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Omittimus litteras inutiliter hic repetitas in edit. Main., nam leguntur supra sub num. XCII, pag. 768 h. t. (R. T.).

rex suos ad id commissarios delegat. lites et differentias praedictas cum eodem Octavio archiepiscopo terminandas, infrascripti commissarii a Ludovico rege praedicto sub die XI aprilis proxime praeteriti deputati fuerint, prout plenius continetur in patentibus ipsius Ludovici regis desuper confectis, tenoris subsequentis, videlicet [2]:

Regis litterae. Louis par la grace de Dieu roy de France et de Navarre, comte de Provençe Folcalquier et terres adiacentes, a nos amez et feaux les sieurs de Champigny, contraleur general de nos finances, de Preaux, chevalier et chancellier de nos ordres, et de Marillac, conseiller en notre conseil d'etat, Salut. Ayans toujour desirè l'accomodement des differens, qui sont entre nos subiects de Noves en notre paiis de Provençe et ceux de notre S. Père le Pape de la ville de Avignon et comtè Venaissin, survenùs à cause des limites et bornes des terres de la dette ville d'Avignon, et ceux du comtè de Noves Chasteauregnaud, et autres lieux etans le long de la rivière de Durançe du costè de dict notre paiis de Provençe, nous aurions commis à plusiers et diverses fois aucuns de nos principaux officiers pour avec les commissaires deputez par sa Santetè adviser aux moiens convenables pour les terminer: à quoy i's auroient travaillè en telle sorte, que demeurans d'accord de certains points, ils non peuvont convenir entièrement des autres pour plusieurs difficultez, qui se sont rencontrèes, soit en la validitè des pouvoirs des commissaires, ou autrement; mais considérant, que la continuation des d. differens pouvroit apporter de l'altercation entre nos d. subiects contre ce, qui est de notre intention; nous avons estimè à propos affin de conserver, et entretenir entre eux la bonne union, amitiè et intelligençe, que nous y avons toujours desirè, de faire de nouveaus conferenz, et traicter les d. differens par aucons des principaux de notre conseil avec celuy, oux ceux, qui seront deputès de la part de notre d. S. Père. Au moyen de quoy etant necessaire de commetre quelques personages sur la suffisance et capacitè des quelz nous puissions nous reposer de l'accomodement de cette affaire, sachant pour cet effet ne pouvoir faire plus digne election, que de vos personnes, tant pour l'affection, qui portez au bien de notre service, et de cet etat, que pour la particulière connoissançe, que vous avez des d. differents; a ces causes nous vous avons commis, deputez, et ordonnez, commettons, deputons, et ordonnons par ces presens signèes de notre main, pour avec les deputez de notre S. Pere le Pape conferer et traicter de tous les d. differens et pretentions, qui peuvent etre representèes de parte d'autre, yceux regler, arrester, et terminer entieremant, y procedant en telle sorte, que notre autoritè, et droitz y soient conservez, et ceux de nos d. subiectz; voulons, que ce qui sarà par vous fait, negotiè, et arrestè en l'accomodement des dicts differens, soit suivy par dè, et observè de poinct en poinct; promettant l'avoir pour agreable, tenir ferme, etable, confirmer, ratifier, et approver pour avoir telle forçe et vertù, que s'il etoit par nous fait en notre conseil. De ce faire nous avons donnè et donnons plein pouvoir, authoritè, commission et mandement special par ces d. presentes. Car tel' est notre plaisir. Donnè à Fontainebleau le XI iours d'avril, l'an de graçe MDCXXIII, et de notre regne le III: signè Lovis, et plus bas par le roy comte Provençe Phelipeaux; et scellè du grand' sceau de cire jaune sur simple queve. O. archiepiscopus Tarsensis, nuntius apostolicus; Bo-

2 Sequentes litteras edimus eâdem scribendi ratione, qua reperiuntur in edit. Main. (R. T.).

hèant Champigny, Delaubespines, De Marillac;

Nuncius apostolicus, regiique commissarii sequentem ineunt concordiam.

§ 3. Dictique Octavius archiepiscopus et commissarii, ab eodem Ludovico rege in praeinsertis eius patentibus litteris deputati pro terminandis litibus et differentiis praedictis, ad infrascriptam devenerunt concordiam tenoris subsequentis, videlicet[1]:

Articles accordez entre messire Octavio Corsini archevesque de Tarse nonçe de Sa Sainctetè pres de Sa Majestè tres Chretienne commissaire deputè de sa d. S. et les sieurs de Champigny conseillier du Roy en ses conseilz d'etat et privè contraleur general de ses finançes, de Preaux conseiller au dictz conseils d'etat, chevallier et chancellier des Ordres de Sa d. Maiestè, dont les pouvoirs sont inserez ala fin du present accord, pour raison des differents entre les habitans de la ville de Avignon et les subiectz de Sa Maiestè de Provençe, sur les limites des terroirs de la d. ville de Avignon, et de Noves de Chasteaurenard, et autres lieux le long de la riviere de la Durançe depuis le Pont de Bonpas jusques au Rhosne.

Primierement que les palieres, qui sont depuis le trou de Bely, l'espron, qui est au dessus de celluy compris, seront desmollies par ceux de Avignon, et les pointes des esperons, qui se trouveront le long des pallieres, qui demeureront, seront esmovissees, et abbatues en façon, que les dictz esperons soient esgaux de toutes pars, et n'avancent les pallieres, qui demeureront.

Seront tirès deux lignes distantes de trois cens cannes de largeur l'une de l'autre, sçavoir l'une du cotè de Provençe, qui se commencerà de l'endroiet du pont de Bonpas jusque au Rhosne, et l'autre du cotè de Avignon, qui se commencera à la fin des pallieres, qui demeureront en etat aussy jusque au Rhosne, dans la quelle largeur les dictz d'Avignon et de Provençe feront resetter le lours de la riviere de Durançe, s'il se peutt; et les dettes deux lignes seront designees par deux deputez, l'un de Avignon, et l'autre de Provençe, qui prendront avec eux chacun un expert, lesquelz procureront, que la dette largeur de trois cens cannes soit sur le mitau du lit de la ditte riviere le plus qu'il sera possible, et sy pour bailler la d. largeur il etoit besoin de prendre des terres fermes, l'on en prendrà la moitie dù cotè d'Avignon, et l'autre moitie du cotè de Provençe, et pourront les d. partes chacune endroiet soy faire pallieres ou aultres reparations de pierre, ou altres matieres, qu'ils vouldront au derriere des d. lignes, voire mesmes de dans l'eau, sans avoir resguard à aucun canal, pourveu qu'il non trapasse d. lignes.

Dedans la d. largeur de trois cens cannes, ne serà permis aux dictes parties de faire aucun ouvrage, bastiment, ou reparation, quelle qu'elle soit, ny aucune culture à ce, que tout, qui se trouverà en la d. largeur, demeure pour lit de la d. riviere, et sy en ycelles designations de ceuli, qui l'auront faict.

Et affin que la d. designation serve a perpetuitè seront plantees des termes de pierre de l'alteur necessaire de un cotè et de l'autre aux despens de ceus d'Avignon de leur cotè, et de ceus de Provençe du leur: et pour plus grande stabilitè dès d. lignes dautant que la d. riviere par succession de temps pourroit emporter des d. termes, et par ce moien les parties voulans construire de pallieres, pourroient entrer en dispute sur les d. lignes, au pourtant sara faict de part et d'autre de la distançe, qu'il y aura, des

1 Sequens quoque documentum referimus eo modo quo in edit. Rom. continetur (R. T.).

lignes, que l'on tirera jusques aux lieux, qui l'on adviserà pouvoir servir à cet effect à perpetuité, a ce que les d. parties voullans faire reparations, ou palliers, le puissent faire, voire mesmes de dans l'eau, pourveu qu'il non trapasse les d. lignes.

L'escluse de pierre, qui est au dessus du pont de Bonpas, servant pour les moulins, e prez d'Avignon, serà desmolie jusques à la haulteur, et contenançe necessaire du trou, qui se trouve à present pour prendre, et retenir l'eau, et la largeur dela muraille dela d. escluse demeurerà seulement de une canne de pierre, et le surplus de la d. largeur serà retranchè, et demolly, et la longeur de la d. muraille serà augmentè, et retranchè de present, et à l'advenir en façon, que toujours l'on puisse prendre de l'eau de la d. riviere en suffizance, et convenablement pour les d. moulins, et prez.

Les pilles du pont de Bonpas seront desbouchées, et les assamblemens etans devant et derriere ycelles aures aux depens des d. de Avignon. Et quant aux assamblemens, qui sont le long des pallieres, qui demeurent, serà faicte une excavation de la longeur, qui sarà trouvè necessaire par les d. deputez aux depens communes des parties.

L'éau de la d. riviere ferà separation des Estats de Avignon et de Provençe, demeurant neantmoins la souverainitè de la d. eau à Sa M. bien qu' elle passast la ligne du cotè d'Avignon, et les Isles et Iscles qui se feront en la d. largeur des troicens cannes, tant quelles seront environnes d'eau, et tant qu' elles ne seront unies, et contigues à la terre ferme du d. Avignon, appartiendra à Sa d. M. come de mesmes les Isles, et Iscles, qui sont et se feront au deça la d. ligne du cotè d'Avignon, bien qu' elles soient environnèes d'eau appartieneront en plaine souverainetè a sa dicte Saintetè.

La proprietè, jurisdiction, et souverainetè de tout le terroir, qui se trouverà deça la d. riviere du cotè d'Avignon, soit en terre ferme graviere, isles, iscles, bois, laissets, assamblemens, et atterrissemens jusques à l'eau coullante de la dicte riviere à commencer du d. pont de Bonpas jusques au Rhosne, et notemment le d. terroir pretendu par les dicts de Noves au cotè de Avignon appartiendrà à Sa d. Saintetè, et Ville de Avignon respectivement, comme de mesme tout ce qui se trouverà au delà de la d. riviere du cotè de Provençe de mesme nature appartiendra à Sa d. Maieste, et Communautè de Provençe en mesme jurisdiction et proprietè.

Sy la d. riviere dessendant dù costé de Avignon passe la ligne de cette part, les terres, qui seront enfermès entre la riviere, et la ligne dù costé d'Avignon, demeurent en la sovverainetè de Sa d. Saincteté, et le cours, et navigation de la d. riviere toujours en la sovverainetè du Roy seullement.

Sy la d. riviere dessendant dù costé de Provençe passe la ligne du d. costé tirant vers Terrascon, ou au tres lieux de Provençe, la ligne dù costé de Provençe en ce cas servira de frontiere entre Provençe et Avignon, sans que la sovverainetè de Sa Saintetè s'estende oultre ycelle.

Toutes assignations et colloquations faictes par les officiers de Sa d. Majesté au deça la d. riviere dù costé d'Avignon, et à l'endroit du terroir pretendu par les d. de Noves en faveur de creantiers de la d. Communautè, seront de null'effect, et valleur, et comme si jamais n'avojent esté faictes, et non obstant icelles le d. terroir appartiendra aux d. de Avignon, et la souverainetè à sa d. S. comme dict est.

Et pour la pretention, que les dicts de Noves avoient sur le d. terroir, et des domaiges, interrestz, et dispens qu'ils pre-

tendoient, ensemble ceux de Chasteurenard, et autres Communautez de Provençe, et particuliers d'icelles, à cause dela construction des d. pallieres, et austres ouvrages faicts par les dicts d'Avignon, et dans la d. riviere, et pour toutes sortes de pretentions qu'ils pouvoient avoir, et le pays de Provençe pour raison des d. differents contre les d. ville et habitants de Avignon, ycelle ville donnerà la somme de dix mil liures, sçavoir la moitiè de dans six mois, et l'autre moitiè six mois après.

Et pour l'execution du present accorde ceux de Avignon et Provençe nommeront de dans trois mois leurs deputez, qui seront obligez quinze jours apres se trouver sur les lieux avec les experts vouldront choisir pour incontinent designer et tirer les d. lignes et le d. allignement ainsy faict, et tiré, ceux d'Avignon seront tenux de dans trois mois apres de desmollir les pallieres, escluses, et esperons cy dessus mentionez, comme ausy faire les ouvertures des piles du d. Pont, le tout en sorte, que le cours libre d'eau ne soit empesché.

Pourront tant ceux d'Avignon, que de Provençe prendre des pierres a la perriere des PP. Chartereux ou d. Bonpas pour la construction des d. pallieres aux mesmes conditions, qu'ils les vendent à ceux d'Avignon.

Les d. sieurs deputez promettent de faire ratifier le present traicté par Sa Sainctetè et Majesté, et en fournir les lettres de ratification de dans trois mois, et de faire en registrer le present accord en la Court de Parlement à Aix: faict, et passé à Fontainebleau la derrier jour d'auril mil sixcens vingt et trois.

OCTAVIUS archiepiscopus Tarsensis, nuncius apostolicus.
BOECHART CHAMPIGNY.
DE LAUBESPINES.
DE MARILLAC.

Gregorius eam confirmat.

§ 4. Nos, concordiae ac omnium et singulorum in eâ contentorum perpetuae observationi, christifideliumque praedictorum quieti et felici statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, concordiam, per dictum Octavium archiepiscopum cum commissariis praedictis super litibus et differentiis huiusmodi initam, ratam et gratam habemus, illamque approbamus et confirmamus, ac illi perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, et solemnitatum etiam forsan de iure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet requisitarum, necnon quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui in praemissis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observari; sicque, et non âliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Pii Papae IV, praedecessoris nostri, de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae quomodolibet concernentibus in eâdem camerâ infra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII maii MDCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 22 maii 1623, pontif. an. III.

CXII.

Committitur episcopo Parmensi, ut ea ab ecclesiasticis observari curet per decennium, quae dux solet statuere pro curandâ annonae abundantiâ [1].

Venerabili fratri episcopo Parmensi Gregorius Papa XV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Parmae dux nonnulla statuere solebat pro curanda annonae abundantia.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilectus filius nobilis adolescens Alexander Farnesius Parmae et Placentiae dux, nec non congregatio a generali consilio civitatis Parmensis super annonae abundantiâ deputata, nonnullas singulis annis ordinationes necessarias, et iustitiae et aequitati convenientes, quibus penuriae annonae illius anni provideatur, a personis laicis observandas faciant;

Pontifex Parmensi episcopo mandat, ut ea per ecclesiasticos quoque servari curet.

§ 2. Nos fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut per decennium proximum ordinationes introducendi in civitatem et notificandi frumentum, bladas et legumina, auctoritate nostrâ facias, et ad illas observandas per te, seu tuum in spiritualibus vicarium generalem, quascumque civitatis et dioecesis praedictarum personas ecclesiasticas, seculares et cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, necnon militiarum, aliorumque piorum locorum regulares, cuiuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis et conditionis existentes, etiam exemptas, ac nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectas, opportunis iuris et facti remediis, eâdem auctoritate cogas et compellas. Nos enim tibi praemissa et quaecumque alia desuper necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, eâdem auctoritate, tenore praesentium, plenam et amplam facultatem concedimus et impertimur. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, militiarum et locorum piorum ac Ordinum quorumcumque (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iunii MDCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 iunii 1623, pontif. an. III.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII maii MDCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 22 maii 1623, pontif. an. III.

CXII.

Committitur episcopo Parmensi, ut ea ab ecclesiasticis observari curet per decennium, quae dux solet statuere pro curandâ annonae abundantiâ [1].

Venerabili fratri episcopo Parmensi Gregorius Papa XV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Parmae dux nonnulla statuere solebat pro curanda annonae abundantia.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilectus filius nobilis adolescens Alexander Farnesius Parmae et Placentiae dux, nec non congregatio a generali consilio civitatis Parmensis super annonae abundantiâ deputata, nonnullas singulis annis ordinationes necessarias, et iustitiae et aequitati convenientes, quibus penuriae annonae illius anni provideatur, a personis laicis observandas faciant;

Pontifex Parmensi episcopo mandat, ut ea per ecclesiasticos quoque servari curet.

§ 2. Nos fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut per decennium proximum ordinationes introducendi in civitatem et notificandi frumentum, bladas et legumina, auctoritate nostrâ facias, et ad illas observandas per te, seu tuum in spiritualibus vicarium generalem, quascumque civitatis et dioecesis praedictarum personas ecclesiasticas, seculares et cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, necnon militiarum, aliorumque piorum locorum regulares, cuiuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis et conditionis existentes, etiam exemptas, ac nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectas, opportunis iuris et facti remediis, eâdem auctoritate cogas et compellas. Nos enim tibi praemissa et quaecumque alia desuper necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, eâdem auctoritate, tenore praesentium, plenam et amplam facultatem concedimus et impertimur. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, militiarum et locorum piorum ac Ordinum quorumcumque (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iunii MDCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 iunii 1623, pontif. an. III.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

B

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Ordinariis quoad curam animarum et confessiones secularium 312 et 313. Praescribit observari numerum statutum in monasteriis monialium regni Portugalliae 315 *a*. Sacellum in Basilica Liberiana erigit, 315 *b*: *Vide* Burghesiorum sacellum. Clementis Papae VIII monumentum in eo ponit, 317 *b*. Instituit Confraternitatem christifidelium utriusque sexus sub invocatione Ss. Benedicti et Scholasticae de Urbe cum facultate liberandi unum quotannis ex damnatis capitaliter, 338 *a* et *seq*. Statuit quatuor adolescentes Ruthenos in collegio Graeco de Urbe educari, 340 *a* et *seq*. Caeremonias a Ruthenis servandas declarat, 341 *a* et *seq*. Definit Ruthenos episcopos ordinari posse assistentibus latinis, et vicissim, 342 *a*. Poenas et confiscationes in Statu Ecclesiastico solvendas camerae apostolicae ex Constitutione Sixti V, 343 *a* et *seq*. Definit de gubernio monasteriorum monachorum ecclesiasticorum Ordinis S. Benedicti per abbates aut priores, 345 *b* et *seq*. Unam Congregationem Cisterciensem, Aragoniae et Navarrae sub obedientia abbatis generalis Cistercii erigit, 347 et *seq*. Congregationem doctrina christiana Avenionensem cum Congregatione Somaschae unit, 354 et *seq*. Innovat Constitutiones Sixti IV et Pii V de Conceptione B. M. V., 356 *b* et prohibet quominus in actibus publicis asseratur eam fuisse in peccato conceptam, 396 *b* et *seq*. Moniales ne solvant propinas superioribus monasteriorum, 359 *b* et *seq*. Contra ambitus fratrum Caelestinorum, 360 *b*, item Minorum, 450 *b* et Minimorum, 452 *b*. Revocat privilegia universitatis studii Lovaniensis, 362 *b* et *seq*. Confirmat Constitutiones Eremitarum S. Augustini Congregationis Siciliae et ipsius unionem Congregationi Italiae, 377 *b* et *seq*. Congregationem fratrum Ioannis Dei in veram religionem erigit, 379 *b* et *seq*. et ipsius Constitutiones approbat, 386 *a* et *seq*. Irritat suas litteras quibus demandaverat Congregationi clericorum secularium B. Mariae opus erudiendi et docendi pauperes scholares, 383 *a* et erigit specialem Congregationem Paulinam pauperum Matris Dei scholarum piarum, 383 *b* et *seq*. Minoribus Conventualibus indulget semel in mense recitare officium S. Francisci, 385 *a*. Confirmat statuta universitatis studii Viennensis, 387 *a* et *seq*. Confirmat erectionem academiae et ecclesiae collegiatae in oppido Novozamoyskio Chelmensis dioecesis, 389 *b* et *seq*. Iubilaeum universale pro ecclesiae necessitatibus indicit, 392 a et *seq*. et 434 *a* et *seq*. Prohibet ecclesiasticis dominii Venetorum solvere gabellam impositam absque licentia Sedis Apostolicae, 395 *b*. Sylvestrinis concedit privilegia, 398 *a* et *seq*. et monasterium ecclesia S. Andreae in civitate Auximanâ, 400 *b* et *seq*. et B. Sylvestrum Cuzolinum Sanctorum abbatum numero adscribit, 401 *a*. Acta nonnulla a iudicibus laicis in regno Lusitaniae contra ecclesiasticam immunitatem attentata irritat, 405 *b*, et illos deinde absolvit dummodo revocent iudicata, 415 *b* et *seq*. Concordiam inter forum ecclesiasticum et laicale Status Mediolanensis super causis ad utrumque spectantibus initam, 407 *b seq*. confirmat, 410 *b*. Fratribus Cappuccinis crucem propriam deferre possint tuetur, 411 *b* et *seq*. Universitatis studii Lovaniensis rectori paaecipit ut observet decreta edita a visitatoribus apostolicis, 412 *b*. Sixti V et Clementis VIII constitutiones de bonis in Statu Ecclesiastico in forenses, castris vero, aliisque iurisdictionalibus nullimode alienandis confirmat, explicatque, 413 *a* et *seq*. Confirmat statuta confraterni-

R

S

T



INDEX ALPHABETICUS PONTIFICUM

IDEM CHRONOLOGICE DISPOSITUS

INDEX INITIALIS

A

C

H

I

M

N

O

P

Q

R

S

U

INDEX RUBRICARUM

PAULUS V.

1 Desumpta ex Const. c (CIII) Greg XV.

GREGORIUS XV.

FINIS TOMI DUODECIMI.

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi Taur.
P. Clodovaeus a Costiliolis Ord. Min.

ERRATA - CORRIGE

HUIUS NOSTRAE EDITIONIS.

IN TEXTU.

Pag. 3 *a*	linea	6		1612	*Lege.*	1611
» 6 *a*	»	12	*ult.*	competat (A)	—	competant
» 11 *a*	»	24		expressis	—	expressis,
» 219 *b*	»	16	*ult.*	prossima	—	prossimo
» 369 *b*	»	18		ex alterâ (B)	—	ex alterâ partibus
» 370 *a*	»	15		ubilibet residentibus (C)	—	ubilibet residentibus vocari et trahi
» 500 *b*	»	12		MDCXX (D)	—	MDCXXI
» 500 *b*	»	14		1612	—	1621
» 505 *b*	»	1		gestorum 1	—	gestorum 1)
» 510 *a*	»	24		Circumscripta	—	Circumspecta
» 520 *a*	»	6		felici recordatione	—	felicis recordationis
» 556 *a*	»	13		committendorum	—	committendorum)
» 563 *b*	»	14		MCDIV (E)	—	MCDLIV
» 616 *b*	»	15		eos (F)	—	eas
» 651 *a*	»	1	*ult.*	1621	—	1622
» 652	»	3		21 februarii 1621	—	4 februarii 1622
» 656 *b*	»	9	*ult.*	MDCXXI (G)	—	MDCXXII

IN NOTIS.

» 11 *a*	nota	2	solutorum	*Lege:*	solitorum
» 22 *a*	»	4	solutorum;	—	solitorum
» 31 *b*	»	1	maveris	—	malueris
» 33 *b*	»	1	*ed* pro *eis*	—	*eis* pro *ed*
» 172 *a*	»	1		—	*dele notam*
» 186 *b*	»	1	*idest*	—	, idest,
» 198 *a*	»	2	constitutum	—	constitum
» 242 *a*	»	1	XX	—	X
» 271 *b*	»	1	*illas*	—	*illa*
» 273 *b*	»	2	pref.	—	supra
» 558 *a*	»	1	Pii V	—	*Pridem*
» 582 *a*	»	2	*quam*	—	quam
» 584 *a*	»	2	malitiâ	—	militiâ

AD ORAM SUPERIOREM PAGINAE.

» 36-56 *a*	»	1620	—	1612

(A) Ex ed. Main.	Tom. v, Parte IV, *pag.*	4 *a*	linea	24 *ult.*
(B) Ex ed. Main.	*ibid.*	»	217 *b*	»	12
(C) Ex ed. Main.	*ibid.*	»	217 *b*	»	16 *ult.*
(D) Ex ed. Main.	*ibid.*	»	322 *a*	»	23
(E) Ex ed. Main.	*ibid.*	»	364 *b*	»	19
(F) Ex ed. Main.	*ibid*	»	398 *a*	»	18
(G) Ex ed. Main.	*ibid.*	»	422 *a*	»	17

Typothetarum specimina
repetitis curis contulit et revisit I. B. Desso Taurinensis.